


BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XIII
E
2
NAPOLI






ORNITHOLOGIA
MORALIS
R.P. FORTVNATI
HVEBER
Ex Ordine Minorum S.
Francisci Reformatorum
Theologi & Concionatoris
Typis et Impensis Joannis Jäckhüni. Bibliopolæ et Typographi Electoralis et Episcopi Frisingiæ ac Ratisbonensis
Johann Schreiber. del.
NAPOLI

ORNITHOLOGIAE MORALIS,
PER
DISCURSUS PRÆDICABILES
ex omni genere Sacrarum Scientiarum, Scripturarum, Historiarum, Eruditionum, Antiquitatum, Proprietatum, Doctrinarum, Conceptuum, Curiositatum, Legum, Institutionum, Sententiarum, Affectuum, Argumentorum, Locorum & Materiarum.

COPIOSE INVENTOS, SUBTILITER ordinatos, facundè propositos & salubriter auditos.

FORMATÆ, DISPOSITÆ.
EXORNATÆ ET SACRIS ORATORIBUS QUIDEM AD CHARITATIVUM SUBSIDIUM, TOTI VERO CHRISTI FIDELIUM ECCLESIÆ AD PUBLICAM UTILITATEM ATQUE ÆDIFICATIONEM DONATÆ



PARS II.
PRO
FESTIS PER ANNUM,
AC CELEBRIORUM ORDINUM FUNDATORIBUS.

AUCTORE
R.P.F. FORTUNATO HUEBER
Ordinis F.F. Minorum S. Francisci Reformatorum Provinciæ Bavariæ Theologo, & Ecclesiæ Cathedralis Frisingensis Ecclesiaste.



Cum facultate Superiorum, & Privilegio, &c.

MONACHIJ,
Typis, & impensis JOANNIS JÆCKLINI, Typographi Electoralis Bavariæ, ac Episcopalis Frisingensis & Ratisbonensis.
ANNO M. DC. LXXVIII.

REVERENDISSIMIS, ILLUSTRISSIMIS, PERILLUSTRIBUS, GENEROSIS, PRÆNOBILIBUS, CLARISSIMIS, ET GRATIOSIS DOMINIS, PATRONIS SUIS BENEFICENTISSIMIS,

DOMINO
IOANNI
SIGISMUNDO
ZELLER,

Libero Baroni ab & in Leiberstorff, Domino in Kleinstetten, Cathedralis Frisingensis Ecclesiæ Præposito ac Canonico, nec non Canonico Cathedrali Ratisbonensi, Serenissimis Principibus, Electori Bavariæ, ac Episcopo Frisingensi à Consilijs.

DOMINO,
IOANNI
SIGISMUNDO

Libero Baroni de Neuhaus, in Greiffenfels, Ernhaus & Zangberg, Cathedralis Ecclesiæ Frisingensis Decano, ac Dicasterij Justitialis Cameræque Episcopalis ibidem Præsidenti.

DOMINIS CATHEDRALIS
CAPITULI
CANONICIS

Quà Nobilitatis & Excellentiæ gradu, quà Nominum ac Titulorum solemnitate inclytis,

CÆTEROQUE

Adm. Reverendo, Prænobili, Nobili, Reverendo ac Venerabili Frisingensis Diœceseos

CLERO

Felicitatem Ecclesiasticam, ac Gloriam Dei in effectu.



Onis avibus, *hoc est per anagramma*, bis viâ bonus *advolo, ut quidquid* Secunda Ornithologiæ moralis Pars DE SANCTIS *vel*

in pennis sanum, vel in auspicijs officiosum, vel cantilenis delectabile continet, id totum Regali *Frisingensis Diœcesis* Sacerdotio, *sive in primis honorificè suspiciatur Capitibus, sive à mediocribus gradibus aut ultimis Hierarchiæ Ordinibus spectetur, pientissimâ observantiâ Datum, Dicatum ac Dedicatum pronuntiarem.*

Et quidem proposito meo jucundum, viribus autem videbatur haud difficile, ita bis viâ bonum *Ordiri* auspicium, *totóque Ornithologico apparatu Vestris Gentilitijs Insignibus ac Symbolicis Ceris accinere, accideréve: nam & excavatæ Pennæ, & aurivagæ Plumæ, & elixatæ Coxæ, & selectiora Pectuscula, & acuminata Rostra, & unguati Pedes, & solutæ Linguæ, & ovorum Vitella, & implexi Nidi, Voces & Cantilenæ, Greges & Caveæ, & quidquid speciosum aut spaciosum Altilium Respublica obtinet, Divino Humanóque jure, vestro feruntur Dominio cedere, accedere emolumentis; pennæ scriptionibus, plumæ insignibus, coxæ alimentis, armi mensæ, pectuscula edacitati, rostra Concionibus, pedes Charitati, linguæ Orationi, ova virtuti, nidi incolatui, cantilenæ Choris, voces exultationi & saluti.*

Tituli ex his præstantissimi affiguntur, quibus hoc qualecunque Ornithologicum DE SANCTIS Opus *Illustrissimis & Clarissimis Vestris Nominibus debeatur. Enimverò ut insignes vestros pro Publico Bono conceptos, & omnium eruditionum ornamentis excultos ingenij partus velociter scribente calamo expediatis, Clarissimi Viri: ecce! jam olim vobis omnium Avium pennas longè aptiùs, quàm Pontani regulis docetur, celebratissima exacuit Antiquitas; quæ Serenissimo simul & Reverendissimo Ottone Frisingensi, inter universales Historicos eximio, teste, hanc vestram Cathedralem Ecclesiam, propter florentissima studiorum & ingeniorum oracula, plausibiliter appellitavit* Doctissimorum & Clarissimorum Canonicorum Collegium.

Ad Plumas si officiosos flectamus oculos; nihil adeò Prænobilibus & Illustribus Familijs familiare adhibetur, quàm Plumis super apertas & avitâ nobilitate insignitas ceras sublimè tendere, niti, evolare.

Hinc è Volucrum alis, caudis & cristis, eligitur id, quod arridet speciosissimum, galeísque & pileis imponitur, ut inde nemo non conijciat in conversatione libertatem, in conditione ingenuitatem, in virtute gloriam, & in nobilitate splendorem. Nempe ingenuæ & ingeniosæ sunt Aves, ut & plumis suis mollicubium sternant, & Magnis ac Præcipuis Capitibus serviant ad venustatem.

Nec Coxis, Armis aut Pectusculis congenitum pretium desideratur: nam si quid in Altilibus sapidum & exquisitum ab Aucupe capitur, id meritò Ecclesiasticorum & Canonicorum mensis infertur ad cupediam & saturitatem; ut ita, qui in sortem Domini vocati Altari serviunt, de Altari *quoque* Altilia *comedant, & selectioribus nutriantur Pectusculis de nidore & pinguedine terræ, quam Clericalibus servitijs decimandam Author Universi, jure Leviticorum, consignavit.*

Ad rostra Altilium haud equidem tam patet facilis ascensus, quàm sit descensus averni: quia tamen Ecclesiasticorum interest, Rostra conscendere, de suggestu populum docere, pro veritate & salute pugnare, palam loqui, nemini parcendo neminem offendere; hinc & Rostra Altilium debentur dissertationibus Sacerdotum, quibus opportunum frequenter accidat, certare pro salute & pro Justitia agonizare, Rostris atque Vnguibus æquè; *ad hoc, ut* VINCENTIBUS DETUR *æterna gloria, juxta Eschili à S. Clemente Alexandrino libro 4. Stromatum relati assertum.* Laborem, qui tulit, debetur huic LABORIS NATUS, GLORIA.

Levitarum *autem munus tunc præsertim quoad suos supplebunt numeros Clerici, quando Charitas ipsis suppeditabit Volucrum Pedes, sicut ad assultum & desultum* leves, *ita tunc maximè pernices, quando Honor Dei laborat, &* proximis ardet *Vcalegon: rectè enim decet Curatum moveri* velocem in opere suo, *ut dum pedetentim incedere haud debet, Mercurium imitetur, atque alatis pedibus advolet, adjuvet, adimat, adamet & adumbret, prout suggesserit prudens Charitatis erga Deum & Proximum exercitatio.*

EPISTOLA DEDICATORIA.

De modicâ modulantium Linguarum substantiâ, quam plurimi inter lubrica & inquieta mala volunt carpere, tunc omnium optima, & quidem melle ac saccaro condita Vobis Portio competit, quando statutis horis Oratione ad Deum vacatis: neque enim hoc tenue ac volubile vocis & saporis instrumentum digniorem promeretur Mastygen, quàm dentes & labia Sacerdotis; quæ dum scientiam custodiunt, etiam mentis ad Deum periodos suavi expreßione conferunt, ac intentâ devotione proloquuntur.

Ova Virtuti vestræ ac Felicitati parta debentur: neque enim possidere juvat inflatum ovum cujusdam jactabundi Oromosij; qui, dum Ovo suo totius Mundi felicitatem concludi frivolè gloriaretur, inventus est minùs habens: *nam & ovum fregit, illòque aperto non nisi* vacuum *inesse deploravit. Ut Ecclesiasticorum Ova nec irrita supponantur, nec subventanea*, virtute & felicitate *turgeant: ita enim ijs, qui in sortem & gregem Domini vocati sunt, accidere nihil potest jucundius ad præmium, aut animosius ad imitationem.*

Nidos industriè consitos, accuratè inflexos, molliter ab intus stratos, vigorosè extus concretos, & sive in arborum ramis, sive in materiæ cavernis agglutinatos, perenni Clericorum habitationi ac quieti designo: horum enim nemo, qui pingui beneficio, præbendâ, Curâ aut Canonicatu potitur, cum Cuculo aut Currucâ in alienis cubiculis excubat, sed potiùs suâ sorte contentus ait: Quantumcunque alij sibi pro aliâ sede invigilent, Ego in nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies meos.

Videbar hactenus gravi oblivione Choros expunxisse. Ad horum autem frequentationem Ecclesiasticos esse solenniter investitos ac legitimè installatos, quasi Castrorum acies Divinis laudibus concertantes, Jura Divina ac Humana pronuntiant. Et ecce! ne muta vel mutila evadat Chori resonantia, cantilenas suas accomodant Cæli Volucres, *tonos exprimunt, pausas servant, melodias fingunt, aures recreant*, voce salutis & exultationis *cum Angelis lætos festôsque dies agunt. Proinde horum cæli Phonascorum imitatione Cleri-*

calis

calis Harmonia psallat attentè, recitet devotè, concinat religiosè, & pro materni nominis Freysing *anagrammate resonet* maturè, liberè, fervidè ac vigilanter.

Proinde ex melioribus hisce Volucrum dotibus ditata Gens Sancta, & *instructus* Populus *Dei* electus, *quotidianam ex Religione obtinebit Victoriam, eritque suâ sorte feliciter contentus: veram enim Religionem colentibus Altissimi Dei Sacerdotibus id contingit, quod olim de Gentilium Sacrificulis Camillus Prætor ad Romanos Cives argutè pronuntiabat.* Intuemini horum annorum vel secundas res, vel adversas: invenietis, OMNIA PROSPERA evenisse sequentibus Deos, adversa spernentibus.

Hæc sola argumenta me poterant suaviter disponere, ut Secundam Ornithologiæ meæ Moralis DE SANCTIS Partem, Clarissimis vestris Nominibus tributariam declararem. Sed verò longè magis urgent, quotidiana & eximia Beneficentia, constans gratificandi voluntas, & gratiosa totius Supremi, Medij atque Infimi Cleri Frisingensis dignatio, quibus non mea duntaxat tenuissima Persona, sed universim Seraphicæ nostræ Religionis Familia jugiter fruitur, potitur, augetur & beatur. Dum enim totius nostræ externæ vocationis collimatio eò contendat, ut in Sacramentorum administratione, & Verbi Divini prædicatione cæterisque Charitatis erga Proximum Ecclesiasticis officijs, promptè & indefessè nos exhibeamus sicut Dei Ministros, & OPITULATIONES IN CLERO; ea passim totius Venerabilis Cleri erga Nostros refunditur Vicissitudo, ut religiosas nostras operas non despiciant, non publicos suggestus occludant, non conscientiarum Tribunalia removeant, non monita salutis fastidiant, non laboriosos nostros in Dei Vineâ conatus abijciant, non aris & focis interdicant; sed in omnibus hisce munijs gratiosè nos tolerent, benignè excipiant, hilariter accommodent, paternè defendant, proficuè tueantur, ac reciprocis dilectionis officijs prosequantur. Quod totum, dum generaliori methodo, Christiano Orbi manifestum facere haud potui; has saltem Ornithologiæ de Sanctis Symbolicas Aves subornare, & liberæ evolationi passim committere volui, ut Su-

premo,

premo, Medio ac Infimo, Nominatim ac Universim, totius Frisingensis Diœcesеos Clero, felicitatem Ecclesiasticam in affectu, & Gloriam Dei in effectu auspicarentur, totámque nostram Seraphicam Religionem perennibus Ejusdem Gratijs & Beneficentijs instantissimè ac obsequiosissimè commendarent. Prout semper & ubique, pari reverentiâ ac modestiâ precor. Monachij in Conventu nostro S. Antonij de Padua. Die 26. Junij. Anno 1678.

Supremi, Medij ac Infimi
Venerabilis Cleri Frisingensis

Humillimus Servus, & Operarius in Domino,

Fr. Fortunatus Huebeer,
Ord. Min. S. Francisci Reformatorum olim Concionator Cathedralis.

PRÆ-



PRÆFATIO
AD
BENEVOLUM LECTOREM.

DUm alteram meæ *Ornithologiæ moralis* Partem pro Sanctorum Festivitatibus in lucem produco, apposité ad discernendas Eorum panegyres calamo influit illustris comparatio, quam S. Macarius homiliâ 32. ad suum propositum de sublimioribus ac eminentioribus in Dei Ecclesiâ Sanctis speciosè exponit. *Perinde enim*, inquit, *ac Volucres è corpore indumentâ alarum producunt, discrimen autem inter eas non est exiguum; quædam enim propiùs terram volant, quædam verò in aërem evolant: aut quemadmodum cælum unum est, & multas in se stellas continet; has quidem splendidiores, illas majores, illas verò minores, universæ verò in cælo fixæ sunt: sic quoque SANCTI in uno cælo divino, & in terrâ invisibili diversimodè radices egerunt.* Differt autem stella à stellâ in claritate, & Avis ab Ave vel in vocis harmoniâ, vel in corporis symetriâ ac discoloratione. Sic & Sanctorum cæli Civium claritas, sic merita, sic virtutes, sic actus solennes in gradu heroicô exerciti, sic Panegyres Eorum gloriæ & splendoribus elucescunt commensuratæ. Has ultimas tot pennis & calamis scripsi, quot diversas Aves cæli temperies obtulit, ut multicolori earum competentiâ in Sanctorum laudes *liberalis* excurrerem, ac alatus per orbem hic evolaret *Liber*, à *vitis* Sanctorum illustratus, à *vitijs* correctioris typi purgatus, & *avitis* Majorum exemplis animatus.

In illud verò quàm maximè attendi, ut in hac secunda Ornithologiæ Parte non tantùm ordinariâ successione occurrentes per annum Festivos Sanctorum observarem splendores, qui statis temporibus, in Ecclesiâ Catholicâ, ritu duplici solenniori celebrantur: sed etiam illos vel maximè Sanctos dignâ commendatione excolerem, qui suis Sanctissimis legibus Religiosos Ordines instituerunt, eósque vitâ, sanctitate & meritis sublimarunt, fœcundissimi PATRIARCHÆ & dignissimi FUNDATORES; tametsi communi ritu Ecclesia festivos Eorum dies in foro fori non feriaret. Cum jucundâ animi affectione videbis Sanctos Benedictum, Franciscum de Paulâ, Norber-


tum, Ignatium, Dominicum, Cajetanum, Bernardum, Augustinum, Brunonem, & Seraphicum nostrum Patrem Franciscum, symbolico volatu tuis oculis obijci, & mirâ quadam encomiorum energiâ sublimari. Ijs omnibus & singulis *Amor addidit alas*; & occasio calamum paravit, ut tenero affectu singulos prosequerer, & sobrio *stylo stillarem* saltem Laudis eloquium, quod alij magis Spiritu Ebrij longis & copiosis imbribus conantur profundere. Hac officiositate debitorem me professus sum omnibus florentioribus in Germaniâ Religiosis Ordinibus; quos eatenus in primis suis Sanctissimis Fundatoribus celebravi, quatenus ardenti amori Meritorum ac Gratiarum cælestium splendor affulsit.

Interim non diffiteor, me quibusdam Seraphici nostri Ordinis Sanctis speciali pietate subscripsisse, utpote S. Antonio de Padua, celeberrimo totius Ecclesiæ Thaumaturgo, Seraphico Doctori Bonaventuræ, B. Francisco Solano Americanorum Apostolo, & hujusmodi; quorum utique luminibus officere visus fuissem, si neglectis proprijs illustrissimis meæ Seraphicæ Matris Filijs, animum calamúmque subtraxissem, & ad suspiciendos duntaxat alienos Soles punctualiùs convertissem.

Quia verò adhuc desiderantur nonnullorumSanctorum vel Sanctarum Panegyres, qui integras Religiones vel de novo fundârunt, vel collapsas erexerunt; quales sunt S. Theresia, S. Petrus de Alcantara, S. Clara, S. Elisabetha, & hujusmodi: hinc dum negotijs præventus, in hac primâ Editione pro voto satisfacere non potui, in alijs subsequentibus auctionibus multorum desideria quietare conabor, & Deo adjuvante supplebo, quod totius hujus Operis integritati vel amplitudini posset accrescere.

Denique si in hac secunda Parte affectuosius, dulcius, subtilius, ingeniosius aut copiosius scripsi, dixíve, quàm in primâ Parte; cogita, me hìc laborâsse pro Sanctis, quos venerabundâ dilectione prosequor; Amor autem ingeniosus, dulcis, copiosus, fortis & invictus est: ibi verò, hoc est, in Parte primâ Dominicali plerumque pro virtutibus intonuisse contra vitia, quæ aversâ indignatione fugio; hæc autem plerumque succisa, parca & exsucca solet obversari.

Tu verò utrique hujus Ornithologiæ Parti sic amicè consule, ut ex adductis aut inventis Avium Symbolis, Dei ac Cælitum gloriæ, Animarúmque saluti, & Ecclesiasticis emolumentis felici Auspicio & morali Aucupio, benè prosit oratio mea. Vale.



OR-

❧(○)❧

ORNITHOLOGICA
FORTUNATI

Nominis Consonantia congruis Virtutum Vitiorumque Allegorijs, ejusdem litteraliter Nominis inchoativè expressiva.

Carmine incerti generis lyrico Latino-Germanicè exculta.

BONIS AVIBUS. AUSPICE CHRISTO.

Præbe te Jaculo formoso, siquidem D E U S Sagittarius est.
Origenes Hom. 2. in Cant.

F alcones.

Fastidium Terrenorum, & Cœlestium Cura.

I.

Adeste Falcones
Fortunæ Præcones,
Per silvas errate,
Camposque lustrate,
Huc ungue rapaci
Rostroque tenaci
Afferte Ferinam
Ex Alto rapinam.

II.

O! Pigræ, languentes
Mortalium Mentes,
Velati Falcones,
Elati Thrasones,
Abripite Velum,
Respicite Cœlum:
Quæ sursum, spectate,
Terrena calcate.

Falcken.

Verdruß ab den Zeitlichen / vnnd Sorg der himmlischen Sachen.

1.

Saumseelige Falcken /
Wo thůs jhr vmbealcken /
Eylfertig euch schwinget /
Ein Wildprätt herbringet /
Durch streichet all Wälder
Vnd lustige Felder /
Die Lerchel vnd Tauben
Begürig zurauben.

2.

Deßgleichen auch eben /
Ihr Menschen bey Leben /
In Himmel auffsehet /
Das Ewige spehet /
Das Irrdisch verlasset
Das Zeitlich verhasset /
Was oben betrachtet /
Was vnden verachtet.

O lores.

Olorina elevatæ in DEUM mentis Hymnodia.

III.

Caystri Cantores
Fatales Olores,

Schwannen.

Englsüsses Schwannen-Gsang / eines zu Gott erhebten Gemüths.

3.

Ihr liebliche Schwannen
Nit weichet von dannen /

Nil triste cantate
Jucunda sonate,
In millè veloces
Erumpite voces,
Ut Oscines gratæ,
Sic chromata date.

IV.

Christiadum Cygni,
Hoc Nomine digni,
Jam canite quoque
Hymnoque Psalmoque;
Ac Musicis Notis,
Visceribus totis,
In Cœlo regnantem
Laudate Tonantem.

R
, egulus.
Raptus extaticus.

V.

Per regulam qualem
Dic, Regule, talem
Adeptus es Thronum,
Currumque tam bonum.
Num Ganymedeus
Vult Regulus meus
Minister abire,
Jovique servire?

VI.

Mellilegi Greges
Extatici Reges,
Pijssimæ Mentes
Devotæ, ferventes,
Ad Regias Dapes
Ut alacres Apes
Nunc Corda levate,
Ad Astra volate.

T
urtur.
Turturis mystici refugium
ad Foramina Petræ, seu Vulnera
Christi Crucifixi.

VII.

Columba si Nisum,
Dum colligit Pisum,

Ehe das ihr hinscheidet/
Die Zungen bereitet/
Liebsinget/Lobsinget/
Auffs fleissest erklinget/
Erhöbet die Stimmel
Biß über den Himmel.

4.

Ach! thût auch anspannen
Ihr Christliche Schwannen/
All Nerven vnd Adern
Mit gantzen Geschwadern
Der lieblichen Stimmen
Von Psalmen vnd Hymnen;
In Himmel euch schwinget/
Gott lobet/vnd singet.

Königlein.
Hohe Gemüts-Entzuckung.

5.

Ihr Vögl/ewer König/
Der Adler sprach/bin ich:
Vnd als er thát brangen/
Ein Vögel behangen
Auff jhne gleich sprange/
Diß Liedl jhm sange:
Nit bist du mehr König/
Der König jetzt bin ich.

6.

Gleichförmige Lieder
Ihr eyffrige Gmüther
Auch ebenfahls singet/
Die Hertzen erschwinget/
Zum König der Himmeln/
Von allen Getümmeln
Der Weltlichen Sachen
Euch ledig thût machen.

Turtl-Täubel.
Der Geistlichen Turtel-Tauben
Zuflucht zu den Löchern deß Felsens/das ist/Zu den Wunden deß Gecreutzigten Christi.

7.

Wanns Täubel im gehen
Den Habich thut sehen/
Ob-

Observat hiantem,
Et suprà gyrantem;
Mox effugit illum,
Ac quærit asylum,
Nidificans durâ
Sub rupe secura.

VIII.

Quid hæres in via,
Columbula Pia?
En Stygius Nisus
Te poscit invisus;
Ah! fuge, festina
Ad Vulnera quina;
Hic Pacem dat JESVS,
Hîc Nidus, hîc Esus.

So balds jhn erblicket/
Von Stund an erschröcket/
Die Flügele schwinget/
In d'Felsen eintringet;
Dort rueht es verbergen/
Vnd nüstet ohn Sorgen.

8.

Ihr Täubel/O Christen/
Ach! wöllet nit nüsten
Auff Erden herunden:
Doch in den fünff Wunden/
In Christi Stein-Ritzen
Mein Täubel thue sitzen/
Da bist du vil freyer
Vorm höllischen Geyer.

V anellus.

Vanitas Personati Mundi.

IX.

Quid æmulus Herbis
Vanelle superbis?
Quid sic ampullaris
Coloribus raris?
Colores, Decores,
Splendores, Honores,
Sunt omnia vana,
Rumpuntur, ut Lana.

X.

O! compti Vanelli,
Ac Orbis Ocelli,
Hæc mente pensate,
Et corde versate,
Quod lætum, mundanum,
Est vanum, vesanum.
Ah! spernite Mundum
Mortales, immundum.

Geybitz.

Eytelkeit der verstellten betrieglichen Welt.

9.

Was geyest dich Geybitz?
Mainst etwann/es sey Witz
Vil schimmern vnd glantzen/
Im Federbusch tantzen.
Diß alles ist eytel/
Nur wehret ein Zeitl/
Was scheinbar auff Erden/
Schattieret mueß werden.

10.

Nun Geistlicher Geybitz/
So seye fein bey Witz/
Verständig/Klueg/Weißlich/
Vnd deiner Seel häußlich:
Das Zeitlich betrachte/
Vnd solches verachte/
Weil alles vergehet/
Mit nichten bestehet.

N ucifraga.

Nugacitas.

XI.

Quid Nuces elidis,
Rostroque sic stridis,

Nußhäher.

Vnnützliches Händtlwerck.

11.

Sih: frecher Nußbrecher/
Wirst alleweil schwächer/

Glandaria Pica,
Quercetis amica?
Non tibi fit usus
In Corylis lusus,
Relinquito Nuces
Juglandium Cruces.

XII.

Nucifraga vana,
Mens demens, insana,
Sepone jucundi
Crepundia Mundi,
Christique fer Crucem,
Hanc frangito Nucem,
Projecta Putamen,
Fac, precor, hoc, Amen.

Wirst Aelter; sey Gscheider/
Hinfüran thue weiter
Kein Nussen mehr brechen/
Den Schnabel zuschwächen/
Sey nimmer so Nüssig/
Auff d'Nussen so bissig.

12.

Imgleichen auch eben
Ihr Menschen solt leben/
Die Nussen verlassen/
Die Kinder-Schuch hassen/
All Gauckelwerck meyden/
Den zeitlichen Frewden
Großmüthig absagen/
Euch völlig entschlagen.

A
rdea.

Ardeatina ad DEUM Seraphici Amoris Via.

XIII.

En Ardea nimis
Volatu sublimis,
Ad Ardua tendit,
Nubesque transcendit,
Tum denuò redit,
Ad flumen accedit,
Pisciculum rapit,
Pro Prandio capit.

XIV.

Est Ardeatinâ
In Viâ Piscina,
Intelligo Mundum
Hoc stagnum profundum,
O! Ardea Poli
Tardare jam noli,
Amoris in Dape
Cor Hominis rape.

Raiger.

Zu Gott führende Raiger-Straß Seraphischer Liebe.

13.

Die Raiger im fliegen
Sich winden vnd biegen/
Biß endlich sich schwingen/
Die Wolcken durchtringen/
Bald wider herunder/
Ins Wasser hinunder/
Mit grossem Verlangen
Ein Fischel zufangen.

14.

Der Geistlichen Fischel
Gottseeliger Bißchel
Verlanget auff Erden
Auch g'fangen zuwerden/
O! Göttlicher Raiger/
Dich gleichfahls nit waiger
Vns Menschen zufischen/
Mit Lieb zuerwischen.

T
urdus.

Tædium cælestium, & terrenorum appetitus pravus.

XV.

Quid trutilans Turde
Sic crepas absurdè

Krammets-Vogel.

Verdruß ab den Himmlischen/vnd böses Verlangen der Irdischen.

15.

Ey Krammetbeer-Vogel
Dich nur nit vil brogel

Juni-

Juniperi Baccas?
Dum guſtui vacas,
Te dulciter alunt,
At poſteà fallunt;
Hinc deſere fraudem,
Fraus cedet in laudem.

XVI.

Eſtote nec ſurdi
Vos Myſtici Turdi,
Effugite fraudes,
Evanidas laudes,
Vt alter Elias
Diſcedite Vias,
Et cupite ſolvi,
Ad ſidera volvi.

V
rogallus, ſeu Grygallus.

Vigilantia.

XVII.

Dum Veſperè læta
Hinc indè Vireta
Grygallus in Paſtu
Examinat Aſtu;
Ingreditur tutus;
Percautus, verſutus;
Si ſtridor in Dumo;
Se ſublevat Humo.

XVIII.

Ah! eſte prudentes
Improvidæ Mentes;
Grygallicus greſſus
Sit veſter inceſſus,
Horáſque per omnes
Vivatis inſomnes;
Nè cita Mors vitâ
Vos privet ſagittâ.

S
truthio.

Solitudo Hagiophilæ.

XIX.

Polumque Solumque
Perpendit utrumque,

Daſt gut biſt zu eſſen /
Diß muſt du zumeſſen
Den Wachholder-Beeren /
Die thun dich ernehren:
Auff die du baſſeſt /
Die Erden-Gäß laſſeſt.

16.

In Krammetbeer-Stauden
Sich lieſſe verlautten
Elias der Erden
Entbunden zuwerden.
Ach! ſeyt auch ihr Chriſten
Betrügig der gLüſten /
Von flüchtigen Frewden
Begehret zuſcheyden.

Vrhann / oder Awerhann.

Die Wachtbarkeit.

17.

Der Vrhann in Awen
Thut überall ſchawen /
Wo etwann in Höcken
Ein Jäger möcht ſtecken:
So bald ſich was rühret /
Nur wenig was ſpüret /
Er überſich flieget /
Der g'fahr ſich entziehet.

18.

Ihr Geiſtliche Hannen /
Euch thue ich ermahnen /
Auch alſo thüt ſpannen
Als rechte Vhrhannen /
So offt die Vhr ſchlaget /
Euch ſelbſten anklaget /
GOtt bittet behende
Vmb ſeeliges Ende.

Strauß.

Einöde der Betrachtenden Gott-liebenden Seel.

19.

Es pflegen die Strauſſen
In Wäldern darauſſen

Dum

Dum Struthio plangit,
Ac mœstè sic clangit;
Conqueritur, Alas
Ob adeò malas
Non posse volare,
Corpusque librare.

XX.

En, Homo mortalis
Est Struthio talis
In Mundi Deserto:
Squalore referto:
Hæc locuples audi,
Obnoxie fraudi,
Divitias fuge,
Delicias luge.

Die Augen in Klagen
Gen Himmel zuschlagen/
Bald wider zur Erden;
In solchen Gebärden/
Vnd bitterem Leben/
Zuheylen anheben.

20.

Der Straussen Gebärden
Ihr Menschen auff Erden
Nachfolget im gleichen/
Besonders jhr Reichen:
Im Winckel deß Hertzens
Mit Mänge deß Schmertzens
Beklaget auch eben
Ewr üppiges Leben.



ELEN-

❧(o)❧

ELENCHVS SYMBOLORVM ET CONCIONVM PRO SECVNDA PARTE ORNITHOLOGIÆ MORALIS.

IN FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI.

LOXIVS INSOLENS.
Der seltzame Creutz-Vogel.
LIX.

Dum omnes Crucem abijciunt ut gravem, fugiunt ut despectam, horrent ut terribilem, nauseant ut amaram solus S. Andreas Apostolus singularis est, imò piè insolens, & Crucem tanquam levem, pretiosam, amabilem, delectabilem, mirandis affectibus amplexatur. fol. 1.

IN FESTO S. NICOLAI CONFESSORIS ET PONTIFICIS.

PLVMÆ IN PILEIS SPECIOSÆ:
Schöne Federn auff dem Hut.
LX.

Qui pileo & cristis caret, hodie inexhaustæ Grandævi Nicolai Liberalitati supplicet: ab eo enim non pileum duntaxat, sed etiam plumas & talentum recipiet, quo possit quilibet contentus, & debeat vivere officiosus. fol. 9.

IN FESTO IMMACULATÆ CONCEPTIONIS DEIPARÆ VIRGINIS.

COLVMBA FORMOSA.
Die Spiegelzarte Tauben.
LXI.

Quàm candida, formosa, immaculata, electa & dilecta Columba Spiritûs Sancti sit Virginea Deipara MARIA, in primo præsertim Conceptionis suæ instanti, affectuoso Orationis apparatu declaratur. fol. 18.

IN FESTO S. THOMÆ APOSTOLI.

MONEDVLA DOMESTICA.
Die haimbliche Tolen.
LXII.

Quanti intersit emolumenti, Christo proximum esse, Christo simllem reddi, & à Christo non elongari, S. Thomas Apostolus, qui insigni encomio dicitur Didymus, *suâ exclamatione,* Dominus meus, & Deus meus, *manifestat.* fol. 28.

IN SOLENNITATE NATIVITATIS DOMINI.
COLYBRIS ADMIRABILIS.
Das wunderschöne Weyhnacht-Vögelein.
LXIII.

Ex omni Volatilium cœtu eligitur Americana Colybris, quæ speciosissimo suo compendio CHRISTI Vnigeniti Filij Dei mirabilia magna symbolizet, & Fidelium animis ad Bethlehemiticum stabulum religiosissimos admirationis actus proponat. fol. 37.

IN FESTO S. STEPHANI PROTOMARTYRIS.
STEPHANION TORQVATA.
Die geringlete Stein-Dulen.
LXIV.

Præstantissima ars edocetur, præparandi condimentum, quo lapides S. Stephani dulcescant; & Heroicorum Actuum difficultas reddatur facilis, deliciosa, victoriosa & jucunda. fol.46.

IN FESTO S. JOANNIS EVANGELISTÆ.
PHALARIDES BIBVLÆ.
Die durstige Muth-Vögel.
LXV.

Non placet ex paratis maligni Mundi bibere poculis, non ad insanas Fortunæ crateras adhibere labra, non immodicos alienæ sanitatis imbibere haustus; sed potiùs de manu Domini & S. Ioannis, Calicem salutaris accipere, consultum & persuasum esto. fol. 56.

IN FESTO CIRCUMCISIONIS DOMINI.
APIS ARGVMENTOSA.
Das eintragende vnd fluge Ymblein.
LXVI.

Politica Apum Monarchia, cùm & operis dulcedine, & operationis iucunditate suaviter abundet, & nemini non eximia prabeat argumenta virtutum, dignissima censetur ut ferventi oratione singulis Auditorij Statibus in Strenam liberaliter dispensetur. fol.65.

IN EPIPHANIA DOMINI.
STRVTHIO-CAMELVS INSIPIENS.
Der Vnweise Strauß-Vogel.
LXVII.

Pro tantæ Festivitatis dignitate ex Struthio-cameli insipientiâ, instructâ oratione deducitur Magorum Sapientia ad quærendum, inveniendum, salutandum & adorandum Christum Regem, Dominum Dominantium. fol.75.

IN EESTO S. SEBASTIANI MARTYRIS, PATRONI PRÆSENTISSIMI CONTRA CONTAGIOSAM INFECTIONEM.
QVETZALTOTOTL PENNIPVLCHRA.
Der schöngefiderte Gold-Vogel.
LXVIII.

Ne alatis & pennipulchris S. Sebastiani Martyris, quibus volat efferturque, sagittis, *duæ dua*

duntaxat protrahuntur speciosiores, Amoris *scilicet &* Furoris, *quarum reciprocatio & gloriosam exhibet in martyrio victoriam, & universale in pestiferâ calamitate patrocinium.* fol. 85.

IN FESTO PURIFICATIONIS B. VIRGINIS DEI GENITRICIS MARIÆ.

PAR TVRTVRVM.

Das paar Turtel-Täublein.

LXIX.

Instruitur Anima fidelis, ut pro viribus pudici Turturis mores studeat imitari, sicq; digna evadat, ut cum CHRISTO *cœlesti Sponso constituat* Par Turturum, *quod in superna & æterna gloriæ Aulâ altissimo Deo offeratur.* fol. 94.

IN FESTO S. MATHIÆ APOSTOLI.

FICEDULA ATRICAPILLA.

Das schwartzplättige Münchlein.

LXX.

S. Mathias Apostolus in vicem *prævaricantis Iudæ electus, & exinde* Vicedulæ *comparatus, triplici sorte cœlitus donatur; quam proinde toti Venerabili Clero, in pignus universalis Fideicommissi, tanquam Clericorum Primas paternè dispensat.* fol. 103.

IN FESTO VIRGINEI SPONSI S. IOSEPHI.

PORPHYRIO PUDICUS.

Der geschämige Purpur-Vogel.

LXXI.

S. Ioseph Verbi Incarnati Pater nutritius, inter eximias prærogativas, vel à conditionis ac morum similitudine deprompta, vel ab amicabili conversatione promeritas, sub hoc encomio gloriosissimus audit, Virginei Custos Monitorque Pudoris. fol. 112.

IN FESTO S. BENEDICTI ABBATIS MONACHORUM PATRIARCHÆ.

PHILOMELA MUSICA.

Die Sing-Künstliche Nachtigal.

LXXII.

Ex articulato, & dulcissimo Philomelæ cantu, celebratissima D. Benedicti Sanctitas & Religiosissima eius Progenies ita suaviter & constanter resonat, ut vox tota & laudis honor priùs haud desinant, quàm spiritus deficiat dicentis præ affectûs teneritudine. fol. 123.

IN FESTO ANNUNTIATIONIS B. VIRGINIS MARIÆ.

CHENALOPEX VIRGINEA.

Die Jungfräwliche Stern-Ganß.

LXXIII.

Quàm magna in mentis fœcunditate efficiat Spiritus Dei, *potens & vehemens; quàm contrà senuia & nulla* Spiritus vanitatis, *sterilis & infimus; potissimùm elucescit ex Verbo Dei dignè concepto, & indignè pronuntiato.* fol. 133.

IN

IN FESTO S. FRANCISCI DE PAULA, MINIMORUM PATRIARCHÆ.

MUSCATULUS MINIMUS.

Das mindiste Muscat-Spätzlein.

LXXIV.

S. Franciscus de Paula, Ordinis Minimorum Fundator, est minimum *quoddam* punctum, *& quasi punctuale Foramen, per quod Sanctitatis eius splendores non minùs, quàm Solis radij, immittuntur* Maximi *ad oculum mentis & capitis.* fol. 142.

IN FESTO S. GEORGIJ MEGALO-MARTYRIS.

GUITGUIT CORVIPETA.

Der Heldenmüthige Rappenfeind.

LXXV.

S. Georgij Megalo-martyris Nomen, panegyricâ oratione, frequens ab impositione, laboriosum ab etymologia, à victorijs gloriosum, à miraculis inclytum, à clientelâ eximium, à sanctitate speciosum, & ab omni claritate celebratur illustrissimum. fol. 152.

IN FESTO SS. APOSTOLORUM PHILIPPI ET JACOBI.

PLUVIALIS MACULOSA.

Der gesprangte Pulvier.

LXXVI.

Cùm ex necessariâ inæqualium casuum emergentiâ mira resultet & Mundo harmonia, & humano generi iucunditas; hinc eò semper collimandus est animus, ut in quocunque adversitatis impetu tranquillus & imperturbatus servetur. fol. 161.

IN FESTO S. ANTONIJ THAUMATURGI PATAVINI.

POLYGLOTTA, TOTIUS MELODIÆ REGINA.

Das wunderbarliche Vierhundert-Zünglein.

LXXVII.

De incorruptâ S. Antonij Linguâ variæ adducuntur benedictiones, quibus insignitam Deus nobis omnibus reliquit in Pignus, ut pro omnibus efficaciter peroret. fol. 169.

IN NATIVITATE S. JOANNIS BAPTISTÆ, PRÆCURSORIS DOMINI.

CICADA VOCALIS.

Der firzende Hewschröck.

LXXVIII.

S. Ioannes Baptista sub vocalis Cicadæ symbolo, aut rectiùs cymbalo, cælum & terram voce clamoris sui lætificat, & vel post mortem clamat vitâ, clamat moribus, clamat imitatoribus & concionatoribus, fol. 179.

IN FESTO SS. CÆLI PRINCIPUM ET APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

PETROCOSSYPHOS CÆRULEUS.

Die Himmelblawe Stein-Amsel.

LXXIX.

Ex Petrocossyphi colore, volatu, indole, cantu, vigilia, nidificatione ac alarum expansione, copiosè

copiosè adstruitur incomparabilis S. PETRI *Apostoli sublimitat, super quam Christus suam Ecclesiam solidavit.* fol. 183.

IN COMMEMORATIONE S. PAULI APOSTOLI, DOCTORIS GENTIUM.

CARDUELIS VINCTUS.

Der angefeßlete Stiglhiz.

LXXX.

Religiosissimum spectaculum exhibetur PAULUS *alligatus vinculis libertatis Christi, quæ sicut deliciosa evaserunt portanti, fortia diligenti, & gloriosa superanti, ita nobili illustratione digna, S. Chrysostomi ornamentis decurantur.* fol. 197.

IN VISITATIONE BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ.

PHOENICURUS FAMILIARIS.

Das heimbliche Haußröthlein.

LXXXI.

Quid in familiaribus Visitationibus & salutationibus quarumcunque Mulierum per seculares, maximè verò Sacros Homines, cautelæ & circumspectionis adhibendum sit, ut externis sensibus, tam ad illecebras & pericula lubricis, functè consulatur, veridico discursu expenditur. fol. 208.

IN TRANSLATIONE S. NORBERTI EPISCOPI, PRÆMONSTRATENSIUM FUNDATORIS. Die 11. Julij.

LUCIDIA ILLUSTRIS.

Das scheinbare Zinzerellel.

LXXXII.

Illustri themate clarissima D. NORBERTI *sanctitas suspicitur, & ex triplici Divinitatis ornatu, nempe ex Lucis candore, ex Majestatis reflexione, atque ex Bonitatis imagine gratiosè commendatur.* fol. 218.

IN FESTO S. BONAVENTURÆ DOCTORIS SERAPHICI, Die 14. Julij.

ACCIPITER NON SATUR.

Der unbegnügte Habich.

LXXXIII.

D. BONAVENTURA *copiosè commendatur, tanquam Accipiter non satur: quia accipiendo* stolam gloriæ in consummationem virtutum, *sanctitate, meritis & publicis honoribus, supremos videtur eminentiæ gradus attigisse.* fol. 228.

IN

IN FESTO B. FRANCISCI SOLANI, Ord. Minorum Regularis Observantiæ, Confessoris, & Americanorum Apostoli. Die 20. Iulij.

MANUCODIATA SUBLIMIS ET ILLIMIS.

Der hochschwebende und oberirrdische Paradeyß-Vogel.

LXXXIV.

B. Franciscus Solanus sanctitate & miraculis clarescit, ut Sol in terris Lumine instructus; *& simul ut* Avis Paradisiaca, *quatuor potissimum pennis sublevata, quæ sursum sunt, agit & sapit, ignorans commercia terræ.* fol. 256.

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ POENITRICIS.

SPECTABILIS PAVO.

Der ansehentliche Spiegel-Pfaw.

LXXXV.

S. MARIA MAGDALENA à duplici Amore, carnali scilicet & Divino, in scenam producitur; ubi ex magnâ Peccatrice *subitò immutatur in* Pœnitricem; *& Filijs Adam spectatoribus exhibetur, quanta sit inter* miseriam *&* misericordiam *concurrentia*; fol. 285.

IN FESTO S. JACOBI APOSTOLI.

FRINGILLA EXCÆCATA.

Der erblindte Buchfinck.

LXXXVI.

Exhibito Calice Salvatoris, & libato ad salutem populorum, ab excæcatâ Fringillâ generosè sollicitantur, & ad bibendum suaviter invitantur omnes, qui tribulationibus & pressuris exsiccati sitiunt in ariditate vivacem consolationem. fol. 265.

IN FESTO S. IGNATIJ LOJOLÆ, SOCIETATIS JESU FUNDATORIS. Die 31. Julij.

CHRYSAETUS CORDATUS.

Der hertzhaffte Gold-Adler.

LXXXVII.

S. IGNATIUS Loyola, Fundator Soc. Iesu, plurimâ meritorum ac virtutum varietate insignis celebratur; & inter præstantissimos Chrysaëtos, in Libani Cedris, hoc est, Religiosæ Perfectionis gloriosus suspicitur. fol. 273.

IN DIE INDULGENTIARUM DE PORTIUNCULA. Die 2. Augusti.

PASSER DE LAQUEO EREPTUS.

Der freygelaßne Spatz.

LXXXVIII.

Ex ritu offerendi atque immolandi duos Passeres vivos ad mundandam lepram, juxta Levitarum Leges, appositâ inducitur analogia originis, incrementi, atque emolumenti, celeberrimarum ac certissimarum Indulgentiarum de Portiunculâ, Ecclesijs Fratrum Minorum concessarum. fol. 288.

IN

IN FESTO S. DOMINICI, ORD. PRÆDICATORUM FUNDATORIS.

SACER ET NOBILIS FALCO.

Der heilige vnd edle Falck.

LXXXIX.

Sicut in eximium nobilis Falconis cedit encomium, quòd venationibus insistens NON SIBI, SED DOMINO *suo aucupetur; ita S.* DOMINICI *sanctitatem præ reliquis decoris maximè commendat, quòd fuerit fidelis & prudens* Servus Domini *sui Altissimi.* f. 300.

IN FESTO S. CAJETANI CONFESSORIS, ET ORdinis Clericorum Regularium Theatinorum Fundatoris.

CANARIA CANORA.

Das süßtrillende Zuckervögele.

XC.

S. CAJETANI *Confess. & Ord. Cler. Reg. Theatinor. gloriosissimi Fundatoris apparatus, ex Canariensis Auiculæ voce & facie ita elucesc.t affectuosus, ut vel ipse cœlestis Sanctarum Animarum Sponsus videatur einsdem vocis dulcedine mulceri, & faciei decore amicabiliter delectari,* fol. 315.

IN FESTO S. LAURENTIJ LEVITÆ, Invictissimi Martyris.

VTOPIA, ASSATARUM AVICULARUM Nidore Fumosa.

Das gewünschte Schlauraffen-Land/ wo einem die gebrattne Vögel in das Maul fliegen.

XCI.

Cùm huius sæculi Filijs, velut fictæ Vtopiæ Inquilinis, diaboli martyria *& passionum* vivicomburia *videantur* deliciosa: *omnino timendum, & S. Laurentii imitatione cavendum est illis, ne post internas cupiditatum exardescentias, externa & æterna flamma comburat peccatores.* fol. 327.

IN SOLENNITATE GLORIOSÆ DEIPARÆ in cœlos Assumptæ.

VNIVERSALIS COELI VOLUCRUM Apparatus.

Der Himmels-Vögelein allgemeines Ehren-Gepräng.

XCII.

Instruitur universum omnium cæli Volucrum Apparatus, qui inter Aethereos cœlestium Plausuum occursus Gloriosissimæ Deiparæ, in æternam Beatitudinem Assumptæ ex tota sua possessione tria præclarissima offerant munera; Ovum *rore gratiæ & calore Charitatis plenum;* Pennam *pœna consciam, & immarcescibilis gloriæ* Nidum. fol. 336.

IN FESTO S. BERNARDI, CLARÆVALLENSIS ABBATIS & Cistercienſium Propagatoris.

APIASTER DELICATUS.

Der haiglich-gewöhnte Imbenſchlund.

XCIII.

Cur D. Bernardus ſuaviloqui aut melliflui Doctoris prærogativâ gaudeat, omnium accommodatiſſima ratio inducitur, quòd tanquam delicatus Apiaſter, cuius guttur prô Alveario ſervient, varias Apum ſpecies divinitus ſubingreſſas cùm decoxerit, non potuerit niſi mella ructare, & ſpirare dulcedines. fol. 343.

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

LANIUS CRUDELIS.

Der Blutbegierige Dorndreer.

XCIV.

Cùm Apoſtolicum Munus communiter Purpuratum, & Purpura cruore notabilis ipſo *reſplendeat, ſit que miris prærogativis Legati, Patris, Regis, Legislatoris, Iudicis, Mediatoris, & Bellatoris* eminentiſſima: *S. Bartholomæus tunc præſertim ſuſpicitur S. Eccleſiæ Cardinalis, quando cruentâ ſuâ pelle tanquam Epomide inſignitus honoratur.* fol. 358.

IN FESTO S. AUGUSTINI EPISCOPI ET ECCLESIÆ Doctoris, & Antiquiſſimi Ordinis Fundatoris.

ANAS PERSCRUTABUNDA.

Die grundtforſchende Wild-Endten.

XCV.

Invitantur Chriſti Fideles, ut veniant & videant excellentiſsima quatuor Prodigia ſuper terram, Naturæ ſcilicet & Culpæ, Gratiæ & Scripturæ, quæ poſuit Deus in S. Auguſtino Epiſcopo & Eccleſiæ Doctore, ad inſtar Anatis profunda fluminum ſcrutante, & abſcondita producente in lucem. fol. 368.

IN FESTO NATIVITATIS GLORIOSISSIMÆ V. MARIÆ.

PARUS PARVUS.

Das kleine Maißle.

XCVI.

Pro parvi Partûs paritate, hodiernâ Virginei Natalis ſolennitate parum dicitur, & multum univerſo Mundo Gaudium annuntiatur; cuius univerſalis lætitiæ præſertim Mundus Archetypus, Angelicus & Parvus participes efficiuntur. fol. 383.

IN FESTO S. MATTHÆI APOSTOLI & EVANGELISTÆ.

CUCULUS EXCUCULLATUS.

Der gemauſte Guguck.

XCVII.

Converſio Matthæi ex Publicano in Apoſtolum, & ex Teloniario in Evangeliſtam, maius probatur eſſe opus Dei, quàm cuiuſdam mortui reſuſcitatio ad vitam, aut mundi totius creatio. fol. 390.

IN FESTO S. MICHAELIS ARCHANGELI.

ARDEA ARDUA & ARDENS.

Die hitzige Raiger-Päitz.

XCVIII.

Per Ardearum in alto deturbationem ab Hierofalcone fortiter & generosè factam, ardenti de-

ſcriptione

ſcriptione exhibetur prælium magnum, quod ab initio Mundi factum eſt in cælo inter S. Michaëlem Archangelum & Satanam. fol. 390.

IN SOLENNITATE SERAPHICI PATRIS NOSTRI FRANCISCI, Ord. Minorum Fundatoris.

ALAUDA GALERITA.

Die auffſteigende Himmel- oder Häubl-Lerch.

XCIX.

Magnificâ inductione ab inanimatis creaturis uſque ad Seraphicos Spiritus aſcendendo oſtenditur, S. Franciſcum ſpecialibus encomijs rectè & antonomaſticè prædicari Communem Omnium Patrem, & quidem Patrem verè Seraphicum. fol. 407.

IN FESTO S. BRUNONIS CONFESSORIS, & FUNDATORIS Ordinis Carthuſianorum.

IBIS ÆGYPTIACA.

Der Aegyptiſche Schlangen-Tödter.

C.

S. Bruno, Carthuſianæ Religionis Fundator clariſsimus, & incomparabili ſanctioris vitæ auſteritate illuſtriſsimus, dum Deo, Eccleſiæ, & ſibi ſoli in ſolitudine vivere eligit, non minùs à venenatiſsimis defectuum peſtibus ſe & ſuum florentiſsimum Ordinem præſervat, quàm Ibis volucris Ægyptum à ſerpentum incurſibus expurgat. fol. 424.

IN FESTO SANCTORUM APOSTOLORUM SIMONIS & JUDÆ.

SELEUCIDES PEREGRINÆ.

Die frembde Schrecken-Fräcß.

C I.

Quod faciunt Seleucides in diſperdendis Locuſtis, hoc operantur Zelotes in diſſipandis Divini Nominis inimicis. Quos dum imitantur varij Zelatores, eò unicè collimant, ut Zelum Dei iuſtum, ſanctum, moderatum ac rationabilem, à voraci, depaſcente, iniquo & turbulento diſcernant. fol. 436.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

LUCTUOSÆ DIOMEDIS AVES.

Die klägliche Traur-Schwannen deß Diomedis.

C I I.

Deplorabilis Animarum in Purgatorio conditio, per luctuoſas Diomedis Aves, ita penetranter & ardenter exponitur, ut quivit meritò commiſerationis ſuæ viſcera aperiat, quò citiùs & maturiùs, pientiſſimâ ſuffragiorum liberalitate, ad felicíſsima Omnium Sanctorum conſortia ſubleventur. fol. 446.

IN FESTO PRÆSENTATIONIS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ.

NIDUS ALCYONIS TUTISSIMUS.

Deß Waſſerhünleins ſicheriſtes Ruhe-Neſtlein.

C I I I.

Dum Beatiſſima Virgo Maria, puella Trimula, divinis obſequiis præſentatur in templum, Templorum origo, cultus, nitor & religio, ita ordinatè inducuntur, ut ſimul etiam mentes Audito-

c 3 dito-

ditorum affectuosè invitatæ excitentur ad Templa Catholicâ ritu devotè colenda, & ritè frequentanda. fol. 456.

IN FESTO S. CATHARINÆ VIRGINIS & MARTYRIS.

CICONIA SUPER ROTAM.

Der Storck auff dem Rad.

C I V.

Exemplo invictissimæ Herois, S. CATHARINÆ Virginis & Martyris, omnes invitantur Virgines, & præsertim hoc nomine insignitæ, ut cum Ciconiis in Rotâ nidificent, seseque per Rotas ad Nuptias Agni præparent, futuræ dignissimæ Sponsæ. fol. 466.

PALMA SERAPHICA,

SEU

PANEGYRICUS SERMO

In laudem Victoriosorum

BB. Martyrum Gorcomiensium ex Seraphica Familia Ord. Minor. S. Francisci, Regularis Observantiæ nuncupatorum. fol. 472.



IN



IN FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI.

LOXIVS INSOLENS.

Der seltzame Creutzvogel.

LEMMA.

Stat Cruce nostra Salus. Bapt. Pius.

THEMA.

Ego si Crucis patibulum expavescerem, Crucis gloriam non prædicarem. Historia Ecclesiast. de S. Andrea.

SYNOPSIS CONCIONIS LIX.

Dum omnes Crucem abijciunt ut gravem, fugiunt ut despectã, horrent ut terribilem, nauseant ut amaram, solus S. Andreas Apostolus singularis est, imò piè insolens, & Crucem tanquam levem, pretiosam, amabilem, delectabilem, mirandis affectibus amplexatur.

I. S. Andreæ laudabilis insolentia.



Quid insolentiæ nondissimulavit industria Natura in Loxio volucre? quasi verò tota ejus indoles eò conetur, ut, quod alijs volatilibus naturali proptierate conducit ad excellentiam, id Loxius obliquo & adverso ordine imitetur ad insolentiam. Enimverò dum omnes volucres rectissimis rostris, aut certè ad curvitatem non admodùm declinantibus, pabulantur in caveis & agris; solus & singularis Loxius rostrum habet, contra omnium avium morem ab utraque parte recurvum, crassum, admodum robustum, & in modum crucis obliquum. Dum cæteræ volucres colores in pennis suis retinent eosdem, aut certis temporibus ad eosdem redeunt; solus & singularis Loxius colorem singulis annis, hyeme præsertim, mutat, ita ut nunc ad viridem, nunc ad flavum, nunc ad rubrum & cinereum vergat, & sibi semper dissimilis repr̃umescat. Dum cæteræ volucres ex ovo prodeunt capite, sibique non rarò suis rostris januam aperiunt; solus & insolens Loxius caudâ de ovo exit, ne fortè, si reliquarum more primitùs capite prospiceret, exitus à rostri obliquitate impediretur. Dum cæteræ volucres potum tranquillo sumunt gutture, nec post acceptum potum aquas turbant, aut evertunt; solus & insolens Loxius post potum vas aquæ movet, ac turbat; nec cessat prodigus, Donec illud

Schotmus l. 9. mirab. Volat. c. 50. Gesnerus in Loxio.

lud EVERTAT AC DISPERDAT, suam forte in aquâ imaginem conspicatus. Dum cæteræ volucres aut alis aut pedibus saliunt; solus & insolens Loxius, sive inclusus caveis, sive constitutus in arborum ramis, sursum ac deorsum reptitat unguibus & rostro. Dum cæteræ volucres inter fragrantes vernantis agri flores, aut serenæ æstatis delicias lætanter concinunt, & verò inter rigidæ hyemis brumas muto silentio conticescunt; solus & insolens Loxius canit hyeme, alijs tacentibus; silet vere & æstate, alijs modulantibus. Tanta est per omnia dispar agendi ratio in Loxio. A Loxio ad sanctum & dilectum Christo Apostolum me converto Andream, quem omni jure & pietate, ad eximium ejus encomium, possum nuncupare mortalium omnium *insolentissimum.* Enimverò ubi communi omnium calculo Crux ex obliquis trabibus compacta horrorem incutit aspicientibus; ubi antiquis Crux erat *maledictum Legis*, juxta illud Deuteronomij: *Maledictus à Deo, qui pendet in ligno*; ubi Crucifixum despiciunt Judæi pro scandalo, Gentes verò pro stultitiâ. Exhorrescit D. Chrysostomus, qui ut ostenderet, quàm Crux ipsa antiquis temporibus probro atque horrori esset apud omnes; postquam omnia penè tormentorum & horribilium instrumentorum genera recensuit, quibus carnifices damnatorum corpora torquebant; hæc insuper adijcit: *Quale autem symbolum mortis crucis? Signum erat mortis maledictæ, mortis omnium diffamatissima: hoc enim solum mortis genus maledictioni obnoxium fuit.* Ubi, inquam, communis omnium vox clamaret cum Quintiano: *O Crux amara, quale supplicium paras!* Solus Andreas primus Christi Apostolus singularizat, & contra torrentem nitens, Crucem adorat, Crucem veneratur, Crucem amplectitur, Crucem ascendit, Crucem commendat, de Cruce prædicat, in Cruce gloriatur atque triumphat. STAT CRUCE NOSTRA SALUS. Ne quærat Chrysostomus, quale sit symbolum mortis Andreæ? Hæc vox, hoc symbolum Andreæ proprium: *Stat cruce nostra salus.* Sed & ijs, qui dirâ crudelitate S. Apostolum in crucem egerant, cordato spiritu respondit Andreas: *Magnum est mysterium Crucis. Ego si crucis patibulum expavescerem, Crucis gloriam non prædicarem.* Invertit Quintiniani sensum Andreas: *O crux amata, quale delicium paras!* Vos Auditores, quotquot adestis, qui varias & absolutè omnes cruces exhorrescitis, attendite & videte, quàm hodie cum sua Cruce insolens futurus sit Andreas? quàm amabiles & deliciosas effecturus sit vestras omnes cruces, quascunque ad pedes ejus projecturi estis. Prosequor hunc singularem Andream, & cum Andrea Crucem in nomine Illius, qui nos per Crucem redemit de maledicto Legis.

Deut. c. 21. v. 23.

S. Chrysost. adv. gentes, demon. quod Christus sit Deus.

2. S. Andreas servus Crucis singulariter deputatus.

Oportebat, ut Christi Mater servum sibi haberet Joannem; & Ecclesiæ sanctæ *Servus* omnium *servorum Dei* Petrus serviret. Cùm autem Crux salutifera non esset in minori pretio apud Christum, quàm esset & dignissima Mater Maria, & sanctissima Mater Ecclesia; eligendus erat servus, qui pro dignitate Cruci sanctæ servitium, & famulatum exhiberet. Talis denominatus est S. Andreas, qui vel ex hoc titulo sese exhibet Præsidi cognoscendum, cùm ait: *Ego Crucis Christi servus sum, & Crucis trophæum optare potiùs debeo, quàm timere.* Christus & Andreas destinati sunt ad crucem: ille tanquam Dominus; quia *Dominus regnavit à ligno*: hic verò tanquam servus, juxta propriam confessionem, *Ego Crucis Christi servus sum.* Idcirco etiam Christus dominicas in Cruce partes egit, quia dignitatem Cruci tribuit, cui non minor, quàm latriæ cultus exhiberetur: econtra quia servilis conditionis est, non dignitatem præbere, sed Dominicam excellentiam recognoscere, resplenduit Andreæ servitus erga Redemptoris Crucem, ut eam honoraret ac coleret. Coluit eam S. Andreas, & ad orandam esse prædicavit; clamando, cùm staret ad iniquissimi Judicis tribunal: *Magnum est mysterium crucis! Ego si Crucis patibulum expavescerem, Crucis gloriam non prædicarem.* Et cùm jam esset executioni mandanda sententia, tanquam bonus Crucis servus, qui dignitatem Dominæ suæ à Christo provenientem refert: *O bona Crux, quæ decorem & pulchritudinem de membris Domini suscepisti!* Glo-

Glorietur Paulus in sola Cruce, eámque super omnes cælorum cardines extollat; sola Crux gloriatur in Andrea, à quo & affectuosissimè salutatur, & honorificentissimè commendatur. Jam disputaverat Andreas cum Ægea impijssimo Judice de mirandis veræ Religionis mysterijs, referentibus Achajæ Presbyteris: jam de Sanctissimæ Trinitatis arcanis, & admirabili Eucharistiæ Sacramento conflixerat. Jam Ægeam adhortatus fuerat audacter ad fidem, & religionem Crucis. *O si velles scire mysterium Crucis; quàm rationabili charitate Auctor humani generis pro restauratione nostra hoc Crucis patibulum, non invitus, sed sponte suscepit!*

2\. Andreas [illegible] singulariter depe[illegible].

Jám, inquam, plurimas regiones & nationes S. Evangelij jugo subjecerat: jam à satellitibus ligatus, ad locum internecionis productus, à longè viderat erectam Crucis trabem; quæ terrorem ac tremorem solet incutere condemnatis; quæ metu excruciat, antequam ascendatur. Nihil verò pavoris cunctatus Andreas, pari reverentiâ & animositate in genua procumbit, crucē adorat, crucē salutat: *Salve Crux pretiosa.* Cùm ita exclamat, recognoscit se in thesaurū incidisse, quem à multo tempore quæsierat: *Salve Crux pretiosa, solicitè amata, & sine intermissione quæsita!* O quantum defodit thesaurum, qui in cruce nobilissimas apprehendit margaritas! *Salve crux, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membris ejus tanquam margaritis ornata.* Magnus inventus thesaurus, qui tanti valoris margaritis nitet, & tanti pretij rutilat auro, ut ejus splendore delectatus Andreas, denuò exclamet: *O crux admirabilis! O crux desiderabilis! O crux, quæ per totum mundum rutilas.* His encomijs salutat, hoc præconiorum apparatu prosequitur Crucem S. Andreas.

3\. Cur ad salutandam Deiparam S. Gabriel, ad Crucem S. Andreas sit deputatus.

Salve. Crux! Quid hoc? ergóne servus salutat Crucem, quæ tantam à membris Domini suscepit eminentiam? Juxta Codocis sanctiones non omnibus datum est, Regias & Imperiales salutare personas. *Non licet cuilibet salutare principem; licitum est præfectis, ac viris eminentissimis.* Non omnibus Angelis datum est salutare cælorum Reginam, sed eminentissimo Gabrieli licebat dicere: *Ave gratia plena.* Hanc eandem Catholica salutat Ecclesia: *Salve Regina.* Et rursus: *Ave Regina cælorum, ave Domina Angelorum.* Nec salutare posset Ecclesia, nisi cælestis esset, & regia; neque nos ejus filij possemus dicere, *Ave Maris stella, Dei Mater alma*; nisi essemus de regali ejus stirpe proles regia. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium.* Tanta dignitas ex membris Christi accessit Cruci, tantaque majestas, ut in ejus præsentia se prosternat DignitasRegia, ut prostrata ei divinos honores deferat Cæsarea Majestas. Cùm tantæ Crux sit excellentiæ, oportebat, ut is, qui primò eam salutaret, vir esset eminentissimus: S. Andreas electus à Deo, ut salutaret primus, ac diceret, *Salve crux pretiosa.* Sic qui primus Ecclesiam instrueret ad salutandam Deiparam, erat sublimissimus Spiritus, unus ex septem, qui adstant ante Deum; & qui primus Crucem salutaret, Ecclesiámque id ipsum imitari doceret, erat eximius Apostolus, *unus ex duodecim, qui sequebantur post Christum.* Non erat cujuslibet personæ, Virginem & Virginitatem colere, sed Gabrielis, nomen derivantis à robore, virtute ac fortitudine; nec etiam cujuslibet est hominis, Crucem colore ac salutare, sed Andreæ, qui & re, & nominis interpretatione vir est, atque virilis. Etenim qui colit virginitatem, non solùm homo, sed & vir totus esse debet; nec solùm virginem, sed & viraginem esse oportet: & qui cultor est Crucis, eandem induat conditionem, necesse est; & tunc poterit pro voto ac dignitate, cum S. Andrea Apostolo Crucem colere, ac salutare. Sed verò nec satiatur pia curiositas: cur enim Virgineam Deiparam salutat Gabriel Archangelus, Crucem verò Andreas? Scio, virginitatem esse Angelorum sororem. Cujus autem sit soror Crux laboriosa, non erit laboriosum decernere, ac definire; cùm sciamus à nativitate filiorum Adami, super eorum humeros impositum esse grave jugum; & hoc ju-

L. 1. C. de Veteran.

1\. Petr. 2. v. 9.

jugum crux est. Et rectè S. Maximus ait: *Tota vita Christiani hominis, si secundùm Evangelium vivat, crux est.* Jam olim S. Jobo dictum erat, natum ad laborem hominem, nõn secùs, ac avem ad volatum. *Homo nascitur ad laborem, & avis ad volatum.* Et quidem cùm volat avis, crucem format, ut hominem informet, eum ad crucem esse natum. Crux soror nostra est ab ortu; crux soror est naturæ humanæ; propria hominis est. Dixitque homini Christus: *Tollat crucem suam, & sequatur me.* Cùm igitur Virginitas sit soror Angelorum, mittitur ad Virginem Angelus, ad commendandam, & extollendam Virginitatem: & quia soror naturæ humanæ Crux est, ideò ad eam destinatur Andreas, qui more humano eam salutet, & supra modum humanum illam laudet & evehat. Quòd si jucundum sit, non solùm Gabrieli, sed omnibus simul Angelis, salutare Deiparam in eâ formâ, quâ ab Angelo primitus est salutata: ita pariter gratiosum & gloriosum erit, non solùm Andreæ, sed etiam omnibus Christi fidelibus, eo modo salutare Crucem, quo à tanto Apostolo fuit primitus salutata. Prodeat ergo & procedat Andreas, ut omnes cum illo clamemus. *Salve Crux, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membrorũ ejus margaritis ornata. Antequam te ascenderet Dominus, timorem terrenum habuisti: modo verò amorem cælestem obtinens, pro voto susciperis. Sciris enim à credentibus, quanta intra te gaudia habeas, quanta munera præparata!*

S. Maximus hom. 2. de Nat. Mart.

Iob. 5. v. 7.

Matth. 16. v. 24.

4. Ita suam Crucem salutat S. Andreas. Vix invenio paucos imitantes Andream, & crucem salutantes: omnibus enim crux sua videtur intolerabilis, & prout cõmunis sonat parœmia, *crux sua cuiq; gravis.* Quosdam calamitates publicæ premunt, alios privatæ. Et bene cruces varias expressit ille comicus, dum varios hominum status fecit prodire, & bajulare crucem suam in theatrum. Hinc suam crucem portans Religiosus, spectatoribus ostendit, Religionem esse sibi gravissimam crucem: inde sub cruce sua sudans miles, exhibuit scriptum, militiam sibi esse gravissimam crucem: aliunde mendicus paupertatem suis humeris tam graviter portandã ingemuit: aulicus invidias, & insidias, conquestus est sibi tam durè incumbere: non defuit, qui uxorem suam super humeros bajularet, & diceret, crux mea mala uxor. Nempe *crux sua cuique gravis.* Sic ab uxore, filijs & cognatis, sic à moribus, ab æmulis, sic ab infortunis, paupertate, exilio, carcere, vinculis, morbis, contemptibus, impedimentis *crux sua cuique gravis,* Quàm amara potio infirmo ad medelam, tam disgrata crux accidit vitioso ad correctionem: & tamen *stat cruce nostra salus*; quia non patitur Deus quemquã tentari supra id, quod potest. Sic Deus prono in superbiam, ob excellentiam cujusdam naturalis, vel artificiosi characteris, permittit aliquod vilipendium, vel carnis tentationem, ut humilietur; avaro immittit mercium, & fortunarum jacturam; pulchro & vegeto immittit morbum; docto permittit lapsum in aliquem errorem vel infamiam, ne infletur, & de se præsumat. Innumeræ igitur cruces contingunt homini, damna, dedecora, exilia, verbera, tormenta, cruciatus, falsæ accusationes, iniqua judicia, egestas, dolor, mors, infamiæ, rancores, dæmoniacæ infestationes, afflictiones, tribulationes & ærumnæ innumeræ. *Crux sua cuique gravis.* At verò singularis S. Andreas mutat parœmiam, & suæ Cruci hanc syngraphen inscribit: *Crux mea tota levis.* Et unde tam levis Crux Andreæ? Erat mundus in naufragio planè periturus, nisi Christus naufraganti succurrisset ligno S. Crucis. Succurrit quidem, canitque propterea Ecclesia alloquens ipsam Crucem: *Sola digna tu fuisti ferre sæcli pretium, atq; portum præparare nauta mundo naufrago.* Petrus & Andreas, rei navalis bene experti Christo se assimilârunt, cùm uterque sit crucifixus, ut mundus ab extremo periculo, in quo versabatur, eriperetur. Aliter tamen Christus; aliter Petrus, & Andreas. Christus quippe gravissimam tulit Crucem; ut lenis ac levis esset Crux Apostolorum, quibus jam antecedenter dixerat: *Iugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Sanctus noster Bernardinus

Crux omnibus gravis, sed S. Andreæ levis.

1 Corinth. 10. v. 13.

Matth. 11. v. 30.

dinus hanc jugi suavitatem,& oneris levitatem accuratiùs expendit, & advertit, quòd secundùm Vegetium ligna tempore Martij,& Aprilis sunt gravia & ponderosa, propter humorem hyemali tempore concretum; & ideò scindi non debent, *sed tempore Iulij & Augusti, & etiam mense Decembri; quia tunc humor desiccatur, & est bonum scindere.* Quidquid sit de hac Vegetij observatione; nemo saltem Apostolorum crucifixus est mense Martio & Aprili, quando ligna gravantur. Solus Christus mense Martio affixus est Cruci: ut vel ipsum tempus declararet, molestam ac laboriosam sibi Crucem imposuisse, suis verò Apostolis levem & suavem reliquisse; Philippo scilicet mense Majo, Petro in Julio, & Andreæ juxta Decembrem. Et ideò S. Andreas recognoscens, quàm leve & quàm suave esset sibi datæ Crucis jugum, suavitate ac dulcedine ejus allectus ac delinitus, exclamavit: *O bona Crux*, tota levis & suavis! Ut imitatione Andreæ tua crux tibi videatur levis, disce paupertatem divitijs, dolorem voluptati,& ignominiam præferre honori. Co ita paupertatem quamvis gravem, cruciatum quamvis acerbum, contumeliam quamvis indignam,esse *leve tribulationis nostræ*, quod *æternæ gloriæ pondus operatur.* Saluberrima sunt paradoxa, quæ B. Ægidius, socius S. Francisci, vir valdè sanctus, & à Deo illuminatus, ad cruces varias in viâ perfectionis leviter ferendas practicabat,& dictabat. *Si vis bene videre,erue oculos tuos,& esto cæcus.Si vis bene audire,esto surdus.Si vis bene loqui, esto mutus.Si bene ambulare, abscinde tibi pedes. Si bene operari,mutila tibi manus, Si bene amare, habeas te odio.Si vis bene vivere, te mortifica.Si bene lucrari, disce perdere.Si vis esse dives,esto pauper. Si vis esse in delicijs, affige te.Si vis esse securus, semper esto in timore.Si vis exaltari, humilia te.Si vis honorari, despice te, & honora te despicientes.Si vis habere bonum, sustine malum Si vis esse in quiete,labora. Si vis benedici,desidera maledici. O quàm magna sapientia,scire hæc facere! Et quia magna sunt,non omnibus data sunt.* Denique in abnegatione suæ propriæ voluntatis consistit levitas cujuscunque crucis moralis, Christo hortante: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suã, & sequatur me.*

2. Cor. 4. v. 17.

Historia Seraphica l. 1. pag. 65.

Matth. 16 v. 24.

5\. Insuper Crux communiter habetur in contemptu; despicitur,& ignominiosè tractatur. *Crux signum erat mortis maledictæ,mortis omnium diffamatissimæ: hoc enim solum mortis genus maledictioni obnoxiũ fuit*; supra dicebat S. Chrysost. Et is ipse alio loco sic:*Crux dedecoris fuit lignum,& apud omnes gentes ignominia & infamia putabatur.* Lactantius infame genus supplicij vocat,*quod etiam homine libero,quamvis nocente, videbatur indignum.* Eusebius Crucis pœnam vocat *probrosissimam,& omnium hominum sceleratissimis injungi solitam.* Adeò autem servorum fuit supplicium,ut Tacito,pluribúsque alijs haud alio nomine iudigitetur,quàm servilis supplicij. Unde acriter in Verrem Tullius invehitur, quòd ille civem Romanum cruci affixisset: *Facinus est* (inquit) *vincire civem Romanum; scelus,verberare; propè parricidium, necare. Quid dicam,in crucẽ tollere? Nefandum,teterrimúmq́; supplicium! Verbo satis digno tam nefaria res appellari non potest.* Si parricidium est, civem quemcunq; Romanum necare; parricidio detestabilius scelus in crucem tollere; quàm execrandũ erit supplicium, Deum ipsum vincire, verberare necare, Cruci affigere? Hâc dicendi formulâ passim Romanos usos fuisse, Auctor est Livius: *I lictor, colliga manus,caput obnubito, arbori infelici suspendito.* Crucem illi infelicem arborẽ non eo tantùm vocabant, quòd in ea suspensos redderet infelices; verùm etiam,quòd ex infelici,infructuosâ, atq; adeò inferis Dijs sacrâ arbore crux fabricari soleret. Quanta probrositas, & contemptio inest Furcæ transversis lignis erectæ ad *crimina probrosâ damnificanda cruce*; tanta ignominia & despectus redundant in Crucem calamitosâ, si communem sæculi sensũ spectes. At verò singularis est Andreas,qui semotâ quâcunque abjectione,vel vilipendio, Crucem pretiosam & honorificentissimam salutat. *Salve Crux pretiosa! salve*

Crux omnibus despecta, soli S. Andreæ pretiosa.

S Chrysost. serm de latr.

Lactantius de Verb. sap. l. 4. c. 26.

Eusebius de præparat. l. 6. c. 6.

Cicero act. 7. in Verrem.

Crux, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membrorum ejus margaritis ornata. [*Isidor. l. 16. orig. c. 10.*] Margarita, Isidoro teste, inter candidas gemmas principem locum tenens, *prima* dicitur *candidarum gemmarum*. Non ego mirarer, si Christi membra conferret cum margaritis, quando candor eorum resplenduit in monte; à candore quippe membrorum *vestimenta ejus* [*Matth. 17. v. 2.*] *facta sunt alba, sicut nix.* Illud potiùs admiror, quòd S. Andreas asserat, Crucē esse ornatam, & pretiosam ex membrorum Christi margaritis; & quidem tunc temporis, quando ei *non erat aspectus, neq; decor.* Quomodo fieri poterit, ut candida membra relucerent tunc, quando corpus erat longè deformius leproso, aut exulcerato? Quòd si membra Christi in Cruce candida non erant, quomodo Crux ex membrorum ejus margaritis potuit ornari? Scio discrimen, quod Isidorus adducit inter margaritas & margaritas. *Meliores candidæ Margaritæ, quàm quæ flavescunt. Illas enim aut juventus, aut matutini roris conceptio reddit candidas; has senectus, vel vespertinus aër gignit obscuras.* Observat Margarita tempus suum. Cùm nascitur, cùm juvenescit, tota candida est: cùm verò senectutem, aut vespertinum patitur aërem, colorem quidem candidum in flavum mutat, semper tamen Margarita manet. Membra Christi in Conceptione, & Transfiguratione, purissimo quidem candore nitebant; at verò cùm ventus Passionis afflavit, flavescere cœperunt, nec tamen propterea esse desierunt Margaritæ. Quòd si Christus in suo candore Conceptionis, aut Transfigurationis, majoris apud homines fuerit æstimationis, quàm in sua Passione; erat tamen idem Christus in majestate Transfigurationis, & in humilitate Passionis. Idem sibi erat Christus, idem S. Andreæ; qui nec opinionē, nec æstimationē curabat humanam, sed veritatem rerum attendebat: & sicut candidæ Margaritæ flavis nec sunt, nec censeri debent præstantiores; ita membrorum Christi Margaritas non solùm ex colore, sed ex ipsâ naturâ æstimabat, dicebâtque audacter. *Salve Crux pretiosa! Salve Crux, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membrorum ejus Margaritis ornata*; jam non ampliùs probrosa, sed pretiosa; non ampliùs nefaria, sed honoraria; non maledicta, sed benedicta; non abjecta, sed respecta; non obtenebrata, sed illustrata; non infelix, sed fortunata! [*Ex Breviar. Rom.*] *O bona Crux! quæ decorē ex membris Domini suscepisti, diu desiderata, solicitè amata, sine intermissione quæsita, & aliquando cupienti animo præparata; accipe me ab hominibus, & redde me Magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit.*

6. [*Crux omnibus terribilis, soli S. Andreæ amabilis.*] Hæc inter amoris ac desiderij suspiria, novis exstimulor admirationis accentibus. Quid enim? Ergóne Crux dicatur *diu desiderata, solicitè amata?* quæ omnibus Punicam incutit formidinē, terrorem pallidum impingit; ut meritò D. August. *nihil enumeret inter omnia genera mortis, illo genere Crucis execrabilius, aut formidosius.* [*S. August. l. 83. qq. q. 25.*] Supplicij hujus gravitatem idem S. Doctor acutè alio loco expendit: [Illa morte, inquit, peius nihil fuit: inter omnia genera mortium. [*Idem tract. 36. in Joan.*] Denique, ubi dolores acerrimi exagitant, cruciatus vocatur, à cruce nominatus. Pendentes enim in ligno crucifixi, clavis ad lignum pedibus manibúsque confixi, productâ morte necabantur. Non enim crucifigi hoc, erat occidi: sed diu vivebatur in cruce, non quia longior vita eligebatur, sed quia mors ipsa protendebatur, ne dolor citiùs finiretur.] Paulò pòst, *extremam, ac pessimum mortis genus* appellat; additque, nihil fuisse in carne intolerabilius: unde & ipse Christus, prævidens in agoniâ sustinendum Crucis supplicium, oravit, exhorruit, sanguinem sudavit. Singularis iterum, & insolens est S. Andreas, qui in Cruce non formidabilis horroris, sed cælestis amoris invenit sacrarium. Consonant inter se Passio Servatoris, & mare. Credo patienti, ac dicenti: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* [*Psal. 68. v. 3.*] Quo etiam pertinet illud: *Magna est, velut mare contritio tua.* [*Thren. 2. v. 13.*] Idipsum symbolizat Jonas, qui passus est in mari, ut Passionis Dominicæ adumbraret conditionem. Hæc autem conditio maris est, ut ea, quæ timemus in terris, in suis aquis reddat amabilia & chara. Horres leonem in terra, trepidas ad lupi

aut

ſunt tauri conſpectum: leo tamen, lupus & taurus, ſi videantur in mari, non timorem, ſed amorem & delectationem efficiunt; ut in ſuo Hexaëmeron docet Ambroſius, & hoc ipſum experientia confirmat. Antequam Chriſtus aſcenderet Crucē, erat illi terrenū, terriculamentū & timorem incutiebat terrenū: venit verò Chriſtus *in altitudinē maris*, in mare Paſſionis ſuæ, ut Crucis horrorem mutaret in affectionem & delectationem: quod quidem effecit ac præſtitit; quemadmodum expertus nos monuit S. Andreas. Non omnes hunc erga Crucem amorem concipiunt, nec ex ea omnes dulcedinem hauriunt, aut voluptatem; quia ſcilicet non in mari Paſſionis Chriſti, ſed in terra hujus mundi Crucem quærunt. Quæſivit S. Andreas Crucem: *O bona Crux, quæ decorem & pulchritudinem de membris Domini ſuſcepiſti; diu deſiderata, ſollicitè amata, ſine intermiſſione quæſita.* Addit verò: *Accipe me ab hominibus, & redde me Magiſtro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit.* Recurrit ad mare Paſſionis, in quo reperit Crucem, non horribilem, ut falsò ſibi perſuadebat Ægeas, ſed totam charam & amabilem; in cujus amorem raptus Andreas, nos omnes ſecum rapere contendit. *Ego ſi Crucis patibulum expaveſcerem, Crucis gloriam non prædicarem.*

Erat S. Andreas, quaſi Luna; quæ præcipuum ſuum ſplendorem à Sole accipit; imò in obſcuro ſuo Novilunio non fatigatur à motu, non retardatur à ſua excentrica ſpira, ſed *IUNGI PROPERAT* cum Sole uſque ad eclipſin. Andreas ſuum recipiebat ſplendorem à Cruce, ad quam properabat ardenter; nec volebat ſeparari, quouſq; mors doloroſa & lenta eum ex hoc mortalium circulo excentricaret. Imò cùm vellent ipſum ab hâc conjunctione ſeparare, aut impedire, urgebat vehementiùs curſu, & affectuoſiùs precabatur Deum: *Deus meus, ne me permittas ab impio Iudice deponi. Tempus eſt, ut commendetur terræ corpus meum, & me ad te venire jubeas.*

7. Crux omnibus dolorem, ſoli Andreæ delicias parat. Eſt & alia antitheſis ſub Sole, quam non poſſunt capere homines mundani; nec ſciunt, quî contingere valeat, ut qui portant Crucem Chriſti, cæleſtes in ea reperiant delicias, & ſaturitate gaudiorum in eâ perfruantur: rem hanc cenſent eſſe impoſſibilem. At verò piâ ſingularitate inſolens S. Andreas magis exultat in Cruce, quàm reges deliciantur in throno: exultat in Cruce, ubi non unum vel alterum, ſed omne gaudium invenit; & ſuadet prædicatione atque exemplo, ut exiſtimemus omne gaudium nobis obvenire, cùm in varias crucis tentationes inciderimus: nam & ipſe cum ſanctâ Cruce locutus, ait: *Sciris enim à credentibus, quanta in te gaudia habeas.* Celat natura ſuas divitias, & dulcedines abſcondit inter inacceſſa antemuralia: fodiat terram, & excavet montium viſcera, qui auri & argenti pretia ſectatur; concluſas expugnet conchas, qui margaritas quærit. Novit etiam gratia ſuas occultare opes, & propterea cælorum Regnum cum theſauro recondito comparatur: novit cæleſtes ſuas voluptates validis continere ſacrarijs; quæ cùm pauliſper penetraret Pſaltes, præ admiratione exclamat: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te!* Pſal. 30. v. 20. Hæc ſupernarum deliciarum ſuavitas, & gaudiorum cæleſtium dulcedo, ut magis eſſet occulta atq; ſecreta, eo loco repoſita latet, ubi minùs humanum cogitârit ingenium; nempe repoſita eſt in Cruce, quæ videtur ſubſiſtere ex oppoſita regione gaudij, ex tranſverſo lætitiæ puncto. Interim nihil occultum amanti; nec amanti natura celare potuit ſuas metallorum opes, aut concha ſuas occluſas margaritas: ſic nec occultum quidpiam amanti Andreæ, qui caluit gratiâ ſacrariâ, ac proinde penetravit ſacræ Crucis myſteria, deprehenditq; ſub corticali ligni contineri gaudia cæleſtia; ideoq; ſub ſuaviſſimo Crucis amplexu ait: *Sciris enim à credentibus, quanta in te gaudia habeas.* Hinc nemo quiſquā tanto animi ardore, tanto cordis affectu, tanto ſpirituum impetu in Mexicanas involaret aurifodinas, in gemās Peruanas manus injiceret; quanto hic glorioſiſſimus Chriſti Athleta in Crucem exarſerit: nam ut Divus Bernardus teſtatur. *Vbi paratum ſibi*

sibi lignum intuitus est, ex hoc jam planè totus ignescens, applaudebat, & blandiebatur illi Amata sua (ut nullus sponsus sponsæ suæ, aut procus amasiæ) *officiosissimè salutabat, clamans magis affectione, quàm voce: Salve Crux pretiosa, quæ decorem & pulchritudinem de membris Domini accepisti.*

8. Crux alacriter ferenda, quàm Christus prætulit.

Denique crux tam pretiosa est, tam delectabilis, tam decora & venusta, tam honora & amabilis; ut, cùm Christus omnia sua velut solemni testamento legâsset, militibus vestimenta, Judæis corpus, Patri spiritum, Virgini paranymphum, Latroni paradisum, discipulo matrem, Ecclesiæ meritum, sibi reservârit Crucem; eámque præ omni Salomonis lectulo habuerit charissimam, atque extremum in eâ spiritum exhalârit. Quem S. Andreas, torque invicti pugiles, qui in Cruce & tormentis animam Deo reddiderunt, fortes & invicti secuti sunt, ut reportarent imarcescibilem gloriæ coronam. Enumerat Paulus ad Hebræos hæc cruciatuum genera, quæ generosissimi Athletæ pro Christo subierunt: *alij*, inquit, *distenti sunt, alij verò ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti.* Et cùm nonnullis cruciatuum occasio non faveret, ira tamen diligendo Crucem imitati sunt Andream, ut suam gloriam & consolationem in solâ Cruce reposuerint; non *inimici*, sed juratissimi *amici Crucis Christi*. Certè Seraphicus P. noster Franciscus in Crucis mysterio omnem suam vivendi instituit rationem, & Crucis signum per universum Orbem erexit adorandum; talésque in spiritu generavit filios, qui cum Paulo in sola Cruce Domini nostri JESU Christi gloriarentur. Ex ejus instituto videre est, S. Didacum in Insulis Philippinis Crucem prædicare, & inter suavissimos Crucis amplexus animam Deo reddere: videre est, B. Joannem Capistranum sub volante Crucis vexillo contra potentissimos Turcarum infensissimorum Christi hostium insultus, quadraginta millia Crucigerorum in Pannoniam educere, & Crucis virtute mirabiliter triumphare: videre est, S. Petrum de Alcantara in Iberiæ Regnis coram Crucis trabe frequenter in extasin rapi, & altùm in raptu evolare: videre est, B. Franciscum Solanum in vastissimis Peruani orbis regionibus cum Cruce erectum prædicare, & incomparabili animarum fructu inter gentes reperere parœmiam: *stat Cruce nostra salus.* Videre tandem est, totam hanc Christo in Cruce confixi Francisci Familiam, præ reliquis Religiosis Ordinibus *Crucis gloriam prædicare.* Sed verò non omnibus datum est, adire Corinthum: paucis ampliùs contingit Martyrij gloria, crucis supplicium. De *Crucigerorum* tamen *Ordine* suos omnes Fideles vult esse Christus, quos paternè hortatur: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me.* Non eritis primi in cruce, morte & martyrio: ego dux vobis præibo; quare me præeuntem sequamini duntaxat: ego enim vobis non tantùm exemplo, sed & auxilio meo antecedam, ac certos vos faciam de triumpho & corona, si me sequi & gratiæ meæ cooperari velitis. Magnus militi est stimulus prævium ducis exemplum. Sic Caro præiens militibus per Lybicas arenas, aiebat: *Pericula vestra prætentate meo; nihil enim jubebo, nisi quod priùs fecero; nihil præcipiam, nisi ejus vobis ipse dux & auctor fuero.* Vnde Lucas addit, *quotidie*; ut significet, omni die, & sæpè omni horâ, aliquid molesti cuilibet occursurum, quod fortiter & patienter tolerare oporteat, idque continuò per totám vitam: ac proinde cuilibet vivendum esse in cruce, & moriendum in Cruce cum Christo. Cruces argenteæ, cruces aureæ & gemmeæ, apud mortales hoc majori in pretio habentur, quò majores, quò ponderosiores ac graviores librantur; ita & cruces pro Christo toleratæ, quantò sunt graviores, tantò etiã pretiosiores æstimantur. Plùs placet Deo summo artifici amorosa tolerantia, quam in tribulationibus, morbis, miserijs, paupertate, fame, siti, alijsque va-

Hebr. 11. v. 35.

Matth. 16. v. 24.

varijs animi motibus ac turbationibus comprobant fideles, quàm alicui artifici aurum materiale. Et ut alias omnes reponam cruces, juxta S. Augustinum, *Pretiosa in conspectu Dei & gloriosa Crux, cogitationes malas in potestatem redigere, voluntates proprias abnegare, easque interiori examine discutere, & regentis Imperio subjugare.* Cruces apud Superos in tanto sunt pretio, ut stellis coronentur: quod ostensum est in morte S. Eusebiæ Virginis Romanæ, ut genere, ita virtute nobilis. Hæc enim à paternâ domo & mundi deliciejs profugerat, ut & castitatem illibatam, Christóque datam ceu Sponso fidem servaret; tandémque multis in religiosâ conversatione perfuncta laboribus ac cruciatibus, diem suam piè ac sanctè objerat. Cùm ecce! illustre tibi è Cælo prodigium: ipso in meridie, alto sole, sudóque aëre, apparuit corona è stellis micantibus contexta, in cujus medio Crux erat miri candoris. Et hæc è cælis Imago; quâ omnibus pateat, Crucem stellis undique cingi, & à cruce ad coronas, ad stellas gradum fieri; tantóque apud Superos in pretio esse cruces, ut stellis coronentur.

S. August. serm. in Nativ. S. Joan. Bapt.

Bollandus 14. Ian.

Nemo jam est ampliùs, qui piâ hac S. Andreæ insolentiâ non erectus, crucem horreat, aut omni conatu à suis finibus abigat, ne prematur: quin potiùs, velut Loxius rostro & unguibus, hac trabe reptet, & cum S. Andrea suavissimo osculo eam salutet, & imitatione veri Christiani quamcunque afflictionem pro Dei gloria, & Christi amore sustinens, corde pleno & perfectò dicat, *stat Cruce nostra salus*. Amen.



IN FESTO S. NICOLAI CONFESSORIS PONTIFICIS.

PLUMAE IN PILEIS SPECIOSÆ.

Schöne Federn auff dem Hut.

LEMMA.

Heu melior quantò sors tua sorte meâ est! Ovid. 4. Fast.

THEMA.

Vni dedit quinque talenta, alij duo, alij verò unum. Matth. 25. v. 15.

SYNOPSIS CONCIONIS LX.

Qui pileo & cristis caret, hodie inexhaustæ Grandævi Nicolai Liberalitati supplicet: ab eo enim non pileum duntaxat, sed etiam plumas & talentum recipiet, quo possit quilibet contentus, & debeat vivere officiosus.

9. Talentum cuique suum à Deo tribuuntur.



Quanta hodie in Germaniæ partibus inter Liberos expectatio? quanta præparatio ad recipienda B. Nicolai, liberalissimi ac munificentissimi Senis, munuscula? B. Nicolaum Episcopum Myrensem, virum miraculis in vitâ & post mortem clarissimum, pro suo venerantur Patrono, ejúsque perenni liberalitati

ti exponunt patinas, queîs noctu imposita à D. Nicolao munera recipiant evigilantes. Pius est parentum dolus, quo filios filiásq; in devotione& virtute instruant, dum ijs clanculum sub nomine S. Nicolai, pro cujusvis indole & propensione, diversa imponunt munera: sic enim Pater filio librum spiritualem imponit, ut eum ad suscipiendum Canonicatum suaviter inducat; aut cingulum militare, cristam & pugionem, ut militiam suadeat; aut claves ac pecuniarum marsupium, ut ad familiam administrandam disponat; aut calamum auro obductum, ut archigramatæam rutilare faciat; aut denique limam aut malleum, ut fabrilia arrideant; & sic suum cuilibet talentum tradit, quo tanquam illecebrâ ad suum quisq; statum amplectendum excitetur. Puerile hoc gaudium à S. Nicolao Episcopo sumpsit exordium, qui tribus filiabus jamjam ob egestatem prostituendis, noctu per fenestram tantum pecuniæ numerum clam imposuit, quantus singulis sufficeret, ut honestis viris in matrimonium elocari possent. Ejusmodi Nicolaus, & primus quidem ac maximus Dominus, *Antiquus* ille *dierum*, Deus est; qui nobis filijs suis, quos ad diversos elegit, ac destinavit hominum status, singulis convenientia distribuit talenta. *Et uni quidē dedit quinque talenta, alij duo, alij verò unum: unicuique juxta propriam virtutem*; ita ut nemo de illo possit conqueri, quamvis pauciora vel viliora acceperit. Nempe gratias gratis datas, & status suos, ut Magistratum, Episcopatum, Apostolatum, Sacerdotium, Cælibatum, &c. sæpè Deus viribus naturæ contemperat; nec aliquem ad statum aut gradum eligit, nisi ei ferendo par sit, & naturâ idoneus, aut quem ipse idoneum faciat. Porrò alius plura, alius pauciora Dei dona accipit: nam ut S. Gregorius ait: *Nullus est, qui veraciter dicat, talentum minime accepi; non est, unde rationes ponere cogar. Talenti enim nomine cuilibet pauperi etiam hoc ipsum reputabitur, quod vel minimum accepit.* Multis enim majus Dei donum, & ad salutem utilius, est paupertas quàm opulentia, infirmitas quàm sanitas, humilis status quàm sublimis. Certè S. Paulus quasi quinque talenta seu dona à Deo accepit, scilicet donum linguarum, potestatem miraculorum, Apostolatum, zelum animarum, efficaciam prædicandi: Timotheus verò accepit quasi duo, scilicet scientiam Scripturarum, & Ephesinum Episcopatum: Onesimus verò unum, scilicet studium ministrandi S. Paulo Romæ incarcerato; per quod meruit plura alia, scilicet Episcopatum Colossensem, & multorum conversionem, ipsum denique martyrium. Et laudatur frugalitas servi, acceptis quinque talentis lucrantis alia quinque. Ea verò est humanæ æmulationis iniquitas, ut pauci suo statu, suâque sorte sint contenti; sed luscis oculis unus alterum contuens, dicat: HEU QUANTO MELIOR SORS TUA SORTE MEA EST! Ego verò meo hodie fungar officio, avitâ liberalitate ex S. Nicolai muneribus, miro splendore coloratas Avium pennas cujusque vestrûm Pileo impositurus; ut quilibet vestrûm splendidas hasce plumas suo pileo superbè circumgerens, dicat: *Ego meâ sorte, meóque talento contentus vivo.* His auscultate auribus, & hæc videte oculis vestris, AA. in nomine omnia videntis Dei.

Breviarium Rom.

Daniel. 7. v. 9.

S. Gregorius hom. 9. in Evang.

Tam fastidiosa est humanæ sortis participatio, ut vix ullus nobis 10.
possit hodie obtingere status, quem die crastino non velimus meliore mutare. Nimirum *fertilior seges est alieno semper in agro.* Et semper melior jucundiórque nobis apparet aliena conditio, præsertim si inferioris & tenuioris simus fortunæ. Ubi apologus, sale benè conditus, serviet de Pavone & Philomela. Pavo oculato suo syrmate, & versicoloribus plumis pulcherrima avis, Philomelam audierat suavissimè modulantem; & illicò Junonem Deam suam adijt, plangens, & dicens: obsecro te, Dea mea, unam mihi gratiam concede, ut in cantu Philomelam æmulari possim; aliàs præ dolore & confusione moriar. Cui Juno respondit: ut sic picturatis

Proprium est homini, non velle suâ sorte contentum vivere.

Ovid. l. 1. de arte.

plu-

plumis contentus esset, sicut luscinia cantu suo: cum enim in perpetuo victurum cruciatu, qui cujusque bonum semper sibi exoptat. Quod inquietum malum Cælo deturbatum, primos Paradisi incolas, totámque eorum posteritatem afflavit; adeò ut jam supra 5000. annos nunquam in eodem statu velimus manere, sed continuò ad meliorem felicitatis tesseram transilire. Natus patre mercatore, mallet nobili prodijsse; deformis vellet speciosus, pauper dives, mediocris ingenio subtilis natus esse. Quid? Quam sortem ipsi nobis fabricavimus, cras aversamur, & detestamur! Quot sunt, qui hodie matrimonij vinculis illigantur, quos tertio, vel quarto die, imperiosam fortè uxorem, aut quas turbidum & temulentum maritum nactas, suæ sortis pœnitere incipiet? *Heu! quantò*, clamant, *melior sors tua sorte meâ est!* Est, qui militiæ nomen dedit, ubi penuriam, pericula & labores expertus, lamentatur irreconciliabiliter, se duci belli sacramentum dixisse: ubi econtra Mercator, audiens in mari periclitari merces, præeligeret militiam, in qua *Momento aut cita mors venit, aut victoria læta.* Causidicus clientum & consulentium importunitatibus inquietatus, somnū abrumpere, & prandium dimittere dum cogitur, vitam rusticam laudat, & quietam in Tusculano conversationem; ubi econtra rusticus mallet respicere à tergo aratrum, & pallidos agriculturæ sudores abstergere, ut in urbe civium otio ac consolatione frueretur. Est, qui spretis Mundi ineptijs in sortem Domini vivit adscriptus; sed tædio victus, & solatio omni subtracto, respicit ad ollas carnium in Ægypto relictas; ubi econtra sæculares homines Religiosorum æmulantur felicitates, & manibus pedibúsque vellent in Monasteria serpendo intrare. Qui Aulæ emolumenta gustârunt, ita saturantur opprobrijs, ut mallent felicitatē suam cum privato commutare; ubi interim privatus ex plebe felicem se æstimaret, si posset ad Aulæ servitia accomodari. Hujus vertumnalis genij ethypon gallinulæ exhibent: illæ enim, quæ caveis sunt inclusæ, ad libertatem aspirant foras exire, protenso collo per cancellos; quæ verò foris vagantur liberæ, ad caveam accurrunt, & immisso capite sese intrudere satagunt. Talis est humani generis inquietudo, quâ unusquisque judicet, alienam sortem suâ esse feliciorem; & talentum alteri concessum, suo præponderare Et hi omnes mihi similes videntur illi Asino Æsopico, qui cùm in dies tanto oneri portando gravaretur, ut propè succumberet moli, insuper inediâ confectus, verberibus urgeretur; equum fortè in pinguibus pascuis pabulabundum conspicatus, beatam ejus sortem deprædicavit, suámque miseriam & intolerandam servitutem exaggerans dixit: *Heu melior quantò sors tua sorte meâ est!* Dum verò non multò pòst equisonem accurrentem vidit, qui equi ora lupatis constringeret, eòque conscenso calcaribus ad sanguinem stimularet, eúmque ad prælia, ad vulnera, ad mortem audiret duci; sorte suâ satis bene contentus, ingentes Dijs retulit gratias, *quòd non se equum, sed asinum fecissent.*

Horat. l. 1. Sat. 1.

Et verò supremus ille Paterfamilias, grandævus Nicolaus, sua dona distribuit, prout vult; & *uni* quidem *dedit quinque talenta, alij duo, alij verò unum: unicuique juxta propriam virtutem*, & prout voluit, & ipsa rei perfectio juxta præsentes circumstantias poposcit. *Pusillum* enim *& magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus*: quemadmodum pictor, aut fictor, non minus artis & industriæ in nano perfectè efformando, quàm in Rhodio Colosso, non minus in opilione, quàm in rege effingendo demonstrat. Nec inde quis potest conqueri de injuriâ, cur mecum sic agis: cur tam parum mihi tribuisti, támque humile & despectum; alteri verò tam excellens, tam sumptuosum & spectabile addidisti? *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas* II.

Omnes hominum status à Deo promanant. Matth. 25. v. 15.

Sap. 6. v. 8.

Rom. 9. v. 20.

in honorem, aliud verò in contumeliam? Nempe Deus in singulos homines, imò in omnes creaturas jus habet, ut eas conservet vel perimat, & in nihilum redigat; ijs utatur ad splendida vel abjecta, ad speciosa vel deformia, ad sublimia vel profunda: nec quisquam potest conqueri de injuriâ, aut rationem factorum exigere. Imò jus Dei in creaturas est longè præstantius, quàm figuli in sua vasa fictilia: nam creatura pendet à solo Deo quoad omnia; in quo est, agit, vivit & conservatur: & quidem pendet longè magis, quàm radius à sole, lumen à candela, intellectio & volitio ab anima, visio ab oculo, umbra à luce. Fictile verò non à solo figulo pendet, sed etiam ab argilla, ex qua constat; ab aquâ, qua maceratur, & tractabile redditur; à rota, qua formatur; ab igne, quo excoquitur & induratur: quibus omnibus non minùs, quàm figulo debet, qui solùm per motum localem illa applicat, per se autem nihil tribuit. Sapienter proinde omnia Divina disposuit Providentia; cui ut quisque pro suo talento accepto acquiescat, monet Doctor Gentium. *Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat*: sitque contentus suo statu, ad quem Deus ipsum ordinavit. Quid enim, si in bello omnes essent duces, aut omnes gregarij? Quid si in civitate, aut politicâ hominum conversatione omnes essent agricolæ, fossores, fabri, cæmentarij, vietores, ferratores, sartores, pistores, praxatores? Quid si in Aula omnes essent nobiles, ephebi, grandes, famuli honorarij? Quis tunc excubias agere, aciem instruere, agros colere, serere, merere, panes pinsere, cerevisiam coquere, ædes exstruere, vestes & calceos suppeditare aggredietur? Vt solerter observavit Theodoretus, dicens: [Quo pacto, si omnes æquales sint, & omnes opibus abundent, necessariorum inopiam & usum homines sarcient? Aut quis, si eâdem cum reliquis abundantiâ instructus sit, alteri servire velit? Quis, inquam, igni assidere, opsonia parare? quis item panes coquere, & mollâ triticum conterere, nisi inopiâ & egestate cogatur, sustinebit?] Non constat Mundus iste magnus ex ejusdem speciei corporibus, sed cælis, stellis, elementis, & horum mixtis; adhoc, ut tam elegans opus in laudem sui Conditoris resultet: ita nec Mundus Politicus consurgit ex ejusdem conditionis hominibus, sed diversi hominum status politicam Hierarchiam constituunt. Verissimè Seneca: *Omne hoc, quod vides*, inquit, *quo divina atque humana conclusa sunt, unum est; membra sumus corporis magni.* Domini, oculi sunt; opifices, manus; pedes, famuli: quodque membrum suâ conditione contentum, rectè suo munere fungatur; & *in qua vocatione vocatum est, in ea permaneat!*

[Margin: 1. Corinth. 7. v. 20.]

[Margin: Theodoretus, Orat. 5. de Provident.]

[Margin: Seneca Ep. 59.]

12. Quare accedant, qui à grandævo Nicolao imposita volunt reportare talenta; talenta plumis, & cristis diversicoloribus speciosa, & cujusvis capiti accommodata. Quàm varios pileos pro capitis integumento produxit ars, egestate, vel curiositate compulsa: cui tamen & ipsa morigerata honestas miros contulit splendores! Romanorum Galerus, Macedonum Causia, Atheniensium Crobylus, Persarum Tiara, Græcorum Corybanthius, Garamantarum dimidiatum Struthionis Ovum, Æthiopum Petasus decem hominibus inumbrandis par futurus, Moscorum albi ex lanâ coacti Apices, Turcarum in fasciam complicati Turbantes, Tartarorum pellicea Involucra, Polonorum Castorea & Zibellina tegmina, Russorum aureis spirulis mirè concinnatum Schapka, Afrorum multicolor Fascia, Armeniorum oblongæ Cidaris, Medorum lineæ Phaceolide; insuper Doctorum rotunda, & Sacerdotum quadrata Birreta, Pontificum tricoronis mitra, Cardinalium ruber Galerus, bicornis Episcoporum Infula, antiqua Canonicorum Almutia; sed & Principum Diademata Sacra, Militū impenetrabiles galeæ, profundi Monachorum Cuculli, communes singulorum Camelauchi, miram præstant omnibus Nationibus de capitis tegumentis fandi materiam. Et verò quan-

[Margin: Capitis tegumenta & ornamenta producuntur.]

[Margin: Raynaudus in psilolog.]

quanta in solis nostris quotidianis pileis passim observatur capitum diversitas? Quibusdam pilei acuuntur in conum, sicut apud Hebræos: alij prælatam turrim cum parvâ margine imponunt capiti, sicut Hispani: quidam & cavam partem contrahunt, & marginem vix ad transversos tres digitos dilatant, ut Gothi; nonnulli late rotundam, sed pressam circumgerunt ollam, amplissimâ margine umbratam, ut Galli & Sabaudi: alij de omni pileorum formâ sibi quodlibetales assumunt figuras, ut Germani. Vidi sæpiùs pileos circumgeri, quorum cavitas vix unum gallinæ ovum caperet. Plurimi sibi complacent, si eorum pilei sint hirsuti, lanigeri, & villosi; alij econtra de tersis, & ad instar holoserici subtiliter deplanatis pileis gratulantur. Arrident non paucis pileorum margines inflexæ, & globulis aut spirulis complicatæ, quibus nunc ad dextram, nunc ad sinistram, nunc etiam ad sinciput positis mirè erecti superbiunt; alij econtra margines in acutas efformant naves, aut certè in alas dependere sinunt; ut ipsis stet liberum, vel evolare super caput, vel enatare. Jam verò quantus spirarum luxus super pileos, quos auri, argenti, gemmarum, serici, & variarum tincturarum concinnata subtilitas miro splendore & apparentiâ donat? Accedunt cristæ & plumæ super pileos, talem conferentes capiti splendorem, qualem nec Chares in suis frontibus poterant invenire. Ea enim est volatilium in pennis suis speciositas, ut quas humana Industria imitari non potest volando, Ingenuitas æmuletur superbiendo; tantóque in pretio servet, ut eas dignissimæ totius corporis parti, nempe Capiti, ad præseferendum quendam festivum splendorem imponat. Videre est super pileos hominum, nunc gemmeas pennas Pavonum, *picta spectacula caudæ*; nunc concinnulas Struthionum plumas; nunc pretiosas Ardearum insidias; nunc vivaces Psittacorum colores; nunc rectilineares Phasianorum calamos; nunc falcatas Gallinaceorum cristas; nunc alios alitum lepôres: quibus sumptuosè gestis indicare volunt, se tam volatiles conceptus agitare in cerebro, quàm ei cinnatulæ plumæ eis circumvolant in pileo.

13. Proinde observatum est à plerisque, quòd vix unquam unus alteri ita rectè & accomodè super caput imponat pileum, quin immediatè is pileum denuò moveat, & suæ opportunitati rectè accomodet. Contingit idipsum Deo, grandævo Nicolao, ut, quantacunque liberalitate sua dona & talenta hominibus largiatur, eadem tamen paucis videantur accomoda & opportuna accidere; cùm plerique aliter, quàm à Deo fuerint concessa, talentum & statum sibi applicare conentur. Verbo: Pauci suâ sorte, & sui statûs felicitate contenti esse videntur. Est, cui Deus pro suo talento imposuit pileum villosum, & arcuatis galli cristis spectabilem; ut scilicet humili & laborioso sanguine natus, vigilias ducat super greges pecorum suorum, in sudore vultûs sui ad aratrum consistens terram colat, atque insomnibus Agriculturæ laboribus exhorrescat, segetésque maturas acutâ falce succidat. At verò importuna cadit huic pilei impositio, unde movere, & removere nititur; de statu quietiore consultare, civium felicitati invidere, domicilium intra mænia transportare nititur: non placet hirsutus pileus, non falcatæ plumæ, non status servilis & laboriosus, non sors Rustica. *Heu! quantò melior sors tua sorte meâ est?* At verò *unusquisque, in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* Habent hi, quòd sorte suâ contenti, negotientur circa talentum suum; præsertim si ipsum mundi Artificem, Christum fabri filium, & fabrilem artem in sudore vultûs exercentem, sibi proponant. Parùm refert, qualem in comœdia personam exhibeas, Rustici an Regis, aut Doctoris; sæpè accidit, ut qui Rusticum agit, magis delectet Auditores, majorémque obtineat plausum, quàm qui Regem exhibet: nam difficilius est, hominem naturâ ad alta natum, gloriæque cupidum, agere personam humilem, quàm sublimem;

Rustici & se vi sint contenti pileo villoso, ac falcatis galli cristis.

jugum crux est. Et rectè S. Maximus ait: *Tota vita Christiani hominis, si secundùm Evangelium vivat, crux est.* Jam olim S. Jobo dictum erat, natum ad laborem hominem, nõn secùs, ac avem ad volatum. *Homo nascitur ad laborem, & avis ad volatum.* Et quidem cùm volat avis, crucem format, ut hominem informet, eum ad crucem esse natum. Crux soror nostra est ab ortu; crux soror est naturæ humanæ; propria hominis est. Dixitque homini Christus: *Tollat crucem suam, & sequatur me.* Cùm igitur Virginitas sit soror Angelorum, mittitur ad Virginem Angelus, ad commendandam, & extollendam Virginitatem: & quia soror naturæ humanæ Crux est, ideò ad eam destinatur Andreas, qui more humano eam salutet, & supra modum humanum illam laudet & evehat. Quòd si jucundum sit, non solùm Gabrieli, sed omnibus simul Angelis, salutare Deiparam in eâ formâ, quâ ab Angelo primitus est salutata: ita pariter gratiosum & gloriosum erit, non solùm Andreæ, sed etiam omnibus Christi fidelibus, eo modo salutare Crucem, quo à tanto Apostolo fuit primitus salutata. Prodeat ergo & procedat Andreas, ut omnes cum illo clamemus. *Salve Crux, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membrorũ ejus margaritis ornata. Antequam te ascenderet Dominus, timorem terrenum habuisti: modo verò amorem cælestem obtinens, pro voto susciperis. Sciris enim à credentibus, quanta intra te gaudia habeas, quanta munera præparata!*

S. Maximus hom. 2. de Nat. Mart.

Job. 5. v. 7.

Matth. 16. v. 24.

4\. Ita suam Crucem salutat S. Andreas. Vix invenio paucos imitantes Andream, & crucem salutantes: omnibus enim crux sua videtur intolerabilis, & prout comũnis sonat parœmia, *crux sua cuiq; gravis.* Quosdam calamitates publicæ premunt, alios privatæ. Et bene cruces varias expressit ille comicus, dum varios hominum status fecit prodire, & bajulare crucem suam in theatrum. Hinc suam crucem portans Religiosus spectatoribus ostendit, Religionem esse sibi gravissimam crucem: inde sub cruce sua sudans miles, exhibuit scriptum, militiam sibi esse gravissimam crucem: aliunde mendicus paupertatem suis humeris tam graviter portandã ingemuit: aulicus invidias, & insidias, conquestus est sibi tam durè incumbere: non defuit, qui uxorem suam super humeros bajularet, & diceret, crux mea mala uxor. Nempe *crux sua cuique gravis.* Sic ab uxore, filijs & cognatis, sic à moribus, ab æmulis, sic ab infortunis, paupertate, exilio, carcere, vinculis, morbis, contemptibus, impedimentis *crux sua cuique gravis.* Quàm amara potio infirmo ad medelam, tam disgrata crux accidit vitioso ad correctionem: & tamen *stat cruce nostra salus*; quia non patitur Deus quemquã tentari supra id, quod potest. Sic Deus prono in superbiam, ob excellentiam cujusdam naturalis, vel artificiosi characteris, permittit aliquod vilipendium, vel carnis tentationem, ut humilietur; avaro immittit mercium, & fortunarum jacturam; pulchro & vegeto immittit morbum; docto permittit lapsum in aliquem errorem vel infamiam, ne infletur, & de se præsumat. Innumeræ igitur cruces contingunt homini, damna, dedecora, exilia, verbera, tormenta, cruciatus, falsæ accusationes, iniqua judicia, egestas, dolor, mors, infamiæ, rancores, dæmoniacæ infestationes, afflictiones, tribulationes & ærumnæ innumeræ, *Crux sua cuique gravis.* At verò singularis S. Andreas mutat parœmiam, & suæ Cruci hanc syngraphen inscribit: *Crux mea tota levis.* Et unde tam levis Crux Andreæ? Erat mundus in naufragio planè periturus, nisi Christus naufraganti succurrisset ligno S. Crucis. Succurrit quidem, canitque propterea Ecclesia alloquens ipsam Crucem: *Sola digna tu fuisti, ferre sæcli pretium, atq; portum præparare nauta mundo naufrago.* Petrus & Andreas, rei navalis bene experti Christo se assimilârunt, cùm uterque sit crucifixus, ut mundus ab extremo periculo, in quo versabatur, eriperetur. Aliter tamen Christus; aliter Petrus, & Andreas. Christus quippe gravissimam tulit Crucem; ut lenis ac levis esset Crux Apostolorum, quibus jam antecedenter dixerat: *Iugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Sanctus noster Bernardinus

Crux omnibus gravis, leo S. Andreæ levis.

1 Corinth. 10. v. 13.

Matth. 11. v. 30.

dinus hanc jugi suavitatem,& oneris levitatem accuratiùs expendit, & advertit, quòd secundùm Vegetium ligna tempore Martij,& Aprilis sunt gravia & ponderosa, propter humorem hyemali tempore concretum; & ideò scindi non debent, *sed tempore Iulij & Augusti, & etiam mense Decembri; quia tunc humor deficcatur, & est bonum scindere.* Quidquid sit de hac Vegetij observatione; nemo saltem Apostolorum crucifixus est mense Martio & Aprili, quando ligna gravantur. Solus Christus mense Martio affixus est Cruci: ut vel ipsum tempus declararet, molestam ac laboriosam sibi Crucem imposuisse, suis verò Apostolis levem & suavem reliquisse; Philippo scilicet mense Majo, Petro inJulio, & Andreæ juxta Decembrem. Et ideò S. Andreas recognoscens, quàm leve & quàm suave esset sibi datæ Crucis jugum, sua vitate ac dulcedine ejus allectus ac delinitus, exclamavit: *O bona Crux*, tota levis & suavis! Ut imitatione Andreæ tua crux tibi videatur levis, disce paupertatem divitijs, dolorem voluptati,& ignominiam præferre honori. Co ita paupertatem quamvis gravem, cruciatum quamvis acerbum, contumeliam quamvis

2. Cor. 4. 6. 17. indignam,esse *leve tribulationis nostræ,* quod *æternæ gloriæ pondus operatur.* Saluberrima sunt paradoxa, quæ B. Ægidius, socius S. Francisci, vir valdè sanctus, & à Deo illuminatus, ad cruces

Historia Seraphica l. 1. pag. 65. varias in viâ perfectionis leviter ferendas practicabat,& dictabat. *Si vis bene videre,erue oculos tuos,& esto cæcus.Si vis bene audire,esto surdus,Si vis bene loqui, esto mutus.Si bene ambulare, abscinde tibi pedes. Si bene operari,mutila tibi manus, Si bene amare, habeas tedium.Si vis bene vivere, te mortifica.Si bene lucrari, disce perdere.Si vis esse dives,esto pauper. Si vis esse in delicijs, affige te.Si vis esse securus, semper esto in timore.Si vis exaltari, humilia te.Si vis honorari, despice te, & honora te despicientes.Si vis habere bonum, sustine malum Si vis esse in quiete,labora. Si vis benedici,desidera maledici. O quàm magna sapientia,scire hæc facere! Et quia magna sunt,non omnibus data sunt.* Denique in abnegatione suæ propriæ voluntatis consistit levitas cujuscunque crucis moralis, Christo hortante: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suã, & sequatur me.* Matth. 16. v. 24.

5. Crux omnibus despecta, soli S. Andreæ pretiosa.

Insuper Crux communiter habetur in contemptu; despicitur,& ignominiosè tractatur. *Crux signum erat mortis maledictæ,mortis omnium diffamatissimæ: hoc enim solum mortis genus maledictioni obnoxiũ fuit*; supra dicebat S. Chrysost. Et is ipse alio loco sic:*Crux dedecoris fuit lignum, & apud omnes gentes ignominia & infamia putabatur.* Lactantius infame genus supplicij vocat, *quod etiam homine libero,quamvis nocente, videbatur indignum.* EusebiusCrucis pœnam vocat *probrosissimam, & omnium hominum sceleratissimis injungi solitam.* Adeò autem servorum fuit supplicium, ut Tacito,pluribúsque alijs haud alio nomine indigitetur,quàm servilis supplicij. Unde acriter in Verrem Tullius invehitur, quòd ille civem Romanum cruci affixisset: *Facinus est* (inquit) *vincire civem Romanum; scelus,verberare; propè parricidium, necare. Quid dicam,in crucẽ tollere? Nefandum,teterrimúmq; supplicium! Verbo satis digno tam nefaria res appellari non potest.* Si parricidium est, civem quemcunq; Romanum necare; parricidio detestabilius scelus in crucem tollere; quàm execrandũ erit supplicium, Deum ipsum vincire, verberare necare, Cruci affigere? Hâc dicendi formulâ passim Romanos usos fuisse, Auctor est Livius: *I lictor, colliga manus,caput obnubito, arbori infelici suspendito.* Crucem illi infelicem arborẽ non eo tantùm vocabant, quòd in ea suspensos redderet infelices; verùm etiam,quòd ex infelici,infructuosâ, atq; adeo inferis Dijs sacrâ arbore crux fabricari soleret. Quanta probrositas, & contemptio inest Furcæ transversis lignis erectæ ad *crimina probrosâ damnificanda cruce*: tanta ignominia & despectus redundant in Crucem calamitosâ, si communem sæculi sensũ spectes. At verò singularis est Andreas,qui semotâ quâcunque abjectione,vel vilipendio, Crucem pretiosam & honorificentissimam salutat. *Salve Crux pretiosa! Salve*

S. Chrysost. serm. de latr.

Lactantius de Verb. sap. l. 4. c. 26.

Eusebius de praparat. l. 6. c. 6.

Cicero act. 7. in Verrem.

aut tauri conspectum: leo tamen, lupus & taurus, si videantur in mari, non timorem, sed amorem & delectationem efficiunt; ut in suo Hexaëmeron docet Ambrosius, & hoc ipsum experientia confirmat. Antequam Christus ascenderet Crucẽ, erat illi terrenũ, terriculamentũ & timorem incutiebat terrenũ: venit verò Christ⁹ *in altitudinẽ maris*, in mare Passionis suæ, ut Crucis horrorem mutaret in affectionem & delectationem: quod quidem effecit ac præstitit; quemadmodum expertus nos monuit S. Andreas. Non omnes hunc erga Crucem amorem concipiunt, nec ex ea omnes dulcedinem hauriunt, aut voluptatem; quia scilicet non in mari Passionis Christi, sed in terra hujus mundi Crucem quærunt. Quæsivit S. Andreas Crucem: *O bona Crux, quæ decorem & pulchritudinem de membris Domini suscepisti; diu desiderata, sollicitè amata, sine intermissione quæsita.* Addit verò: *Accipe me ab hominibus, & redde me Magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit.* Recurrit ad mare Passionis, in quo reperit Crucem, non horribilem, ut falsò sibi persuadebat Ægeas, sed totam charam & amabilem; in cujus amorem raptus Andreas, nos omnes secum rapere contendit. *Ego si Crucis patibulum expavescerem, Crucis gloriam non prædicarem.*

Erat S. Andreas, quasi Luna; quæ præcipuum suum splendorem à Sole accipit; imò in obscuro suo Novilunio non fatigatur à motu, non retardatur à sua excentrica spira, sed *IUNGI PROPERAT* cum Sole usque ad eclipsin. Andreas suum recipiebat splendorem à Cruce, ad quam properabat ardenter; nec volebat separari, quousq; mors dolorosa & lenta eum ex hoc mortalium circulo excentricaret. Imò cùm vellent ipsum ab hâc coniunctione separare, aut impedire, urgebat vehementiùs cursũ, & affectuosiùs precabatur Deum: *Deus meus, ne me permittas ab impio Iudice deponi. Tempus est, ut commendetur terra corpus meum, & me ad te venire jubeas.*

7. Crux omnibus dolorem, soli Andreæ delicias parat.

Est & alia antithesis sub Sole, quam non possunt capere homines mundani; nec sciunt, quî contingere valeat, ut qui portant Crucem Christi, cælestes in ea reperiant delicias, & saturitate gaudiorum in eâ perfruantur: rem hanc censent esse impossibilem. At verò piâ singularitate insolens S. Andreas magis exultat in Cruce, quàm reges deliciantur in throno: exultat in Cruce, ubi non unum vel alterum, sed omne gaudium invenit; & suadet prædicatione atque exemplo, ut existimemus omne gaudium nobis obvenire, cùm in varias crucis tentationes inciderimus: nam & ipse cum sanctâ Cruce locutus, ait: *Sciris enim à credentibus, quanta in te gaudia habeas.* Celat natura suas divitias, & dulcedines abscondit inter inaccessa antemuralia: fodiat terram, & excavet montium viscera, qui auri & argenti pretia sectatur; conclusas expugnet conchas, qui margaritas quærit. Novit etiam gratia suas occultare opes, & propterea cælorum Regnum cum thesauro recondito comparatur: novit cælestes suas voluptates validis continere saerarijs; quæ cùm paulisper penetraret Psaltes, præ admiratione exclamat: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te!* Psal. 30. v. 20. Hæc supernarum deliciarum suavitas, & gaudiorum cælestium dulcedo, ut magis esset occulta atq; secreta, eo loco reposita latet, ubi minùs humanum cogitârit ingenium: nempe reposita est in Cruce, quæ videretur subsistere ex opposita regione gaudij, ex transverso lætitiæ puncto. Interim nihil occultum amanti; nec amanti natura celare potuit suas metallorum opes, aut concha suas occlusas margaritas: sic nec occultum quidpiam amanti Andreæ, qui caluit gratiâ saerariâ, ac proinde penetravit sacræ Crucis mysteria, deprehenditq; sub cortice ligni contineri gaudia cælestia; ideoq; sub suavissimo Crucis amplexu ait: *Sciris enim à credentibus, quanta in te gaudia habeas.* Hinc nemo quisquã tanto animi ardore, tanto cordis affectu, tanto spirituum impetu in Mexicanas involaret aurifodinas, in gẽmas Peruanas manus injiceret; quanto hic gloriosissimus Christi Athleta in Crucem exarserit: nam ut Divus Bernardus testatur. *Ubi paratum sibi*

sibi lignum intuitus est, ex hoc jam planè totus ignescens, applaudebat, & blandiebatur illi Amata sua (ut nullus sponsus sponsæ suæ, aut procus amasiæ) *officiosissimè salutabat, clamans magis affectione, quàm voce: Salve Crux pretiosa, quæ decorem & pulchritudinem de membris Domini accepisti.*

8. Denique crux tam pretiosa est, tam delectabilis, tam decora & venusta, tam honora & amabilis; ut, cùm Christus omnia sua velut solemni testamento legâsset, militibus vestimenta, Judæis corpus, Patri spiritum, Virgini paranymphum, Latroni paradisum, discipulo matrem, Ecclesiæ meritum, sibi reservârit Crucem; eámque præ omni Salomonis lectulo habuerit charissimam, atque extremum in eâ spiritum exhalârit. Quem S. Andreas, tótque invicti pugiles, qui in Cruce & tormentis animam Deo reddiderunt, fortes & invicti secuti sunt, ut reportarent imarcessibilem gloriæ coronam. Enumerat Paulus ad Hebræos hæc cruciatuum genera, quæ generosissimi Athletæ pro Christo subierunt: *alij*, inquit, *distenti sunt, alij verò ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt; circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti.* Et cùm nonnullis cruciatuum occasio non faveret, ita tamen diligendo Crucem imitati sunt Andream, ut suam gloriam & consolationem in solâ Cruce reposuerint; non *inimici*, sed jucundissimi *amici Crucis Christi.* Certè Seraphicus P. noster Franciscus in Crucis mysterio omnem suam vivendi instituit rationem, & Crucis signum per universum Orbem erexit adorandum; talésque in spiritu generavit filios, qui cum Paulo in sola Cruce Domini nostri JESU Christi gloriarentur. Ex ejus instituto videre est, S. Didacum in Insulis Philippinis Crucem prædicare, & inter suavissimos Crucis amplexus animam Deo reddere: videre est, B. Joannem Capistranum sub volante Crucis vexillo contra potentissimos Turcarum infensissimorum Christi hostium insultus, quadraginta millia Crucigerorum in Pannoniam educere, & Crucis virtute mirabiliter triumphare: videre est, S. Petrum de Alcantara in Iberiæ Regnis coram Crucis trabe frequenter in extasin rapi, & altùm in raptu evolare: videre est, B. Franciscum Solanum in vastissimis Peruani orbis regionibus cum Cruce erectum prædicare, & incomparabili animarum fructu inter gentes repetere parœmiam: *stat Crux, et nostra salus.* Videre tandem est, totam hanc Christo in Cruce confixi Francisci Familiam, præ reliquis Religiosis Ordinibus *Crucis gloriam prædicare.* Sed verò non omnibus datum est, adire Corinthum: paucis ampliùs contingit Martyrij gloria, crucis supplicium. De *Crucigerorum* tamen *Ordine* suos omnes Fideles vult esse Christus, quos paternè hortatur: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me.* Non eritis primi in cruce, morte & martyrio: ego dux vobis præibo; quare me præeuntem sequamini duntaxat: ego enim vobis non tantùm exemplo, sed & auxilio meo antecedam, ac certos vos faciam de triumpho & corona, si me sequi & gratiæ meæ cooperari velitis. Magnus militi est stimulus prævium ducis exemplum. Sic Cato præiens militibus per Lybicas arenas, aiebat: *Pericula vestra pratentat meo; nihil enim jubebo, nisi quod priùs fecero; nihil præcipiam, nisi ejus vobis ipse dux & auctor fuero.* Vnde Lucas addit, *quotidie*; ut significet, omni die, & sæpè omni horâ, aliquid molesti cuilibet occursurum, quod fortiter & patienter tolerare oporteat, idque continuò per totam vitam: ac proinde cuilibet vivendum esse in cruce, & moriendum in Cruce cum Christo. Cruces argenteæ, cruces aureæ & gemmeæ, apud mortales hoc majori in pretio habentur, quò majores, quò ponderosiores ac graviores librantur; ita & cruces pro Christo toleratæ, quantò sunt graviores, tantò etiã pretiosiores æstimantur. Plùs placet Deo summo artifici amorosa tolerantia, quam in tribulationibus, morbis, miserijs, paupertate, fame, siti, aliisque

Va-

Crux alacriter ferenda, quàm Christus prætulit.

Hebr. 11. v. 35.

Matth. 16. v. 24.

varijs animi motibus ac turbationibus comprobant fideles, quàm alicui artifici aurum materiale. Et ut alias omnes reponam cruces, juxta S. Augustinum, *Pretiosa in conspectu Dei & gloriosa Crux, cogitationes malas in potestatem redigere, voluntates proprias abnegare, easque interiori examine discutere, & regentis Imperio subjugare.* Cruces apud Superos in tanto sunt pretio, ut stellis coronentur: quod ostensum est in morte S. Eusebiæ Virginis Romanæ, ut genere, ita virtute nobilis. Hæc enim à paternâ domo & mundi delicijs profugerat, ut & castitatem illibatam, Christóque datam ceu Sponso fidem servaret; tandémque multis in religiosâ conversatione perfuncta laboribus ac cruciatibus, diem suam piè ac sanctè objerat. Cùm ecce! illustre tibi è Cælo prodigium: ipso in meridie, alto sole, sudóque aëre, apparuit corona è stellis micantibus contexta, in cujus medio Crux erat miri candoris. Et hæc è cælis Imago; quâ omnibus pateat, Crucem stellis undique cingi, & à cruce ad coronas, ad stellas gradum fieri; tantóque apud Superos in pretio esse cruces, ut stellis coronentur.

S. August. serm. 10. Nativ. S. Ioan. Bapt.

Bollandus 14. Feb.

Nemo jam est ampliùs, qui piâ hac S. Andreæ insolentiâ non erectus, crucem horreat, aut omni conatu à suis finibus abigat, ne prematur: quin potiùs, velut Loxius rostro & unguibus, hac trabe reptet, & cum S. Andreæ suavissimo osculo eam salutet, & imitatione veri Christiani quamcunque afflictionem pro Dei gloria, & Christi amore sustinens, corde pleno & perfectò dicat, *Stat Cruce nostra salus.* Amen.

IN FESTO S. NICOLAI CONFESSORIS PONTIFICIS.

PLUMAE IN PILEIS SPECIOSÆ.

Schöne Federn auff dem Hut.

LEMMA.

Heu melior quantò sors tua sorte meâ est! Ovid. 4. Fast.

THEMA.

Vni dedit quinque talenta, alij duo, alij verò unum. Matth. 25. v. 15.

SYNOPSIS CONCIONIS LX.

Qui pileo & cristis caret, hodie inexhaustæ Grandævi Nicolai Liberalitati supplicet: ab eo enim non pileum duntaxat, sed etiam plumas & talentum recipiet, quo possit quilibet contentus, & debeat vivere officiosus.

9. *Talentum cuique suum à Deo tribuitur.*



Quanta hodie in Germaniæ partibus inter Liberos expectatio? quanta præparatio ad recipienda B. Nicolai, liberalissimi ac munificentissimi Senis, munuscula? B. Nicolaum Episcopum Myrensem, virum miraculis in vitâ & post mortem clarissimum, pro suo venerantur Patrono, ejúsque perenni liberalitati

ti exponunt patinas, queîs noctu imposita à D. Nicolao munera recipiant evigilantes. Pius est parentum dolus, quo filios filiásq; in devotione & virtute instruant, dum ijs clanculum sub nomine S. Nicolai, pro cujusvis indole & propensione, diversa imponunt munera: sic enim Pater filio librum spiritualem imponit, ut eum ad suscipiendum Canonicatum suaviter inducat; aut cingulum militare, cristam & pugionem, ut militiam suadeat; aut claves ac pecuniarum marsupium, ut ad familiam administrandam disponat; aut calamum auro obductum, ut archigrammatæam rutilare faciat; aut denique limam aut malleum, ut fabrilia arrideant; & sic suum cuilibet talentum tradit, quo tanquam illecebrâ ad suum quisq; statum amplectendum excitetur. Puerile hoc gaudium à S. Nicolao Episcopo sumpsit exordium, qui tribus filiabus jamjam ob egestatem prostituendis, noctu per fenestram tantum pecuniæ numerum clam imposuit, quantus singulis sufficeret, ut honestis viris in matrimonium elocari possent. Ejusmodi Nicolaus, & primus quidem ac maximus Dominus, *Antiquus* ille *dierum*, Deus est; qui nobis filijs suis, quos ad diversos elegit, ac destinavit hominum status, singulis convenientia distribuit talenta. *Et uni quidẽ dedit quinque talenta, alij duo, alij verò unum: unicuique juxta propriam virtutem*; ita ut nemo de illo possit conqueri, quamvis pauciora vel viliora acceperit. Nempe gratias gratis datas, & status suos, ut Magistratum, Episcopatum, Apostolatum, Sacerdotium, Cælibatum, &c. sæpè Deus viribus naturæ contemperat; nec aliquem ad statum aut gradum eligit, nisi ei ferendo par sit, & naturâ idoneus, aut quem ipse idoneum faciat. Porrò alius plura, alius pauciora Dei dona accipit: nam ut S. Gregorius ait: *Nullus est, qui veraciter dicat, talentum minimè accepi; non est, unde rationes ponere cogar. Talenti enim nomine cuilibet pauperi etiam hoc ipsum reputabitur, quod vel minimum accepit.* Multis enim majus Dei donum, & ad salutem utilius, est paupertas quàm opulentia, infirmitas quàm sanitas, humilis status quàm sublimis. Certè S. Paulus quasi quinque talenta seu dona à Deo accepit, scilicet donum linguarum, potestatem miraculorum, Apostolatum, zelum animarum, efficaciam prædicandi: Timotheus verò accepit quasi duo, scilicet scientiam Scripturarum, & Ephesinum Episcopatum: Onesimus verò unum, scilicet studium ministrandi S. Paulo Romæ incarcerato; perquod meruit plura alia, scilicet Episcopatum Colossensem, & multorum conversionem, ipsum denique martyrium. Et laudatur frugalitas servi, acceptis quinque talentis lucrantis alia quinque. Ea verò est humanæ æmulationis iniquitas, ut pauci suo statu, suâque sorte sint contenti; sed luscis oculis unus alterum contuens, dicat: HEU QUANTO MELIOR SORS TUA SORTE MEA EST! Ego verò meo hodie fungar officio, avitâ liberalitate ex S. Nicolai muneribus, miro splendore coloratas Avium pennas cujusque vestrûm Pileo impositurus; ut quilibet vestrûm splendidas hasce plumas suo pileo superbè circumgerens, dicat: *Ego meâ sorte, meóque talento contentus vivo.* His auscultate auribus, & hæc videte oculis vestris, AA. in nomine omnia videntis Dei.

Breviarium Rom.

Daniel. 7. v. 9.

S. Gregorius hom. 9. in Evang.

10\. Tam fastidiosa est humanæ sortis participatio, ut vix ullus nobis possit hodie obtingere status, quem die crastino non velimus meliore mutare. Nimirum *fertilior seges est alieno semper in agro.* Et semper melior jucundiórque nobis apparet aliena conditio, præsertim si inferioris & tenuioris simus fortunæ. Ubi apologus, sale benè conditus, serviet de Pavone & Philomela. Pavo oculato suo syrmate, & versicoloribus plumis pulcherrima avis, Philomelam audierat suavissimè modulantem; & illicò Junonem Deam suam adijt, plangens, & dicens: obsecro te, Dea mea, unam mihi gratiam concede, ut in cantu Philomelam æmulari possim; aliàs præ dolore & confusione moriar. Cui Juno respondit: ut sic picturatis plu-

Proprium est homini, non velle suâ sorte contentum vivere.

Ovid. l. 1. de arte.

plumis contentus esset, sicut luscinia cantu suo: cum enim in perpetuo victurum cruciatu, qui cujusque bonum semper sibi exoptat. Quod inquietum malum Cælo deturbatum, primos Paradisi incolas, totámque eorum posteritatem afflavit; adeò ut jam supra 5000. annos nunquam in eodem statu velimus manere, sed continuò ad meliorem felicitatis tesseram transilire. Natus patre mercatore, mallet nobili prodiisse; deformis vellet speciosus, pauper dives, mediocris ingenio subtilis natus esse. Quid? Quam sortem ipsi nobis fabricavimus, cras aversamur, & detestamur! Quot sunt, qui hodie matrimonij vinculis illigantur, quos tertio, vel quarto die, imperiosam fortè uxorem, aut quas turbidum & temulentum maritum nactas, suæ sortis pœnitere incipiet? *Heu! quantò*, clamant, *melior sors tua sorte meâ est!* Est, qui militiæ nomen dedit, ubi penuriam, pericula & labores expertus, lamentatur irreconciliabiliter, se duci belli sacramentum dixisse: ubi econtra Mercator, audiens in mari periclitari merces, prælegeret militiam, in qua *Momento aut cita mors venit, aut victoria læta*. Causidicus clientum & consulentium importunitatibus inquietatus, somnũ abrumpere, & prandium dimittere dum cogitur, vitam rusticam laudat, & quietam in Tusculano conversationem; ubi econtra rusticus mallet respicere à tergo aratrum, & pallidos agriculturæ sudores abstergere, ut in urbe civium otio ac consolatione frueretur. Est, qui spretis Mundi ineptijs in sortem Domini vivit adscriptus; sed tædio victus, & solatio omni subtracto, respicit ad ollas carnium in Ægypto relictas; ubi econtra sæculares homines Religiosorum æmulantur felicitates, & manibus pedibúsque vellent in Monasteria festpendo intrare. Qui Aulæ emolumenta gustârunt, ita saturantur opprobrijs, ut mallent felicitatẽ suam cum privato commutare; ubi interim privatus ex plebe felicem se æstimaret, si posset ad Aulæ servitia accomodari. Hujus vertumnalis genij ethypon gallinulæ exhibent: illæ enim, quæ caveis sunt inclusæ, ad libertatem aspirant foras exire, protenso collo per cancellos: quæ verò foris vagantur liberæ, ad caveam accurrunt, & immisso capite sese intrudere satagunt. Talis est humani generis inquietudo, quâ unusquisque judicet, alienam sortem suâ esse feliciorem; & talentum alteri concessum, suo præponderare. Et hi omnes mihi similes videntur illi Asino Æsopico, qui cùm in dies tanto oneri portando gravaretur, ut propè succumberet moli, insuper inediâ confectus, verberibus urgeretur; equum fortè in pinguibus pascuis pabulabundum conspicatus, beatam ejus sortem deprædicavit, suámque miseriam & intolerandam servitutem exaggerans dixit: *Heu melior quantò sors tua sorte meâ est!* Dum verò non multò pòst equisonem accurrentem vidit, qui equi ora lupatis constringeret, eóque conscenso calcaribus ad sanguinem stimularet, cúmque ad prælia, ad vulnera, ad mortem audiret duci; sorte suâ satis bene contentus, ingentes Dijs retulit gratias, *quòd non se equum, sed asinum fecissent.*

Horat. l. 1. sat. 1.

II. Omnes hominum status à Deo promanant.

Et verò supremus ille Paterfamilias, grandævus Nicolaus, sua dona distribuit, prout vult; & *uni quidem dedit quinque talenta, alij duo, alij verò unum: unicuique juxta propriam virtutem*, & prout voluit, & ipsa rei perfectio juxta præsentes circumstantias popóscit. *Pusillum enim & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus*: quemadmodum pictor, aut fictor, non minus artis & industriæ in nano perfectè efformando, quàm in Rhodio Colosso, non minus in opilione, quàm in rege effingendo demonstrat. Nec inde quis potest conqueri de injuriâ, cur mecum sic agis: cur tam parum mihi tribuisti, támque humile & despectum; alteri verò tam excellens, tam sumptuosum & spectabile addidisti? *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in*

Matth. 25. v. 15.

Sap. 6. v. 8.

Rom. 9. v. 20.

in honorem, aliud verò in contumeliam? Nempe Deus in singulos homines, imò in omnes creaturas jus habet, ut eas conservet vel perimat, & in nihilum redigat; ijsutatur ad splendida vel abjecta, ad speciosa vel deformia, ad sublimia vel profunda: nec quisquam potest conqueri de injuriâ, aut rationem factorum exigere. Imò jus Dei in creaturas est longè præstantius, quàm figuli in sua vasa fictilia: nam creatura pendet à solo Deo quoad omnia; in quo est, agit, vivit & conservatur: & quidem pendet longè magis, quàm radius à sole, lumen à candela, intellectio & volitio ab anima, visio ab oculo, umbra à luce. Fictile verò non à solo figulo pendet, sed etiam ab argilla, ex qua constat; ab aquâ, qua maceratur, & tractabile redditur; à rota, qua formatur; ab igne, quo excoquitur & induratur: quibus omnibus non minùs, quàm figulo debet, qui solùm per motum localem illa applicat, per se autem nihil tribuit. Sapienter proinde omnia Divina disposuit Providentia; cui ut quisque pro suo talento accepto acquiescat, monet Doctor Gentium. *Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat:* (*1. Corinth. 7. v. 20.*) sitque contentus suo statu, ad quem Deus ipsum ordinavit. Quid enim, si in bello omnes essent duces, aut omnes gregarij? Quid si in civitate, aut politicâ hominum conversatione omnes essent agricolæ, fossores, fabri, cæmentarij, victores, ferratores, sartores, pistores, praxatores? Quid si in Aula omnes essent nobiles, ephebi, grandes, famuli honorarij? Quis tunc excubias agere, aciem instruere, agros colere, serere, metere, panes pinsere, cerevisiam coquere, ædes exstruere, vestes & calceos suppeditare aggredietur? Vt solerter observavit Theodoretus, dicens: (*Theodoretus, Orat. 5. de Provident.*) [Quo pacto, si omnes æquales sint, & omnes opibus abundent, necessariorum inopiam & usum homines sarcient? Aut quis, si eâdem cum reliquis abundantiâ instructus sit, alteri servire velit? Quis, inquam, igni assidere, opsonia parare? quis item panes coquere, & mollâ triticum conterere, nisi inopiâ & egestate cogatur, sustinebit?] Non constat Mundus iste magnus ex ejusdem speciei corporibus, sed cælis, stellis, elementis, & horum mixtis; ad hoc, ut tam elegans opus in laudem sui Conditoris resultet: ita nec Mundus Politicus consurgit ex ejusdem conditionis hominibus, sed diversi hominum status politicam Hierarchiam constituunt. Verissimè Seneca: *Omne hoc, quod vides*, inquit, *quo divina atque humana conclusa sunt; unum est; membra sumus corporis magni.* (*Seneca Ep. 59.*) Domini, oculi sunt; opifices, manus; pedes, famuli: quodque membrum suâ conditione contentum, rectè suo munere fungatur; & *in qua vocatione vocatum est, in ea permaneat.*]

12. *Capitis tegumenta & ornamenta producuntur.*

Quare accedant, qui à grandævo Nicolao imposita volunt reportare talenta; talenta plumis, & cristis diversicoloribus speciosa, & cujusvis capiti accommodata. Quàm varios pileos pro capitis integumento produxit ars, egestate, vel curiositate compulsa: cui tamen & ipsa morigerata honestas miros contulit splendores! Romanorum Galerus, Macedonum Causia, Atheniensium Crobylus, Persarum Tiara, Græcorum Corybanthius, Garamantarum dimidiatum Struthionis Ovum, Æthiopum Petasus decem hominibus inumbrandis par futurus, Moscorum albi ex lanâ coacti Apices, (*Reynaudus in puiolog.*) Turcarum in fasciam complicati Turbantes, Tartarorum pellicea Involucra, Polonorum Castorea & Zibellina tegmina, Russorum aureis spirulis mirè concinnatum Schapka, Afrorum multicolor Fascia, Armeniorum oblongæ Cidaris, Medorum lineæ Phaceolide; insuper Doctorum rotunda, & Sacerdotum quadrata Birreta, Pontificum tricoronis mitra, Cardinalium ruber Galerus, bicornis Episcoporum Infula, antiqua Canonicorum Almutia; sed & Principum Diademata Sacra, Militū impenetrabiles galeæ, profundi Monachorum Cuculli, communes singulorum Camelauchi, miram præstant omnibus Nationibus de capitis tegumentis fandi materiam. Et verò quan-

quanta in solis nostris quotidianis pileis passim observatur capitum diversitas? Quibusdam pilei acuuntur in conum, sicut apud Hebræos: alij prælatam turrim cum parvâ margine imponnnt capiti, sicut Hispani: quidam & cavam partem contrahunt, & marginem vix ad transversos tres digitos dilatant, ut Gothi; nonnulli late rotundam, sed pressam circumgerunt ollam, amplissimâ margine umbratam, utGalli & Sabaudi: alij de omni pileorum formâ sibi quodlibetales assumunt figuras, ut Germani. Vidi sæpiùs pileos circumgeri, quorum cavitas vix unum gallinæ ovum caperet. Plurimi sibi complacent, si eorum pilei sint birsuti, lanigeri, & villosi; alij econtra de tersis, & ad instar holoserici subtiliter deplanatis pileis gratulantur. Arrident non paucis pileorum margines inflexæ, & globulis aut spirulis complicatæ, quibus nunc ad dextram, nunc ad sinistram, nunc etiam ad sinciput positis mirè erecti superbiunt; alij econtra margines in acutas efformant naves, aut certè in alas dependere sinunt; ut ipsis stet liberum, vel evolare super caput, vel enatare. Jam verò quantus spirarum luxus super pileos, quos auri, argenti, gemmarum, serici, & variarum tincturarum concinnata subtilitas miro splendore & apparentiâ donat? Accedunt cristæ & plumæ super pileos, talem conferentes capiti splendorem, qualem nec Chares in suis frontibus poterant invenire. Ea enim est volatilium in pennis suis speciositas, ut quas humana Industria imitari non potest volando, Ingenuitas æmuletur superbiendo; tantóque in pretio servet, ut eas dignissimæ totius corporis parti, nempe Capiti, ad præferendum quendam festivum splendorem imponat. Videre est super pileos hominum, nunc gemmeas pennas Pavonum, *picta spectacula caudæ*; nunc concinnulas Struthionum plumas; nunc pretiosas Ardearum insidias; nunc vivaces Psittacorum colores; nunc rectilineares Phasianorum calamos; nunc falcatas Gallinaceorum cristas; nunc alios alitum lepores; quibus sumptuosè gestis indicare volunt, se tam volatiles conceptus agitare in cerebro, quam circinatulæ plumæ eis circumvolant in pileo.

Proinde observatum est à plerisque, quòd vix unquam unus alteri ita rectè & accomodè super caput imponat pileum, quin immediatè is pileum denuò moveat, & suæ opportunitati rectè accomodet. Contingit idipsum Deo, grandævo Nicolao, ut, quantácunque liberalitate sua dona & talenta hominibus largiatur, eadem tamen paucis videantur accomoda & opportuna accidere; cùm plerique aliter, quàm à Deo fuerint concessa, talentum & statum sibi applicare conentur. Verbo: Pauci suâ sorte, & sui statûs felicitate contenti esse videntur. Est, cui Deus pro suo talento imposuit pileum villosum, & arcuatis galli cristis spectabilem; ut scilicet humili & laborioso sanguine natus, vigilias ducat super greges pecorum suorum, in sudore vultûs sui ad aratrum consistens terram colat, atque insomnibus Agriculturæ laboribus exhorrescat, segetésque maturas acutâ falce succidat. At verò importuna cadit huic pilei impositio; unde movere, & removere nititur; de statu quietiore consultare, civium felicitati invidere, domicilium intra mœnia transportare nititur: non placet hirsutus pileus, non falcatæ plumæ, non status servilis & laboriosus, non sors Rustica. *Heu! quantò melior sors tua sorte meâ est?* At verò *unusquisque, in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* Habent hi, quòd sorte suâ contenti, negotientur circa talentum suum; præsertim si ipsum mundi Artificem, Christum fabri filium, & fabrilem artem in sudore vultûs exercentem, sibi proponant. Parùm refert, qualem in comœdia personam exhibeas, Rustici an Regis, aut Doctoris; sæpè accidit, ut qui Rusticum agit, magis delectet Auditores, majorémque obtineat plausum, quàm qui Regem exhibet: nam difficilius est, hominem naturâ ad alta natum, gloriæque cupidum, agere personam humilem, quàm sublimem;

15. Rustici & se vi sint contenti pileo villoso, ac falcatis galli cristis.

unde etiam agendo humilem, potiori fruitur laude, quàm agendo sublimem. Quo fiet, ut quæ putamus ignobiliora esse membra corporis, his ampliorem honorem Deus conferat: multi enim Rustici nunc cum S. Isidoro in Cælis triumphant, & longè honorantur super Reges & Principes; quibus si pinguiori fortunâ frui licuisset, ex eo numero expuncti, & æternâ gloriâ destituti, miserè perijssent. Quis enim nescit, longè securiùs esse incedere super agrum, quàm super pinnacula turrium? dirigere aratrum, quàm præsidere in theatro? percutere virgâ gregem, quàm gravari sceptro Regem? subesse, quàm præesse? laborare cum operarijs, quàm otiari cum honorarijs? Quo examine quidam Eremicola suum instruxit Nepotem, & à suscipienda Episcopali infula absterruit; cui post mortem apparens gratias egit, & dixit: *Scito, quia nunc essem de numero damnatorum, si fuissem de numero Episcoporum.* Et reverâ postquam S. Paulus monuit, quemvis in suâ vocatione permanere, argumentum suum exemplificat. *Servus vocatus es, non sit tibi curæ: sed & si potes fieri liber, magis utere.* Quæ Doctor Angelicus sic exponit: *Non sit tibi curæ; sed potiùs, si potes fieri liber, maneas in servitute; quæ causa est humilitatis,* imò & salutis: *quia servitus, & libertas sunt in Domino ad salutem; sed solùm debemus esse solliciti de pertinentibus ad salutem; ergò pro indifferenti debet nobis esse servitus, & libertas:* atque in ea manere, quando ad eam vocatus es; neque debet eum sui statûs tædere, aut pœnitere suæ servitutis. Nam juxta Apostolum, *qui à Domino vocatus est servus, libertus est Domini; similiter qui libertus vocatus est, servus est Christi.* Et talis à servitute peccati liberatus est à Domino: & tales servi, liberti libertate spirituali, longè suâ excellentiâ & statûs sui conditione superant dominos, servos & mancipia peccati; è quibus plurimi æterno diaboli mancipatu & tyrannide damnantur, servis libertate spirituali fruentibus, & æternæ libertati adscriptis.

S. Hieronymus in Reg. Sanctimonial. c. 5.

S. Thomas super. 1. Corinth.

14. Alteri Deus pro S. Nicolai talento imposuit Russenicum Schapka, cum obscuris graculi, aut cornicis pennis. Mira irrumpit obgannientium homuncionum murmurmatio: hic se luscum, ille fuscum, alter gibbosum, nonnulli nasum simum, crassiora labia, rufos capillos, oculos glaucos, faciem denique variolis, bustulis, stigmatibus, aut alio vitio deturpatam, tum corporis statum brevem, pigmæam, gibbosam, claudicantem, fractam, deformem, defectuosam, amarissimè lamentantur, Deúmque authorem amarissimè calumniantur; ut quid sibi non formam Helenæ aut Adonidis, non Narcissuli venustatem, sed Mopsi deformitatem, aut Marcolphi monstrositatem contulerit: cúmque etiam inferioris notæ, aut conditionis personam talis viderit, corporis robore, formâ, integritate, & complexione præcellere: *Heu,* clamat, *quantò melior sors tua sorte meâ est!* apage cum Russenica ista Schapka, cum maculosis & pullis Cornicum, ac Graculorum pennis: arrident magis Psittacorum ornatissimi amictus, vivacissimi colores, jucundissimæ pennæ: placet potiùs inutili fæmellæ, collo suo candorem cygni, linguâ picæ garrulitatem, vestibus pavonis varietatem, *quæ* Tertulliano teste, *multicolor & discolor & versicolor, nunquam ipsa, semper alia, toties mutanda, quoties movenda,* imitari, & nunquam suâ sorte, suóque statu contentam vivere. At verò quàm stultæ hæ mortalium, quibus se excruciant, querimoniæ circa formæ elegantiam, corporis robur, membrorum integritatem, humorum temperamentum, & naturalium potentiarum inclinationem atque perfectionem. Non capit Romanus Philosophus, in virum sapientem & constantem cadere posse, ut de talentis à Deo sibi numero simplici vel replicato concessis conqueratur, atque se à brutis animantibus pulchritudine & naturali virtute exsuperari contendat, molestéque ferat. [Vide, inquit, quàm iniqui sint Divinorum munerum æstimatores; & quidem professi sapientiam: queruntur, quòd

Corpore deformes, aut imperfecti, sint contenti & consolati.

Tertull. de pallio, c. 3.

Seneca. l. 2. de Benefic. c. 29.

non

non magnitudine corporum æquemus elephantes, velocitate cervos, levitate aves, impetu tauros; quòd solidior sit cutis belluis, decentior damis, densior ursis: quòd sagacitate narium nos canes vincant; quòd acie luminum aquilæ, spatio ætatis corvi, multa animalia nandi facilitate. Vix sibi temperant, quin eousque impudentiæ provehantur, ut naturam oderint, quòd infra Deos sumus, quòd non in æquo illis steterimus.] O stulti corde, qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem? Si non accepisti, quæ optas, corporis talenta; si non potes ad staturam tuam adjicere cubitum unum, cogita, Deum te sic creâsse, sic donâsse; cujus suavi dispositioni non possis resistere. Clama tandem, & causâ rejice in Conditorem: dic pari voce & conatu, pari jure illud Psalmi cum qualificatis: *Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus; ipse fecit nos, & non ipsi nos*; qui si voluisset, potuisset me formosiorem, robustiorem, perfectiorem formare in utero. Et quid speciale adderet elegantiæ decor, corporis venustas? Si Paterfamilias opulentus est in intimis ædium suarum cubiculis, quid denique juvat coloratus parietum aspectus? Et si Anima in corpore deformi bona sit, Deoque virtutibus placens, quid juvat corruptibilis formæ corporeæ decor? Propterea formæ venustatem multi occultârunt, ne amittendæ internæ pulchritudinis subirent periculum, aut jacturam. Contingit, animam peccatis enormibus planè deformissimam, sub deliciosissimo corpore dæmonibus reddi simillimam, Deo exosam. Proh! miseram sortem! At verò *omnis pulchritudo filiæ regis ab intus*, ut sit Deo grata, diabolo exosa, despicit ea, quæ sunt putredinis & corruptelæ. Ergò Russenorum Schapka, & Graculorum ac Cornicum obscurus decor, vobis sint æquè splendori, quàm colorata Psittacorum garrulitas, aut inanis speciositas.

Psal. 99. v. 3.

15. Nobiles non aspirent iniquè ad altiora.

Nonnullis Deus pro S. Nicolai munere imposuit pileum Castoreum, cum inflexa margine, & plumis struthionis; hi quidem mirum in modum avitâ suâ nobilitate, tam illustri sanguine partâ, tot fortunis potente, tot rebus egregiè gestis ornatâ, tam arduis virtutibus clarâ gloriantur; sed non contentantur. Fasciculum ex Ardearum pennulis colligunt, ad altiora aspirant; ad diademata & coronas iniquè nituntur, non advertentes pericula & difficultates, quibus diademata malè parta appretiantur: quorum tanta est apud omnes gentes Religio, ut illa vel in necessitate suo imposuisse capiti, læsæ Majestatis crimen fuerit habitum, & morte luendum. Vt contigit illi nautæ, qui desiliens in mare, ut Alexandri diadema in aquas prolapsum educeret, cùm illius conservandi gratiâ suo capiti inter natandum illud imposuisset, ita præmio luculento ob receptum diadema donatus est, ut mox sit proprio capite diminutus. Tantâ recognitione donatus est ille nauta, simplici intentione imponens sibi diadema, ut illi ex submersione eriperet: quid mirum, si nostro sæculo ab invictissimo Imperatore Leopoldo nonnulli Illustrissimi Comites pari capitis diminutione justissimè sunt plexi, eò quòd per iniquissima media Provinciarum ac Regnorum diadematibus insidiari deprehenderentur. Non diffiteor, arduarum esse mentium, ad altiora aspirare, familiam suam extollere, sibi suæque posteritati clarissimas ceras affigere; si per scientias excellentes, per probatas virtutes, per publicas functiones, per legitimas fortunas datum sit, sibi alas conficere ad altè volandum: at verò per dolos & fraudes, per delicta & demerita, per proditiones & latrocinia, ad sublimiores gradus evolare, quid improbitatis? Contenti vivant gemmâ nobilitatis, quotquot hoc splendore à Deo vel per nativam hæreditatem, vel per viam gratiæ humanæ insigniti, sub alis magnæ Aquilæ proteguntur. Debent se illustres & spectatæ Personæ gerere erga dignitates, quasi starent ad focum; ad quem omnes observant, ut *NEC PROPE, NEC PROCUL* se habeant. Conceptum suggerit Antisthenes, qui interro-

Arrianus l. 7. Alex. Neapol. l. 1. c. 4. 18.

roganti: *Quomodo ad Rempublicam capessendam sit eundum?* Respondit: *velut ad ignem, ne nimis admotus exuraris, procul amotus frigescas.* Idipsum advertit

Sid. Apollinaris l. 5. Ep. 8.

SidoniusApollinaris in suo Fedicio sic. *Igitur si quid nostratum precatibus acquiescitis, & tuto in patriam receptui canere festina, & assiduitatem tuam periculosa regum familiaritati celer exime: quorum consuetudinem spectatissimus quisq; flammarum naturæ benè comparat; quæ sicut paululum à se remota illuminant, ita satis admota sibi comburunt.* Non aliter Horatius canit.

Horatius l. 1. Ep. 19.

Dulcis inexpertis cultura potentis amici:

Expertus metuet.

Et aptari potest ad propositum, quod Martialis in particularibus amicitijs consulebat.

Martial. l. 12. ad Iul.

Si vitare velis acerba quædam,
Et tristes animi cavere morsus,
Nulli te facias nimis Sodalem.
Gaudebis minùs, & minùs dolebis.

Sed tamen etiam nec cæteri Plebei animũ despondeant ad præstantiorem quandam nobilitatem, qua omnes alios quantumcunque sublimes superare, vel æquare possint, si velint: siquidem apud Deum justi tantùm, & in gratiâ sanctificante constituti, reputantur nobiles. Sic enim vidit S. Franciscus pauperem quendam Angelis circumdatum; nobilem verò, qui longo famulitij syrmate erat stipatus, solum incedentem: pauperi igitur reverentiam exhibuit, nobili reverentiam subtraxit. Quapropter sæpiùs solebat pronuntiare: *Quantus es in oculis Dei, tantus es, & non ampliùs.*

In Chron. S. Francisci.

16. Indocti & Ineruditi sint suâ ignorantiâ contenti.

Sed jam quid video? Ecce! Grandævus noster Largitor munerum, cuipiam ex nostris imposuit pileum stramineum, benè pastinatum, concinnè implexum: sed & super pilei hujus inflexam marginem adjunxit maculosas pennas Bubonis, & Botauri. Is sentiens caput suum stramineo tegmine involutum, stramineas etiam operari influentias. ægrè molestéque sustinet, se non illustriori ingenij acumine, memoriæ tenacitate, & dicendi facultate pollere: ideóque hunc asininum pileum abijcit, & ubi industriâ, studio aut naturæ talentis non potest, saltem pecunijs doctorale Birretum sibi comparat. Hujus rei insigne exemplum refert Raynaudus de Notario quodam Avenionensi, nuperrimè ab omnibus cavillato. Is ab elephantino barritu Notarij nomen meritò nactus, cogitavit promoveri in J. U. Doctorem; homo tricarum fori exteroquin practicatissimus, Canonum autem ac Legum adeò ignarus, ut qui ne lineam quidem è Gratiani aut Justiniani voluminibus usurpâsset oculis. Vt tamen ex imo tabularum forensium subsellio ad altiora faceret gradum, cogitavit de pileo Doctoris obtinendo. Et cùm in Patria desperaret eum honorem, vigentibus inibi præclaris institutis, ad Cavarum Academiam iter arripuit. Interclus o tamen ob luis timorem aditu, ex pacto apud publicæ incolumitatis excubitores, deposuit pecuniam ad emercandum Doctoris titulum necessariam. Post paucarum horarum intercapedinem, nullo interposito examine, homo eo loci prorsus ignotus, accipit diploma, quo renuntiabatur DOMINUS DOCTOR. Vel non intellecto (quippe Latinè scripto) vel ne lecto quidem diplomate, novus ex syngrapha publica Doctor quàm citatissimè regreditur Avenionem; ubi literis, quibus Doctoris titulo decorabatur, communicatis, deprehensus est Medici Doctoris, non Jurisperiti (prout expetiverat) titulo cohonestatus. Res cum effuso risu, multorum sermonibus disseminari cœperat; cùm amicorum suasione consilium inijt, eas literas premendi, & relegendi iter, quod confecerat, ad novum diploma exorandum, quo Juris Utriusque Doctor renuntiaretur. Et factum est ita, postquam pecuniæ summam, novo titulo assequendo necessariam, prodegit in umbraticum titulum; eodem modo & Artium Magister, & S. Theologiæ Doctor, ac Magister in sacra Paginâ renuntiandus, si ad eos quoque titulos adjecisset oculum, & pecuniam convenientem expendere determinâsset. Nempe abjecit stramineum pileum, ut ambitiosè

Raynaudus in Philolog. fol. 619.

tiosè assumeret Doctoralem. Verùm ut & hi indocti atque inculti suo contenti sint talento, audiant & exhorrescant Glossam ordinariam super Matthæum. [*Diabolus multos decepit, honore Magisterij inflatos; quibus pro mercede ambitionis suæ, si pœnitentiam non egerint, apud inferos dabitur LVTEOLA, non autem Aureola; quia talis convenit veris Doctoribus in æternâ gloriâ.*] Et quid, amabo te, hæc naturæ talenta, ad gradum, ad functionem, ad finem, ad quem æterna Providentia te elegit? Si salutis tuæ negotium ingenio, rerum scientiâ, disserendi facundiâ peragеretur, justæ forent querelæ. At contra patet, dæmones ingenio omnes præcellere mortales; & Philosophorum ac Doctorum Principes laudari, ubi non sunt; cruciari, ubi sunt. Non de gentilibus duntaxat ago, sed & de summis in Ecclesia viris, qui ingenij velificantis æstu abrepti, naufragium fecerunt, & evanuerunt in cogitationibus suis: cùm enim meliùs noverint Deum, præmij magnitudinem, Judicis severitatem; ideoque gravius puniuntur, quandoquidem ipsorum scientiæ atque talentis facta lucrificatio non responderit: ut meritò audire debeant illud responsum apud Lucam: *Serve nequam, & piger, sciebas, quia meto, ubi non semino, &c. oportuit ergò te pecuniam committere nummularijs, &c.* Quis spondeat, id tibi non eventurum? unde scis, aliena ingenia & dotes animi, tuo statui, in quo te Deus collocavit, magis convenire, aut tibi pro tua conditione magis conducere? Gladius certè acu præstat, & malleo; an ideò sartori aut fabro gladius præ acu aut malleo, arti, quam profitentur, exercendæ est conducibilior? Quare Divinæ largitioni reverenter acquiescens, illud Pauli sibi quisque persuadeat. *Vnusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius verò sic. Vnusquisque verò, sicut vocavit eum Deus, ita ambulet; & in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.*

Glossa super Matth. 4.

Matth. 25. v. 26.

1. Corinth. 7. v. 7. 17. 20.

17. Personam suam quivis agat benè.

17. Denique nulli videtur pileus suus rectè appositus: gravis & molesta premit militem sua galea, monachum suus cucullus, monialem suum peplum, Clericum suum Birretum, Abbatem sua Infula, Principem suum diadema; & status suus à DEO sibi destinatus cuique videtur aliquid molestiæ, difficultatis, oneris, afflictionis importare. Præstaret fortè his omnibus *Pileus Fortunati*? de quo mira, magna & rara sparguntur; quòd ejus subsidio Fortunatus Mercurialis homo, omne id potuerit obtinere, quidquid sibi vel in divitijs amplum, vel in itineribus jucundum, vel in officijs, magnificum, vel in negotijs secundum, vel in gratijs & favoribus proficuum, vel in periculis securum, vel in amicâ conversatione sincerum, vel in vitæ sospitate salubre, vel in omnibus agendis optatum, potuit obvenisse. At verò Fortunati pileo erit longè accomodatius talentum, quod tibi Deus contulit, si eo rectè ac sobriè utaris, ubique memor illius gnomæ Virgilianæ: *Vtere sorte tua.* Agitur in hoc vastissimo orbis theatro, sicut in scænâ. Summus ille Comicus Magister Deus, cuique suas partes distribuit: hic mendici, alter Principis; hic servi, ille heri; hic militis, ille monachi; hic ægri, ille sani partes agit; hic morionem, ille Doctorem: hic rusticum, alter Toparcham repræsentat: nec exigit aliud Comicus, quàm ut suam quisque personam ingeniosè repræsentet. Sic & Phonascus huic partem superioris, alteri tenoris aut contratenoris, illi partem bassi dispertit: si bassus velit superiórem canere, superior tenorem, resultabit utique absurda dissonantia. Sic & si servus velit esse Dominus, subditus superior, miles causidicus, monachus conjugatus, confusio summa resonabit in mundi politici harmoniâ. At si quisque suas partes benè agat, fieri potest, ut Bassus placeat præ tenore, morio præ Senatore, rusticus præ Rege, idiota præ Doctore. Considerat aptè ad rem nostram Bellarminus, quid hæc moralis pileorum, & cristarum distributio importet. [Stephanus, inquit, discipuli personam egit benè, Judas autem personam Apostoli egit malè. Itaque contingere potest, & sæ-

Virg. l. 11.

Bellarmin. Conc. 38. pro festo S. Iacobi.

„sæpè, nî fallor, contingit, ut Rex & „Pontifex, Iurisconsultus & Theolo„gus, æternis cruciatibus adjudicentur; „coquus verò, & Regis mancipium, & „alius, nescio quis, imperitus, & ple„beius, æternis præmijs affecti, beatis „Angelorum agminibus associentur. „Nec immeritò, cùm sublimes illi per„sonas suas non benè repræsentârint, „alij autem suas, licet viles & abjectas, „præclarè & eleganter egerint.] Non enim sola sors Antonij, Macarij, Pachomij, Francisci, aut Brunonis cælo inserit: assumitur ad eandem gloriam ex castris Mauritius, ex curiâ Ivo, ex Medicorum collegio Cosmas & Damianus, ex aulâ Ludovicus, ex caulâ Isidorus, ex cælibatu sæculari Petronilla vel Thecla, ex matrimonij thoro Elisabetha, ex prostitutionis cœno Margarita, ex Imperij throno Henricus; denique ex sæculo ad Cælum omnes Sancti & Electi Dei: qui cùm à supremo munerum Largitore rectè & æquanimiter acceptârint talenta sibi imposita, nunc in æternâ Beatitudine gloriosi resumere possunt illud Psaltis, *Sortes ceciderunt mihi in præclaris.* Psal. 15. v. 6.

Quid restat, nisi quòd suo quisque pileo, suisque plumis contentus, ita frugaliter & proficuè circa talenta à Deo sibi concredita negotietur, ut non jam plenis pileis sed brachijs, mercedem æternam tanquam servus, lucrum cæleste tanquam negotiator, donum gloriæ tanquam filius, talentum beatitudinis tanquam domesticus, pretium salutis tanquam mercenarius, à Grandævo illo & inexhausto munerû Largitore recipiat. Amen.



IN FESTO IMMACULATÆ CONCEPTIONIS DEIPARÆ VIRGINIS

COLVMBA FORMOSA-

Die Spiegelzarte Tauben.

LEMMA.

- - - - *Vexat censura columbas.*

THEMA.

Ex omnibus creatis volatilibus, nominasti tibi columbam unam. Esdræ. 4. cap. 5. v. 26.

SYNOPSIS CONCIONIS. LXI.

Quàm candida, formosa, immaculata, electa & dilecta Columba Spiritûs sancti sit Virginea Deipara MARIA, in primo præsertim Conceptionis suæ instanti, affectuoso Orationis apparatu declaratur.

18. Dei-para Columba Spiritûs S. electa.



Nius Rex Delos & Sacerdos, tres nutriebat formosas filias; quæ cùm erga homines non tantùm benevolæ essent, sed etiam admodum beneficæ id gratiæ à Dijs immortalibus obtinuerunt, ut, quidquid attingerent, in frumentum, vinum & oleum conver-

verteretur: quia verò per hujusmodi munera ita reddebantur hominibus grata, ut Dij immortales exinde in oblivionem verterentur, ab ijsdem in candidas & formosas columbas conversæ sunt. *Pennas sumpsêre, suæque*

Ovid. 13. Metam.

Conjugis in volucres niveas abiêre columbas.

Sed quid cum fabulosis hisce metamorphosibus? Apage. Pater cælestis generando filium suum ab æterno, potentiæ suæ generativæ adæquatū produxit terminum: similiter Pater ac Filius sese invicem amando spirârunt, & adæquatum suæ potentiæ spirativæ produxerunt terminum, scilicet Spiritum sanctum. Solus ergo Spiritus sanctus cùm esset Amor ipsemet spiratus, adæquatum suæ potentiæ productivæ terminum nondum videbatur obtinuisse. Hinc ergo Immaculata gloriosissimæ Virginis Anima ab ipso Spiritu S. Amore, inquam, Divino notionali, in similitudinem quandam naturæ electa ac determinata est, ut in columbam pulcherrimam ac candidissimam efficeretur: ut meritò Esdras, in Lege disertissimus, Dominatorem cæli ac terræ alloquatur, [Dominator Domine, ex omni sylva terræ, & omnibus arboribus ejus, elegisti vineam unicam: & ex omni terra orbis, elegisti tibi foveam unam: & ex omnibus floribus orbis, elegisti tibi lilium unum: & ex omnibus abyssis maris, replevisti tibi rivum unum: & ex omnibus ædificatis civitatibus, sanctificâsti tibimetipsi Sion: *& ex omnibus creatis volatilibus, nominasti tibi columbam unam.*] Hæc Columba tota formosa, candida & imaculata, hodiernæ Orationis meæ erit Synopsis: eò enim amantis concionatoris tendit animus, ut, quæ, apud nonnullos, teneras & innoxias *vexat censura Columbas*, in plausum convertatur hodiernæ Solennitatis; omnibúsque affectuoso verborum apparatu innotescat, quàm candida, formosa, immaculata, electa & dilecta Columba Spiritûs S. sit Virginea Deipara Maria. Vos, ô vos omnes, ornatissimi Auditores, Noëmū hodie imitamini, inter diluvij pericula fluctuantē: arcam cordis vestri ardentissimi aperite, ut Columba nostra Mariana cum pacificæ olivæ ramo silenter introeat, & attentè requiescat.

Esdræ 4. c. 5.

Ibid. v. 26.

19. Quis non venerabundo poplite suspiciat columbam; quando hoc Avium genus à supremo Numine ad tam sublimes evecta est excellentias, ut ejus forma ad maximi momenti negotia fuerit supernè electa & applicata? Nam præterquam quòd Columba rostro suo ferens ramum virentis olivæ, & rediens ad fenestram arcæ, toti Hominum & Animantium prosapiæ annuntiaverit mitigatam diluvij despumationem, & reconciliatam Divini Numinis iram: Christus apud Matth. pro perfectione Apostolica commendavit imitandam simplicitatem columbæ. Sed verò multò magis Spiritus S. *ex omnibus creatis volatilibus nominavit sibi Columbam unam*: in cujus speciem selectissimam ita suos conjecit obtutus, ut quoties sese vellet manifestare extrinsecâ quâdā apparentiâ hominibus, haud alio quàm Columbæ uteretur supposito: cujus proinde visibilis Imago toti Christiadum cœtui invisibilem repræsentat Spiritûs S. personam. In columbæ candidissimæ specie visus est super Redemptorē descendere, baptizatum in fluminibus Jordanis: in columæ specie, postquam completi sunt dies Pentecostes, gratiarū suarum charismata Discipulis Domini visibilis dispensavit; & quod Ephrem Syrus memorabilissimum tradit; in luctuoso illo Parasceves die, quo Filius Dei pro salute totius mundi est infami Crucis trabi affixus, Spiritus S. in specie nitidæ Columbæ, è templo Solymitano visibilis avolavit; ad significandum, quòd nunc Templum, Synagogam, Israëlem deserat, & suis inimicis comitetur. Quid? quòd Spiritus S. in sublimi illo Cantico volens dignissimam suam & selectissimā Sponsam Mariam specioso ac pretioso encomiorum & similitudinum apparatu honorare, haud quidquam aliud tam frequenter, tam affectuosè invenerit, quàm producendo columbarum oculos, formositatem, requietionem. In Cap. 1. Cantic. inquit: *Oculi tui Columbarum*. In cap. 2. iterum iterúmq; se reflectit: *Columba mea, formosa mea*. Et paulò pôst: *Columba mea in fora-*

Columbæ species & encomium maximè placent.

Matth. 10.

Ephrem. in tract. de Pass. Dom.

Cant. 1. 2. 4. 5. & 6.

foraminibus petræ. Iterúmque: *oculi tui columbarum, absque eo, quod intrinsecus latet.* In quinto capite denuò prodit: *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Gratiosissimum est, quod paulò pòst sequitur. *Oculi ejus sicut columba super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lota, & resident juxta fluenta plenissima.* Pari affectu in sequenti capite sexto blanditur: *Vna est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ, electa genitrici suæ.* Vt ex his omnibus meritò constet, quanta Spiritûs S. ad columbam hanc Marianam intercedat vicissitudo.

Cant. 5. v. 2.
v. 12.
Cant. 6. v. 8.

20\. Columbæ proprietates ad Deiparam applicat.

Jam, insigniri columbæ nomine Deiparam in Canticis Canticorum, & sæpè alibi, juxta variorum Patrum interpretationem, tam notum est, quàm quod clarissimum. Ejus nomenclaturæ ratio juxta plerosq; deducitur è columbæ proprietatibus; quam in hanc rē cùm prolixiùs expendunt Patres, mihi præ reliquis placet Rupertus Abbas, tanquā amabili brevitate succinctus, quem hìc adduco. [Columba, inquit, sine felle est, deinde nihil vivum comedit, pullos alienos nutrit, grana semper candidiora colligit, in petris nidificat, gemitum pro cantu habet; libenter juxta fluenta residet, ut venientem accipitrem ex umbrâ præcognitum, effugiat perniciter. Tu maximè, ô Misericordiæ Mater, sine felle: nihil enim unquam habuisti invidiæ, ni il odij, quod familiare est rapacibus corvis. Nihil vivum columba comedit; & tu longè ab illis es, de quibus scriptum est, *qui devorant plebem meam sicut escam panis.* Pullos alienos columba nutrit; & nos, qui vocamur alieni secundùm carnem à genere tuo, ecce vivimus tuis meritis. Grana candidiora columba colligi; & tu conferens in corde tuo testimonia de Scripturis, creditum tibi conservabas secretum Dei. Columba in petris nidificat; & tu in solitudine fidei permanens, evasisti serpentis antiqui venena. Columba gemitum pro cantu habet; & tibi gemere dulce fuit, eò quòd præ cunctis mortalibus mente vulnerata esses. Columba juxta fluenta residet; tibi autem, vel tuo pectori, omne fluentum Scripturarum quàm contiguum est? Nunquam adventus spiritualis Accipitris tibi esse improvisus, aut te consequi, imò nec tibi appropinquare potuit.] Præclarè Rupertus Abbas Columbæ proprietates explicuit ad Deiparæ laudes: & quod ultimò adjecit, satis manifestè ad immaculatam ejusdem Conceptionem collimavit.

Rupert. l. 3. in Cant.

21\. Deipara Spiritûs S. Sponsa columbæ similis ob fidem conjugalem.

Verùm profundior adhuc, & Virginis dignitati convenientior nuncupationis prædictæ ratio inde petenda videtur; quòd columba in Sacris literis symbolum sit fidei conjugalis & fœcunditatis perfectæ, cum summo nitore conjunctæ. Quin etiam externi quoque pudicitiam columbæ, & ignota ei adulteria, celebrant cum titulo: *VNI SERVO FIDEM.* Et hanc proprietatem observavit Plinius, *Pudicitia,* inquiens, *illis prima, & neutri nota adulteria: conjugii fidem non violant.* Tertullianus simile quid de columba testatur; quòd sit *Avis non tantùm innocua, sed etiam pudica, quam unam unus masculus novit.* Sic & Propertius persuadens Amicæ, ut sinceram & fidelem servet correspondentiam sic scribit.

Plin. l. 10. c. 34.
Tertull. l. de Monogamia.
Propert. l. 2.

Exemplo junctæ tibi sint in amore columbæ,
Masculus, & totum fœmina conjugium.

Sed & Camerarius ad exhibendum, quanta puritas & munditia requiratur in affectibus matrimonialibus, fecit emblema apparatûs nuptialis, figurati in quodam festivo curru, tracto à duabus columbis, cum inscriptione: *SIT SINE LABE FIDES.* Quèis vult alludere ad illam pudicitiam, ab Æliano in columbis tam gratiosè celebratam. *Columbas ex avibus maximâ esse pudicitiâ, ab omnique adulterio castissimas percepi; nunquam enim ex societate inter se institutâ, mas & fœmina, nisi vel casu aliquo, vel alter alterius morte distrahuntur.* Sed & ipsi Poëtæ, Cypriæ Deorum conjugijs Præfectæ, currum à columbis tractum sunt commenti. Mirum, sed fabulosum est, quod ait Athenæus. Ad Erycem Siciliæ montem stati quidam sunt dies, ἀναγωγὰς appellati, quibus dicunt, Venerem in Lybiam descendere. Nullæ tum circa eum tractum columbæ

Ælianus l. 3. hist. animal. c. 5.
Athenæus l. 9.

bæ apparent, tanquam abeuntem peregrè Deam comitatæ. Nono pòst die, quod tempus *καταγώγια* nominant, columba ex mari una provolat, & in Deæ templum se recipit, sequuntur mox aliæ. Tum quotquot locum illum divites circumhabitant, convivantur, cæteri læti plaudunt; olêque universus hic tractus butyrum: quod argumento est, Deam reverti, & cum ea conjugalem fidem. Est ergò columba apud externos quoque, sed maximè in Sacris literis, conjugalis amicitiæ, cùm summo nitore ac fide conjunctæ, symbolum. Eam itaque maximè ob causam Spiritus S. B. Virginem Sponsam suam describens, ipsam tam exquisito encomiorũ ornatu, *nomine columbæ* appellat: *una est*, inquit, *columba mea, perfecta mea.* Namsexaginta quidē sunt Reginæ, & multò plures concubinæ, adolescentularum autem non est numerus; sed primaria Sponsa, & omnibus longo intervallo antepostita, una est MARIA, cui & perfecta integritas virginalis, & inaudita consociatione fœcunditas, divino munere obtigit. Peperit enim ex castissimis visceribus intemerata & inviolata *Solem Iustitiæ*; fuitque in eâ comprobatum, quod de matre Augusti fabulosè commenti sunt Gentiles; visam scilicet conjugi, cùm Augustum pareret, solem fundere. Vt proinde meritò veteres Christiani, diem nati è Virgine Christi, *Solem novum* nominârint: ut qua die veteres Ethnici festum novi Solis celebrabant, ipsi exortum ex Virgine lumen rectis corde, religiosè venerarentur. Et huc quidem spectat Romanus Ritus, quo Pontifex quotannis in festâ Christi nati nocte, priusquàm incruentum celebret sacrificium, multis sacris cæremonijs adhibitis, consecrat ensem, aureâ vaginâ, capulóque & baltheo aureo eximium; cujus mucroni imponitur galerus ex holoserico molli consutus, & murium inalpinorum vel mustellarum exuvijs attextis clarus, fasciâ aureâ & lectissimarum margaritarum adjectione dives. In eo galero candida columba & Sol cælata visuntur; quorum symbolo,

Constant. Manasse n. 72.

S. Leo. serm. 1. de Nat. & alij.

rum priore Spiritum sanctum, altero DEVM omnium conditorem exprimi, censet Aldrovandus, rerum ornithologicarum excellentissimus. Aptiùs tamen, & ad illius noctis mysterium congruentiùs dici posse videtur, significari eâ columbâ, Sponsam Spiritus sancti Deiparam, eâ nocte Solem Christum enixam; à quo mysterio gladius, quem Christus venit in terram mittere, nequaquam abhorreret. Non est hic gladius columbæ, à cujus facie fugiendum mandabat Jeremias, Babylonios signans, quorum Regina Semiramis *Columba* nomine nuncupata est; unde in Babyloniorum vexillis *Columba* depingitur: quo nomine mulier supra sexũ pugnacissima & impurissima, pacique semper infesta, minùs congruè donata est, quàm beatissima Virgo, quæ paciferæ columbæ Noëticæ typo est denotata. Deipara igitur, fœcunda simul & Virgo, nomine *Columbæ*, quæ perfecti ac puri amoris conjugalis symbolum est, convenienter expressa perhibetur.

Aldrovandus l. 15. Ornith. & 1. serè in fin.

Ierem. 46.

Diodorus Siculus l. 3. c. 5.

Clytovæus serm. 3. de Purif.

Sed verò sublimiori adhuc indagatione digna est Deipara; ejúsque itidem eximius candor & nitor, omnique illuvie liberrimus decor, ex eodem columbæ encomio solertiori studio manifestandus. Est amor munditiæ & puritatis velut nativus Columbæ; ut propterea aquam, unde bibere & se lavare possit, mundam & puram esse oportere, admoneat Varro. *Sunt enim permunda*, inquit, *hæ volucres.* Itaque bellissimè consentit cum summo Virginis nitore, & titulo Sponsæ Dei, nomen *Columba.* Quis enim Sponsam Dei cùm dixerit, immundam vel cogitare sustineat? Et nomen quidem Hebræum *Columbæ* à radice, impurum quid & graveolens ferente, deductum est; quia Sancio observante inidem derivatur, unde cœnum & lutum; ipsum tamen columbæ nomen, nihil nisi purum & illime præfert. Quod in rem nostram perbellè cadit. Nam beatissima Virgo, quamvis de cœnosâ & fædâ radice parentum generis nostri procreata, nihil tamen

22.
Nitor Columbæ Deiparæ conveniens.

Varro l. 3. c. 7.

Sancius in 1. Cant. n. 58.

 con-

continet nisi sanctum & purum; ita ut etiam primum ejus initium fuerit nitentissimum, & omni prorsus labe carens. Quod subtiliter Galatinus expressum putat eo Spiritûs sancti oraculo in Canticis: *Columba mea in foraminibus petræ.* Nam petram ad principium generationis pertinere, patet ex Isaiæ 55. ubi Hebræi jubentur attendere ad petram, unde excisi erant; id est, ad suæ generationis principium. In ipsis ergò petræ foraminibus, inque ipso primo ortûs ad vitam principio, puritas Virginis, & ab omni originali peccato immunitas Deiparæ commendatur. Et hæc quidem petra, ex qua vivi lapides exscinduntur ad structuram ædificij cælestis, pro immaculato nitore Virgineæ Columbæ aliud non minus subtile suppeditat argumentum. Quemadmodum enim Fideles in Sacris literis *lapides vivi* appellantur, eò quòd ultrò ac liberè accurrant ad structuram Domûs DEI, per consensum, quem sollicitanti ac prævenienti DEO præstant (qui est actus vitæ rationalis nobilissimus:) ita animatus hic CHRISTI Regis Thronus, jam ex primo momento naturalis suæ vitæ, motu supernaturali exquisitè perfecto, tetendit in DEVM per amorem super omnia, quo Benedicta DEIparæ Anima veluti deflagravit: cum quo spirituali vivi comburio, rubigo quæcunque mortalis peccati, & quævis iniquitatis scoria, pugnat inconciliabiliter. Non ago de claro & beatifico DEI contuitu & subjunctâ ei dilectione, quem plures graviores Doctores cum Salazario beatissimæ Virginis Animæ in sua creatione concessum volunt; sed de contuitu Dei supernaturali quidem, adhuc tamen viatoribus commenso, & subjuncto eidem amore perfecto, quem cum quocunq; peccato mortali inconciliabiliter stantem, eidẽ tunc concessum esse, doctrina fert certior, & tantis magnæ Matris opibus conformior. Inde est, quòd in Canticis Sponsus, ipse videlicet Spiritus S. pulcherrimum illud Virgineæ Sanctitatis ac Charitatis celebrârit encomium: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Sciens, pulchritudinem Animæ veram ac genuinam, Divinâ Charitate contineri, prout refert Nazianzenus.

Solus Deus amor formosam reddit amantem.

Mox visâ hâc immaculatæ amicæ pulchritudine, Sponsam nuncupavit: *Veni de Libano Sponsa mea.* Denique sororem simul & sponsam, utpote consanguineam, & complexioni, naturæque suæ simillimam: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa.*

23. Deipara in instanti Conceptionis sanctificata.

Mirari vos adverto, Auditores, super dicto nondum probato, quòd Deipara in primo momento naturalis suæ vitæ, motu supernaturali exquisitè perfecto, tetenderit in Deum per amorem super omnia, quo benedicta ejus Anima veluti deflagravit. Verùm admirationem dicti cordatioris absterget ratum apud Theologos ex pervulgatâ Patrum doctrinâ sentimentum: scilicet non esse negandum B. Virgini decus ullum, vel ullum privilegium pertinens ad sanctitatem, quod sit mortalium cuipiam, infra ipsam, concessum. Et quis hoc diffiteatur, absque gravi Christi Injuriâ; quasi de optimæ matris perfectione ac exornatione minùs fuerit sollicitus, quàm de ornatu & sanctitate aliorũ quorumcunq;? Atqui non tantùm pleriq; mortales ante ordinariam ætatem donati sunt usu rationis ad divina, & conversionem in Deum; indulgente Deo, & roborante facultates naturales corporeas, impediendas eo usu præ nimiâ uligine, quæ expeditionem phantasiæ & intellectûs præcluderet; sed etiam aliqui ad sanctitatem honorificè comparandam, eum usum adhibuerunt ante ætatem naturaliter ad id aptam, atque maturam; imò ante nativitatem ex utero. Quod suppono, datum esse aliquando anticipatum rationis usum, ad convertendum se in Deum, ambiguitate caret: & juxta multos Patres, concessum est nonnullis pueris Hebræorum obviantibus Christo in suo triumphali apparatu; de quibus prænuntiatum erat

illud

Galatinus l. 9. de arcanis c. 5.

Cant. 2. v. 14.

Salazar l. de Concept. c. 38.

Cant. 4. v. 7.

Psal. 8. v. 3. illud Psalmi: *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* Super quo paſſu S. Eulogius pulcherrimè ſic diſcurrit. [Quam planè admirabile, ac præter naturam, ſpectaculum illud lactentium infantium, maternis in ulnis ſugentium ubera; unâ quidem manu tenentium matrum mammam; alterâ autem Deo, matre Virgine nato, protendentium ramos palmarum; lacque maternum ac dominicam doctrinam ab ore fundentium, & necdum conceſſo verborum uſu, Deo Verbo labiorum acclamantium fructum, & dicentium: *Hoſanna*, id eſt, *ſalva quæſo, qui es in altiſſimis*! Quis vos, ô pueri, docuit? quis vobis ſapientiam indidit? Quis nondum per ætatem libero ſermonis uſu, ſecretiori doctrinâ ad ſermonem formavit? Vides, S. Eulogium vocem *infantium & lactentium* propriè uſurpare pro puſionibus, needum fari potentibus, & mammam ſugentibus: & cùm acclamatio horum lactentium, juxta varias interpretationes vocis *Hoſanna*, ſonet affectum converſionis in Deum, & ſalutis æternæ ab eo expetitæ deſiderium; manet probatum, quod dicebam, collatum eſſe aliquibus ante ætatem uſum rationis, ad perfectam converſionem in Deum exercendam. Plus eſt, quod dicendum reſtat; etiam à primo productionis inſtanti nonnullos adeptos eſſe lumen Intelligentiæ. Quis enim neget, Angelos in primo ſuæ exiſtentiæ momento, copioſâ luce intellectûs fuiſſe perfuſos; & per propriam diſpoſitionem ac meritum, ad collatæ eo momento ſanctitatis poſſeſſionem fuiſſe aptatos? Quis neget, primos Parentes divinâ excitatione præventos, ſanctitatem, qua donati ſunt in primo ſuæ exiſtentiæ momento, vel aſſecutos eſſe per meritum, vel auxiliſſe? Quis neget, Joannem Baptiſtam maternâ adhuc aluo incluſum, uſu rationis potitum fuiſſe; quando ad Hypapantem duarum matrum, intra ſecundinarum involucra ligatus, exiluit in gaudio, applaudens Chriſto? Qui cùm non potuerit lucem rationis, quâ ad occurſum Domini donatus eſt, meliùs ac digniùs impendere, quàm aſſurgendo in Deum carne veſtitum per demiſſiſſimâ venerationem, ac intenſum amorem; haud dubiè eos actus elicuit, quibus, diſponente ipſum Spiritu S. per propriam cooperationem, honorificè eſt adeptus ſanctitatem, & *repletus Spiritu S. adhuc ex utero matris ſuæ*, juxta Gabrielis oraculum. Luc. 1. v. 15. Quòd ſi autem Deus Angelis, Protoparentibus, ac Joanni tantam contulit gratiam; an non potiore jure, majorique decentiâ, optimóque & honorificentiore modo, ea gratia glorioſæ Deiparæ conferri debuit? Quo autem præcisè tempore ſanctitatem illam ſit aſſecuta; cùm non ſit Divinâ fide exploratum, congruentiſſimè tamen ſtatuitur, obtigiſſe illi hoc decus in primo creationis animæ momento. Qua in parte latum utique diſcrimen interceſſit inter B. Virginem, & B. Joanem: nam pro Joanne differenda fuit ſanctitatis collatio ad occurſum uſque Chriſti, maternâ aluo concluſi, & poſt ſemeſtre ſibi appropinquantis; quandoquidem ea erat unica occaſio accelerandi Joanni uſum rationis. At B. Virgo, quia nulla fuit cauſa Divinæ hujus erga eam Beneficentiæ differendæ; & quia totus titulus ad expromendam eam largitatem fuit dignitas Matris, ad quam deſtinabatur; hinc jure jam à primo momento creationis animæ, donata eſt colluſtratione plenâ intellectûs, & flagrantiâ amoris perfecti in voluntate. Nam Beneficentiæ ſplendor moris non neceſſarijs deteritur: quem nævum à Dei Beneficentiâ erga futuram matrem, longè abegerunt Patres à Raynaudo allati. Quare videtur veriſſimum, & manifeſtâ conſecutione adſtructum; quòd Deipara à primo vitæ momento, rationis uſu plenè potita, & in Deum flagrantiſſimo amoris actu exquiſitè converſa, ſpirituale vivi-comburium ſubierit, & uberi gratiâ ſanctificante fuerit exornata; non quomodocunque, ſed ex propria diſpoſitione ac merito, quo affectum ſuum Divinæ excitationi ac præventioni immediatè ſubjunxit, & primam Gratiam eximijs augmentis

S. Eulog. hom. de ramo palm.

Theoph. Raynaudus in Hagiologio Lugdun. fol. 6 167.

tis continuò ac indesinenter magnificavit.

24. *Deipara in sua conceptione perfectissimos actus eliciens inducitur.*

Videor mihi hîc Columbam nostram totam formosam & immaculatam, benedictam, inquam, MARIÆ Animam, planè recentem, & Dei manibus (ut cum Tertull. loquar) primùm exeuntem, in materni uteri ergastulo voces primas edentem audire. Videor mihi (si tamen liceat liberas cogitationes nostras, optimâ ratione subnixas, devotâ oratione exprimere) audire primum Columbæ Virgineæ cantum; gemitus, inquam, amorem Divinum, & perfectissimorum actuum compendium, in primo completæ Conceptionis instanti spirantes, & resonantes; silente quidem corporis linguâ, sed corde loquelam Deo maximè probatam fundente. *Deus, Deus meus* (à quâ enim voce auspicatiùs ordiar, quàm tuo suavissimo ac mellitissimo nomine?) *ad te de luce vigilo.* (*Psal. 62. v. 1.*) In hac prima lucis usura, in hoc vitæ exorientis crepusculo, manè diluculo, ad te assurgo, te mentis meæ brachijs stringo, te adoro pijssimè, sanctissimè, benevolentissimè. *Sitivit in te anima mea; quàm multipliciter tibi caro mea.* Ex hoc meæ vitæ exordio, Anima, & per redundantiam Caro mea, in te æstuosissimè feruntur; te concupiscunt quàm ardentissimè; utpote quæ vehementi siti exuruntur. In hoc abdito, in hoc materni uteri recessu, & aviâ solitudine, verè *in desertâ & inviâ terrâ*, appareo tibi *sicut in sancto*, non secùs, ac in templo cultui tuo & honoribus addicto: *videns virtutem tuam & gloriam tuam*; admirans, & celebrans ex intimis medullis tuam potentiam, & gloriosa attributa; amorem, beneficentiam, magnificentiam. Quâ verò in te, Deus optime & maxime? Num in structurâ cælorum, qui enarrant mutis sermonibus & tacito clamore gloriam tuam? Num in sapientissimâ universi rectione, & plenâ miraculis providentiâ? An ob collatam mihi, vitam & eductionem ex nihili abysso, in qua hactenus delitui? Nihil horum cogito, quando suavius tuæ erga me benevolentiæ argumentum redundat. (*Vide Raynaudum Citat.*) *Quoniam melior est misericordia tua super vitas.* Debeo sanè tibi, quòd vivo: & hoc esse naturale, quod fortior, eleemosyna tua est, nihil tale promeritæ collata. Fundum est, cui reliqua tuorũ donorum velut fabrica superstruitur, ac deinceps superstruetur. At supra triplicem vitam (vegetantem, dico, sentientem & rationalem) qua me liberaliter intra naturæ ordinem instruis, ac etiam supra mille vitas inferioris hujus ordinis, si totidem largireris; misericordia, quâ me in hoc momento prævenis, anteoccupans Inquinationem infusione gratiæ tuæ; melior est ac potior super omnem comparationem; & ideo *labia mea laudabunt te.* Inde tibi benedico; inde laudis argumentum capio; nunc corde & affectu te celebrans, suo autem tempore etiam vitulos labiorum tuo nomini conseinnentium adjungens. Nunc quidem auspicor te prosequi benedictionibus, sed reliquum vitæ, quanta quanta erit, in hoc pio & necessario erga te affectu lubens volens consummam. *Sic benedicam te in vitâ meâ, & in nomine tuo levabo manus meas.* Attollam puras manus, in nullo deficientes circa Decalogi tui expletionem. Crescet per tuam benignitatem spiritualis sagina, quâ meam nunc animam farcis & impinguas: unde novarum semper laudum inveniam argumentum. *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea: & labijs exultationis laudabit os meum.* Et verò si in hoc statu animæ, in hoc obscuro, qui me excipit, lecto, in inferioribus terræ memor sum tui, & gratè recolo tuam in me benignitatem; non absistam deinceps meditari, & recogitare, atque agnoscere beneficium hoc matutinum planè singularissimum. *In matutinis meditabor in te, quia fuisti adjutor meus.* Meditabor ut columba, suspiciens in excelsum. Gaudens gaudebo in perpetuum ob hanc causam; *& in* hoc *velamento alarum tuarum*, in hac tantâ protectione tuâ recogitatâ *exultabo.* Erit hæc mihi nunquam intermoritura lætitiæ, & laudis materia; quia *adhæsit anima mea post te*; qui eruisti me

ex

ex inferno inferiori, in quod præcipitatura eram. *Me suscepit dextera tua*; dextera tuæ gratiæ ab omni iniquitatis labe me præservantis.

25. *Deipara ab omni peccato, ac peccati effectu immunis.*

Sic ferè potuit in primo vitæ diluculo Psaltis sensum fecisse, benedicta Mariæ Anima. Sed heu me! quàm falsè & ineptè cogitavi! Quàm verè scriptum est, *Non frustra linguam in udo esse positam, quia facilè labitur*! Impegi profectò, nec leviter, sic elocutam dicens in eo vitæ primordio Mariæ Animam. Quæ frigoris mei proportio ad ardentissima illa amoris jacula, vibrata in Deum? Vecors sim & judicij impos, si non agnoscam, quàm procul declinem à dignè ac congruenter exprimendo illo æstu, & plusquàm Ætneis ardoribus: quia benedicta Deiparæ Anima, in eo conditionis articulo, conflagravit per succensas cælestes in pectoris fornace flammas; quibus omnia ignea nequissimi tela in exorientem Virginis animam vibrata, & sagittæ, quas Satan ardentibus effecit, in cineres abierunt, illæsâ in quam dirigebantur, & nullatenus violatâ Mariâ. Quod tanquam cæleste prodigium, inter opera Deo digna suscipiendum, celebrabat Psaltes (ex Richardi Victorini interpretatione) tanquam ad spectaculum admirabilissimum advocans grandem concionem: *Venite*, inquit, *& videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram.* Non in profundum inferni, neque in excelsum suprà, evocamur; sed super terram: Eam scilicet terram, de qua veritas orta est, ut Justitia de cælo prospiceret: in qua gestum est id, quod cælestes æquè ac mortales tanquam extraordinarij prodigij admiratione defigat. Quid hoc? Duplex Dei opus maximè stupendum proponit, & utrumque ad terræ illius sanctitatem maximè faciens. Primùm, quòd ab initio ad finem usque pax in ea perennavit. Nullum in ea carnis adversùs spiritum rebellantis bellum fuit: mirum id profectò, quia sævientibus in circuitu bellis, nulla Virginalem terram vastatio deprehendit. Ubivis alibi bellorum fremitus & nusquam pax, per jugem intestinum conflictum hominis externi cum interno; quem succenturiatæ Carni acies Satanæ ac Mundi, nullis inducijs intercidi patiuntur. In solâ Virginis terrâ pax profunda, procul ab ea pugnæ, procul timores; imbellia sine ictu cecidêre tela omnia. Et cùm post Adami perduellionem, universo ejus generi infestus Satan, armis tegentibus & offendentibus instructus, in sobolem, quamprimum se offert in vitæ conspectum, intendat arcû, vibrétq; sagittas è vase mortis eductas: ita ut in ipso vitæ corporeæ introitu, filij Adam omnes simul animâ mortui, præ lethali originalis peccati transfixione jaceant; sola benedicta Mariæ anima, belli hujus impetum, tegente Deo, immunis declinavit. Cùm insuper per reliquam vitæ periodum, infelicis Adami progenies, continuis prælijs infestetur; sola Virginea terra perpetuæ pacis dulcedine, cujusvis belli strepitu silente, potiens, nullas sensit in universâ vitâ peculiares molestias. Non sint hæc insignia Dei opera, ad quæ contuenda meritò advocetur prægrandis concio, ex cælestibus simul ac mortalibus adunata? *Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram.* Deinde ad hæc Domini prodigia super terram posita, frendere dentibus iratissimum & Numinis & hominis hostem Satanam, & nequicquam adhibitas solitas artes, demirantem simul ac indignantem, mirum haud fuit. Et prætendebat ille quidem truculentiæ suæ umbonem, edictum divinum peremptorium; quod postea Apostolus his verbis retulit: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, in quo omnes peccaverunt.* Ex quo divino decreto factum est, quod continenter deplorat Apostolus, ut regnaverit mors ab Adam usque ad Moysen; per totum scilicet tempus perseverantis Legis Mosaicæ, etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricantis Adæ. Unde parvuli quoq; & infantuli, qui per ætatem non potuerunt vetitæ actionis labe contaminari, quali contaminatus est Adam, subjacuerunt morti animæ per contractum originis

Rich. Victorin. l. 2. de Emanuel. c. 29.

Psal. 45. v. 9.

Rom. 5. v. 12.

originis vitiatæ peccatū; subituri consequenter corporis mortem, quam per gratiæ indultum evasissent, si absuisset Adæ prævaricatio. Hic igitur erat umbo, hoc Satanæ scutum, animas posterorum Adæ in ipso puncto productionis earum cum corpore trucidantis. Sed benedicta Mariæ Anima, singularissimo privilegio, diri hostis truculentiam evasit. Non tetigit formosam Columbam lethale spiculum peccati: nam Deus, cujus intererat futuram sibi matrem tutari, & arcum Satanæ continuit, & arma confregit, & scuta combussit igni. Quo igni? Primùm igne sui erga Mariam amoris, quo eam à communi clade per furentem hostem illatâ, indemnem voluit; quia domum, & thronum ejus, decebat sanctitudo in longitudinem dierum: non per paucos dies, aut per aliquod duntaxat innocuæ vitæ tempus (prout ferè alijs assolet) sed universis planè Mariæ diebus, & toto, nullâque ex parte acciso ejus vitæ tempore, dedecuit eam quævis macula; decuit verò absolutissima sanctitudo, sic ferente igne divinæ erga ipsam charitatis. Deinde combustio illa mirabilis scutorum & armorum hostilium, facta est in Virgine interventu reciproci in Deum amoris, quo jam à primâ vitæ usurâ, tantam erga se beneficentiam repensavit. Intellectu quippe suo jam ex primo vitæ momento copiosâ luce cælesti collustrato, perspiciens Divinæ erga se beneficentiæ pelagus, non modò ratione existentiæ naturalis tum primùm obvenientis, sed etiam (& quidem multò magis) ob retectam sibi felicissimam æternæ prædestinationis sortem (quis cogitet, hoc celatum matrem futuram?) exarsit in incensissimi amoris flammam; actum, inquam, perfectissimæ in Deum dilectionis emisit. Nihil enim proclivius, quàm in tantam bonitatem, & absolutè & respectivè spectatam, si mentis oculis liquidò (saltem quantùm vitæ hujus peregrinativæ status fert) objiciatur, flagrantissimo amore accendi. Et ita factum est B. Virgini, in ipso naturalis vitæ crepusculo plenum rationis usum consecutæ. Is verò amor necessario nexu sanctificantem gratiam convehit, cum mortali peccato (cujusmodi est peccatum originis) inconciliabiliter pugnantem. Ut adeò satis supérque præcludatur dubitatio de nitore ac puritate conceptûs Virginei; & omnibus manifestè pateant *Opera, quæ posuit prodigia Dominus super terram.*

26. Vnicum addo, quod ad orationis hujus complementum potest attinere. Quis ampliùs dubitare potest, Deiparam esse sine peccati labe conceptam? Licet enim infernalis accipiter insidietur animabus hominum in utero recens creatis, ut eas velut imbelles aviculas quantocyus suis unguibus conficiat; quia verò electa nostra Deipara Columba erat, protinus effugit, evolavit, evasit unguibus Prædonis. Sunt enim columbæ volatu omnibus innoxio, ac celerrimo: nam volatus columbarum est pernicior volatu omnium avium domesticarum, imò vix ullæ rapaces assequi illas possunt. Hinc Virgilius vocat *volucrem* columbam, Ovidius *aëream*. Chorus apud Sophoclem petit mutari in columbam, ut celeriter fugiat. Penè duplicat velocitatem, cùm avis rapax insequitur. Homerus Junonem & Minervam celerrimè pergentes ad bellum, ut opem ferant Græcis contra Trojanos pugnantibus, comparat trepidis columbis. Hinc in Syriâ etiam nunc utuntur columbis ad literas perferendas: & idem jam olim fuisse observatum, docet Ælianus; qui ait, Taurosthenem abstractam à suis pullis madidis adhuc & implumibus columbam, secum deportâsse; cùmque vicisset, purpurâ alligatâ ipsam remisisse; eámque ex Olympia Æginam uno die venisse. Godefredus quoque Buillonius, antequam obsideret Jerosolymam, literas perferentem columbam intercepit, quam accipiter in castra dejecerat; ut refert Martinus Polonus. Columbæ sylvestres sunt domesticis celeriores. Vtrisque communem rationem illius celeritatis affert S. Ambrosius: *Vnde, inquit, puto etiam in ipsis avibus ideo velocius columbam penè præ omnibus*

Deipara tanquam pernicissima Columba prævenit insidias infernalis accipitris.

Virgil. l. 5. Æneid. Ovid. 3. Ponti.

Zargaus l. 3. Syria.

Ælianus l. 9. hist. c. 2.

Martinus Polonus.

S. Ambrosius serm. de S. Eusebio.

voli-

volitare, quod alacritatem & innocentiam comitetur. Et appositissimè scripsit immediatè ante hunc paragraphum. *Volare non potest, nisi quod purum, leve atque subtile est; cujus nec sinceritas intemperantiâ retardatur, nec alacritas nec velocitas molle gravatur. Gravari autem volatum dico, non tam mole membrorum quàm delictorum.* Itaque alacritas & innocentia sunt illæ pernicissimæ alæ, quibus impolluta Anima Deiparæ velocissimo volatu ita prævênit peccati insidias, ut ab ejus contactu planè immunis evaserit, tanquam columba, tota formosa, tota pulchra, tota immaculata.

Duo itaque rogamus te, ô electa & immaculata Dei Mater, tantis columbæ decoris insignita, ut pernices nobis tuas accomodes alas, alacritatem & innocentiam; queîs quotidianas Dæmonum insidias declinemus. Parantur enim nobis ubique laquei, tela, ungues, rostra, peccatorum decipulæ & insultus: at verò alis à te mutuatis evademus; si nempe imitatione tuâ per alacritatem ad omne sublimium virtutum exercitium nos applicemus, & per innocentiam cordis dignum Spiritûs sancti habitaculum efficiamur. Observat S. Basilius; quòd patroni columbariorum soleant unam columbam pretioso unguento aspergere, cujus fragrantiâ invitatæ & allectæ reliquæ columbæ, sequuntur prævolantem ad columbarium. Quibus rectè posset subscribi lemma: *IN ODOREM.* Ad inferendum, quòd devoti clientes beatissimæ & Immaculatæ Virginis Mariæ videantur rapti à fragrantiâ virtutum ejus, ad sequendum, ad serviendum, ad imitandum; alludendo præsertim ad vocem sacrorum Canticorum: *Curremus,* imò convolemus, *in odorem unguentorum tuorum.* Cant. 1. v. 3. Quem locum Hugo Cardinalis sic explicat. Hugo Card. super Cant. *In imitatione operum tuorum, quæ velut unguenta redolent; vel infamâ, sive opinione nominis tui, quod est oleum effusum; vel in spe æternorum bonorum, quæ super omnia unguenta redolent.* Sic autem multò fæliciùs, quam Anii filiæ, cum columbis evolabimus, cùm tamæ Dei Matris gratiâ, quidquid miseriarum filiorum Adæ attigerimus, fuerit subitò conversum in frumentum electorum, in vinum germinans virgines, & in oleum supernæ unctionis, ac cælestium Benedictionum. Amen.



IN FESTO S. THOMÆ APOSTOLI.

MONEDULA DOMESTICA.

Die haimbliche Tolen.

LEMMA.

Semper Graculus assidet Graculo. Ex adag.

THEMA.

Respondit Thomas, & dixit: ei Dominus meus & Deus meus. Joan. 20. v. 28.

SYNOPSIS CONCIONIS. LXII.

Quanti intersit emolumenti, Christo proximum esse, Christo similem reddi, & à Christo non elongari, S. Thomas Apostolus, qui insigni encomio dicitur *Didymus*, suâ exclamatione, *Dominus meus & Deus meus*, manifestat.

27. S. Thomæ sacellum, crux, sanguis & columba. *Osorius l. 3. hist. Baronius to. 1. Annal.*



Nihil nobis hodie cum domesticis Monedulis aut Graculis agendum esse judicabit, quisquis Ecclesiasticæ historiæ annales consulverit, apud Hieronymum Osorium Sylvensem Episcopum, aut Baronium; sed potiùs afferet, de formosâ Columbâ renovandam Concionem, nuper in Immaculatæ Conceptionis festo tam affectuosè terminatam. Erat in Malipure, S. Thomæ civitate, sacellum in colle ædificatum, ubi S. Thomam fuisse à Religionis hostibus interfectum, incolæ affirmabant. Erat autem hoc solenniter institutum, ut in eo sacello octo diebus ante Natalem Christi diem res Divina fieret, & omnes Christiani eò convenirent. Ibi fuerat ante aliquot annos, quàm à Lusitanis frequentari cœpit, inventa Crux in lapide incisa, in cujus fastigio *Columbæ* imago insidebat: basis verò erat in specie quadam herbarum, quæ diffundi latissimè videbantur, collocata; & tam fastigium, quàm basis & brachia, in liliorum formam desinebant. Arcus autem, ex eodem lapide factus, undique muniebat. In arcu erant incisæ litteræ: in cruce eminebant notæ sanguinis insignes. Sententia verò litterarum in summa hæc erat. *Thomam divinum virum fuisse à Dei filio, cujus erat discipulus, in eas oras Segami Regis tempore missum, ut Dei summi notitiâ gentes illas erudiret; ibique templum exstruxisse, & res admirabiles effecisse; atque tandem, cùm genibus flexis ad crucem illam affixus orationem ad Deum funderet, à quodam Brachmano fuisse hastâ transfixum: Crucem verò ejusdem viri sanctissimi cruore tinctam, ad memoriam virtutis illius sempiternam relictam fuisse.* Non ergo sine glorioso trophæo heros gloriosus Thomas è mũdo discessit. Digna memoriâ arcus, & columba insidens cruci, & crux liliata, ac proprio Thomæ Apostoli sanguine purpurata, quæ charitatem, castitatem, & tanti viri fortitudinem declarent. Cùm sit crux cælestis amoris symbolum, avem respuit, quæ peccat in amore; illam amat, quæ nescit in amore peccare. Peccat aquila,

quæ

quæ cæcutientem ex alto prolem agit in præceps: columba verò tota mansueta est, tota sine felle, sine irâ, & sine invidiâ; & propterea cælestium Sanctorũ triumphis est dedicata. Debebatur crux Apostolo Thomæ, qui propter divinum amorem summos labores apud illas barbaras perpessus est nationes: debebatur & columba, cujus imitator & orator ad eandem crucem pro Indorũ salute toties ingemuit: debebantur crux & columba simul; nam utramq; felix ac beatus triumphator in triumphum trophæúmq; deduxit, & simul monuit, patiendo & gemendo cælorũ regnum esse vincendum, & ibi in cruce triumphandum. Has ob rationes columba quidem deberetur S. Thomæ in symbolum; sed Monedulam ei, sive Graculum adscribimus, ut in eo verificetur cõmune adagium: *Graculus semper assidet graculo.* Paradoxum vobis, Auditores, fortassis hoc videbitur; sed scrupulos solvet Indorum Apostolus, cùm exclamando, *Dominus meus & Deus meus,* vobis ostenderit, quanti conferat emolumenti, Christo similem & proximũ esse, à Christo non elongari. Prout præsenti oratione, vel absens inter Barbaros & Peruanos, amoris tamen & fidei impetu præsens, id vestræ benevolentiæ præstare conabitur in nomine Verbi Incarnati.

28. In quæ mala delapsus sit Thomas propter absentiam suam.

Quemadmodum Justis viatoribus non potest nobilius exhiberi spectaculum, quàm Filius Dej à mortuis excitatus, & gloriâ convestitus; ita Apostolo Evangelica dogmata docto nihil indecentius potest proponi, quàm si neget, Christum posse in nostrum cõmodum resurgere, cui datum est posse mori in nostram salutẽ. Nihilominus error tam gravis, & spectaculum tam beatũ (res sibi invicẽ tam oppositæ) inter undecim Apostolos contigerunt uno eodémque die. Thomas quidem miserè præcipitabatur in barathrũ infidelitatis; & verò ejus decem Collegæ paulò antè inspexerant & adoraverant triumphos Messiæ, jam gloriosi & im̃ortalis. Vnde quæso tam contrariorum effectuum origo? Ex Evangelica relatione, rem sic contigisse, verisimillimum est. Convenerunt simul tum Apostoli, tum Discipuli Redemptoris; ac primùm quidem, ut implorarent publicâ oratione divinum auxilium in Ecclesiæ adolescentis opem, quam Scribæ impugnarent, & Pontifices eversum irent: deinde convenientibus exposita est novæ Religionis extrema necessitas, cui Synagogæ Principes insidiarentur, & quã Judaicæ Reipublicæ Curatores spoliarent; atq; adeò, ut junctis consilijs & auxilijs opportunis, subveniretur tum credentiũ timiditati, ne in fidei constanstantiâ titubarent; tum eorum inopiæ, ut alimentis donati, & protectione securi, ad perferendum Evangelij jugum excitarentur, & fortiores illata tormenta ab impugnantibus paterentur. In cujus officij præmium, ad spiritum regiménq; compositi, illis Christus apparuit: quibus posteà suorum trop æorũ aspectu confirmatis, & per sanctissimi oris anhelitum Spiritu S. impletis, contulit authoritatem dimittendi culpas peccantibus, & solvendi censuras ab Ecclesiâ assignatas. Thomas verò, quoniam aut privatis reculis impeditus, aut otiosis occupationibus seductus, non interfuit sacro cœtui & cõventui Apostolico; ideóq; non fuit particeps gaudij percepti ex spectaculo triũphantis Magistri; & tunicâ fidei, quæ unius futuræ est, spoliatum se vidit; aut saltem eam ita maculavit, ut sià Religione non prorsus defecit, per octo tamen integros dies vixerit quasi infidelis, & cum infamiâ vacillantis animi. Cúmq; alij discipuli ei referrent, se vidisse Dominum, Thomas totus in fide incredulus, in errore pertinax, in præsumptione superbus, in honorifico respectu erga cæteros omnes Apostolos irreverens, deniq; non tantùm circa modũ Resurrectionis, sed etiam circa ipsam substantiam & veritatem obstinatè incredulus (fortè etiam ipsâ Christi Matre obtestante, ut crederet) sese immodicè opposuit: *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.* Ioan. 20. v. 25. Quin imò indignatus super Apostolorum credulitate, reliquit ipsos & abijt, nec redijt

nisi post elapsos octo dies. Quot errores, quot solœcismos fecit Thomas in unicâ declinatione verbi *Credo*? Et unde in hanc errorum syrtem devolutus est Thomas? Quia nempe *non erat cum eis, quando venit Iesus*. Tantùm obest, non esse cum Jesu, à Jesu separari, Jesu non assidere, cum Jesu non conversari.

Ibidem, v. 24.

29. Thomas deponit incredulitatem tactu Christi latere.

Itaque *post dies octo iterum erant Discipuli ejus intus & Thomas cum eis* in cœnaculo Hierosolymitano, tractantes de memoratis negotijs, & recolentes gaudia exhibitæ Resurrectionis. Jam Thomas, ut infidelitatis errorē deponeret, satagebat imitari naturam Monedulæ. *Nigra pedes, nigris velata Monedula pennis*, suos in eminentium turrium foraminibus, aut sublimium arborum ramis nidos ponit; atque ita congregem suæ speciei avem sectatur, ut vulgaris parœmia sit orta, *Graculus semper assidet graculo*: sicut & mas graculus mortem priùs subit, quàm suam consortem derelinquat. Ita domestica & eicurabilis est hæc avis, ut articulatè loqui non magnâ difficultate addiscat; & è caveis emissa, sponte suâ redeat. Sed & œconomiam providus colit, & ubi satiatus est, frumenti aliorúmq; granorum reliquias terrâ abscondit, ac spicas subsequenti anno ex ijs colligit. Si auri vel argenti reperit monetas, eas protinus mirâ furacitate surripit, & in sui nidi thesauros reponit; unde à Moneta graculus dictus esse creditur Monedula. Vt Divus noster Thomas Monedulam ageret, cavernosa ipsi desiderabatur turris, in cujus foramina sibi tranquillæ conscientiæ, & firmissimæ fidei nidum construeret. *Venit* ergo *Iesus*, turris fortissima, contra quam portæ inferi non prævaluerunt; & quidem venit *januis clausis*, utpote cujus voluntati omnes feræ sunt perviæ, omnes portæ apertæ: *& stetit in medio*, sicut perfectio universi circuli in puncto; *Et dixit, pax vobis*, quam perdi[illegible]n sanguinis mei pretio recuperavi. Ne verò Monedulæ sua opportunitas celaretur, *ostendit eis manus & latus*, cicatrices suorum vulnerum, aperturas sui amoris, cavernas nostræ redemptionis. Jam quid desit Monedulæ, nisi ut ingrediatur usq; ad interiora Divini pectoris, & requiescat in secreto cubiculo dulcissimi Amoris? Quare *Infer digitum tuum huc*, ait invitando plagatus mortis Triumphator, *& vide manus meas; & affer manum tuam, & mitte in latus meum*. O clementiā Christi, quâ per omnia se demittit ad ea, quæ Thomas postulaverat; ejúsq; votis per omnia obsecundat, ut eum ab incredulitatis errore ad fidem convertat! O bonitatem ineffabilem, ut Christus etiam pro uno reducendo homine sua ostendat vulnera; & cùm crassioris esset ingenij, à crassissimo sensuum, id est, à tactu, fidem sibi conciliet! *Et noli esse incredulus, sed fidelis*. Putásne, ô Thoma, me nescire ea, quæ de me absente dixisti? Nunquid non intelligens intellexi te ex temerariâ tuâ incredulitate dicentē: *Nisi mittam digitum meum in locū clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam*. Facito, sicut dixisti. En perforatas tibi offero manus, latúsque meum apertum, ut ea tuâ manu contrectes, palpes, metiaris: hæ sunt cavernæ maceriæ, foramina petræ, pro tua salute & quiete patentia; ut depositâ tuæ incredulitatis pertinaciâ, deinceps me resurrexisse credas, eundem numero, qui in Cruce pro totius mundi salute transfixus pependi, non alium. Tetigit manu, fide intravit, spiritu requievit.

Ovid. 7. Met.

Sed quanta hîc felicitas obtigit Thomæ? Vidit in hac hiante lateris cavernâ ac gloriosâ corporis redivivi mole graculum assidere graculo, Divinitatem adeò fortiter conjunctam Humanitati, ut nec per crudelissimam mortem fuerint abinvicem separatæ; hinc ut cum illis esset *Domesticus unius moris* ac fidei *in Domo*, sese illis familiariter conjungit, ac suæ fidelitatis tesseram emittit, exclamans: *Dominus meus & Deus meus*. Damnat hîc Thomas humilis & pœnitens priorem suam incredulitatem, idque facit magno fidei, spei, pœnitentiæ, ac charitatis affectu. Voce *Dominus*, confitetur humanam Christi naturam; voce Deus, *divinam*. *Dominus meus, & Deus meus*. Ego quia non credebam te esse Deum, hinc non credebam te resurrexisse: sed quia jam resurrexisse te video, credo pariter te esse Deum, qui vi 30. S. Thomæ conversio, & exclamatio profunda.

vi Divinitatis suæ corpus lancinatum à morte ad vitam resuscitavit. *Dominus meus & Deus meus.* Licet Jesus sit omnium Dominus ac Deus; meus tamen est proprius, quia ipse me ovem perditam quasi pastor bonus requisivit; hinc vicissim intimis animæ meæ medullis eum diligo, prosequor & veneror, quasi meum singularem Deum ac Dominum. Tu ergo, ô Jesu, mihi es Deus & Dominus, quia tuis hisce vulneribus, quæ jam palpavi, & verissima cognovi, mihi meruisti & impetrasti hanc fidem, quâ credo te verè resurrexisse; & hanc spem, quâ spero per merita vulnerum tuorum obtinere gratiam & gloriam; & hunc charitatis fervorem, quo te ardentissimè ut Deum & Dominum meum diligo, tibique me totum offero & consecro in servum perpetuum, ut nihil deinceps velim agere, nisi quod ad tuum placitum, laudem & gloriam dirigatur. Vtinam hunc cordis mei sensum toti mundo manifestare, & aspirare possem. Non tantùm ad Parthos, Medos, Persas, Carmanos, Hyrcanos, Bactros & Abyssinos, sed ad Sinas usque & Peruanos, Garamantes & Indos, portabo hoc nomen gloriæ tuæ, *Dominus meus, & Deus meus!* Expendo hîc verba Tertulliani, super tam potentem extasin stupefacti. *Omnibus*, inquit, *Divinitatis Christi probationibus & rebus instructus Thomas, respondit Christo: Dominus meus & Deus meus.* Tres magni recensentur viri, qui ut magnificum perhiberent de Christo testimonium, à tribus divinis Personis edocti sunt atque instructi. Primus est Joannes Baptista, qui à Spiritu S. instructus & impletus, exponit, quantus esset Agnus Dei, qui venerat baptizandus. Secundus Petrus extitit, cui vanas & fallaces hominum opiniones respuenti, *caro & sanguis non revelavit*, sed Pater cælestis, inspirationem desuper missam: *Tu es Christus filius Dei vivi.* Tertio loco S. Thomas est, qui omnibus Divinitatis Christi probationibus & rebus instructus, respondit Christo: *Dominus meus & Deus meus.* Sed notandum, quòd cùm instructor Petri Deus sine carne & sanguine esset, caro & sanguis non revelavit Petro, qualis esset Divina Persona, de quâ tanta agitabatur quæstio: verùm enim verò cùm S. Thomas instrueretur à Christo incarnato, caro ejus gloriosa pretiosis distincta vulneribus, & sanguis, qui in latere Christi ardente fervebat amore, indicârunt Thomæ Dominatorem mortis ac summum Deum colendum ac venerandum. Quòd si Deus miraculorum innotescit probationibus, miraculosè Christus ingreditur, miraculosè Christus apparet, miraculosè Thomam convertit, ne qua probatio Divinitatis deesset.

Tertullian. l. de Trinit.

Matth. 17. v. 16.

31. S. Thomas maximus Resurrectionis Christi præco. Tam nervosa & amabilis est harum vocum, *Dominus meus & Deus meus*, pronuntiatio, ut meipsum stupore quodam defixum teneant, & ad celebrandum Dominicæ Resurrectionis triumphum jucundâ acclamatione reflectant. Simeon Metaphrastes non absque speciali Dei providentia factum esse sentit, quòd congregatis cæteris Apostolis, quando venit JESVS, Thomas non esset præsens, ut postea tantò constantior evaderet præco Resurrectionis. [Venit ergo, inquit, Christus in medium eorum, miraculo ingressus, confirmans miraculum Resurrectionis. Et sic quidem discipuli ipsis oculis, ejus quem desiderabant, fructum percipientes, lætitiâ afficiebantur, solus autem Thomas abfuit à spectaculo: *Qui divino quodam, ut videtur, consilio non aderat, ut cùm miraculum magis examinasset, esset præclarior præco Resurrectionis.*] Vocum præconia victoribus & triumphatoribus deberi, cunctarum gentium jure est confirmatum; cùm nulla inveniatur tam agrestis aut barbara natio, quæ bellicos suos triumphatores festivis vocibus & plausibus non prosequeretur. Hinc orta celebris illa acclamatio: *Io triumpha!* Evolvite Annales sacros & prophanos, nulla vobis occurret sine præconio victoria, nullus sine plausu triumphus. Hinc Davidi de Philisthæo triumphanti, decem millia acclamârunt virgines Victori: de Holoferne principe militiæ regis Assyriorum invictissima Juditha triumphum egit, summi Sacerdotis lau-

Metaphr. ser in legend. S. Thomæ.

di-

dibus, ac totius populi cordialissimo plausu concelebratum. Remissus sum in notissimis & quotidie deprædicatis Sacræ Scripturæ triumphis, quando in memoriam sparsim redeunt victoriæ Scipionum, apparatus Cæsarum, triumphi Alexandrorum, quibus magnificandis nulla Phidiæ, Praxitelis, Glyconis, aut hujusmodi statuariæ artis semideorum inventio par erat: ubi exultabundus omnium applausus ad hanc solam vocem jucunditatis, lætitiæ & gratulationis, audiebatur ad cælos usque intonare, *Io triumpha*! Nulla gentium victoria conferri potest cum illâ, quam Christus in sua Resurrectione comparavit de morte, de peccato, de forti armato, de regno tenebrarum: & ne tantæ victoriæ ac Triumphatori deessent præconia, suis vocibus celebrârunt triumphantem Resurrectionem Apostolicæ mulieres, ac viri Ecclesiæ Primarij; qui victori simul acclamârunt, & victoriam pariter extulerunt. Eorum plausum exhibet Ecclesia in Sequentiâ Paschali. *Sepulchrum Christi viventis, & gloriam vidi Resurgentis. Surrexit Christus spes mea. Scimus Christum surrexisse à mortuis verè; tu nobis Victor Rex miserere. Io triumpha!* Publica hæc fuit omnium Apostolorum vox; sed unus fuit præ cæteris Thomas publicus Triumphatoris præco, & ideò solus ille clamavit & exclamavit: *Dominus meus & Deus meus.* Propterea Christus, quando cæteris apparuit, Thomæ non apparuit, ut singularis esset in hoc præconiorum officio: *Qui divino quodam, ut videtur, consilio non aderat, ut, cùm miraculum magis examinâsset, esset præclarior præco Resurrectionis.* Vnde ut tantùm hoc munus Thomas exequeretur, cùm convenissent Apostoli, & in suo Concilio Apostolicum Fidei Symbolum construerent, inter cæteros extulit vocem Thomas, & ait: *Et resurrexit tertiâ die secundùm Scripturas.* Dignum tantâ victoriâ præconium, dignus & tanto victore præco; cum quo & nos exultationis voces jungamus, acclamantes resurgenti Triumphatori mortis: *Io triumpha!*

Sequentia Missæ in Pasch.

Sed quid nobis hodie tam laboriosè de Resurrectione Paschali agitur, quando post quartum diem celebratur Christi ex utero Virgineo prodeuntis Nativitas? Nempe *Graculus graculo* semper *assidet*, & Thomas jam à Christo non ampliùs vult separari; cui etiam post correctam incredulitatem fuit totaliter assimilatus, propinquus, & domesticus redditus. Vultis scire, quâ arte sibi Christus similem reddiderit Thomam? Similem sibi fecit, cùm clausis januis ingressus est in cœnaculum; & ingressus est more suo. Hic autem mos Domini est, ut intret semper per ostium; ideò dicit. *Sto ad ostium, & pulso.* Alibi clamat: *Aperi mihi soror mea sponsa.* Hoc facit, ut ostendat se legitimum Dominum. *Qui non intrat per ostium, hic fur est & latro.* Non venit Christus in mundum per modum furis & latronis; qui januis clausis in uterum matris ingressus, & inde similiter egressus apparuit. Similis sibi est post Resurrectionem Christus, qui aditum sibi ad discipulos suos fecit, *& intravit januis clausis.* Agnoscitur Dominus, intrans per portam Christus conceptus & natus. Concipitur, & canit Mater: *Magnificat anima mea Dominum.* Nascitur, & nuntiat Angelus: *Natus est vobis Salvator, qui est Christus Dominus.* Recognoscitur etiam ut Dominus post factam Resurrectionem, cùm dicant Apostoli, *Vidimus Dominum*: & exclamet Thomas, *Dominus meus & Deus meus.* Respondent sibi Nativitas & Resurrectio Dominica, sicut Christus & Thomas, *qui dicitur Didymus.* Accedit Isidorus interpretans: *Didymus, id est, Christi geminus, similis Salvatori.* Similis est Resurrectio Christi Nativitati; cùm hæc generatio, illa sit regeneratio; res profectò gemina, sicut & Christi geminus est etiam Thomas; cujus solennis dies cum Christo nascente colitur, & celebris ejus memoria celebratur cum Christo resurgente. Sic *graculus assidet graculo.* Vt quis geminus cum Christo sit, & illum referat, audiendus est S. Augustinus *Quisquis ita vult esse similis Deo, ut ad illum stet, fortitudinémque suam, sicut scriptum est, ad illum custodiat, non ab illa recedat, ei cohærendo*

32. S. Thomas Christo proximus in ortu & resurrectione.

Apoc. 3. v. 20.

Cant. 5. v. 2.

Joan. 10. v. 1.

Luc. 1. v. 47.

Luc. 2. v. 11.

Isidorus l. de vita sancto.

S. August. in Psal. 70.

do signetur, tanquam ex annulo cera illi affixus; habeat imaginem ejus, faciens quod dictum est; mihi autem adhærere Deo bonum est.

33. S. Thomas ex amore cum Christo mori voluit. Verè fortitudinem suam ad Christum custodivit Thomas, generosè, & alacriter potiùs cum Christo mori volens, quàm ab eo separari, graculorum more. Deliberabatur à Christo & Discipulis ejus, quid agendum, an in gratiam graviter infirmantis Lazari abeundum esset Bethaniam, Castellum prope Metropolim Iudææ consitum? Difficultatis cardo versabatur in fatali odio Judæorum, quod conceperant, unanimiter conspirando in ejus internecionem. Itaque si redirent in Judæam, obviabat manifestum periculum captivitatis: si verò non venirent ad consolationem Lazari ac duarum sororum ejus, à quibus eximia receperant beneficia, meritò ingratitudinis notam incurrerent. Proinde Christus sciens esse duodecim horas diei, in quibus homo facilè possit ab affectu odij mutari in affectum amoris, resolvit se magnanimiter: *Eamus in Iudæam iterum*, ex Bethara in Bethaniam ad visitandum Lazarum. Vbi hoc audierunt discipuli, formido eos invasit propter livorem Judæorum, quem non tam Christo, quàm sibi damnosissimum futurum metuebant; dissuadent ergo: Rabbi, ante paucas septimanas *quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc?* Verum illis nequicquam hoc iter dissuadentibus, Magister iteratò suam resolutionem insinuat; & quia Lazarum non modò infirmum, sed omnino vitâ functum, omniscio suo spiritu nuntiabat, urget itineris accelerationem: *Sed eamus ad eum.* Hîc inter discipulos pavor & formido; hîc obsequendi voluntas; hîc tergiversandi movens ratio. *Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos,* (Ioan. 11. v. 16.) cùm eos adverteret pavidos & formidolosos; animos addens tergiversantibus, imò fortiter urgens: *Eamus & nos, & moriamur cum eo.* Notate phrasin Evangelistæ: *Thomas*, inquit, *qui dicitur Didymus.* Quid officij hæc nominis excellentia subit? *Didymus* in-

terpretatur *gemellus*, sive quòd eodem partu cum altero fratre natus sit, juxta Euthymium; quomodo Jacob & Esau fuerunt gemelli: sive quòd hoc nomen à majoribus acceperit; quomodo apud Romanos quosdam Spurios, alios Crassos, alios Claudios legimus appellatos; etiamsi illi ipsi nec spurij, nec crassi, nec claudi forent. Theophilactus quidem censet, hîc tam operosè Thomam cum addito *Didymum* dici, ut significentur ejus mores; quòd scilicet esset Didymus, hoc est, gemellus, varius, inconstans, dubius, duplex. Quadraret hæc interpretatio pro capite 20. Joannis, ubi Thomas ob incredulitatem Resurrectionis Christi vocatur Didymus: hoc autem loco, quando agitur de periculo revertendi in Judæam, Thomas non erat duplex animo, non dubius, non varius & inconstans; sed cordatè, constanter & animosè dicebat: *Eamus & nos, & moriamur cum eo.* Ergò potiùs videtur Thomas hîc dici Didymus, quasi gemellus frater Christi: talem enim se hîc ostendit, dum pro Christo & cum Christo vivere & mori paratum sese offert, aliósque ad idem faciendum hortatur, dicens, *Eamus & nos, & moriamur cum eo.* Solent enim subinde gemelli mutuò sese valde diligere, sicut graculus graculum; imò moribus & amoribus esse similes, ut uno gaudente, ridente, flente, gaudeat, rideat, fleat & alter; imò uno ægrotante vel moriente, ægrotet vel moriatur & alter. Ecce verus amantium affectus, inquit Glossa interlinearis, vel cum eo vivere, vel cum eo mori: quales apud Gallos erant Soldurij, quorum lex & fœdus erat, in bello vel simul vincere, vel simul occumbere. (Iulius Cæsar in Commentar.) Quo etiam S. Paulus videtur allusisse, dicens ad Corinthios: *In cordibus nostris estis ad commoriendū, & ad convivendum.* (2. Corinth. 7. v. 1.) Offert ergò se Thomas pro Christo certæ morti; hanc enim imminere putabat: quod insigne fuit fortitudinis ejus eximiæ, æquè ac amoris in Christum singularis argumentum.

Pulchra vox *Didymi*, deliciosa *Gemelli*: hinc diutiùs in eâ ruminandâ

34\. S. Thomas cur dicatur Didymus.

moror; utpotè quòd aliâ interpretatione etiam *Abyssum*, & *Geminum* feratur præclarè significare. Abyssus quidem est S. Thomas, in cujus incredulitate & ad fidem conversione, Divinorum Judiciorum sublimitas & profunditas fuerunt deprehensa. *Indicia* (Psal. 35. v. 17.) quippe *Dei abyssus multa*. Sed quomodo *geminus* dicatur Thomas? Geminus cum gemello, videntur omnino importare idē. Habuistis paulò antè gemellū, nunc geminum accipite, graculū utrobiq;. Janus, Macrobio teste, olim Geminus nuncupabatur: cùm enim esset omniū sui sæculi prudentissimus, qui non solùm viderit ante se præterita, sed etiam post se futura prospexerit, antiquitas eum *geminâ* facie depictum exhibebat. Pollucem & Castorem, inter Zodiaci signa relatos, Astrologi Geminos appellant, eò quòd ex matre Lyda uno eodémque partu sint editi. De his Geminis asserit Seneca, in magna tempestate quasi stellas cælo insidentes apparere, & eorum auxilio periclitantes naufragos evadere. Columella verò *geminum astrum* vocat, quòd 14. Kalendas Junij Sol lucidus & clarus ingreditur. Parva sunt ista, & ambiguis scrupulis implexa; ad majora & certiora veniamus. S. Thomas instar Divini sideris geminus est, in quem ingressus est Spiritus sanctus, qui Sol Divinitatis ardentissimus & clarissimus vel ab ipso Christo suspicitur, dum diceret: *Ille me clarificabit*. (Ioan. 16. v. 14.) Melior ac potentior est *Geminis* illis cælestibus, quos falsò putavit Antiquitas naufragis apparere, & periclitantes è vitæ discrimine educere: hic Apostolus periclitantibus in fide favet, & adjuvat, ne submergantur in mari incredulitatis; quomodo Anastasius magnus advertit: (Anast. l. 4. hexaem.) *Habet Ecclesia geminos, stellam Thomam, qui dicitur geminus.* Multi quidem sunt & hactenus fuerunt, qui condolente Gentium Doctore, *repellentes bonam conscientiam, circa fidem naufragaverunt.* (1. Timoth. 1. v. 19.) Verùm in tantæ calamitatis periodo remedium prævidit Deus, ut suspiciat Ecclesia *Geminos* stellam, S. videlicet Thomam, *qui dicitur Didymus*; ut periclitantibus in fide, ejúsque opem implorantibus, opportunam ferat medelam. Quòd si Janugeminâ facie pingebatur, quia prudentiâ suâ usus, præterita & futura prospexerit: nihil equidem prudentiæ defuit Apostolo, quin antè & retrò prospiceret, quanta & quàm antiqua jam esset inveterata Indorum malitia; & prævidens, quid futurum esset, si cum illis procederet severiùs, ab omni rigore abstinuit. More quidem processit, quem didicit à Magistro suo Christo; & vitæ priùs exemplo, quàm sermone, gentes Indicas reformavit; quippe qui teste Metaphraste *habebat in se Magistrum Christum.*

35\. S. Thomæ peregrinationes & prædicatio.

Quàm providè hoc *Geminorum* sidus, hic biceps Janus, citeriorem & ulteriorem Indiam respexerit, percurrerit, illustrârit, cùm ex Ecclesiæ annalibus constet, etiam à Recentioribus quibusdam fideliter enarratur. Certè de vehementissimo Christi amatore (sic S. Thomam vocat Nicephorus) ita scribit R. P. Emanuel Nobrega Soc. (Emmanuel Nobrega in lit. Anno 1552.) Jesu, Missionarius Apostolicus, ex Brasiliâ citerioris Americæ parte, Anno Domini 1552. *Habent Incolæ S. Thomæ notitiam, quem Zome nuncupant* (mutando Th in Z dialecto propriâ) *cúmque hâc iter fecisse, à maioribus acceperunt; & vestigia Apostolica etiamnum cerni propè quendam fluvium affirmant. Quod ut certiùs cognoscerem, ipse abij, & proprijs oculis inspexi quatuor pedum & digitorum satis alta impressa vestigia, quæ nonnunquam aqua excrescens cooperit. Ferunt autem ea relicta, dum D. Thomas persecutores ipsum configere volentes fugeret; flumenque divisum fuisse, per cujus medium ad ulteriorem ripam sicco pede profectus in Indiam abijt. Pari modo narrant sagittas, quibus ipsum petebant, in sagittarios reflexas, silvásque, per quas gradiebatur, cedentes viam præbuisse. Illum quoque pollicitum fuisse, se aliquando has regiones revisurum.* Porro Joanni Eusebio Nierenbergio (Ioan. Euseb. Nierenbergius hist. Nat. l. 5. c. 2. & lib. 14. c. 11.) exploratis testimonijs constat apud Taiaobæ Indos in Occidenti tradita per avos memoria ejus Apostoli, quam retinent ab ejus per illas plagas transitu; cujus non levia, imo ad miraculum usque extant indicia; præcipuè se-

semita quædam in vastis illis solitudinibus hactenus contumax fui, nullâ herbâ obsita; cùm ab utroque latere ultra modum herbescat Eâ dicunt iter peregisse Apostolum, atque inde profectum in Regna Peruana. Traditio quoque manavit, in Regionem Paraguay venisse, postquam per fluvium Iguazu descendisset. Deinde in Paranam per Aracaium. Ibi observatur locus, ubi lassus quievit, recreaturus paulisper marcentes artus. Prædixitque, uti à majoribus acceptum est, illuc post se adventuros viros, qui posteris suis fidem prædicatione veri Dei repetitâ vice annuntiarent. Quod ingens solatium & ardentissimum animum addere debet Religiosorum Ordinum operarijs, inter illas nationes pro Ecclesiæ incremento durissimos labores sustinentibus. Sunt præterea alia nostræ Religionis signa, in Occidentem usque evulgatæ. Reges Ingarum marmoream crucem in pretio habuerunt in aulâ suâ Cuzco. In regno YucatâCrucem adorabant incolæ. Interrogati, unde illum cultum haberent? Responderunt, transijsse virum formosissimum per eos tractus, qui eis id insigne in sui memoriam reliquerit. Alij dixerunt, obijsse lucidiorem sole hominem quendam in eo oppido. Memoria quoque Trinitatis in Chiapâ colitur; tum passionis Filij, crucifixionis, flagellationis & spineæ coronæ, triduanæ mortis, resurrectionis, ascensionis in cælum, & adventûs Spiritûs sancti. Nota quoque ijsdem B. Virgo: aliáque ejusdem nostræ Religionis, in profundâ illâ occidentis Americæ barbarie, relicta vestigia non ad alium, quàm ad S. Thomam referenda videntur: ut proinde *Didymus* noster, simul in Orientem & Occidentem respiciens, haud minoris fuerit nobilitatis, ac Scipio Romanus; à quo cùm exigerentur rationes factarum expensarum in bello Africano, rationum libellum tradidit, dicendo. *Nolite Patres de meâ innocentiâ dubitare; quia licet Africam totam vestræ potestati subjecerim, nihil ex eo, quod meum posset dici, præter nomen & gloriam reportavi.* Ecce plus quàm Scipio, Indicarum gentium inspector est, & Apostolicus debellator S. Thomas; de quarum infinitis thesauris nihil accepit; & cùm vastissimas Indias Evangelij prædicatione subjecisset Deo, nihil aliud præter nomen & gloriam in cælum reportavit.

Pet. Mart. dec. 4.

36. Ad finem properat oratio mea: & dum video graculum assidere graculo, ac Thomam velut columbam in foraminibus petræ, in cavernis maceriæ conquiescere jugiter; velut Monedulam geminato amore, Christi semper consortio frui; recolo, quod apud Platonem legi: ubi Aristides vel ex ipso aspectu, ac contactu Socratis, mirificam se quandam utilitatem percipere solitum esse, profitetur his verbis. *Proficiebam, ô Socrates, quotiescunque tecum essem; etsi in eadem domo solùm essem, non tamen in eadem parte domûs, magis tamen quoties in eadem parte. Et mihi quidem videbar, multò magis, quando in eadem parte existens aliquid te dicentem intuebar, quàm cùm aliò essem aversus. Sed longè magis proficiebam, cùm apud te sedens te tangebam.* Humanus ille Aristides erat Divus Thomas Apostolus Christo Domino, in cujus consortio & cohabitatione ita processit & ita se gessit, ut meliùs & veriùs dicere potuerit. Proficiebam, Christe sancte, quoties tecum essem, etsi in eadem domo solùm essem, magis tamen cùm ad te accedebam, & dicentem te intuebar. Sed longè magis proficiebam, cùm apud te sedens apertam tui lateris cicatricem tangebam. Assuetus erat Thomas & audire, & intueri, & tangere Christum, & inde proficere; & similis sibi esse cupiens, cùm dicerent coapostoli, *Vidimus Dominum*, credere distulit, donec Christum cerneret, & sacra ejus vulnera palparet. Quando verò Thomas factus est frigidus in fide, & incredulus in Religione, *non erat cum discipulis, quando venit Iesus.* Erat, quasi Carbones disjuncti & separati, qui non tantùm perdunt flagrantiam fulgoris, sed etiam induunt fuliginem squalloris; ut illis rectè subscribatur: *EX-*

S. Thomas quantum profecerit ex consortio Christi.

Plato in Theag.

Boëtius de Consol. Philo. l. 4.

TINGVIMVR SI DISTINGVIMVR. Prout alludit Boëtius, dicens: *Nostine igitur, omne quod est, tam diu manere, atque subsistere, quamdiu sit unum; sed interire, atque dissolvi pariter, quando unum esse desierit.* Et planè facies Thomæ erat super carbones denigrata, quando ab illo Apostolico, & sanctis inflammationibus ardentissimo collegio, ac Christi latere fuit elongatus; nec rediit ad Apostolicos ardores, quousque rediret ad pristinos unitatis splendores. Certè carbo extinctus, *REVIVISCET ET IGNESCET ATTACTV* carbonis ardentis. Erant Christi vulnera velut Pyropi & Carbunculi, ardentissimi simul ac splendentissimi; erant sicut carbones vivi: his adjunctus Thomas, *solo attactu*, cœpit scintillas amoris pristini concipere, tum ad ardores transire fidei, denique omnino inflammari & ignescere admiratione transpositiva, & exclamare: *Dominus meus & Deus meus!* Quod de sacratissimo Eucharistiæ Sacramento discurrit S. Dionysius Areopagita, id pari sensu ad Christi rubentia vulnera exhiberi posset Thomæ. *Quemadmodum*, inquit, *ignis sensibilis, ea quibus insederit, in suum traducit officium, omnibusque quodammodo sibi propinquantibus sui consortium tradit, Haud aliter DOMINVS noster & DEVS, qui ignis consumens est, nos per cibum hunc sacratissimum in sui traducit effigiem, Deiformesq; reddit.* Traduxit Thomam in sui effigiem per attactum lateris sacratissimum, cùmque DEIformem reddidit, ut validè exclamaret: *Dominus meus & Deus meus.*

S. Dionysius l. de cœlesti hierarchia.

Tantum interest, à Christo non elongari, Christo proximum esse, Christi vulnera tangere, Christo similem reddi, ad Christum confugere, Christum inclamare, & in Christum credere. Reflecto me super id, quod de aliquo (nî fallor) sturno referunt historiæ. Is nempe edoctus fuerat pronuntiare articulatim, *Sancte Thoma Indiarum Apostole, ora pro me*: contigit ut accipiter pleno impetu hunc è suâ caveâ liberiùs provolantem persequeretur: exclamat, & repetit Avis suam precatiunculam, *Sancte Thoma ora pro me.* Tum ecce! prædo deijcitur momento, & exclamans Avis salvatur. Simile quid narrant de Papagallo, in naufragio per hanc precationem salvato. Pericula nobis insolescunt plurima, quoties à Christo disjungimur. Ah! quoties periclitamur in fide, & credulitate Divinorum Mysteriorum? quoties nobis insidiantur infernales prædones? quàm miseri fluctuamus inter scientias & errores? quàm extincti frigescimus amore divino? In hisce periculosis insultibus, tantùm nobis profit invocâsse, *Sancte Thoma, ora pro nobis*; quantùm tibi contulit exclamâsse,

Eusebius Nierembergius in hist. Nat. & Engelgrav.

Dominus meus & Deus meus!

Amen.



IN



IN SOLENNITATE
NATIVITATIS DOMINI.

COLYBRIS ADMIRABILIS.

Das Wunderschöne Weyhnacht-Vögelein.

LEMMA.

Grandis & in pumilo causâ stuporis erit. Raynaud. in Philolog.

THEMA.

Parvulus natus est nobis; & vocabitur nomen ejus, Admirabilis. Isa. 9. v. 6.

SYNOPSIS CONCIONIS LXIII.

Ex omni volatilium cœtu eligitur Americana Colybris, quæ speciosissimo suo compendio CHRISTI Vnigeniti Filij Dei mirabilia magna symbolizet, & Fidelium animis ad Bethlehemiticum stabulum religiosissimos admirationis actus proponat.

37. Christus variâ ratione avi comparatus ex S. Scriptura.



Aud unquam antè tam opportunâ donatus sum felicitate ad serviendum occasioni ac tempori, & obsequendum Divino mandato, inter terrores & fulgura per Moysen ad populum Israëliticum promulgato. *Si ambulans per viam, in arbore vel in terrâ nidum avis inveneris, & matrem pullis vel ovis desuper incubantem, non tenebis eam cum filijs, sed abire patieris, captos tenens filios; ut bene sit tibi, & longo vivas tempore.* (Deut. 22. v. 6.) O me fortunatum! qui transiens penes antiquissimæ Bethlehemiticæ Civitatis mœnia, in pervio stabulo, in præsepio malè aperto inveni nidum, fœno ac stramine constructum, in nido pusillum Pullum, & cum Pullo matrem sollicitè excubantem. Vt ergo Divino obtemperarem præcepto, excepi Pullum. Illum, inquam, Pullum, quem Deus Ter Optimus Maximus ex suo sinu avolare fecit, *vocans ab Oriente avem*, ut visitaret nos oriens ex alto: (Isa. 46. v. 11.) illum Pullum, qui Hussæo Vate testante haud consideravit semitas suas. *Semitam ignoravit Avis*, semitam utique suæ infinitæ bonitatis, (Iob. 28. 7.) suæ immensæ charitatis, & suæ inexhaustæ miserationis. Illum denique Pullum, qui de seipso apud Matthæum suas exponit ærumnas: *Volucres cæli nidos habent; filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* (Matth. 8. v. 20.) Et expectatis fortassis, me circa Cuculi officiositatem fore negotiosum, qui & po-

nit ova, & *PARIT IN ALIENO NIDO*; quando etiam S. Evangelista observat de beatissima Virgine, quòd *Reclinavit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio*? Vbi S. Gregorius observat ad propositum. *Non in parentum domo, sed IN VIA nascitur; quia per Humanitatem suam, quam assumpserat, quasi IN ALIENO NASCEBATVR*. Converto oculos meos à cuculo & Pullo ad Pusillum, ad Parvulum, ad Infantem, ad Vnigenitū Dei & Virgineæ Matris Filium; cui Ecclesia Catholica ita accinit, velut Aviculæ in nidulo quiescenti. *Fœno jacere pertulit, præsepe non abhorruit; Et lacte modico pastus est, per quem nec Ales esurit*. O electissimi & venustissimi Incolæ Aëreæ civitatis! ô nobilissimi Ephebi Aquilinæ Aulæ! ô mirâ libertate ac gratitudine præcellentes cælestis Patrisfamilias Alumni! ô multicolores, amæni, & delicatissimi Choraulæ terrarum! ô teneræ & innocentes animulæ Avicularum! Solennissimâ hâc Dominici Natalis die, quo tota cælestium, terrestrium, & Inferorum harmonia exultabunda in Divinas sese effundit laudes, vestræ voci impositum sit silentium? An non etiam deliciosa vestræ musicæ suavitas communi omnium plausui suos liberaliter adjiciat modos? Omnino fas esse videtur, ut hodie cum Pastoribus ad nidum Bethlehemiticum properem: &, ubi illi suas sportulas, Reges verò sua munera offerunt, ego ex meo Ornitrophio producam unicam ex omnibus Aviculam, omnium minimam, venustissimam, ingeniosissimam, incomparabilem; eámque cum debitâ profundissimæ reverentiæ submissione, ad obsequia offeram nato Parvulo. Hæc Avicula cùm apud varios diversa sortiatur nomina, Indianis dicatur *Colybris*, Peruanis *Gonambuch*, Hispanis *Tominos*, Mexicanis *Vicicilin*; nobis certè ex Prophetiæ præsagio *vocabitur nomen ejus admirabilis*; quando etiam Gomara, non ignobilis Author, brevi compendio ei hoc prædicatum tribuit. *Istic reperitur*, inquit, *admirabilis avicula, cicadæ magnitudine, elegantissimis pennis versicoloribus tecta*.

Luc. 2. v. 7.

S. Greg. hom. 8. in Evang.

Gomara hist. general. Indiarum c. 194. apud Nierembergium hist. Nat. l. 10. c. 1.

Hæc Avicula hodie mihi campum aperiet amplissimum, admirabilia dicendi: & licet sit Avicula omnium minima, Parvulus etiam ex intactæ Virginis utero genitus sit admodum exiguæ molis; virtus tamen maxima inerit Parvis. *GRANDIS ET IN PVMILO CAVSA STVPORIS ERIT*: quando ex tam parvo principio promicabunt admirabilia opera; quæ fecit ille hodie, qui est in consilijs suis inscrutabilis, *Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis*, Salvator Mundi.

Isa. 9. v. 6.

38. In minore ac breviori corpore constipati circulantur spiritus; & virtus adunata dispersâ sit fortior: sed & juxta Philosophos, Pusilli ac breves corpore fortes sunt; ac plerumque

Rebus minimis maxima vis & gratia inest.

Major in exiguo regnavit corpore virtus;

Corpore in exiguo res numerosa fuit.

Exiguos homines sed audacissimos, in Nili insula degere, qui Crocodilis adeò efferis animalibus sese offerant obvios, memorat Solinus. Alexandrum animo magnum, corpore brevem, angusto domicilio tantos spiritus recludentem, demirata est Antiquitas: ut propterea Gualterus dicat de Regina Amazonum, quòd cùm primùm illum conspexit, mirata sit, quòd famæ virtutis non correspondeat exiguum corpus, secum taciturnè versando,

Solinus c. 45.

Gualterus de Alexandreide.

Principis indomiti virtus ubi tanta lateret?

Miltiades, Themistocles, Coriolanus pusilli fuerunt. Xantippus Lacedæmonius brevissimâ staturâ homo, res Carthaginensium restituit. Pipinus Rex Francorum, *licet ut noduli bipedalis homunculus esset*, & ideo à modicâ staturâ cognomento *brevis* diceretur; animo tamen erat & fortitudine summus, & virtutum suarum meritis excrescens, utpote qui primus è sua stirpe, dejecto ignavo Principe, Regis titulum obtinuit. Attila mundi terror, & Dei flagellum, staturâ pusillus erat. Hercules excelsorum spirituum prototypon, pusillus corpore fuit. Sed & natura cùm exigua corpore animalia compegit, id ante omnia procuravit, ut

Ægidius Corboliensis in Carolo.

Clemens in Protreptico.

ut quidquid magnitudini dettaheret, illud, vi aut certè aliquâ utilitate compensaret; prout ingeniosè ac diligenter in hisce *Corporum Punctis* observavit S. Hieronymus. Constat insuper, præcipuos quosque in Ecclesiâ Dei Doctores, ingenij gloriâ præcellentes, pusillo fuisse corpusculo, ut de S. Paulo & S. Joanne Evangelista *tricubitalibus*, in specie tradunt; in quibus ordinariè suspiciebatur *Gratior exiguo veniens de corpore virtus.* Nec tantùm vigor & efficacia pusillitatem corporum comitatur, sed etiam pulchritudo: prout eo distícho signatum est.

S. Hieronymus super Ioel. 2.

Vilior haud pars est Alci, nec dignior ungue.
Ergo etiam parvis gratia magna data est.

Hanc parvorum concinnitatem & gratiam Plinius paucis expressit: *Nusquam alibi*, inquit, *spectatius artificium, quàm in his tam parvis atque tam nullis.* Concinitque D. Augustinus, notans inter animalia plus admirationis habere, quæ molis minimum. Plus enim formiculas & apiculas stupemus, quàm immensa corpora balænarum; hinc energeticè ait. [Deus ita est artifex magnus in magnis, ut minor non sit in parvis: quæ parva non suâ granditate (nam nulla est) sed artificis sapientiâ sunt metienda: sicut in specie visibilis hominis, si unum radatur supercilium, quàm propemodum nihil corpori, & quàm multum detrahitur pulchritudini: quoniam non mole constat, sed parilitate ac dimensione membrorum.] Quidquid tandem admirationis aut pulchritudinis magna præseferant, *Grandis & in pumilo causa stup ris erit.*

Plinius l. 11. c. 2.

S. August. l. 11. Civit. c. 22.

Theophilus Raynaudus in Pulchrigratia de laude Brevit.

39. Quanta Majestatis potentia in Infante lateat?

Avicula nostra Colybris minima est omnium cæli volucrum, in quam Deus admirabilis suæ potentiæ thesauros recondit; corpore quidem non majore, quam crabronis, oblongo & gracili rostro. Et verò huic Aviculæ à Peruanis & Hispanis nomen impositum *Tomineio*, quòd adeò levis sit, ut uno duntaxat tomino constet, hoc est, duodecim grana pendat. Exinde ad Bethlehemiticum Parvulum converto animum, & oculos meos; ex cu us tenero & pusillo corpusculo cùm ubique resplendeant argumenta Divinitatis, D. Augustini reprod uco sententiâ. *Occultatur in membris Infantis potentia Majestatis.* Quanta potentia Majestatis, dum gratiosâ & admirabili suâ Nativitate, tanquam Virgineæ Matris dignissimus fœtus, per universum orbem, omnes & singulas idolorum statuas dejecit, confregit, destruxit, climinavit? haud secus, ac olim lapillus ille, de montis jugo potenti gravitate delabens, auream Nabuchodonosoris statuam prostravit & evertit. Memorabile est, quod de Cæsare Augusto tradunt Annales; is enim circa idem currens nati Servatoris tempus, Apollini simulacro hecatomben, hoc est, centum victimarum sacrificium offerebat, oraculum requirens, quisnam post illum extinctum Imperio præfuturus esset? Sed obmutuit Idolum, nec respondit. Ergo instruitur novum hecatombe, atque instantiùs Apollinis oraculum sollicitatur: tandem dæmonis vox ex simulacro profatur sequentes versus.

S. August. serm. 5.

Me Puer Hebræus, Divos Deus ipse gubernans,
Cedere sede jubet, tristémque redire sub orcum.
Aris ergo dehinc tacitus discedito nostris.

Ipse Primogenitus Virginis confregit potentias, scutum, gladium & bellum, & tenebrarum arma ac machinas ipse disrupit. Admiretur Antiquitas cujusdam artificium Mirmicidis, qui integram Triremem cum velis & remis, ac omnibus pertinentijs, articulatè ac distinctè in tam exiguum redegit compendium, ut vel ab Apiculæ alis posset contegi Ego longè plùs admirabor parvum & modicam Christi Humanitatem, quâ Spiritus Sanctus tanquam sapientissimus Artifex omnipræsentiam Deitatis inclusit, ac velut in gratiosum compendium redegit. Venerabundus intueor hoc opus Excelsi, in præsepis fœno repositum; & sicut olim Plinius de Colosso Rhodio in frusta dejecto dixit, quòd *jacens quo-*

Plin. l. 1. c. 7.

nisi post elapsos octo dies. Quot errores, quot solœcismos fecit Thomas in unicâ declinatione verbi *Credo*? Et unde in hanc errorum syrtem devolutus est Thomas? Quia nempe *non erat cum eis, quando venit Iesus*. Tantùm obest, non esse cum Jesu, à Jesu separari, Iesu non assidere, cum Jesu non conversari. *Ibidem, v. 24.*

29. Itaque *post dies octo iterum erant Discipuli ejus intus & Thomas cum eis* in cœnaculo Hierosolymitano, tractantes de memoratis negotijs, & recolentes gaudia exhibitæ Resurrectionis. Jam Thomas, ut infidelitatis errorē deponeret, satagebat imitari naturam Monedulæ. *Nigra pedes, nigris velata Monedula pennis*, suos in eminentium turrium foraminibus, aut sublimium arborum ramis nidos ponit; atque ita congregem suæ speciei avem sectatur, ut vulgaris parœmia sit orta, *Graculus semper assidet graculo*: sicut & mas graculus mortem priùs subit, quàm suam consortem derelinquat. Ita domestica & cicurabilis est hæc avis, ut articulatè loqui non magnâ difficultate addiscat; & è caveis emissa, sponte suâ redeat. Sed & œconomiam providus colit, & ubi satiatus est, frumenti aliorúmq; granorum reliquias terrâ abscondit, ac spicas subsequenti anno ex ijs colligit. Si auri vel argenti reperit monetas, eas protinus mirâ furacitate surripit, & in sui nidi thesauros reponit; unde à Moneta graculus dictus esse creditur Monedula. Vt Divus noster Thomas Monedulam ageret, cavernosa ipsi desiderabatur turris, in cujus foramina sibi tranquillæ conscientiæ, & firmissimæ fidei nidum construeret. *Venit ergo Iesus*, turris fortissima, contra quam portæ inferi non prævaluerunt; & quidem venit *januis clausis*, utpote cujus voluntati omnes feræ sunt perviæ, omnes portæ apertæ: *& stetit in medio*, sicut perfectio universi circuli in puncto; *Et dixit, pax vobis*, quam perditam sanguinis mei pretio recuperavi. Ne verò Monedulæ sua opportunitas celaretur, *ostendit eis manus & latus*, cicatrices suorum vulnerum, aperturas sui amoris, cavernas nostræ redemptionis. Jam quid desit Monedulæ, nisi ut ingrediatur usq; ad interiora Divini pectoris, & requiescat in secreto cubiculo dulcissimi Amoris? Quare *Infer digitum tuum huc*, ait invitando plagatus mortis Triumphator, *& vide manus meas; & affer manum tuam, & mitte in latus meum*. O clementiā Christi, quâ per omnia se demittit ad ea, quæ Thomas postulaverat; ejúsq; votis per omnia obsecundat, ut eum ab incredulitatis errore ad fidem convertat! O bonitatem ineffabilem, ut Christus etiam pro uno reducendo homine sua ostendat vulnera; & cùm crassioris esset ingenij, à crassissimo sensuum, id est, à tactu, fidem sibi conciliet! *Et noli esse incredulus, sed fidelis*. Putásne, ô Thoma, me nescire ea, quæ de me absente dixisti? Nunquid non intelligens intellexi te ex temerariâ tuâ incredulitate dicentē: *Nisi mittam digitum meum in locū clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam*. Facito, sicut dixisti. En perforatas tibi offero manus, latúsque meum apertum, ut ea tuâ manu contrectes, palpes, metiaris: hæ sunt cavernæ maceriæ, foramina petræ, pro tua salute & quiete patentia; ut depositâ tuæ incredulitatis pertinaciâ, deinceps me resurrexisse credas, eundem numero, qui in Cruce pro totius mundi salute transfixus pependi, non alium. Tetigit manu, fide intravit, spiritu requievit. *Ovid. 7. Met.*

Thomas deponit incredulitatem tacto Christi latere.

Sed quanta hîc felicitas obtigit Thomæ? Vidit in hac hiante lateris cavernâ ac gloriosâ corporis redivivi mole graculum assidere graculo, Divinitatem adeò fortiter conjunctam Humanitati, ut nec per crudelissimam mortem fuerint abinvicem separatæ; hinc ut cum illis esset *Domesticus unius moris* ac fidei *in Domo*, sese illis familiariter conjungit, ac suæ fidelitatis tesseram emittit, exclamans: *Dominus meus & Deus meus*. Damnat hîc Thomas humilis & pœnitens priorem suam incredulitatem, idque facit magno fidei, spei, pœnitentiæ, ac charitatis affectu. Voce *Dominus*, confitetur humanam Christi naturam; voce Deus, *divinam*. *Dominus meus, & Deus meus*. Ego quia non credebam te esse Deum, hinc non credebam te resurrexisse: sed quia jam resurrexisse te video, credo pariter te esse Deum, qui 30.

S. Thomæ conversio, & exclamatio profunda.

vi

vi Divinitatis suæ corpus lancinatum à morte ad vitam resuscitavit. *Dominus meus & Deus meus.* Licet Jesus sit omnium Dominus ac Deus; meus tamen est proprius, quia ipse me ovem perditam quasi pastor bonus requisivit; hinc vicissim intimis animæ meæ medullis eum diligo, prosequor & veneror, quasi meum singularem Deum ac Dominum. Tu ergo, ô Jesu, mihi es Deus & Dominus, quia tuis hisce vulneribus, quæ jam palpavi, & verissima cognovi, mihi meruisti & impetrasti hanc fidem, quâ credo te verè resurrexisse; & hanc spem, quâ spero per merita vulnerum tuorum obtinere gratiam & gloriam; & hunc charitatis fervorem, quo te ardentissimè ut Deum & Dominum meum diligo, tibique me totum offero & consecro in servum perpetuum, ut nihil deinceps velim agere, nisi quod ad tuum placitum, laudem & gloriam dirigatur. Vtinam hunc cordis mei sensum toti mundo manifestare, & aspirare possem. Non tantùm ad Parthos, Medos, Persas, Carmanos, Hyrcanos, Bactros & Abyssinos, sed ad Sinas usque & Peruanos, Garamantes & Indos, portabo hoc nomen gloriæ tuæ, *Dominus meus, & Deus meus!* Expendo hic verba Tertulliani, super tam potentem extasin stupefacti. *Omnibus*, inquit, *Divinitatis Christi probationibus & rebus instructus Thomas, respondit Christo: Dominus meus & Deus meus.* Tres magni recensentur viri, qui ut magnificum perhiberent de Christo testimonium, à tribus divinis Personis edocti sunt atque instructi. Primus est Joannes Baptista, qui à Spiritu S. instructus & impletus, exponit, quantus esset Agnus Dei, qui venerat baptizandus. Secundus Petrus extitit, cui vanas & fallaces hominum opiniones respuenti, *caro & sanguis non revelavit*, sed Pater cælestis, inspirationem desuper missam: *Tu es Christus filius Dei vivi.* Tertio loco S. Thomas est, qui omnibus Divinitatis Christi probationibus & rebus instructus, respondit Christo: *Dominus meus & Deus meus.* Sed notandum, quòd cùm instructor Petri Deus sine carne & sanguine esset, caro & sanguis non revelavit Petro, qualis esset Divina Persona, de quâ tanta agitabatur quæstio: verùm enim verò cùm S. Thomas instrueretur à Christo incarnato, caro ejus gloriosa pretiosis distincta vulneribus, & sanguis, qui in latere Christi ardente fervebat amore, indicârunt Thomæ Dominatorem mortis ac summum Deum colendum ac venerandum. Quòd si Deus miraculorum innotescit probationibus, miraculosè Christus ingreditur, miraculosè Christus apparet, miraculosè Thomam convertit, ne qua probatio Divinitatis deesset.

Tertullian. l. de Trinit.

Matth. 17. v. 16.

Tam nervosa & amabilis est harum vocum, *Dominus meus & Deus meus*, pronuntiatio, ut meipsum stupore quodam defixum teneant, & ad celebrandum Dominicæ Resurrectionis triumphum jucundâ acclamatione reflectant. Simeon Metaphrastes non absque speciali Dei providentia factum esse sentit, quòd congregatis cæteris Apostolis, quando venit JESVS, Thomas non esset præsens, ut postea tantò constantior evaderet præco Resurrectionis. [Venit ergo, inquit, Christus in medium eorum, miraculo ingressus, confirmans miraculum Resurrectionis. Et sic quidem discipuli ipsis oculis, ejus quem desiderabant, fructum percipientes, lætitiâ afficiebantur, solus autem Thomas abfuit à spectaculo: *Qui divino quodam, ut videtur, consilio non aderat, ut cùm miraculum magis examinasset, esset præclarior præco Resurrectionis.*] Vocum præconia victoribus & triumphatoribus deberi, cunctarum gentium jure est confirmatum; cùm nulla inveniatur tam agrestis aut barbara natio, quæ bellicos suos triumphatores festivis vocibus & plausibus non prosequeretur. Hinc orta celebris illa acclamatio: *Io triumpha!* Evoluite Annales sacros & prophanos, nulla vobis occurret sine præconio victoria, nullus sine plausu triumphus. Hinc Davidi de Philisthæo triumphanti, decem millia acclamârunt virgines Victori: de Holoferne principe militiæ regis Assyriorum invictissima Juditha triumphum egit, summi Sacerdotis laudi-

31. *S. Thomas maximus Resurrectionis Christi præco.*

Metaphr. sup. in legend. S. Thomæ.

dibus, ac totius populi cordialissimo plausu concelebratum. Remissus sum in notissimis & quotidie deprædicatis Sacræ Scripturæ triumphis, quando in memoriam sparsim redeunt victoriæ Scipionum, apparatus Cæsarum, triumphi Alexandrorum, quibus magnificandis nulla Phidiæ, Praxitelis, Glyconis, aut hujusmodi statuariæ artis semideorum inventio par erat: ubi exultabundus omnium applausus ad hanc solam vocem jucunditatis, lætitiæ & gratulationis, audiebatur ad cælos usque intonare, *Io triumpha!* Nulla gentium victoria conferri potest cum illâ, quam Christus in sua Resurrectione comparavit de morte, de peccato, de forti armato, de regno tenebrarum: & ne tantæ victoriæ ac Triumphatori deessent præconia, suis vocibus celebrârunt triumphantem Resurrectionem Apostolicæ mulieres, ac viri Ecclesiæ Primarij; qui victori simul acclamârunt, & victoriam pariter extulerunt. Eorum plausum exhibet Ecclesia in Sequentiâ Paschali. *Sepulchrum Christi viventis, & gloriam vidi Resurgentis. Surrexit Christus spes mea. Scimus Christum surrexisse à mortuis verè; tu nobis Victor Rex miserere. Io triumpha!* Publica hæc fuit omnium Apostolorum vox; sed unus fuit præ cæteris Thomas publicus Triumphatoris præco, & ideò solus ille clamavit & exclamavit: *Dominus meus & Deus meus.* Propterea Christus, quando cæteris apparuit, Thomæ non apparuit, ut singularis esset in hoc præconiorum officio: *Qui divino quodam, ut videtur, consilio non aderat, ut, cùm miraculum magis examinâsset, esset præclarior præco Resurrectionis.* Vnde ut tantùm hoc munus Thomas exequeretur, cùm convenissent Apostoli, & in suo Concilio Apostolicum Fidei Symbolum construerent, inter cæteros extulit vocem Thomas, & ait: *Et resurrexit tertiâ die secundùm Scripturas.* Dignum tantâ victoriâ præconium, dignus & tanto victore præco; cum quo & nos exultationis voces jungamus, acclamantes resurgenti Triumphatori mortis: *Io triumpha!*

Sequentia Missæ in Pasch.

Sed quid nobis hodie tam laboriosè de Resurrectione Paschali agitur, 32.
quando post quartum diem celebrabitur Christi ex utero Virgineo prodeuntis Nativitas? Nempe *Graculus graculo* semper *assidet*, & Thomas jam à Christo non ampliùs vult separari; cui etiam post correctam incredulitatem fuit totaliter assimilatus, propinquus, & domesticus redditus. Vultis scire, quâ arte sibi Christus similem reddiderit Thomam? Similem sibi fecit, cùm clausis januis ingressus est in cœnaculum; & ingressus est more suo. Hic autem mos Domini est, ut intret semper per ostium; ideò dicit. *Sto ad ostium, & pulso.* Alibi clamat: *Aperi mihi soror mea sponsa.* Hoc facit, ut ostendat se legitimum Dominum, *Qui non intrat per ostium, hic fur est & latro.* Non venit Christus in mundum per modum furis & latronis; qui januis clausis in uterum matris ingressus, & inde similiter egressus apparuit. Similis sibi est post Resurrectionem Christus, qui aditum sibi ad discipulos suos fecit, *& intravit januis clausis.* Agnoscitur Dominus, intrans per portam Christus conceptus & natus. Concipitur, & canit Mater: *Magnificat anima mea Dominum.* Nascitur, & nuntiat Angelus: *Natus est vobis Salvator, qui est Christus Dominus.* Recognoscitur etiam ut Dominus post factam Resurrectionem, cùm dicant Apostoli, *Vidimus Dominum*: & exclamet Thomas, *Dominus meus & Deus meus.* Respondent sibi Nativitas & Resurrectio Dominica, sicut Christus & Thomas, *qui dicitur Didymus.* Accedit Isidorus interpretans: *Didymus, id est, Christi geminus, similis Salvatori.* Similis est Resurrectio Christi Nativitati; cùm hæc generatio, illa sit regeneratio; res profectò gemina, sicut & Christi geminus est etiam Thomas; cujus solennis dies cum Christo nascente colitur, & celebris ejus memoria celebratur cum Christo resurgente. Sic *graculus assidet graculo.* Vt quis geminus cum Christo sit, & illum referat, audiendus est S. Augustinus *Quisquis ita vult esse similis Deo, ut ad illum stet, fortitudinémq; suam, sicut scriptum est, ad illum custodiat, non ab illa recedat, ei coharendo*

S. Thomas Christo proximus in ortu & resurrectione.

Apoc. 3. v. 20.

Cant. 5. v. 2.

Ioan. 10. v. 1.

Luc. 1. v. 47.

Luc. 2. v. 11.

Isidorus l. de vita & ob. Sanct.

S. August. in Psal. 70.

do signetur, tanquam ex annulo cera illi affixus; habeat imaginem ejus, faciens quod dictum est; mihi autem adhærere Deo bonum est.

33. S. Thomas ex amore cum Christo mori voluit.

Verè fortitudinem suam ad Christum custodivit Thomas, generosè, & alacriter potiùs cum Christo mori volens, quàm ab eo separari, graculorum more. Deliberabatur à Christo & Discipulis ejus, quid agendum, an in gratiam graviter infirmantis Lazari abeundum esset Bethaniam, Castellum prope Metropolim Iudææ situm? Difficultatis cardo versabatur in fatali odio Iudæorum, quod conceperant, unanimiter conspirando in ejus internecionem. Itaque si redirent in Judæam, obviabat manifestum periculum captivitatis: si verò non venirent ad consolationem Lazari ac duarum sororum ejus, à quibus eximia receperant beneficia, meritò ingratitudinis notam incurrerent. Proinde Christus sciens esse duodecim horas diei, in quibus homo facilè possit ab affectu odij mutari in affectum amoris, resolvit se magnanimiter: *Eamus in Judæam iterum*, ex Bethara in Bethaniam ad visitandum Lazarum. Vbi hoc audierunt discipuli, formido eos invasit propter livorem Judæorum, quem non tam Christo, quàm sibi damnosissimum futurum metuebant; dissuadent ergo: Rabbi, ante paucas septimanas *quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc?* Verum illis nequicquam hoc iter dissuadentibus, Magister iteratò suam resolutionem insinuat; & quia Lazarum non modò infirmum, sed omnino vitâ functum, omniscio suo spiritu nuntiabat, urget itineris accelerationem: *Sed eamus ad eum.* Hic inter discipulos pavor & formido; hic obsequendi voluntas; hic tergiversandi movens ratio. *Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos*, cùm eos adverteret pavidos & formidolosos; animos addens tergiversantibus, imò fortiter urgens; *Eamus & nos, & moriamur cum eo.* Notate phrasin Evangelistæ: *Thomas*, inquit, *qui dicitur Didymus.* Quid officij hæc nominis excellentia subit? *Didymus* in-

Ioan. 11. v. 16.

terpretatur *gemellus*, sive quòd eodem partu cum altero fratre natus sit, juxta Euthymium; quomodo Jacob & Esau fuerunt gemelli: sive quòd hoc nomen à majoribus acceperit; quomodo apud Romanos quosdam Spurios, alios Crassos, alios Claudios legimus appellatos; etiamsi illi ipsi nec spurij, nec crassi, nec claudi forent. Theophilactus quidem censet, hic tam operosè Thomam cum addito *Didymum* dici, ut significentur ejus mores; quòd scilicet esset Didymus, hoc est, gemellus, varius, inconstans, dubius, duplex. Quadraret hæc interpretatio pro capite 20. Joannis, ubi Thomas ob incredulitatem Resurrectionis Christi vocatur Didymus: hoc autem loco, quando agitur de periculo revertendi in Judæam, Thomas non erat duplex animo, non dubius, non varius & inconstans; sed cordatè, constanter & animosè dicebat: *Eamus & nos, & moriamur cum eo.* Ergò potiùs videtur Thomas hic dici Didymus, quasi gemellus frater Christi: talem enim se hic ostendit, dum pro Christo & cum Christo vivere & mori paratum sese offert, aliósque ad idem faciendum hortatur, dicens, *Eamus & nos, & moriamur cum eo.* Solent enim subinde gemelli mutuò sese valde diligere, sicut graculus graculum; imò moribus & amoribus esse similes, ut uno gaudente, ridente, flente, gaudeat, rideat, fleat & alter; imò uno ægrotante vel moriente, ægrotet vel moriatur & alter. Ecce verus amantium affectus, inquit Glossa interlinearis, vel cùm eo vivere, vel cum eo mori: quales apud Galloserant Soldurij, quorum lex & fœdus erat, in bello vel simul vincere, vel simul occumbere. Quo etiam S. Paulus videtur allusisse, dicens ad Corinthios: *In cordibus nostris estis ad commoriendū, & ad convivendum.* Offert ergò se Thomas pro Christo certæ morti; hanc enim imminere putabat: quod insigne fuit fortitudinis ejus eximiæ, æquè ac amoris in Christum singularis argumentum.

Iulius Cæsar in Comment.

2. Corinth. 7. v. 1.

Pulchra vox *Didymi*, deliciosa *Gemelli*: hinc diutiùs in eâ ruminandâ

34. *S. Thomas cur dicatur Didymus.* moror; utpotè quòd aliâ interpretatione etiam *Abyssum*, & *Geminum* feratur præclarè significare. Abyssus quidem est S. Thomas, in cujus incredulitate & ad fidem conversione, Divinorum Judiciorum sublimitas & profunditas fuerunt deprehensa. *Indicia* (*Psal. 35. v. 17.*) quippe *Dei abyssus multa.* Sed quomodo *geminus* dicatur Thomas? Geminus cum gemello, videntur omnino importare idē. Habuistis paulò antè gemellū, nunc geminum accipite, graculū utrobiq;. Janus, Macrobio teste, olim Geminus nuncupabatur: cùm enim esset omniū sui sæculi prudentissimus, qui non solùm viderit ante se præterita, sed etiam post se futura prospexerit, antiquitas eum *geminâ* facie depictum exhibebat. Pollucem & Castorem, inter Zodiaci signa relatos, Astrologi Geminos appellant, eò quòd ex matre Lyda uno eodemque partu sint editi. De his Geminis asserit Seneca, in magna tempestate quasi stellas cælo insidentes apparere, & eorum auxilio periclitantes naufragos evadere. Columella verò *geminum astrum* vocat, quòd 34. Kalendas Junij Sol lucidus & clarus ingreditur. Parva sunt ista, & ambiguis scrupulis implexa; ad majora & certiora veniamus. S. Thomas instat Divini sideris geminus est, in quem ingressus est Spiritus sanctus, qui Sol Divinitatis ardentissimus & clarissimus vel ab ipso Christo suspicitur, dum dicere: (*Ioan. 16. v. 14.*) *Ille me clarificabit.* Melior ac potentior est *Geminis* illis cælestibus, quos falsò putavit Antiquitas naufragis apparere, & periclitantes è vitæ discrimine educere: hic Apostolus periclitantibus in fide favet, & adjuvat, ne submergantur in mari incredulitatis; quomodo Anastasius magnus advertit: (*Anast. l. 4. hexaem.*) *Habet Ecclesia geminos, stellam Thomam, qui dicitur geminus.* Multi quidem sunt & hactenus fuerunt, qui condolente Gentium Doctore, (*1. Timoth. 1. v. 19.*) *repellentes bonam conscientiam, circa fidem naufragaverunt.* Verùm in tantæ calamitatis periodo remedium prævidit Deus, ut suspiciat Ecclesia *Geminos* stellam, S. videlicet Thomam, *qui dicitur Didymus*; ut periclitantibus in fide, ejúsque opem implorantibus, opportunam ferat medelam. Quòd si Jani geminâ facie pingebatur, quia prudentiâ suâ usus, præterita & futura prospexerit: nihil equidem prudentiæ defuit Apostolo, quin antè & retrò prospicerer, quanta & quàm antiqua jam esset inveterata Indorum malitia; & prævidens, quid futurum esset, si cum illis procederet severiùs, ab omni rigore abstinuit. More quidem processit, quem didicit à Magistro suo Christo; & vitæ priùs exemplo, quàm sermone, gentes Indicas reformavit; quippe qui teste Metaphraste *habebat in se Magistrum Christum.*

Quàm providè hoc Geminorum sidus, hic biceps Janus, citeriorem & ulteriorem Indiam respexerit, percurrerit, illustrârit, cùm ex Ecclesiæ annalibus constet, etiam à Recentioribus quibusdam fideliter enarratur. Certè de vehementissimo Christi amatore (sic S. Thomam vocat Nicephorus) ita scribit R. P. Emanuel Nobrega Soc. Jesu, Missionarius Apostolicus, ex Brasiliâ citerioris Americæ parte, Anno Domini 1552. *Habent Incolæ S. Thomæ notitiam, quem Zome nuncupant* (mutando Th in Z dialecto propriâ) *eúmque hâc iter fecisse, à majoribus acceperunt; & vestigia Apostolica etiamnum cerni propè quendam fluvium affirmant. Quod ut certiùs cognoscerem, ipse abij, & proprijs oculis inspexi quatuor pedum & digitorum satis alta impressa vestigia, quæ nonnunquam aqua excrescens cooperit. Ferunt autem ea relicta, dum D. Thomas persecutores ipsum configere volentes fugeret; fluménque divisum fuisse, per cujus medium ad ulteriorem ripam sicco pede profectus in Indiam abijt. Pari modo narrant sagittas, quibus ipsum petebant, in sagittarios reflexas, silvátque, per quas gradiebatur, cedentes viam præbuisse. Illum quoque pollicitum fuisse, se aliquando has regiones revisurum.* Porro Joanni Eusebio Nierenbergio exploratis testimonijs constat apud Taiaobæ Indos in Occidenti tradita per avos memoria ejus Apostoli, quam retinent ab ejus per illas plagas transitu; cujus non levia, imo ad miraculum usque extant indicia; præcipuè se-

35. *S. Thomæ peregrinationes & prædicatio.*

Emmanuel Nobrega in lit. Anno 1552.

Ioan. Euseb. Nierenbergius hist. Nat. l. 5. c. 2. & lib. 14. c. 11.

semita quædam in vastis illis solitudinibus hactenus contumax fui, nullâ herbâ obsita; cùm ab utroque latere ultra modum herbescat. Eâ dicunt iter peregisse Apostolum, atque inde profectum in Regna Peruana. Traditio quoque manavit, in Regionem Paraguay venisse, postquam per fluvium Iguazu descendisset. Deinde in Paranam per Aracaium. Ibi observatur locus, ubi lassus quievit, recreaturus paulisper marcentes artus. Prædixitque, uti à majoribus acceptum est, illuc post se adventuros viros, qui posteris suis fidem prædicatione veri Dei repetitâ vice annuntiarent. Quod ingens solatium & ardentissimum animum addere debet Religiosorum Ordinum operarijs, inter illas nationes pro Ecclesiæ incremento durissimos labores sustinentibus. Sunt præterea alia nostræ Religionis signa, in Occidentem usque evulgatæ. Reges Ingarum marmoream crucem in pretio habuerunt in aulâ suâ Cuzco. In regno Yucatâ Crucem adorabant incolæ. Interrogati, unde illum cultum haberent? Responderunt, transijsse virum formosissimum per eos tractus, qui eis id insigne in sui memoriam reliquerit. Alij dixerunt, obijsse lucidiorem sole hominem quendam in eo oppido. Memoria quoque Trinitatis in Chiapâ colitur; tum passionis Filij, crucifixionis, flagellationis & spineæ coronæ, triduanæ mortis, resurrectionis, ascensionis in cælum, & adventûs Spiritûs sancti. Nota quoque iisdem B. Virgo: aliáque ejusdem nostræ Religionis, in profundâ illâ occidentis Americæ barbarie, relicta vestigia non ad alium, quàm ad S. Thomam referenda videntur: ut proinde *Didymus* noster, simul in Orientem & Occidentem respiciens, haud minoris fuerit nobilitatis, ac Scipio Romanus; à quo cùm exigerentur rationes factarum expensarum in bello Africano, rationum libellum tradidit, dicendo. *Nolite Patres de meâ innocentiâ dubitare; quia licet Africam totam vestræ potestati subjecerim, nihil ex eo, quod meum posset dici, præter nomen & gloriam reportavi.* Ecce plus quàm Scipio, Indicarum gentium inspector est, & Apostolicus debellator S. Thomas; de quarum infinitis thesauris nihil accepit; & cùm vastissimas Indias Evangelij prædicatione subjecisset Deo, nihil aliud præter nomen & gloriam in cælum reportavit.

Pet. Mart. decad. 4.

36.

S. Thomas quantum profecerit ex consortio Christi.

Ad finem properat oratio mea: & dum video graculum assidere graculo, ac Thomam velut columbam in foraminibus petræ, in cavernis maceriæ conquiescere jugiter; velut Monedulam geminato amore, Christi semper consortio frui; recolo, quod apud Platonem legi: ubi Aristides vel ex ipso aspectu, ac contactu Socratis, mirificam se quandam utilitatem percipere solitum esse, profitetur his verbis. *Proficiebam, ô Socrates, quotiescunque tecum essem; etsi in eadem domo solùm essem, non tamen in eadem parte domûs, magis tamen quoties in eadem parte. Et mihi quidem videbar, multò magis, quando in eadem parte existens aliquid te dicentem intuebar, quàm cùm aliò essem aversus. Sed longe magis proficiebam, cùm apud te sedens te tangebam.* Humanus ille Aristides erat Divus Thomas Apostolus Christo Domino, in cujus consortio & cohabitatione ita processit & ita se gessit, ut meliùs & veriùs dicere potuerit. Proficiebam, Christe sancte, quoties tecum essem, etsi in eadem domo solùm essem, magis tamen cùm ad te accedebam, & dicentem te intuebar. Sed longè magis proficiebam, cùm apud te sedens apertam tui lateris cicatricem tangebam. Assuetus erat Thomas & audire, & intueri, & tangere Christum, & inde proficere; & similis sibi esse cupiens, cùm dicerent coapostoli, *Vidimus Dominum*, credere distulit, donec Christum cerneret, & sacra ejus vulnera palparet. Quando verò Thomas factus est frigidus in fide, & incredulus in Religione, *non erat cum discipulis, quando venit Iesus.* Erant, quasi Carbones disjuncti & separati, qui non tantùm perdunt flagrantiam fulgoris, sed etiam induunt fuliginem squalloris; ut illis rectè subscribatur: *EX-*

Plato in Theagene.

Boëtius de Consol. Philos. l. 4.

TINGVIMVR SI DISTINGVIMVR. Prout alludit Boëtius, dicens: *Nostine igitur, omne quod est, tam diu manere, atque subsistere, quamdiu sit unum; sed interire, atque dissolvi pariter, quando unum esse desierit.* Et planè facies Thomæ erat super carbones denigrata, quando ab illo Apostolico, & sanctis inflammationibus ardentissimo collegio, ac Christi latere fuit elongatus; nec redijt ad Apostolicos ardores, quousque rediret ad pristinos unitatis splendores. Certè carbo extinctus, *REVIVISCET ET IGNESCET ATTACTV* carbonis ardentis. Erant Christi vulnera velut Pyropi & Carbunculi, ardentissimi simul ac splendentissimi; erant sicut carbones vivi: his adjunctus Thomas, *solo attactu*, cœpit scintillas amoris pristini concipere, tum ad ardores transire fidei, denique omnino inflammari & ignescere admiratione transpositiva, & exclamare: *Dominus meus & Deus meus!* Quod de sacratissimo Eucharistiæ Sacramento discurrit S. Dionysius Areopagita, id pari sensu ad Christi rubentia vulnera exhiberi posset Thomæ. *Quemadmodum*, inquit, *ignis sensibilis, ea quibus insederit, in suum traducit officium, omnibúsque quodammodo sibi propinquantibus sui consortium tradit. Haud aliter DOMINVS noster & DEVS, qui ignis consumens est, nos per cibum hunc sacratissimum in sui traducit effigiem, Deiformésque reddit.* Traduxit Thomam in sui effigiem per attactum lateris sacratissimum, cúmque DEIformem reddidit, ut validè exclamaret: *Dominus meus & Deus meus.*

S. Dionysius l. de cælesti hierarchia.

Tantum interest, à Christo non elongari, Christo proximum esse, Christi vulnera tangere, Christo similem reddi, ad Christum confugere, Christum inclamare, & in Christum credere. Reflecto me super id, quod de aliquo (nî fallor) sturno referunt historiæ. Is nempe edoctus fuerat pronuntiare articulatim, *Sancte Thoma Indiarum Apostole, ora pro me*: contigit ut accipiter pleno impetu hunc è suâ caveâ liberiùs provolantem persequeretur: exclamat, & repetit Avis suam precatiunculam, *Sancte Thoma ora pro me*. Tum ecce! prædo deijcitur momento, & exclamans Avis salvatur. Simile quid narrant de Papagallo, in naufragio per hanc precationem salvato. Pericula nobis insolescunt plurima, quoties à Christo disjungimur. Ah! quoties periclitamur in fide, & credulitate Divinorum Mysteriorum? quoties nobis insidiantur infernales prædones? quàm miseri fluctuamus inter scientias & errores? quàm extincti frigescimus amore divino? In hisce periculosis insultibus, tantùm nobis profit invocâsse, *Sancte Thoma, ora pro nobis*; quantùm tibi contulit exclamâsse, *Dominus meus & Deus meus!* Amen.

Eusebius Nirenbergius in hist. Nat. & Exeg. Sing.



IN



IN SOLENNITATE
NATIVITATIS DOMINI.

COLYBRIS ADMI-RABILIS.

Das Wunderschöne Weyhnacht-Vögelein.

LEMMA.

Grandis & in pumilo causâ stuporis erit. Raynaud. in Philolog.

THEMA.

Parvulus natus est nobis; & vocabitur nomen ejus, Admirabilis. Isa. 9. v. 6.

SYNOPSIS CONCIONIS LXIII.

Ex omni volatilium cœtu eligitur Americana Colybris, quæ speciosissimo suo compendio CHRISTI Vnigeniti Filij Dei mirabilia magna symbolizet, & Fidelium animis ad Bethlehemiticum stabulum religiosissimos admirationis actus proponat.

37. Christus variâ ratione avi comparatus ex S. Scriptura.



Aud unquam antè tam opportunâ donatus sum felicitate ad serviendum occasioni ac tempori, & obsequendum Divino mandato, inter terrores & fulgura per Moysen ad populum Israëliticum promulgato. *Si ambulans per viam, in arbore vel in terrâ nidum avis inveneris, & matrem pullis vel ovis desuper incubantem, non tenebis eam cum filijs, sed abire patieris, captos tenens filios; ut bene sit tibi, & longo vivas tempore.* (Deut. 22. v. 6.) O me fortunatum! qui transiens penes antiquissimæ Bethlehemiticæ Civitatis mœnia, in pervio stabulo, in præsepio malè aperto inveni nidum, fœno ac stramine constructum, in nido pusillum Pullum, & cum Pullo matrem sollicitè excubantem. Vt ergo Divino obtemperarem præcepto, excepi Pullum. Illum, inquam, Pullum, quem Deus Ter Optimus Maximus ex suo sinu avolare fecit, *vocans ab Oriente avem*, ut visitaret nos oriens ex alto: (Isa. 46. v. 11.) illum Pullum, qui Hussæo Vate testante haud consideravit semitas suas. *Semitam ignoravit Avis*, semitam utique suæ infinitæ bonitatis, (Job. 28. 7.) suæ immensæ charitatis, & suæ inexhaustæ miserationis. Illum denique Pullum, qui de seipso apud Matthæum suas exponit ærumnas: *Volucres cæli nidos habent; filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* (Matth. 8. v. 20.) Et expectatis fortassis, me circa Cuculi officiositatem fore negotiosum, qui & po-

nit ova, & *PARIT IN ALIENO NIDO*; quando etiam S. Evangelista observat de beatissima Virgine, quòd *Reclinavit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio?* Vbi S. Gregorius observat ad propositum. *Non in parentum domo, sed IN VIA nascitur; quia per Humanitatem suam, quam assumpserat, quasi IN ALIENO NASCEBATVR.* Converto oculos meos à cuculo & Pullo ad Pusillum, ad Parvulum, ad Infantem, ad Vnigenitũ Dei & Virgineæ Matris Filium; cui Ecclesia Catholica ita accinit, velut Aviculæ in nidulo quiescenti. *Fœno jacere pertulit, præsepe non abhorruit; Et lacte modico pastus est, per quem nec Ales esurit.* O electissimi & venustissimi Incolæ Aëreæ civitatis! ô nobilissimi Ephebi Aquilinæ Aulæ! ô mirâ libertate ac gratitudine præcellentes cælestis Patrisfamilias Alumni! ô multicolores, amæni, & delicatissimi Choraulæ terrarum! ô teneræ & innocentes animulæ Avicularum! Solennissimâ hâc Dominici Natalis die, quo tota cælestium, terrestrium, & Inferorum harmonia exultabunda in Divinas sese effundit laudes, vestræ voci impositum sit silentium? An non etiam deliciosa vestræ musicæ suavitas communi omnium plausui suos liberaliter adjiciat modos? Omnino fas esse videtur, ut hodie cum Pastoribus ad nidum Bethlehemiticum properem: &, ubi illi suas sportulas, Reges verò sua munera offerunt, ego ex meo Ornitrophio producam unicam ex omnibus Aviculam, omnium minimam, venustissimam, ingeniosissimam, incomparabilem; eámque cum debitâ profundissimæ reverentiæ submissione, ad obsequia offeram nato Parvulo. Hæc Avicula cùm apud varios diversa sortiatur nomina, Indianis dicatur *Colybris*, Peruanis *Gonambuch*, Hispanis *Tominos*, Mexicanis *Vicicilin*; nobis certè ex Prophetiæ præsagio *vocabitur nomen ejus admirabilis*; quando etiam Gomara, non ignobilis Author, brevi compendio ei hoc prædicatum tribuit. *Istic reperitur*, inquit, *admirabilis avicula, cicada magnitudine, elegantissimis pennis versicoloribus tecta.*

Luc. 2. v. 7.
S. Greg. hom. 8. in Evang.
Gomara hist. general. Indiarum c. 194. apud Nierembergium hist. Nat. l. 10. c. 2.

Hæc Avicula hodie mihi campum aperiet amplissimum, admirabilia dicendi: & licet sit Avicula omnium minima, Parvulus etiam ex intactæ Virginis utero genitus sit admodum exiguæ molis; virtus tamen maxima inerit Parvis. *GRANDIS ET IN PVMILO CAVSA STVPORIS ERIT*: quando ex tam parvo principio promicabunt admirabilia opera; quæ fecit ille hodie, qui est in consilijs suis inscrutabilis, *Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis*, Salvator Mundi.

Isa. 9. v. 6.

In minore ac breviori corpore constipati circulantur spiritus; & virtus adunata dispersâ fit fortior: sed & juxta Philosophos, Pusilli ac breves corpore fortes sunt; ac plerumque 38.

Rebus minimis maxima vis & gratia inest.

Major in exiguo regnavit corpore virtus;
Corpore in exiguo res numerosa fuit.

Exiguos homines sed audacissimos, in Nili insula degere, qui Crocodilis adeò efferis animalibus sese offerant obvios, memorat Solinus. Alexandrum animo magnum, corpore brevem, angusto domicilio tantos spiritus recludentem, demirata est Antiquitas: ut propterea Gualterus dicat de Regina Amazonum, quòd cùm primum illum conspexit, mirata sit, quòd famæ virtutis non correspondeat exiguum corpus, secum taciturnè versando,

Solinus c. 43.
Gualterus de Alexandreide.

Principis indomiti virtus ubi tanta lateret?

Miltiades, Themistocles, Coriolanus pusilli fuerunt. Xantippus Lacedæmonius brevissimâ staturâ homo, res Carthaginensium restituit. Pipinus Rex Francorum, *licet ut noduli bipedalis homunculus esset*, & ideo à modicâ staturâ cognomento *brevis* diceretur; animo tamen erat & fortitudine summus, & virtutum suarum meritis excrescens, utpote qui primus è sua stirpe, dejecto ignavo Principe, Regis titulum obtinuit. Attila mundi terror, & Dei flagellum, staturâ pusillus erat. Hercules excelsorum spirituum prototypon, pusillus corpore fuit. Sed & natura cùm exigua corpore animalia compegit, id ante omnia procuravit;

Ægidius Corboliensis in Carolo.
Clemens in Protreptico.

ut

ut quidquid magnitudini detraheret, illud, vi aut certè aliquâ utilitate compensaret; prout ingeniosè ac diligenter in hisce *Corporum Punctis* observavit S. Hieronymus. Constat insuper, præcipuos quosque in Ecclesiâ Dei Doctores, ingenij gloriâ præcellentes, pusillo fuisse corpusculo, ut de S. Paulo & S. Joanne Evangelista *tricubitalibus*, in specie tradunt; in quibus ordinariè suspiciebatur *Gratior exiguo veniens de corpore virtus*. Nec tantùm vigor & efficacia pusillitatem corporum comitatur, sed etiam pulchritudo: prout eo disticho signatum est.

S. Hieronymus super Ioel. 2.

Vilior haud pars est Alci, nec dignior ungue.
Ergo etiam parvis gratia magna data est.

Hanc parvorum concinnitatem & gratiam Plinius paucis expressit: *Nusquam alibi*, inquit, *spectatius artificium, quàm in his tam parvis atque tam nullis.* Concinitque D. Augustinus, notans inter animalia plus admirationis habere, quæ molis minimum. Plus enim formiculas & apiculas stupemus, quàm immensa corpora balænarum; hinc energeticè ait. [Deus ita est artifex magnus in magnis, ut minor non sit in parvis: quæ parva non suâ granditate (nam nulla est) sed artificis sapientiâ sunt metienda: sicut in specie visibilis hominis, si unum radatur supercilium, quàm propemodum nihil corpori, & quàm multum detrahitur multitudini: quoniam non mole constat, sed parilitate ac dimensione membrorum.] Quidquid tandem admirationis aut pulchritudinis magna præseferant, *Grandis & in pumilo causa stup.ris erit.*

Plinius l. 11. c. 2.

S. August. l. 11. Civit, c. 22.

Theophilus Raynaudus in Pusiozygeia de laude Brevit.

39. Quanta Majestatis potentia in Infante Jesu?

Avicula nostra Colybris minima est omnium cæli volucrum, in quam Deus admirabilis suæ potentiæ thesauros recondit; corpore quidem non majore, quam crabronis, oblongo & gracili rostro. Et verò huic Aviculæ à Peruanis & Hispanis nomen impositum *Tomineio*, quòd adeò levis sit, ut uno duntaxat tomino constet, hoc est, duodecim grana pendat. Exinde ad Bethlehemiticum Parvulum converto animum, & oculos meos; ex cujus tenero & pusillo corpusculo cùm ubique resplendeant argumenta Divinitatis, D. Augustini reproduco sententiã. *Occultatur in membris Infantis potentia Majestatis.* Quanta potentia Majestatis, dum gratiosâ & admirabili suâ Nativitate, tanquam Virgineæ Matris dignissimus fœtus, per universum orbem, omnes & singulas idolorum statuas dejecit, confregit, destruxit, eliminavit? haud secus, ac olim lapillus ille, de montis jugo potenti gravitate delabens, auream Nabuchodonosoris statuam prostravit & evertit. Memorabile est, quod de Cæsare Augusto tradunt Annales: is enim circa idem currens nati Servatoris tempus, Apollini simulacro hecatomben, hoc est, centum victimarum sacrificium offerebat, oraculum requirens, quisnam post illum extinctum Imperio præfuturus esset? Sed obmutuit Idolum, nec respondit. Ergo instruitur novum hecatombe, atque instantiùs Apollinis oraculum sollicitatur: tandem dæmonis vox ex simulacro profatur sequentes versus.

S. August. serm. 1.

Me Puer Hebræus, Divos Deus ipse gubernans,
Cedere sede iubet, tristémque redire sub orcum.
Aris ergo dehinc tacitus discedito nostris.

Ipse Primogenitus Virginis confregit potentias, scutum, gladium & bellum, & tenebrarum arma ac machinas ipse disrupit. Admiretur Antiquitas cujusdam artificium Mirmicidis, qui integram Triremem cum velis & remis, ac omnibus pertinentijs, articulatè ac distinctè in tam exiguum redegit compendium, ut vel ab Apiculæ alis posset contegi. Ego longè plùs admirabor parvum & modicam Christi Humanitatem, quâ Spiritus sanctus tanquam sapientissimus Artifex omnipræsentiam Deitatis inclusit, ac velut in gratiosum compendium redegit. Venerabundus intueor hoc opus Excelsi, in præsepis fœno repositum; & sicut olim Plinius de Colosso Rhodio in frusta dejecto dixit, quòd *jacens quo-*

Plin. l. 3. c. 7.

quoque miraculo fit; ita jacentem exosculor infantem, vagientem in cunis, regnantem in cælis; & ubi reliqui ex miraculi magnitudine obstupescunt sensus, sola vox præstat D. Augustino consensum; quòd scilicet *occultatur in membris Infantis potentia Majestatis.*

Pulchritudo Christi suspicitur incomparabilis.

40. Colybris plumæ tam elegantibus, aureo, viridi & cujuscunque generis coloribus sunt ornatæ, ut multicoloris Iridis gloriam imitari, aut certè excedere videantur; ut meritò dici possint apparatus Thaumantidis, quæ à Poëtis celebratur pro *filiâ admirationis.* Observatur, quibusdam hujus speciei aviculis gulam vivacissimo minio velut carbunculo rutilare: circa ventrem, & sub alis auricomus ludit color: superiora pedum virescunt instar smaragdi; pedes ipsi, & rostellum acutissimum, cedrinâ tersitie planescunt: ocelli duobus adamantibus scintillant: caput viridi fulgore superbit. Ex omnibus ejus coloribus radiosum quid fulget: ita ut citatus Gomara testetur, ejus pennas valdè exiles, elegantis mixti coloris, à Phrygionibus admodùm expeti, ut aureis staminibus intertexant, præsertim illæ, quæ in collo & pectore natæ. Sic certè ob vivacissimos ac pulcherrimos pennarum colores, *Grandis & in pumilo causa stuporis erit.* Jam fingite animo ex omnibus rerum omnium formis, quæ in Divina mente continentur infinitæ, excellentissimam speciem atque ideam; hoc quidquid est, in nostro Bethlehemitico *Parvulo* considerate. Cogitate absolutissimum opus, in quo efficiendò divinæ virtutes singulæ toto conatu atque impetu elaborarunt: quo nil Sapientia mirabilius, nil Bonitas melius, nil Potentia majus, nil Majestas angustius, nil ipsa Dei Charitas ad amorem potentius possit effingere, hic Parvulus est: qui suo serenissimo vultu omnes doloris nubes detergit, & dejectos quâvis afflictione animos erigit, ac reficit: prout ex revelatione S. Brigittæ manifestum redditur. [Christus tam pulcher facie erat, ut nullus videret eû facie, qui non consolabatur in aspectu ejus, etiamsi præcordialiter dolorem haberet: justi verò spirituali consolatione consolabantur; mali autem à tristitiâ sæculi, tanto tempore, quo eum videbant, relevabantur. Vnde & dolentes dicere consueverant, *Eamus & Filium Mariæ videamus, ut saltem tanto tempore relevemur.*] Fuerit sanè olim Moyses infantulus tantæ pulchritudinis, ut nullus adeò severus esset, qui non ejus aspectui adhæreret; multique qui eum cernerent per plateas ferri, occupationes, quibus studebant, desererent. Fuerit Josephus, in Ægyptum venditus, tam *decorus aspectu*; ut filiæ discurrerent super murum, ad satiandos oculos in venustate adolescentis: nulla tamen sub cælo inventa est, vel inveniri poterit pulchritudo, quæ cum specie Divini illius Bethlehemitici Infantuli dignè comparetur, vel adumbretur: quia D. Hieronymo scribente, *Vniversis pulchrior est Virgo de Virgine. An non Spiritûs sancti operâ corpus Christi fabricatum? Corpus Christi exemplar pulchritudinis omnium corporum beatorum*; quorum si vel unum contemplari liceret, omnes omnium venustissimas humanæ pulchritudinis formas, ut Megæras aut Medusas, aversaremur. Quidquid nitet in gemmis, quidquid rubescit in rosis, candet in lilijs, scintillat in stellis, quidquid venustatis celebratur in ullis formis humanis, id omne longè eminentissimo modo in geminis ac gemmeis Divini hujus infantuli ocellis, in corallinis labellis, in lacteo collo, in mirabili & adamabili totius corpusculi pulchritudine, atque artuum symetriâ enitescit. Age Christiane; ad Christi nati cunabula te cito citiùs recipe: hic, hic spectadignum cælo, & omnium cælituum oculis spectaculum, in quod desiderant Angeli prospicere: conquiescit in sinu Virginis infantilibus fascijs illigatus, *speciosus formâ præ filiis hominum*; quem in sinu æterni Patris ubertimo lucis splendore circumfusum, cælites omnes venerantur. O mirificum

Gomara citatus.

S. Brigitta l. 4. Revelat. c. 70.

Ioseph. l. 2. antiquit. c. 9.

Genes. 49. v. 22.

S. Hieron. Ep. 140. ad Principiam.

Psal. 44. v. 3.

cum Divinæ pariter ac humanæ naturæ commercium: Hic Parvulus, quem intueris, Deus est; Deus quem adoras, puer est. Parvulus in fœno, immensus in cælo: abjectus in pannis, excelsus in stellis, angustus in præsepio, angustus in solio. Manus illæ imbecillæ orbem sustinent: exigui hi oculorum orbes solem illuminant: infirma hæc brachia firmant mundi machinam; tenelli hi pedes tenebricosum dæmonis Imperium conculcant. Obstupescit oratio mea miraculi pulchritudine, nec laudandi principium invenit, ubi finem haud potest exordiri admirandi. *Occultatur in membris Infantis potentia Maiestatis. Universis pulchrior est Virgo de Virgine.*

41. Christus Princeps pacis, & miles invictus.

Quod omnibus cæteris in Colybre jucundius est spectaculum; insignem & elegantissimam cristam auricomis pennulis confertam, juxta affectionis suæ complacentiam, supra caput, vel erigit ad indicandam authoritatis suæ potentiam, ut terreat; vel demittit ad suæ mansuetudinis argumentum, ut complaceat: quæ quidem crista Soli exposita, admirabilem varietatem, prout obvertitur caput, ostendat. Si crista super caput signum est generosi militis, aut invicti Principis: en Princeps invictissimus Christus Jesus, cujus potestas super caput, *cuius imperium super humerum eius.* Ipse est terribilis ille Domitor, *qui respicit terram & facit eam tremere.* Ipse infans in cunis, fascijs involutus tenuibus, gelu & frigore fermè exanimatus, terrore teplens Reges terræ: *Turbatus enim est Herodes, & omnis Ierosolyma cum illo.* Ipse est, qui sapientissimos ex Oriente Magos ad se cirat, deposituros homagium, & regia munera oblaturos. Ipse Cæsarem Augustum, totius Orbis Monarcham, in sui traxit admirationem, & ex Apollinis oraculo in prodigiosam observantiam. Dixit & cecinit antiquitas de suo Hercule hæc nova & rara, quòd is adhuc in cunis vagiens duos serpentes sibi insidiantes ambabus manibus apprehenderit, & comprimendo suffocárit: ex quo futuræ fortitudinis sumens portentum, ejus incunabulo hanc epigraphen deauratis inscripsit literis: *Herculi pacifero.* Verus hic noster Hercules, qui mundum non jam suis laboriosis humeris, sed brevibus sustinet digitis, & coram quo contremiscunt ij, qui portant orbem; galeam assumpsit, loricâ se munivit, cristas erexit, infernalem serpentem vel in cunis apprehendit, Cerbero bellum durissimum indixit, feliciter promovit, victoriosè perfecit; ita ut ejus præsepio meritò inscribatur epigraphe, *PRINCIPI PACIS: cuius*, Lyrano super prima thematis nostri verba glossante, *virtute diabolus est superatus.* Verè invictissimus miles, Dominus exercituum, *Princeps pacis* est Parvulus noster Bethlehemiticus: qui nos docuit carnem subijcere spiritui, ut bella cessent in animâ, & utriusque portionis potentijs sua ordinata tranquillitas restauretur: qui nos, cùm abjurati essemus cælestis Patris inimici, suâ pretiosâ mediatiõe reconciliavit Deo; qui Judæos & Gentes omnes tam sibi religione adversas, tam ritibus alienas, tam moribus dissimiles, in unitatẽ fidei ac sanctæ suæ Ecclesiæ congregavit, & composuit; qui ijs, quos reparavit, etiam perseverandi gratiam largitur, ut jugi pace dulciter perfruantur. Nervosè & piè dixit S. Leo Papa. *Natalis Domini, natalis est Pacis: ergò singuli Fideles offerant Patri pacificorum concordiam filiorum.*

Isa. 9. v. 6.

Psal. 103. v. 32.

Lyranus super Isa.

S. Leo serm. 6. de Nativit.

42. Christus in lenitate & mansuetudine venit.

Quàm aspectu delectabilis est Colybris, tam est volatu mirabilis; utpote quòd etiam potentes volucres suâ pernicitate longè superet, & velociùs aëris interpositos diaphanos parietes perscindat, tam sonoro quidem strepitu, ut levem Typhonẽ crederes sibilantem. Et quia amat ambulantium hominum aures à tergo transvolare, ij ex subito suscitati Typhunculi stridore ita lepidè percelluntur, ita stupescunt pallore, ut fulmina cum fulgure ex minace nube extorta pavescere minùs subinde videantur: *priùs enim advolare auditur Colybris, quàm videatur.* O quàm pernici volatu Verbũ Patris Humanitatem sibi nostram copulavit? Cùm juxta probabilem pluriumPhysico-

corum sententiam, puerulus quadraginta primùm diebus à Conceptione ita perficiatur in embrionem, ut à Deo anima creata ei possit infundi; hoc totum negotium absolutum est in Christo sub primo statim Incarnationis suæ momento; prout S. Gregorius apertissimè docet. *Angelo nuntiante, & Spiritu S. adveniente mox Verbum in utero, mox intra uterū Verbum caro* Observate ex Regum annalibus, quo sibilo Dei Filius Prophetæ aures prætervolârit, ut nos erudiret de suæ Nativitatis excellentiâ. Jurejurando se obstrinxerat impijssima Regina Jezabel, non elapsum naturalem viginti quatuor horarum diem, quin Eliam Prophetam, eversorem idolorum, & Baalitarum trucidatorem, è medio tolleret dirissimo supplicio. Territus hoc nuntio Elias, aufugit in alienam terram usque ad montem Horeb, & in petrosâ speluncâ se occultat. Cùm ergò Elias irâ, tædio & dolore succenderetur ob licentiam, impunitatem & scelera Jezabelis ac Baalitarum, mitigavit & erudivit eum Deus sequenti visione. Ibi enim Elias jussus ab Angelo prodire è spelunca, in qua latebat, stans in monte percepit Spiritum grandem & fortem, subvertentem montes, & conterentem petras præ vehementiâ. Et non in eo vehementi Spiritu Dominus, neque in ea, quam Spiritus ille concivit, commotione. Objectus est postea Eliæ ignis vorans, & omnia consumens: sed neque in igne Dominus. Tandem subsecuta tertiò est species sibili auræ tenuis, in quo leni ac suavi sibilo obversatum Eliæ Deum, inde patet, quòd Elias Dei præsentiam reveritus, vultum suum pallio operuit, & egressus stetit in ostio speluncæ. *Et ecce Dominus transijt, & Spiritus grandis & fortis subvertens montes, & conterens petras ante Dominum: & post Spiritum commotio: non in commotione Dominus, & post commotionem ignis: non in igne Dominus: & post ignem SIBILVS AVRÆ TENVIS.* Quasi diceret Deus: Mihi, ô Elia, venti, terra, ignes, adeòque omnia elementa, omnésque creaturæ, mediæ, summæ & imæ ad manum sunt, ut Idololatras & Jezabelem perdam: at hic modus providentiæ & clementiæ meæ non est ordinarius & usitatus, nec congruus; adeóque nolo eo uti: *non in Spiritu grandi, non in turbine, non in igne, non in commotione Dominus.* Quarto denique loco Deus auribus Eliæ offert lenem auram, seu Spiritum ac sibillum repræsentantem se, ac suam clementiam & providentiam. Spiritus enim hic lenis significat Dei patientiam & longanimitatem ad punienda peccata, quam imitari & induere debeat Elias, & quivis vir Apostolicus. Sed verò allegoricè hic repræsentabatur, Christi Salvatoris in mundum venturi Spiritus fore diversus, & adversus Spiritui Moysis, Eliæ, & veteris Legis. Deus enim in Sina monte dans legem Moysi, audiri fecit tonitrua, micare fulgura, coruscare ignes, tremere petras, ut obduratos Judæos sui suæque Legis metu percelleret. Idem fecit Elias, cùm Deus per eum violatam legem suique cultum restaurare vellet. At verò cùm Filius Dei in carnem descendit, venit in Spiritu lenitatis & mansuetudinis, juxta illud Isaiæ: *Non contendet, neq; clamabit, neque audiet aliquis in platea vocem ejus: calamum quassatum non confringet, & linum fumigans non extinguet.* Coincidit Rupertus Abbas in idem propositum. *Non in varijs*, inquit, *Iudæorum captivitatibus erat finis, nondum venerat Messias; sed in spiritu auræ lenis, id est, occultus & secretus fuit ejus adventus, quem quasi de aurâ tenui, id est, de Spiritu sancto, Maria concepit.*

S. Greg. 18. Moral.

3. Reg. 19. v. 2.

Ib. v. 11.

Exod. 19. & 20.

Isa. 42. v. 2.

Rupertus sup. Reg.

Quomodo admirabilis nostra Avicula Colybris alatur, brevi compendio citatus Gomara recenset. *Melle, rore, & florum succo alitur: rosa tamen non insidet.* Circa flores continuò volitat, sicut bruchus tempore vernali; ac rarissimè in terrâ quiescit, sed floribus appropinquat, suâ cavâ linguâ nobilissimum succum cum rore colligens: plurimùm circa olivas motatur; & ubi cristam erigit, sole eam suis radijs percutiente, quasi speciosissimam rosam diceres, pretiosis rubinis & adaman- 43.

Rore, melle, & florum succo pascitur Christus.

mantibus conspicuam; tametsi ipsa Avicula rosam florem, aculeis suis horridam aversetur. Dum Parvulum Bethlehemiticum contueor, in uberibus aut ulnis maternis hærentem; audio Deiparam ex Ecclesiastici ore mihi pronuntiantem: Ne mireris, Infantulum meum vel adamabilem Colybrem Virgineis meis uberibus inhiare; nam ecce! *Ego quasi oliva speciosa in campis.*

Eccli. 24. v. 19. An non oliva speciosa Virginea Mater, & quidem in campis, quæ omni tempore & loco ac pro omni morborum genere, quasi mater misericordiæ, omnibus eam invocare volentibus, ad opitulandum est exposita? quæ nobis viatoribus tentationum æstu, tanquã Solis ardore afflictis, optatum suo umbraculo adducit refrigerium? quæ veluti campus absque colono, sine viri operâ, Christum genuit, eúmque hodie toti mundo adorandum exposuit? Annon est hic ipsissimus Puerulus, de quo Isaias Propheta vaticinatus est:

Isa. 7. v. 15. *Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Diffluit lingua mea in verba dulcedine plena, dum mellitissimum hunc textum digero: quare Richardum de S. Victore

Rich. à S. Vict. p. 1. l. 2. art. 13. meas hîc vices rogo supplere, mellis & butyri naturam disquirentem. [Mel, inquit, de cælo venit mediante rore; butyrũ de carne mediante lacte. Quid est enim butyrum, nisi quædam pinguedo lactis? & quid est mel, nisi quædam dulciflua crassitudo roris? In lacte intelligitur cordis dulcedo, in butyro cordis exultatio: butyrum de lacte colligitur, & vera cordis exultatio de verâ cordis dulcedine generatur. Juxta abundantiam benignitatis, erit & abundantia jucunditatis. Si cor Christi attendimus, nihil illo dulcius, nihil illo benignius, nullum cor corde illo uberiùs exultavit.] Et paulò pòst. [Quid illo corde dulcius fuit, quod nulla malitia tetigit, quod nihil fellis, nihil amaritudinis vel habuit, vel habere potuit? Secundùm autem magnitudinem dulcoris, erat & in ipso magnitudo exultationis.] O dulce corculum Jesu, melle sapientiæ & butyro exultationis ita saginatum, ut imposterum nulla passionis acerbitas illud possit interpolare, nullus amaritudinis horror attenuare! *Melle, rore & florum succo alitur, rosa tamen non insidet.* Quid de rore, quid de florum succo dicam? quando ipsemet est Ros ille benedictus, pro quo jugibus suspirijs clamaverunt Patres: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant Justum; aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* Isaiæ 45. v. 8. Germinet florem campi, lilium convallium; germinet leporem agrorum, gaudium universæ Creaturæ; germinet desiderium collium æternorum! Ipse est, qui pascitur inter lilia, qui florigeram inhabitat Angelorum patriam: unde & ad Nazareth, S. Bernard. serm. 2. de Adventu. quæ interpretatur flos, ad florem Virginitatis Mariæ advolavit, nobisque tantum mel misericordiæ attulit, sed aculeum impijs in die judicij reservavit. Ingreditur hîc Origenes in stabulum Bethlehemiticum, & considerans Origenes homil. 2. in Isa. etc. orexin, quâ Puerulus tenetur, ad circũstantes suum convertit afflatum. [Emmanuel, inquit, butyrum & mel manducat, & quærit ab unoquoque nostrûm butyrum manducare. Quomodo à singulis nostrûm butyrum quærit & mel, sermo edocebit. Opera nostra dulcia, sermones nostri suavissimi & utiles, mella sunt, quæ manducat Emanuel; quæ manducat iste, qui natus est de Virgine. Si verò sermones nostri amaritudine pleni sunt, irâ, animositate, molestiâ, turpiloquio, vitijs, contentione, datur in os ejus fel, & non comedit ab his sermonibus Salvator. Comedet autem Salvator de sermonibus, qui sunt apud homines, si fuerint sermones eorum mel. Approbemus hoc de Scripturis. Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis aperuerit mihi ostium, ingrediar ad eum, & cœnabo cum illo, & ille mecum. Igitur ipse pollicetur, se ex nostris cœnaturum nobiscum esse: certum est autem, quia & nos cum illo cœnamus, si cœnemus illum. Comedens quippe de nostris bonis sermonibus, operibus & intellectu, repascit nos suis escis spiritualibus, & divinis & melioribus. Propterea, quia beatum est suscipere Salvatorem, apertis ostijs princi-

palis cordis nostri, præparemus ei mella & omnem cœnam ejus, ut ipse nos ducat ad magnam cœnam Patris cælestis.]

44. Vox Christi & odor deliciosissimus.

Postquam curiosos recreavit oculos Colybris admirabili suâ pulchritudine, nunc etiam ad auditum & odoratum suas delicias confert: cantu scilicet, Josepho Acosta testante, admodum suavis est, & vocis dulcedine aut æmulatur aut superat Philomelas: odorem proinde tam gratum & virtuosum à se diffundit; ut oppobalsamum spirare quis judicaret. Vt sic omnes externi hominis sensus ex hujus Aviculæ præsentia videantur jucundè recreari; oculi vivacissimis colorum splendoribus, gustus mellito corpusculo, tactus subtilissimis pennis; nunc etiam auditus Hyblio melo, & odoratus Sabæo aut Palæstino unguento. Erat olim vox Dei terribilis contra peccatorem; ita ut postquam Adam audivit vocem Dei deambulantis in paradiso, sibi admodum timeret, & præ pavore se absconderet. Sic & in Exodo illa buccina, quæ ante Decalogi promulgationem quasi tuba clanxerat, & evocaverat Hebræos ad audiendam Dei legem, Angelo Decalogum voce articulatâ proclamante silverat; sed peractâ Decalogi promulgatione, mox rursum quasi tuba clangere & strepere cœpit. Vnde timens populus, ne rursus Deus voce suâ sonorâ & terribili loqueretur, rogavit Moysen, ut ipse foret internuntius, & vice Dei loqueretur, Deiq; jussa ac voces ad populum perferret. *Loquere tu nobis, & audiemus; non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Erat nempe olim vox Dei terribilis: erat vox super aquas: erat vox in virtute, & magnificentia; quæ confringeret cedros, & concuteret desertum, atque intercideret flammam ignis, & præpararet cervos præ terrore ad partum. At verò ubi apparuit benignitas Salvatoris nostri; postquam deliciæ Dei inceperunt esse cum filijs hominũ per humanam Nativitatem, procul hinc torvus aspectus, procul vox terribilis Dei. Anima fidelis cum Sponsa nunc alloquitur Dilectum. *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Tunc inquit Philo, Christus ostendit faciem suam decoram, cùm Verbum caro factum est; ac vocem suam dulcem, cùm vocavit peccatores, restituit sanitates, & peccata dimisit. Hæc vox CHRISTI Servatoris admodum dulcis, postea suaviter & mirabiliter intonuit super institutis salutis nostræ remedijs, septem Sacramentis. Vox enim Domini *super aquas* in Baptismo, in quo sacris aquis tingitur homo, originali labe infectus. Vox Domini *in virtute*, in Sacramento Confirmationis, per quam novum robur ad prælia Christiana accipimus. Vox Domini *in magnificentiâ*, in Sacramento Eucharistiæ, quæ donorum omnium uberrimum fontem continet. Vox Domini *confringentis Cedros*, in Sacramento Pœnitentiæ, in quo cor vitijs obduratum, & superbiæ nubibus sese inferens conteritur ac deijcitur. Vox Domini *concutientis desertum*, in Sacramento Ordinis, in quo facultas confertur ad animos fidelium incitandos ad virtutum exercitia, per prædicationis & Sacramentorũ administrationẽ. Vox Domini *intercidentis flammã ignis*, in Sacramento Matrimonij, per quod concupiscentiæ flam̃a sopitur. Vox Domini *præparantis cervos*, in Sacramento Extremæ Vnctionis, per quam in animæ emissione juvamur, ut è terrâ in cælum feliciter transeamus. Sed & cum adamabili ejus voce sese diffundit odor gratiarum ejus, & donorũ cælestium; in quem currere satagunt fideles animæ, ut æternorum gaudiorum prægustent dulcedinem. Sic omnes hominum sensus objecto hoc deliciosissimo reficiuntur, ac usque ad medullarum animæ saturitatem quietantur.

Iosephus Acosta l. 4. hist. Nat. c. 37.

Exod. 20. v. 19.

Psal. 28. v. 3. & sequentibus

Cant. 2. v. 14

Philo apud Cornel. à Lap.

45. Christus infans Dux exercituum.

Ad nidulum ipsum Colybris me flectit declivis oratio. Is admodum parvus est, & domino suo proportionatus: plerumque intra bicornutum ramum sublimè innectitur, & tam circumspectè arborum folijs occultatur, ut nec facilè insidianti, nec Austri calidis molestijs pateat.

Ovu-

Ovula bina vel ad summum trina excludit, instar ciceris, nec majora, oblongiora tamen. Cæterùm miro artificio, & subtilitate contextus est hic nidus. Me ipsũ haud ampliùs capio, dum ad Incarnati Dei præsepe venerabundus procumbo: hic lectulus floridus Salomonis, ex aristis & despissato fœno compositus: hic nidulus in viâ, & parentes vigilantes super pusillo Infante; hîc magnus ille Gigas, suo capite usque ad cælum protensus, & pedibus terram tangens: hic Princeps infans, magnus belli Dux, qui vel in cunis suos electos milites contra potentissimos Inferorum hostes generosè adducit. Impotens mei factus contra Divinam Legem pientissimè ac religiosissimè præsumo nidum cum pullo suo tollere, ac cordialiter basiando vobis ex alto monstrare, atque in erectionem animorum suscipiendum exhibere. Anno 114 . Godefridus tertius Dux Brabantiæ, dum erat infans unius anni, post septendecim prælia à suo genitore cum Beturiorum Gente fortiter commissa, bellum cum hostibus continuare debuit: Itaque status Provinciæ, capto optimo consilio, universum militem convocant, & in fidem infantis Principis jurare jubent, Exinde construitur apparatus bellicus, & miles utrinque ad prælium conducitur. Sperabat sibi hostis certissimam victoriam de infante Duce: Brabantini econtra oculos, animósque conjecerant in suum Ducem infantem. Qui cùm argenteis cunis impositus suspenderetur in cujusdam salicis ramo; prælio præsens, vagiendo animum incussit toti suo exercitui, ad reprimendum hostilem impetum, ad acuendum prælium, ad compellendum hostem in fugã, ad victoriam feliciter ac gloriosè reportandam. Vos, ô vos mites fideliũ animi, suspicite Ducem & Bellatorem vestrum Divinum *Infantem*, duro fœno repositum, præsepi, pervio incubantem, vagientem in cunis, regnantem in cælis. Tertullianum audite suâ buccinâ præcinentem. *Vagitu ad arma convocaturus est infans, & signum belli non tubis sed crepitaculis daturus: nec ex equis, vel de muro, sed de nutritis vel gerulæ suæ collo postem designaturus.* Nempe progressus est de cælo sancto suo, & in munitissimum præsidium Virginei se conclusit uteri: sed postquam per Nativitatem accinxit se gladio super femur suum Bellator potentissimus, contra iniquum invasorem diabolum se opposuit, hæreditatem suam pessimâ violentiâ sibi abreptam restituit; & tandem terminato triginta trium annorum bello validissimo, ingenti prædâ locupletatus, reversus est in gloriæ suæ Thronum.

Lipsius in Lovanio l. 1. c. 9.

Tertullianus 3. contra Marc. c. 13.

46. Esset, quod de mirabili renascentiâ Colybris superadderem: nam ea est huic aviculæ natura, ut non diutiùs vivat, quam flores herbarum, quarum alitur melligine, durent superstites; postquam verò marcuêre, ad pinus aliasve arbores sese quâdam naturæ providentiâ conferat, eique se rostro affixo serverappensam; donec sex plùs minùs transactis mensibus, ac pluvijs jam decidentibus, vernantibus agris, ac amicis herbis rursus ortis atque florentibus, denuò revivificat, similes vices pluries subitura. Exinde amplior sese aperiret campus, tibi præsagiendi futura, quando affixus olim ramo Crucis, ô Mundi Redemptor, extinctis tuorum pulchritudinum floribus ita expirabis, ut tamen non ita multò pòst, renascente gloriosæ Resurrectionis Florâ, non tantùm pristinæ vitæ integritati, sed & beatissimæ immortalitati sis reddendus. Differo tamen hæc decora, & mirabilium tuorum splendoribus animatus ad tua me prosterno incunabula, ô Divinissime Infans. Desunt tenuitati meæ digna tuo Numine munera: hanc solam Aviculam Ornithologia mihi suppeditavit, ut pari obsequiorum ac venerationis affectu humillimo tibi consecrarem. Reflecto me super id, quod de bono latrone memorant plures eximij Authores: hunc enim occurrisse tradunt Puero Jesu, Mariæ, ac Iosepho fugientibus in Ægyptum à tyrannide Herodis, ut eis substantiam abriperet; visâ verò Virginis mansuetudine, & Parvuli

Epilogus ad Christum infantem noctatione boni latronis.

Petrus de natalibus l. 3. de Catalogo. 226. S. Augustin. Raymundus, &c.

vuli ſpecioſitate conſideratâ, ſubſtitit admiratus, & quaſi divinitùs inſpiratus, hoc verbum protulit, *Non eſſe poſſibile, Puerum ab homine genitum tantâ pulchritudine eſſe decoratum: & ſi poſſibile eſſet, ut Deus haberet filium, elegantiſſimum illum Infantem diceret ex aliquo Numine generatum.* Igitur & propter Pueri ſpeciem, & Matris aſpectum placabilem, non ſolùm ab eorum deprædatione abſtinuit, ſed etiam eos illâ nocte in propriam introduxit domũ, & neceſſaria miniſtravit. Sed & incaleſcens amore latro amplexatus eſt eum: &, *O*, inquit, *beatiſſime Parvulorum, ſi aliquando ſe tempus obtulerit mihi miſerendi, tunc memento mei, & hujus temporis noli oblivisci.* Quidquid Theophilus Raynaudus commentitij in hoc facto explodat: Ego verò dum & Nativitatem tuam, ô Jeſule ſpecioſiſſime & latronis hujus confidentiam recolo, non quidem præſumo te ex materno gremio ad reverentiale oſculum amplecti, ut fecit latro; in tuâ tamen confidens benignitate ac clementiâ, cum paſtoribus, & omnibus tuum nomen piè invocantibus, me proſterno ad tua incunabula, & ſaltem latronis reaſſumo preces. O beatiſſime Parvulorum, cùm defecerit virtus mea, & lumen oculorum meorum cæcutierit; quando vel maximè tempus miſerationum tuarum appropinquaverit, cùm per mortem fuero natus æternitati; *Tunc memento mei, & hujus temporis* gratioſiſſimæ tuæ Nativitatis *noli oblivisci!* Amen.

S. Anſelmus parte 2. de Beneſic. divinis.

Theoph. Raynaudus in Marialog. Exotico de Bono Latrone. c. 6. n. 15.

IN FESTO S. STEPHANI PROTOMARTYRIS.

STEPHANION TORQUATA.

Die geringlete Stein-Gulen.

LEMMA.

O lapidum dulcedo ſapora!

THEMA.

Lapides torrentis illi dulces fuerunt: ipſum ſequantur omnes animæ juſtæ. Antiphona Eccleſiæ.

SYNOPSIS CONCIONIS LXIV.

Præſtantiſſima ars edocetur, præparandi condimentum, quo lapides S. Stephani dulceſcant, & Heroicorum Actuum difficultas reddatur facilis, delicioſa, victorioſa & jucunda.

47. Lapides S. Stephani dulces.



Nter trepidantes lapidum imbres quis hodie ſubſiſtat ſecurus, integer, intactus? ubi tumultuantium impetus, ubi frendentiũ concurſus, ubi perſequentiũ fremitus? Quis ordo rerum? quis populi concurrentis motus? quæ ſeditio clamoris, per plateas ferocientis? Ubi me! quando lapides clamant & concrepant, quando torrentis ſilices ſuis moventur ſedibus, ut in unum convolent *STEPHANUM*, Martyrum Primitias, Levitici Ordinis decus, Innocentiæ & Virginitatis gemmam, Divini honoris zelantiſſimum Præconem! Quis aliam ex omni volatiliũ cœtu hodie apprehendat volucrem, quàm *Stephanionem*, aut Cinclum, aut deniq; Coccothrauſten? Tam potentis & craſſi roſtri eſt

Coc-

Coccothraustes (Germanis Steinbeiſſer dictus) ut duriſſimas etiam Mandragoræ teſtas perfringat, & dulces exinde ſuæ gulæ nucleos protrahat. *O lapidum dulcedo ſapora!* Sed & *Cinclus*, infirmi alioquin roboris Avicula, id habet, quòd ad torrentium & rivorum littora aſſidens, valido roſtro in ſilices ac ſaxa impingat, & vel muſcas capiat, vel vermiculos pro alimento evincat. *O lapidum dulcedo ſapora!* Nec minùs *Stephanioni*, Graculorum conſorti, placere ſolent *Lapides torrentis*, è quorum ſpongioſis cavernulis ſuam ſibi protrahit eſcam. *O lapidum dulcedo ſapora!* quæ inſuper non virides incolit arbores, non ridentia perambulat prata, non in plano nidificat agro; ſed vel in turritis mœnibus, vel in altiſſimis petrarum foraminibus rem ſuam domeſticam adminiſtrat, prolem excludit ac nutrit; tanti proinde memini à naturæ Auctore evecta Stephanion, ut, dum per reliquum corpus atro colore ſplendeſcit, circa collum torquis candidæ circulo coronetur, atque exinde *Stephanion torquata* nuncupetur. Sed verò dum & inter lapides, & inter lapidum domitrices verſor volucres, atque extra Solymorum metropolim penes torrentis Cedronis vada perambulo; non jam in Coccothrauſten, neque in Cinclum, neque in Stephanionem admodùm feror, ſed in S. Protomartyrem Stephanum, lapidum imbribus impetitum, à lapidantibus Judæis proſtratum, vulneratum, cæſum, extinctum: cui velut glorioſiſſimo Chriſti Pugilum Anteſignano ſancta Mater Eccleſia illud Epicœdij hodiernâ ejus feſtivitate accinit. *Lapides torrentis illi dulces fuerunt; ipſum ſequuntur omnes animæ juſtæ.* Quid hoc? Ergóne Stephano lapides torrentis, alioquin tam duri rigore, tam rigidi ictu, & tam cruenti plagatione, fuerint viſi dulces? *O lapidum dulcedo ſapora!* Cur *dulces* fuerunt Stephano lapides, & non potiùs *illuſtres*? quandoquidem etiam *Divina ei claritas fulſit, dum ſaxorum crepitantium turbine quateretur.* Poterant fortè fuiſſe lapides ſardonychi, qui infra ſaxoſos torrentes *ILLUSTRES APPARENT*: nam Plinio teſte *conſtat* Sardonychū *torrentibus detegi.* Et Iſidoro advertente, *Reperitur apud Indos & Arabes, detectâ torrentibus.* Cur non potiùs illuſtres fuerint Stephano lapides, quàm dulces? Vnde hic lapidum ſapor? num melle ſaccaróque conditi, aut ambreſeis affluentijs baſtinati, aut vino malvaſiaco delibuti, induratam depoſuerunt amaritiem; & attractâ dulcoris virtute, in pabulum tranſierunt deliciarum, elyſio gutture digniſſimarum? Si orexis vos ſtimulet, Auditores, aut ſancta curioſitas, dulciſſimos hos Stephani lapides ſeu præparandi, ſeu guſtandi: ecce ego! Experientiam vobis demonſtrabo, quâ diſcatis incomparabilem quandam artem, myſterium ſublime, ſaluberrimam praxin, quæ digna ſit dici *Torquata*, & quidem torquata in coronam, ex lapidibus æquè dulcibus ac pretioſis S. Stephani compoſitam. Myſterium hoc magnum eſt & arcanum, vobíſque omnibus ad imitandum facile, ad concipiendum delectabile & retinendum ſalutare. Quod proinde, ne diutiùs vos reddam ſuſpenſos, liberaliter explanabo in nomine Verbi Incarnati.

Geſnerus, Turnerus, Heſychius, Varinus & alij.

Plin. l. 37. c. 6. Iſidor. Etymol. l. 16. c. 8.

48\. Ecquod illud tam rarum & pretioſum condimentum, quo lapides torrentis dulceſcant, & in delicias vertantur amaritudinū boli? Quod illud arcanum ſummi ad ſalutem veſtram momenti, ut in illud explanandum me totum profundam? Fors ſcire deſideratis, an ſitis è numero Prædeſtinatorum ad gloriam ſempiternam? Id verò equidem mihi haud eſt perſpectum: & tametſi ſcirem, non manifeſtarem vobis Librum vitæ, ad videndum, an ſint nomina veſtra in illo ſcripta; ne fortè cum Seraphico meo Franciſco poſt hujuſmodi revelationem per aliquot dies à mente veſtra rapiamini alieni; aut certè ne ad inſtar cujuſdam Mænadis, per domos, porticus & compita diſcurreretis inſanì prægaudio, exultabundi præ nuntio. Quòd ſi etiam ſciretis, vos eſſe de ſalute æternâ certos: num inde ſtudium virtutis in vobis

Curioſæ quædam quæſtiones circa ſalutem hominis reſcinduntur.

bis majores ageret radices, aut desiderium magnæ in cælis gloriæ consequendæ? timendum profectò, ne securitas spiritui laxaret habenas, & virtutis ardorem dissolveret. Pejus foret, si vos de Reprobatione certificarem: tunc enim quam frontem induceretis vultui? quis tam circumspectus esset, ut omnes removeret funes, ne gulam frangeretis; ut frangeret cultros, ne lethali facerent vulneri locum, ut exsiccaret fluminum fossas, ne vos desperabundos extinguerent; ut tolleret millena pericula, ne abjectos animos omnino deglutirent. Nisi fortassis adhuc in vobis spiraret animus illius Abbatis, quem malus Angelus è reproborum esse numero asseveraverat. *Reproborum?* inquit cordatissimus Abbas: *itane verò reproborum? Non obsisto, fiat voluntas Dei. Novi tamen, quid restet agendum: quandoquidem sim æternùm damnandus, & supernâ illâ felicitate Deum semper amandi privandus, reliquum vitæ purè impendam in ardentissimum illius amorem; & quia Beatitudo cælestis consistit in Deo super omnia perfectè amando atque fruendo, utar tempore; & si amare Deum in alterâ vitâ non possim, in hac tamen amabo, & hoc exiguo tempore, quod mihi restat, cælo fruar.* Quid si vobis diem, annum & locum mortis vestræ prognosticarem? curiosa quidem foret notitia, sed prioribus perniciosior longè. Si enim tempus proximum instaret, inconsolabili ægritudine opprimeretur animus: sin procul adhuc abesset, eò differretis emendationem, ac bonorum operum exercitium. Quoad locum; fremeretis dentibus, quoties illius meminissetis; & quia vobis fatalis esset, eum fugiendo execraremini. Paribus periculis subjacet alia sciendi curiositas; dimissáne vobis sint peccata vestra, adeóque an sitis in gratiâ sanctificante; de qua aiunt Theologi cum sanctis Patribus, *nescire hominem, an amore vel odio sit dignus?* Si enim negetur, jam desperationis præcipitio eritis proximi: si autem asseratur, fruemini quidem aliquot dierum solatio, sed postea eadem sollicitudo vos affliget: novis enim sceleribus admissis, ignorabitis, an hæc vobis indulta & remissa sint. Dimissis hisce curiositatibus satisfaciam desiderijs vestris, si & cælos apertos vobis ostendam, & in brevissimam pariter ac directissimam viam vos deducam, qua videatis *Iesum stantem à dextris virtutis Dei.* Via hæc est via S. Stephani, in quâ & lapides torrentis dulcescunt, & cæli videntur aperti, & brevissimè pervenitur ad Christum. Via lapidosa S. Stephani, est præstantissimus fervor eorum, qui dant operam actionibus heroicis generosis, & ita sublimibus, ut radiorum suorum splendore consuetudinem obfuscent vulgarium actionum. Hic fervor præstantissimus ex heroicâ charitate ignoscendi inimicis, orandi pro lapidantibus, pugnandi fortiter pro veritate, est clavis aperiens cælum; est radius gloriæ illustrans Christum; est condimentum, quo super mel & favum *Lapides torrentis* Stephano *fuerunt dulces. O lapidum dulcedo sapora!* Prout B. Laurentius Justinianus observat, *Iam experiebatur interiùs, quàm magna multitudo sit divinæ dulcedinis, quam pro veritate certantibus noverat esse paratam.* *B. Laurentius Iustin. de S. Steph.*

Observant Physiologi, Naturam in suo sinu gestare reconditas quasdam productiones extraordinarias & effectus gloriosos, qui vulgi judicio prodigia & miracula existimantur. Crescunt in India arbores pomiferæ, quæ identidem non nisi unicum fructum producunt, sed tantæ magnitudinis ac ponderis, ut robustissimi hominis vires, non dico, ferendo, sed vix levando sint pares. Tale pomum naturæ est partus, qui spectatores in admirationem abripit atque stuporem. In terrâ Palestinæ tam grandes & graves colligebantur botri, ut unicus duorum fortissimorum virorum humeros fatigârit. Bonus istiusmodi erat naturæ miraculum, quod Israëlitas ad illius terræ desiderium inflammabat. In Paraquaya Occidentalis Indiæ Provincia, reperitur gemma, quæ una reliquarum omnium gemmarum elegantias complectitur. In ea adamantes, 49. *Naturæ gratiæ prodigia.* *Solitudo Hagyophila terr. dec. differr. pomor.*

ame-

amethysti, rubini, carbunculi, smaragdi aliq; similes, ita insiti, sicut grana in pomo granato. Tam elegans gemma, ut ob formæ præstantiam gemma admirabilis, & unio sexaginta elegantiarum nominetur. Habet id quoque commodi, quòd è terræ visceribus tanto impetu tumultúque gignatur, ut crederes nubem aliquo tonitru dissilire; idque incolis indicium est ut hanc tot pretiosissimarum gemmarum congeriem colligant. Stupenda sunt, quæ natura in cæli volucribus, in maris piscibus, in terræ quadrupedibus, in hortorum floribus, in agrorum plantis, in arborum stirpibus, in elementorum meteoris edidit prodigia, quæ communem videntur naturalis activitatis methodum superare. Simili modo se gratia habet circa productiones & ni us suos, actiones scilicet heroicas; sed quæ duntaxat ad eos spectant, qui fervent magno animi spiritúsque ardore, & calescunt alio sanguine, quàm commune mortalium vulgus. Vnde hæ actiones potiùs Angelicæ dicendæ sunt, quàm humanæ; & quidem adeò excellentes, ut si Deus inter homines versaretur, eas non aliter exerceret: actiones omnino altæ, sublimes, generosæ, ferventes, Angelicæ & Divinæ; quibus quicunque incubuerit, incredibilem refert fructum, & tam singulares in sapientiâ promovet gressus, ut homines, Angelos, & Deū in sui admirationem abripiat atq; amorem.

50. Charitatis heroicæ actus exercitii.

Cùm in omni virtutum genere generosi, & difficillimi actus exerceantur; charitas tamen ut in ordine prima est, ita & in exercitio generosissima suspicienda. Consistit heroicæ gradus charitatis in hoc, ut quamvis eximiæ quædam corporis animíve dotes in nobis emineant; nihilominus cùm proximus quiscunq; tandē, vel cujuscunque conditionis ille sit, pauper, ignotus, ignobilis, extraneus, barbarus, & si placet, etiam inimicus infestissimus nostrâ operâ indiget, premitúrque angustiâ, sive opera illa sit corporalis sive spiritualis, sive futuram sive etiam præsentem vitam spectet; an-ti eum Dei amore faciamus, ut nihil, quo illi possimus esse opi, præsidio & consolationi, detrectemus; etiamsi ex eo magna nobis incommoda, & detrimenta immineant: imò licèt nos ipsos impendere totos & superimpendere sit opus, ultrò impendamus, exemplo Christi Salvatoris nostri, qui S. Paulo attestante, *proposito gaudio sustinuit Crucem*, nósq; adeo generosè supportavit, & etiamnū supportat ac diligit, ut propter nos *confusione contemptâ sustinuerit Crucem*, & injurias atque opprobria peccatis nostris debita tolerârit: Heb. 12. v. 2. *qui cùm dives esset, pauper factus est, ut nobis divitias gloriæ suæ ostenderet*, 2. Cor. 8. v. 9. nósque honoribus ornaret: qui deseruit cælum, ut se similem nobis efficeret, in terris viveret, & cum hominibus versaretur: qui denique vitam suam, quæ Dei vita erat, pro nobis vilissimo opere manuum suarum ingrato, eóq; sceleris provecto, ut cum ipso inimicitias exercere auderemus, liberalissimè profudit. Eò charitatis insignes quidā viri videntur devenisse: ut S. Paulinus, qui rogatus à viduâ, ut filium sibi a Wandalis captum redimeret, cùm consumptis rebus omnibus in officijs pietatis nihil illi ampliùs superesset, seipsum pro captivo in servitutem tradidit. Simile quid de S. Dominico, Ordinis Prædicatorū Fundatore, referunt Añales. Innumera sunt Sanctorum exempla, quibus excellentiam heroicorum charitatis actuum sunt contestati; nunc eum S. Martino clamydem dividendo, nunc cum S. Didaco ulcera purulenta lambendo & abstergendo, nunc cum S. Elisabethâ Hassiæ Landgraviâ Xenodochij curam gerendo, nunc cum S. Francisco Xaverio Æthiopem humeris gestando, nunc cum S. Petro Nolasco sese pro redimendis captivis prostituendo, nunc cum S. Carolo Borromæo, aut S. Bernardino Senensi contagiosâ peste infectis serviendo; nunc cum innumeris alijs viris Apostolicis procurando hominum salutem, & animas Christi sanguine redemptas, per commoda & incomoda, per bonam famam, per infamiam, per mare, per terras, longissimis itineribus, periculis fluminum, peri-

periculis latronũ, in remotissimis orbis partibus perquirendo: qui proinde soli earum lucro intenti, inter barbaros & infideles, Dei hostes fideique adversarios, Religionis inimicos, inter Ethnicos & hæreticos, ac demum inter subdolos & falsos fratres, nullâ aliâ quàm Divinæ gloriæ salutisque proximi consideratione, totos se proximorum bono atque obsequio devoverunt. Et si hæc omnia videantur tenuia & modica, suspicite hodie Stephanum, qui non tantùm pro Christi nomine sanguinem suum primus fudit gloriosissimus Martyr, sed etiam omnibus, quibus poterat, modis Deum studebat placare suis malefactoribus; coram quo prostratus, & *positis genibus clamavit voce magnâ dicens: ne statuas illis hoc peccatum.* (Act. 7. v. 59.) Subsistunt hîc omnes sancti Patres præ admiratione attoniti, & dum miris encomijs maximi Herois Stephani generosissimas exornant virtutes, potissimam jubent Charitatem fulgere; ideóque prodire S. Fulgentium, floridissimo pariter & ardentissimo eloquio commendantem arma, quibus contra hostes suos pugnavit, & vicit lapidatores Judæos. (S. Fulgentius serm. de S. Steph.) *Per charitatem DEI*, inquit, *sævientibus Iudæis non cessit; per charitatem proximi pro lapidantibus intercessit. Per charitatem arguebat errantes, ut corrigerentur; per charitatem pro lapidantibus orabat, ne punirentur. Charitatis virtute subnixus vicit Saulum crudeliter sævientem; & quem habebat in terrâ persecutorem; in cælo meruit habere consortem.* Fuit sanè generosissima hæc Stephani charitas, qua ardentissimum Sauli & Judæorum furorem vicit & superavit. Et quamvis lapidantes obturarent aures suas, nec possent suscipere vocem objurgantis Stephani de veritate salutis, & deprecantis DEUM pro inimicorum ignoscentiâ: fuit tamen hic totus heroicissimus actus similis organo harmoniacè resonanti, & sub lapidum pondere artificiosos tonos exprimenti, ac dulces melodias modulanti, cum subscriptione: *SUB PONDERE MELOS.* Erat totus Stephani animus ordinatissimum organum, quod ab amore proximi tanquam ingeniosissimo Choraulâ pulsabatur: & cùm crepidantium saxorum pondus premeret folles, fistulæ dederunt dulcissimum sonum, qui cælos terrámque suâ suavitate replebat; dum pro lapidantibus deprecaretur altissimum, *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* (Act. 7. v. 59.) Sic Pius V. ex Ordine Prædicatorum ad sumum Pontificatum evectus, & nuper inter Superos beatificè relatus, dum in debili suo corpore frequenter toleraret acerrimos calculi dolores, hos protinus in dulcedinem mentis convertit, lapillis pro pondere utens sui organi, & frequenter exclamans: *Bone IESU, quia te permittente mei crescunt dolores, etiam te adjuvante crescant patientiæ & fortitudinis actus.* (Alphons. Ciaconius in vita Pij V.) Ita certè fortissimi sancti in ærumnis & tolerantijs dulcedines sentiunt, Deóque præstant, quod Brusonius de inveterato Regni Persici more tradit. (Brusonius l. 1. de regno Persico.) *Qui verberibus plagisque Regis jussu cædebatur, gratias et agebat, præclarè secum agi existimans, quod Rex ejus memoriam se habere hoc pacto testatus esset.*

§ 5. Actus heroici in servandâ corporis castitate.

Et ut ad aliarum etiam virtutum heroicos actus nostra excurrat oratio; queîs laudum margaritis de condigno insigniri possit gloriosissima S. Alexij fuga, qua se è domo paterna proripuit primâ nocte nuptiarum, dum in alijs vel maximè juvenilia desideria impunè deliciantur, sponsam intactam relinquens, paupertatis propter Jesum experiendæ studio, & amore castitatis? Prodigia vobis narrare videbor, si dixero, aulas esse Virginum emporia, & conjugalis castitatis Academias: nam ut S. Elzearium cum sua Delphina inter virginea Regni Galliarum lilia sinam florescere; post sceptra & imperium in Occidentem illata, sola fuit una & unica Kunegundis, quæ inter Augustales Aquilas Virgo nidificaret: Virgo, inquã, Imperatrix Conjux, Sanctimonialis, nupta Henrico Bojo. Vterque servatæ in thalamo Virginitatis miraculum. Vbi enim Hymenæus Augustalibus nuptijs dictus est, jam jam

post epulas jugalésque tedas sociandus thoro Henricus promit Kunegundi, quæ hucusque toto pectore condiderat, Vides, inquit, Kunegundis, quo loco simus; thalamus invitat in amplexus. Sed quid nobis cum voluptate fluxâ, & volaticâ? Semel ubi ea florem pudicitiæ depaverit, actum est de Virginitate. O quàm ea pretiosa est cælo, proxima Deo? *Cujus mater Virgo est; cujus Pater fœminam nescit.* Quare si me audis, & per te licet, despondeo hunc florem Deo. Exhilarata toto animo Kunegundis, votis tam propitium Numen arrisisse: &, hoc est, subijcit, quod discupio, te *Virgo Virginē* sequi; hoc est, pro quo ab incunabulis cælum precibus pulsavi, ut Virginitas, quoad viverem, illibata mihi foret. Tu ergo mihi posthac fratris loco, ego tibi sororis ero; arbiter votorum Deus esto. Virgo Kunegundis Virgini Henrico (quod Superi secundent) convivam. Tenuit virginale connubium annis benè multis; & à frimente Tartaro de stupro apud Imperatorem incusata, super candentes prunas illæsa incedens, Virginitatis nitorem novo miraculo est contestata. Non est facilè dictu, quantâ eum displicentiâ Elephas fugiat libidinis complacentiam! Etiam post coitum naturalis propagationis amore absolutum abscondit se, impatiens de re fœda notari, aut aspici. *TANTUS HOROR FOEDI* heroicam symbolizat displicentiam & aversionem, quam sanctus Franciscus Xaverius concipiebat contra cogitationes castitati inimicas: de quo Horatius Turselinus scribit. *Insignis profectò in illo amor castimoniæ, insigne odium libidinis fuit; adeò ut vel minimas hujus generis labeculas exosus, ipsum horreres libidinis nomen.* Videntur hujusmodi affectus in sancto Augustino recogniti; qui in libris Confessionum tractans de rebus impuris: *nihil jam hujusmodi quæro*, scribit, *nihilque desidero, sed etiam cum horrore & aspernatione talia recordor.* Similis fuit in sancto Casimiro, Polonici Regis filio, vel amor integritatis, vel horror impuritatis. Vitæ periculum adibat is, nisi matrimonium iniret, castitate valetudinem labefactante: at maluit vitam amittere quàm Virginitatem. Talis etiam fuit despicientia dignitatum mundanarum in sancto Ludovico, Gallici sanguinis Principe, qui deseruit omnia, ut rigidum pauperémque sancti Francisci habitum indueret. Hæc sanè actio, & sexcentæ aliæ huic pares, quas, ubi occasio sese obtulit, magni nominis Sancti exercuêre, omnino sunt actiones heroicæ, gratiæ prodigia, & germina spiritualis illius fervoris.

Surius to. 3 Raderus in Bavaria sancta, vol. 1.

Turselinus l. 6. c. 6.

S. August. in l. Confess.

§ 2. Actuum heroicorū emolumenta.

Magna sunt & suâ arduitate conspicua, quæ hactenus induxi; sed nihil egisse viderer, nisi etiam demonstrarem, hanc esse rectissimam ac brevissimam ad cælum viam, in qua superandæ in animo difficultates, ceu lapides Stephani juxta torrentem dulcescunt: ubi unicus subinde heroicus actus sufficit, non solùm ad aucupandam Divinam gratiam, sed etiam ad illum ipsum fervorem deinceps longè facilius continuandum, & promptâ arduitate practicandum. Sic enim intelligo illud Cantici canticorum, ubi Sponsus affirmat, se abreptū esse unicâ cogitationum illius. *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, in uno crine colli tui.* Prima B. Virginis cogitatio, quâ sub ipsam suam Immaculatam Conceptionem integrè Deo se dedicabat, sic divinum cor & affectum rapuit, ut illico favores omnes & gratias in illam congesserit. Maria eximia est; sine pari est; nimiùm supra mortalitatis nostræ conditionem eminet; quia Deipara *nec primam similem visa est, nec habere sequentem.* Aliam itaque adeamus MARIAM, videlicet Magdalenam, quæ per unicam heroicam & ferventem actionem insolitum illum Christi favorem ac benevolentiam est consecuta. Videte puellam nobilem; quâ nulla Jerosolymis naturæ dotibus instructior; quæ ornamentorum luxu, & apparatûs pompâ cæteras omnes anteibat: hanc considerate humi prostratam, ad pedes viri, inter epulas, præsentibus

Cant. 4. v. 9.

convivis; ut illum, quem DEUM supremúmque suum credebat Dominum, sibi conciliaret: observate oculis demissis, cadentibus lachrymis, fluentibus capillis, singultientibus suspirijs, amaro animo, pavido gradu, contrito corde, deposito fastu, contemptis hominum judicijs, prostratam ad pedes sui Servatoris. Nónne hoc est obijcere oculis ipsam fervoris ideam, & actionum heroicarum archetypum. *Pia impudentia*, inquit Augustinus, *quæsivit sanitatem, irruens importuna convivio, opportuna beneficio.* Vocat ille piam impudentiam, quæ meliori sententiâ dicenda videtur heroica pœnitentia. Hoc unicum opus heroicum fuit fons, ex quo admirandi illi divini amoris rivi, quibus deinde affluxit copiosissimè, promanarunt. Non vult DEVS à creaturis suis, humanitatis officio vinci: amat illas, blanditur, imò sanctè lenocinatur; & longè aliâ ratione, quàm soleant terrarum Domini suorum subditorum agnoscere obsequia, remunerat ac præmiatur. Historia Ottomanica tradit, quendam Mahometem, qui intimus & charissimus Solymanno fuit, non aliter pervenisse ad summos honorum & favorum gradus, quos sub Solymanno & alijs duobus Turcarum Imperatoribus occupavit, quàm unius actionis animoso officio, heroicè insolescentis. Legebat epistolam Solymannus innixus fenestræ, quâ in Viridarium erat aspectus: hæc legentis manibus excidit, illapsa viridario: illicò tota nobilitas aulæ ad gradus currere, ad chartam volare; ut quisque prior referendarum litterarum occuparet honorem. Quid fecit Mahometes, ut anteverteret cæteros? Præcipitavit se de fenestrâ, & sublatam epistolam suo Principi retulit. Erat hic generosissimus observantiæ actus, quem tam grato animo acceptavit Solymannus, ut Mahometem authoritate & dignitate præ cæteris subitò auxerit, ac per omnem reliquum vitæ decursum in delicijs nutriverit. Tantùm potuit unica affectûs, & fervoris in Principem devotissimi testificatio. Ament sanè Solymanni & Orbis moderatores, tam generosam & observantiâ plenam actionem; faciliùs tamen, & admirabiliùs capitur Divina bonitas. Opus unicum affectu & fervore plenum, & notâ *arduitatis* insignitum, in DEI servitio peractum, eum devincit, ut tales amantes non solùm in hâc vitâ, sed etiam in alterâ, magno gloriæ incremento prosequatur. *O lapidum dulcedo sapora!*

S. Augustin.

53. Actuum heroicorũ reciproca præmiatio.

Emetiamur viam, quam sumus cum sancto Stephano ingressi; viam compendiosam & cælestem. Vnus actus heroicus & extra ordinem zelosus, Divinam Majestatem (si ita præstet loqui) rapit in admirationem, & incredibilia elicit reciproci amoris argumenta. Fecerat aliquando Seraphica Theresia illustre & fervens, nescio quod, opus; crederes, DEVM imperare sibi non potuisse, quin diceret: Theresia, si mundum non condidissem, illum jam tui gratiâ, & ex propensissimo erga te affectu crearem? Ob actus heroicos surrexit è throno JESVS, stánsque sanctum Stephanum pro inimicis tanto animi ardore supplicantem spectavit, veluti hujus stupore prodigij attonitus. *Ecce video cælos apertos, & IESVM stantem à dextris virtutis DEI*, exclamat Stephanus inter crepidantium lapidum imbres. Ingens beneficium; gratia incomparabilis; quam dum devotissimus Dionysius Carthusianus perpendit, [*O quanta*, exclamat, *fuit puritas, quanta dilectio, quanta perfectio Animæ huius invictissimi Martyris, qui adhuc vivens in carne mortali ad tam altam & califormem perductus est visionem; atque in sæculo isto sic meruit certificari de felicitate futura, sic prægustare, sic intueri eandem.*] Sed & aspectus hic fuit in victissimo Martyri quasi calcaris loco, ad fortiter, maximâq; cum celeritate, in petrosi Martyrij sui stadio sine ullâ hæsitatione aut allisione currendum. Sic enim Hilarius

Dionys. Carthus. serm. de S. Stephano.

Are-

Hilarius Arelat. de S. Stephano.

Arelatensis inquit: *Vides quòd spectantis intuitus armat constantiam triumphantis.* Incredibile est, quantùm in gravissimâ pugnâ gregarios milites animare soleat Principis, seu Generalis præsentia: insuper optimè ac generosissimè pro defendendâ periclitante civitate tunc pugnatur, cùm civium adest conspectus. S. Stephanus pro periclitante, ac infestissimis motibus jactatâ decertabat Ecclesiâ, idque in conspectu totius Ecclesiæ quà militantis, quà triumphantis: ipsum enim fortiter pugnantem de summo cælorum fastigio tota cælestis inspectabat aula. Generosissima illa heroina S. Symphoriani Mater, timens ne fortè dilectus ejus filiolus, etiamnum juvenculus, martyrij sui atrocitati & tormentorum crudelitati succumberet, eundem hisce verbis animabat: *Nate, cælum suspice, memento æternæ vitæ.* Stephanus dum videt cælos apertos, & Jesum stantem, & cruentis suis in monte Calvariæ impressis plagis insignitum, quasi Elephantus ostensô uvæ & mori sanguine acuebatur ad prælium. Mirum, quantâ cum generositate hostiles Judæorum sustinuerit insultus, represserit assultus, susceperit lapides, perpessus sit necem, susceperit gloriæ coronam. Ferunt Alexandrum Magnum prandere solitum ad tibias; cùmque tibicines mutato tono delicioso bellicum intonarent, subitò arrectum sine sensu arripuisse lanceam; quod evidens erat indicium pugnacis animi, & virtutis imperatoriæ. Longè veriùs Christus in cælo Empyreo delicijs affluens, suorum Fidelium rebus & luctis ita intendit, ut simul ac increpuerit luctantium clamor, illicò à delicijs asurgat ad arma. Stat ergo hic armatus omnipotentiâ suâ, ut Stephanum Judæis reddat insuperabilem. Stat quasi advocatus & sacerdos, Stephanum in martyrio quasi victimam suavissimam oblaturus Patri. Stat quasi Agonotheta, ut animam victoris Stephani cum triumpho excipiat, eique victoriæ bravium consignet. Stat, ut Stephano stanti patienti & reo, ipse quoque stans, quasi patiens & reus compatiatur. Stat, ut insigne & jucundum hoc Stephani spectaculum & certamen specter, eòque se oblectet.

54 Sed verò etiam in hac brevissimâ ad cælum & perfectionem viâ pauci colligendi sunt lapides, quibus Stephanus impetebatur; cui & *Lapides torrentis dulces fuerunt.* Vnde hæc lapidum dulcedo, sapor & condimentum? De Torrente hæc dulcedo manavit: siquidem erant lapides torrentis. Benignissimus noster Redemptor amarissimæ suæ passionis tempore, de loco in locum, à Judice ad Judicem, à Tribunali ad Tribunal ductus, in viâ ostendens torrentem, eundem sacratissimis suis pedibus sulcare quasi coactus fuit; prout prævidens in spiritu Psaltes dixit: *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Intuens proinde, & pijssimæ recordationis oculum defigens Stephanus in atrocissimam benignissimi Salvatoris mortem, lapides, quibus obrutus fuit, pro dulcibus & suavibus panibus suscepit. Melliflui Doctoris Bernardi est hic confectissimus discursus, quem tractans de jubilo & constantiâ Martyrum in atrocissimorum tormentorum medio existentium format, pulcherrimè super hæc Canticorum verba commentando: *Surge amica mea, speciosa mea, & veni in foraminibus petra, in caverna maceria.* Vbi dicit, quòd Martyres ea, quæ Vnigenitus Dei Filius immanissima passus est tormenta, perpendentes animo, sua propria non senserint. *Stat Martyr,* inquit, *triumphans & tripudians; toto licèt lacero corpore, non modò fortiter, sed & alacriter totum è carne sua circumspicit ebullire cruorem.* Causam autem tantæ generositatis pergens demonstrare, subjungit idem S. Bernardus: *Vbi est ergo tunc anima Martyris? Nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus Jesu.* Itaque omninò verisimile est, beatissimum Levitam Stephanum, Christum vulneribus lividum, & sanguinei undique cruoris stillantem guttas in monte Calvariæ spectâsse; ut mirum non sit, eundem tam hilarem ac ubique tantâ perfusum dulcedine, suo in martyrio persistere: imò *stat Martyr triumphans &* tri-

Lapides torrentis cur Stepha. dulces?

Psal. 109. v. 7.

S. Bern. serm. 61. in Cant.

tripudians; quantò plùs igitur Protomartyr, qui cæteris omnibus & animos addere, & generositatis exemplo debebat pr æire. *O Lapidum dulcedo sapora!* Pretiosum hoc est D. Bernardi condimentum. Sed verò dum Stephanus Jesum videt stantem, & gloriam Dei, multò magis dulcescunt lapides.

Act. 7. v. 55. *Vidit gloriam Dei.* Prolixa agitatur inter Patres & Doctores disputatio, an Stephanus in illo internecinæ lapidationis actu per elevationem potentiarum verè viderit Essentiam Dei; adeóque Deum in Essentia; an verò tantùm in imagine vel specie suâ: & hoc partim corporeâ, qualis est lux & claritas; partim incorporeâ, qualis est phantasma & visio mentalis? Dissimulo difficultatem, & locum adduco S. Augustini, ubi ait: Stephanum vidisse *revelatâ facie Patrem, & Filium & Spiritum sanctum.* Et alibi: *Vidisse Deum, qui jam migrabat ad Deum, ac Trinitatem ipsam ac Divinitatem.* Vt proinde nemo miretur ampliùs, si hæc visio omnem passionis suæ amaritudinem ei dulcissimam reddiderit. De S. Apostolo Petro refertur, quòd in monte Thabor totus ob Dominicæ Transfigurationis miraculum absorptus, & quasi in extasin raptus exclamârit: *Domine, bonum est nos hic esse.* Et tamen S. Leo non veretur dicere: *Vnam stillam dulcedinis ille gustavit.* Nunc imaginamini vobis, cælis apertis mirum quandam ad instar torrentis in sinum Protomartyris non stillare tantùm, sed etiam copiosissimo quodam imbre depluere dulcedinem: *torrente voluptatis suæ potavit illum.* Hic igitur cælestium gaudiorum torrens alteri saxorum crepitantium torrenti quasi immersus & commixtus, haud aliud hæc saxa esse æstimare fecit Stephanum, quàm merum nectar & ambrosiam. *O lapidum dulcedo sapora!*

S. August. serm. 96. & serm. 93.

Matth. 17. v. 4.

55. *Præmium cæleste dulces facit martyrij & persecutionis ærumnas.* *Dulces fuerunt*, & dulces erunt omnes tormentorum modi à Tyrannide contra Martyres inventi, si sibi statuant *coronam gloriæ*, quam modicum & leve tribulationis temporaneæ operatur. *At ille gaudens suscepit lapides, ut mereretur accipere coronam gloriæ.* Ea nempe generosorum Pugilum mens solet esse, ut decretum victori præoculis cernentes præmium, fortiùs pugnent. Pulchrè idipsum S. Propheta Job suis in experientijs in Aquila adumbrâsse videtur, de qua sic philosophatur. *In petris manet, & in prærupits silicibus commoratur; inde contemplatur escam, & de longe oculi eius prospiciunt.* In ipsissimis terminis hoc Stephano nostro contingit. Stephanus creberrimis saxorum ictibus petitus, undiq; ijsdem quasi circumvallatus hærebat, ac cælū aspiciebat apertum: *Ecce video cælos apertos.* Contemplabatur etiam præmium; *Vidit gloriam Dei, & Iesum stantem.* Commemorat idipsum egregiè S. Ambrosius. *Lapidabatur Stephanus, & videbat cælos apertos, & Iesum ad dextram Dei stantem: & ideò lapidum ictus non sentiebat; corporis non considerabat vulnera; sed oculis erat Christo affixus; illi adhærebat.* Volens quispiam rapacem & impetuosum transire fluvium, ut capitis non patiatur vertiginem, necesse est, oculos in littus detorqueat: similiter qui vitæ præsentis ambiguitates, ac jugem malorum torrentem voluerit fortiter sufferre, nec in ijs superandis minimò periclitari; omnino necesse est, ut eò figat oculos, ubi fixa bona & vera sunt gaudia, nempe ad bravium cælestis gloriæ. *Nihil crus sentit in nervo,* ait antiquissimus Tertullianus, *dum animus in cælo versatur.* Talis erat Stephani animus: videbatur enim invictissimo Levitæ, quòd nefarij lapidarores, interim dum continua in ipsum saxa jacerent, illi omni ex parte Stephanum quasi cingerent; insigni caput suum, non de lapidibus pretiosis, sed de fortissimo æternúmq; duraturo cælestis Beatitudinis adamante compositâ coronâ adornârint. Ad eum fermè modum, quo nominatissimus Sanctorum Historiographus Metaphrastes de S. Gliceria narrat. Hæc è nobilissima Romanorum familia progenita, impijssimo crudelis Tyranni mandato deferre renuens, non tantùm Jovi non sacrificavit, sed oratione suâ etiam Idolum dejecit. Quo facto irâ

Iob. 39. v. 28.

S. Ambrosius l. 4. Epist.

Metaphrastes in vita S. Gliceriæ.

irâ fremens Tyrannus, eandem jussit saxis obrui. Mirum dictu! Omnia omninò saxa in Gliceriam jacta, simul unita, in formam perfectissimæ coronæ, sine ullo omnino S. Martyris nocumento redacta sunt, non absque stupendo prorsus miraculo. *Lapides verò ipsi tanquam in locum quendam repositi eam circumdabant quidem, non autem tangebant.* Idem omninò hodie gloriosissimo Heroi, & Veritatis Divinæ Propugnatori Stephano evenit, cujus quidem Virginea persona petebatur lapidibus, vivúmque ex eo cogebant manare sanguinem; nihilominus tanta interior ejus cernebatur exultare lætitia, tantúmque se prodere gaudium, ut eundem sine omni tormento vel cruciatu terribilem hanc subijsse mortem dixisses; imò hos lapides æternæ gloriæ coronam eidem condidisse. Vt rectissimè omnium dixerit D. Gregorius Nyssenus: *Orbe lapides undique conjicientium quasi coronâ cinctus, ita accepit id quod agebatur, quasi corona, victoriæ præmium, in manibus adversariorum necteretur.* Verè Stephanion torquata. Observant multi Naturalistæ de gemmâ Cerauniâ ex fulmine discussâ; si ab homine portetur super nudum corpus, ita ut ex immediatâ propinquitate calefcat, quòd dispositivè causet somnum jucundum, & vagum portentis. Vnde appositè huic Ceauniæ adnectitur lemma: *LÆTUM DAT TACTA SOPOREM.* Videntur mihi lapides torrentis non tantùm Deucalionis olim fictam virtutem reassumpsisse: siquidem ut olim ex ijs post tergum rejectis novi prodierunt homines; sic juxta metaphoricum Prudentij Peristephanon,

S. Gregorius Nyssenus orat. de S. Stephano

Martyrum semper numerus sub omni GRANDINE CREVIT:

Sed insuper hodie super lapidatum Stephanum in Ceraunias transiisse. Nam ecce! cùm lapidum moles Spiritu sancto & martyrij Zelo calescentem Stephanum obrueit, *lætum dat tacta soporem*; quando lapidatus Stephanus non vagum duntaxat somnum, sed jucundissimam visionem cæli aperti, & Jesum à dextris virtutis Dei stantem exhibentis, apertè suspexit hâc cerauniâ soporatus, hoc dulcissimo lapidum condimento saturatus, *obdormivit in Domino*, suaviter quieturus, perenniter regnaturus. Act. 7. v. 59.

Habetis nunc, Auditores, viam compendiosissimam & directissimam ad cælum & apicem perfectionis, nempe per actus heroicos ac arduos subitò præparatam: in qua difficilia redduntur facilia, amara dulcia, dura mollia, & obscura speciosa. Adeo verum est, unam solam illustrem actionem omnibus ingentia adferre emolumenta, & illis præsertim, qui eam exercent. Sapiat & nobis hoc dulce lapidum condimentum, quod Stephanus per heroicissimos suos gustavit actus; si cum Stephano velimus coronari, & inter varias humanarum miseriarum afflictiones pro Dei honore victores evadere. Neque enim id solùm accidit Stephano Ecclesia, quòd lapides torrentis ei fuerint dulces; sed etiam, quòd nobis sit ad imitationem stimulus efficacissimus: *Ipsum sequuntur omnes animæ justæ* ad gloriam paratam diligentibus Deum, Amen.

IN



IN FESTO SANCTI JOANNIS EVANGELISTÆ.

PHALARIDES BIBULAE.

Die durstige Wuth-Vögel.

LEMMA.

Bibimus, ne gutta superſit.

THEMA.

Calicem ſalutaris accipiam. Pſal. 115.

SYNOPSIS CONCIONIS. LXV.

Non placet ex paratis maligni Mundi bibere poculis, non ad inſanas Fortunæ crateras adhibere labra, non immodicos alienæ ſanitatis imbibere hauſtus; ſed potiùs de manu Domini & S. Joannis, Calicem ſalutaris accipere, conſultum & perſuaſum eſto.

56. *S Ioanni Aquilæ & calicis ſigna propria.*



Gnoſce mihi, ignoſce eloquio meo, ò ſanctiſſime Joannes, Virginitatis Cuſtos, & Amoris Dominici Theſaurari; & ut cum D. Petro Damiano te alloquar, ignoſce, ô ambroſium *Os Dei, lingua Spiritûs ſancti, Cedrus Paradiſi, Lux Eccleſiæ, decus orbis, præco cæli, lumen Mundi, Logotheta Divinitatis!* Ex ſublimi enim Ornithologiâ noſtrâ Tuo Nomini atque Claritati ab Eccleſiâ ſacratus eſt potentiſſimus omnium volucrum Rex, ponens *in arduis* nidum ſuum Aquila; quæ volatu ſuo omnes tranſcendit Aves, atq; acie oculorum omnes ſuperat, ita ut Solem rectâ intueri queat: & hanc imitando etiam Tu ſuper omnes evolâſti Evangeliſtas, cælumq; penetrâſti uſq; ad conſpectum Deitatis Chriſti: prout S. Auguſtinus luculentiùs teſtatur. [Cæteri Evangeliſtæ tanquam cum homine Domino in terrâ ambulabant, & de Divinitate ejus pauca dixerunt. Iſtum autem quaſi piguerit in terrâ ambulare, ſicut ipſo ſui ſermonis exordio intonuit, erexit ſe non ſolùm ſuper terram, & ſuper omnem ambitum aëris & cæli; ſed ſuper omnem etiam exercitum Angelorum.] Quia verò tot inſignes Encomiaſtes te pro meritorum tuorum ſplendore ſuper alas Aquilæ ſublimè volantis dudum extulerunt, veniam obtinebo facilem, ſi dimiſsâ Aquilæ viâ in cælo, ad Bibulas Phalarides mea ſe convertat oratio: quæ Plinio & Varrone teſtantibus, ex genere Amphibiorum, juxta ſtagna ac flumina nidificantes, frequentiſſimis merſionibus & potitationibus cùm perennem videantur non tam reſtinguere quàm provocare ſitim, nemini Sanctorum omnium digniùs, quàm tuæ Liberalitati ſe profitentur obligatas. Tu enim ſolus, cùm cæteri omnes Apoſtoli cruenta præferent in ſuis ſtatuis Martyrij inſtrumenta, ideóque ſeſe terribiles exhibeant;

Petrus Dam. ſerm. de S. Ioanne.

S. Auguſtinus tract. 36. in Ioan.

Plinius l. 10. c. 48. Varro l. 3. de Re Ruſt. c. 11.

totus

totus videris sitibundis amabilis, & desiderabilis: nam calicem manu porrigis, non jam ampliùs toxico squallentem (prout olim in aulâ Domitiani pro nomine Christi ad ebibendum tibi fuit porrectus,) sed Dei & tuâ Benedictione liberalissimè redundantem; ita ut non tantùm religionis ac devotionis gratiâ S. Joannis Benedictio libetur ad bibendum, sed frequenter à bibulis helluonibus ad compotandum, & potenter sese ingurgitandum. Inter quos illud non rarò symphoniacis alternationibus concinitur, quod à Saxonum & Franconum siti perhibetur oriundum.

More Palatino bibimus, ne gutta supersit,
Unde suam possit musca levare sitim.

Proinde in gratiam *Phalaridum*, aut potiùs sitientium aureos fortunæ fluvios, de manu S. Joannis Evangelistæ *Calicem salutaris accipiam*: & ubi crateras fallacis hujus Mundi apposuero, easque Bibuli tanquam amaras & medicatas respuerint; de Benedictione sancti Joannis porrigam *calicem* plenum *salutaris* dulcedinis, *potum charitatis*. Hoc autem propositum prosequor more Græcorum perlibenter græcantium, qui accepto calice amicos hospites ad potitandum hoc hortabantur adagio: ἢ πῖθι, ἢ ἄπιθι: *aut bibe, aut abi.*

57. Varija symbolis & motivis Aquila S. Joanni Evang. appropriatur.

Non possum ita facilè à laudibus Virgineo Evangelistæ debitis ad Phalaridum compotationes convolare, quin prævia Regalis Aquilæ decora in S. Joanne nostro, reiteratis sæpiùs aspectibus, præripiam expendenda: maximè quòd ex sanctæ Ecclesiæ interpretatione Aquilæ symbolum S. Joanni Evangelistæ sit proprium, & nulli alteri. Enimverò per omnia imitatur Aquilam Joannes. Tam intrepido & generoso aspectu Aquila intendit in Solem, ut nullis vehementissimis radijs hebetetur: *NON TERRET FULGOR.* Tam radiosa & splendida est Divina Essentiâ, ut etiam Seraphini, juxta S. Chrysostomi obser- (S. Chrysost. in c. 6. Isa.) vationem, *duabus alis velarent faciem eius*, quasi non potentes intendere in lucem Divinæ Essentiæ. At verò teste S. Augustino, (S. Augustinus tract. 36. in Ioannem.) *Aquila ipse est Ioannes, sublimium prædicator, & lucis internæ atque æternæ fixis oculis contemplator. NEC TITUBAT ACIES* oculorum, irretorto contuitu omnis lucis Fonti affixorum: nam asserente Ruperto Abbate, (Rupertus Ab. relatus à Fidele panegyr. 7 p. 11.) Joannes, ut Aquila, *Divinitatem illam, quâ in cælum Homo Christus ascendere potuit, irreverberatis oculis altiùs contemplari meruit: & adhuc in carne positus potuit in illum Solem apertos oculos figere.* Insuper *ET VISU ET VOLATU* longè omnes alias superat aves Aquila, cæterisque altior Evangelistis evolat Joannes; de quo Origenes (Origen. hom. 2. in diverς.) sic testatur. *Spiritale petaurum, estivolum, Deividum, Ioannem dico Theologum: omnem visibilem & invisibilem creaturam superat, omnem intellectum penetrat, & deificatus in Deum intra se deificantem.* Sed & *VOLATU NEMINI* vult esse inferior Aquila; omnes transcendit, & Origine relato asserente, *Supervolat B. Ioannes Theologus, non solùm quæ intelligi ac dici possunt, verùm etiam, quæ superant omnem intellectum; extra omnia, ineffabili mentis volatu, in arcana unius omnium principis exaltatur.* Tametsi nubes tonent, fulgurent ac fulminent, atque omnem iram effundere minentur, *NON PAVET AD STREPITUS* Aquila, sed intrepidè gyrat in aëre, & considerat prædam à longè: simili generositate etiam Joannes in Apocalypsi audit tonitrua grandia, nec terretur; fulgura aspicit, nec nictit oculis; percipit fulmina, nec cadit: imò ipse primus contra hæreticos exsurgentes sese opponit, refutat Cerinthum, & alios malevolos in Asia proscindit. Tradunt præterea Naturalistæ, Aquilam tam generosæ esse liberalitatis, ut captam prædam etiam alijs aviculis communicandam dispenset, *NON SIBI PROVIDA SOLI.* Joanni tanquam Evangelico Beniamino illud morientis Patriarchæ præsagium convenit: *Mane comedet prædam, & vespere dividet spolia*: (Genes. 49. v. 27.) nam quidquid è Dominici

 pecto-

pectoris fonte potavit, illud ructavit, liberalis in dividendis spolijs, & de se ipso contestans: *Quod vidimus & audivimus, annuntiamus vobis.* (1.Joan.1.1.) Solet Aquila deprehensi serpentis collum rostro premere atque angustiare, ut sic intercluso spiritu possit nocere, sieque adeò tortuosa *NE RETORQVEAT ORA.* (Metamorph.8.) Fecit idipsum S. Joannes Evangelista, qui ad suffocandas fauces ac hæreticos errores, serpentinósque afflatus Cerinthi ac Ebionitarum, in eorum confusionem scripsit Evangelium suum; prout S. Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis meminit: (S.Hieron. de Scriptoribus Eccles.) *Scripsit Evangelium rogatus ab Asiæ Episcopis adversùs Cerinthum, aliósque hæreticos, & maximè tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse: unde & compulsus est Divinam eius Nativitatem edicere.* Tot tantisque symbolis, aliísque exquisitissimis motivis S. Joannes Evangelista Aquilam suis vult esse propriam ceris, & insignibus consertam; ideóque omnes passim Panegyristæ eum in alis Aquilinis portant, atque evehunt sublimem. Ego verò dum ejus calicem in manu positum suspicio, pariter ad Phalarides meas respicio, & ad pocula converto; ut salutarem Sancti Joannis Benedictionem ex calice hauriendam avidis Auditoribus dispensem.

58. Convivia Ariamnis incomparabili luxu instructa.

Sæculum integrum & medium circiter ante Christum natum numerabatur elapsum, quando Majores nostri, tunc *Tolisto-Boy* dicti, in Galatia virtutibus bellicis, fide & constantia celebrabantur. Eorum dux Ariamnes industriâ & vigilantiâ suâ, ad ingentes divitias & opes penetravit; ita ut eo duntaxat satiaretur consilio, quo ijs sine avaritiæ stimulis & invidiæ infestationibus feliciter uti fruique posset. Et quia divitiæ plerumque inquietissimis curis obtinentur, ac plurimis lachrymis suspirijsque perduntur, etiam huic malo dexteritate suâ præveniens Ariamnes opportunum invenit remedium. Quare cùm nollet inter vivos tenax aut avarus, post obitum verò prodigus proclamari, solenni condito testamento, omnes & singulos Bavaros totius Galatiæ hæredes scribit ex asse: & ut æqua foret omnium participatio, solenni decreto per singulas suas ditiones promulgato, omnes prorsus invitat ad comparendum sequenti integro anno, in quo per singulos dies mensa publica regali luxu pro omnibus esset instruenda. (Brunnerus in Annal. Boica l.4 parag. 4. ex Phylarcho lib.4.) In quo quidem Regis Assueri magnificentiam longè superavit, utpote qui pro suis tantùm Satrapis & Primatibus, non autem pro Plebeis quibusvis, simile convivium instituebat. Itaque Ariamnes per omnes civitates ordinat mensas, tanto ferculorum apparatu oneratas, ut quadringenti convivæ vel à solo nidore reficerentur. Tanta Cereris & Bacchi ubique largitas resplenduit, ut Solis in Ægypto celebratissima convivia respectu ejusdem obscurari viderentur. Erat certè angusta nimis Galaria prodigalissimo luxui Ariamnis, qui cum suis convivijs *quotidie epulabatur splendidè*, munificéque. Quantus hic in sanitatem Ariamnis bibentium jubilus? quantis laudibus per singulos crateres diluebatur Ariamnis liberalitas? quot annorum myriades, per ardentissima vota accrescebant vitæ Ariamnis, tanquam *hospitalissimi Iovis*. Exultabantur tunc omnes, Dijs propitiantibus tandem aliquando repertum esse Hominem, qui divitias gloriæ suæ Deificâ Beneficentiâ demonstraret: qui solus didicerit modū opibus rectè fruendi, & sibi innumeros debitores sine livore atque invidiâ obligandi; qui artem invenerit, quâ plurima dando nihil perderet, & pleraque amittendo innumera lucraretur. Quid si hodie Serenissimi nostri Bavariæ Duces renovarent prodigam Ariamnis munificentiam, & olim decocta restaurarent convivia; quanti passim bibulorum Phalaridum convolarent greges? quanta potentur græcantium

con-

concurrerent cuncti ad mensas instructas, ad dolia jugiter vino aut zytho manantia? quam resonarèt Phalaridum cantus: *bibimus ne gutta superfit?*

59. Poculorū variæ species. Sed verbo sit venia. Mundus hic cum suis concupiscentijs transiens easdem quotidie reproducit epulas, repræsentat comœdias: & ut rarissimorum ferculorum curiosa dogmata declinem, ludit Mundus in crateris, & in calicum inventionibus lepidissimas nundinas exponit. Prima & commodissima pocula, Natura nobis subministravit; cùm alia omnia deficiunt, more electorum ad prælium Madianiticum Israëlitarum ponè ripas Jordanis procumbimus, & contractâ manu aquas haurimus. (Iud. 7.) Viderat olim Diogenes Cynicus puerum haurientem manu aquam, & ore sorbillantem; mox hydriam suam terræ impingit, dicens: *Nesciebam, quod Natura haberet poculum.* Scythæ & Barbari è cranijs interfectorum hostium potitare, generosum ducebant. De Indiarum Regibus scribit Philostratus (Philostratus in vitâ Apollonij Thyanæi.), quòd ex cornibus boum, aliorúmque animantium, sua vina libârint. Plinius refert, suo tempore ex ovis struthionum (Plin. l. 10. c. 1.), auro argentóque consertis, confecta fuisse pocula ad convivandum. Apud Virgilium (Virg. 9. Æneid.) Rhæto tam amplus urceus erat ad potitandum, ut sub eo se omninò potuerit occultare. Nestor apud Homerum tam magno scypho utebatur ad reficiendum humidum naturale, ut à viro bene robusto vix potuerit levari; & tamen Nestor potenter helluando, trecentos vitæ emensus est annos. Hercules pro poculo utebatur tam immodicâ cymbâ, ut eidem insistens mediocris vir non difficulter potuisset transfretare. Quid de ordinario poculo Martini Lutheri dicam? Erat illud de vitro alto, magno & capaci, tribus circulis distincto: usque ad primum circulum potabat Decalogum (sic nempe nuncupabatur gurgustio) in secundo symbolum Apostolicum, in tertio denique orationem Dominicam; & quod inferiùs supererat, reliquum Catechismum significabat. (In mensalibus colloquijs Lutheri.) Quin imò Lutherus omnes partes simul unico haustu in suum Aqualiculum traijciebat; & si quis conviva non posset respondere ei, increpabat illum, arguens de modicâ fide, ac si non esset bonus Christianus, utpote qui non novisset totum Catechismum usque ad fundamentum exhaurire, *ne gutta superfit.* Jam si ad inventiones poculorum transeamus; *quantum in rebus inane?* quanta in luxu ineptia, in commessationibus varietas? Bibitur ex ligno, lapide, vitro, crystallo, cupro, metallis, auro, argento, hydrijs & mixturis: & ne quidquam luxui in figuris desideretur, bibitur ex ovis, uvis, pyris, lyris, dolijs, calceis, ocreis, libris, pileis, atramentarijs, sclopetis, tormentis bellicis, cornibus, stultis, rusticis, apris, cervis, equis, asinis, gallinaceis, naviculis, cordibus, cantris, scyphis, & millenis alijs curiositatibus: quæ omnes ex temulenti Bacchi Antiquario protrahuntur, ut bibulorum Phalaridum delicijs ac gulæ famulentur.

60. Mundi poculum primum pro felici adventu. Non liberalis tantùm sed etiam prodigus est Mundus in vino litando. Quotquot inter suos convivas admittit, ijs primò pro contestatione suæ sinceritatis propinat poculum amicabile boni & grati adventûs, vulgò den Willkom: [Salve gratissime hospes; ecce tibi! hoc plenum amicabilis affectûs dulcedine poculum: bibito & fruere delicijs, quas tibi paravi in abundantiâ & pinguedine terræ: tua sunt bona, quæ possideo; utere ijs, nam amicorum omnia sunt communia.] Adumbratius esse videtur Mundus in Apocalypsi per illam meretricem, quam vidit Joannes noster veræ salutis pocillator, sub hisce verbis; (Apocalyp. 17. v. 4.) *Et mulier erat circumdata purpurâ & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione, & immunditiâ fornicationis eius.* Poculum

Orn à lap. sup. Apoc. lum aureum est mundana felicitas, imperij majestas, terror & splendor, opúmque & rerum omnium abundantia; sub cujus specie, illecebrâ & pompâ, suam idololatriam suáque vitia omnibus gentibus Roma pagana propinavit. Ad quod etiam allusit Jeremias: *Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram: de vino eius biberunt Gentes, & ideò commota sunt.* Sed ibi calix notat supplicium, alijs gentibus irrogandum per Babylonios; ideóque calix est in manu Domini. Hic verò notat culpam, scilicet propinationem idololatriæ & scelerum: unde est in manu meretricis, hoc est, Babylonis. Sic enim meretrices externâ specie in convivijs per pocula aurea & gemmea, pérque splendidas & magnificas epulas dementant amasios; propinando illis philtra, quæ fiunt ex cineribus bufonum, ranarum, serpentum, aliarúmque rerum immundarum & abominandarum. Quomodo Cleopatra dementavit Antonium; de quâ cum ad Antonij magnificentissimum convivium veniret, refert Plutarchus: *Manavit per omnes rumor, Venerem ad salutem Asiæ venire ad Bacchum commessatum*: additque, Antonium ab ea invitatum ad magnificentiam convivij obstupuisse, ac risisse suæ cœnæ sordes & rusticitatem. Plinius verò refert, eam sponsione cum Antonio de convivij magnificentiâ concertâsse, diéque dictâ duos uniones per manus Orientis Regum sibi traditos protulisse, æstimatos duodecies centies millibus Philippicorum, unúmque ex eis aceto liquatum absorpsisse; cúmque secundum liquare & absorbere pararet, prohibitam fuisse à L. Planclo dicente, *eam suâ magnificentiâ Antonium iam vicisse.* Hunc postea Augustus captâ Cleopatrâ in duos divisum, Veneris auribus in Pantheo Romæ appendit. Ita scilicet suis lenocinatur amasijs Mundus: *poculum aureum* porrigit, plenum abominatione, & immunditiâ fornicationis; aut veriùs *poculum vitreum*, fragile, fallax, plenum philtro transparente. Inter alia Academicæ vexæ instrumenta, cùm deponuntur juvenes Studiosi, tabula picta illis exhibetur cum vitro pleno vino, & subscriptione: *vinum COS.* Sentiunt castigationem, si nesciant legere vel potiùs interpretari illud *COS*, scilicet vinum *Coloratum, Odoratum & Sapidum.* O nobilissimas viri qualitates! Verè tale vinum propinat Mundus, quod coloratum est vanitate, odoratum falsitate, sapidum iniquitate: vinum coloratum divitijs, odoratum delicijs, sapidum dignitatibus: vinum coloratum amore, odoratum honore, sapidum decore: vinum coloratum fulgoribus, odoratum fragoribus, sapidum pigmentis & figmentis. Non est hic *calix salutaris*, quē Mundus pro bono adventu propinat: *ne intuearis vinum, quando flavescit, cùm splenduerit in vitro color eius, ingreditur blandè, sed in novissimo mordebit ut coluber; & sicut regulus, venena diffundet.* Prov. 23. v. 31. Mordebit ut coluber, cùm voluptatum fæces hauseris, gravissimis iniquitatibus te inquinaveris, injurias & injustitias feceris, & enormitatum venena hauseris ex calice perditionis.

Ierem. 51. v. 7.

Plutarchus in Anton.

Plin. l. 9. c. 35.

61. Fortunæ pocula quaterna. Aliud Mundus poculum porrigit, & hoc quidem suavissimum, ex Fortunæ fluentis depromptum, & sæculi Magnatibus propinandum. Egenus certè si semel in eo biberit, sitim mendicitatis extinguet, & diu toleratam reficiet ariditatem. Qui si eodem poculo se iterum proluet, tunc qui priùs instructus erat facultatibus, spectabilis evadit; eique præter sitim largiùs extinctam, corpus fit vegetius, & lingua loquacior. Quòd si tertiùm gustato jam vino admoveat labra, poculum non est ampliùs indigentiæ allevamentum, aut virium incrementum; sed est oblectationis servitus, & titillatio voluptatis. Quid tandem foret, si bibendi orexis rursus eum ad hauriendum poculum impelleret? tunc enim intellectus ejus omninò in haustu submergeretur mero, & ratio tota vino imbura, vi spiri-

tuum abrepta in phrenesin rueret, neque frænum ullum aut funem admitteret ad compescendum furorem. *Prima cratera ad sitim pertinet, secunda ad hilaritatem, tertia ad voluptatem, quarta ad insaniam.* Licèt hoc scripserit Africanus ille Philosophus, qui tum ob falsam religionem, tum ob profanam licentiam non esset dignus, ut talì loco nuncuparetur; ejus tamen dictum improbandum non est, quòd filij hujus sæculi in usu dignitatum verissimum esse comperiunt. Enim verò hic fortunæ melioris aspectus si temperatus sit, tollit contemptum, & promovet auctoritatem: si verò modum excedit, facilè tunc mentem abducit à sacrorum munerum existimatione, eamque terrenæ gloriæ fumo obscurat: tum deinde efficit, ut dignos veneratione se arbitrentur, non cùm in vigilant populorum saluti, aut miserorum calamitatibus subveniunt; sed cùm apparatus magnificos ostentat, & illustri circumfulgent splendore. Ita, ita calicibus melioris fortunæ potest insculpi: *Prima cratera ad sitim pertinet, secunda ad hilaritatem, tertia ad voluptatem, quarta ad insaniam.* Tota periodus clarissimè patet ex Actuum Apostolicorum Annalibus, per Spiritum sanctum à S. Luca conscriptis. Quarto capite Divini Diarij narrantur divitiarum incrementa, quæ Fidelium congregationi accesserant: ea autem erant adeò copiosa, ut nemo Cruci nomen subscriberet, quin abundè ipsi totique familiæ necessaria ad vitam subministrarentur. Deinde capite quinto describuntur Ananiæ & Saphiræ perjuria, rebelles in Divinitatem contumaciæ, & promissiones Cælo sacrilegè factæ. Adeò ut antequam adveniret abundantia, sermo duntaxat ageretur de peccantibus ad pœnitentiam traductis, de fidelibus ad sanctitatem adductis, de charitativa animorum conjunctione, de donatis patrimonijs, de perfecto Apostolicis dictis obsequio: post admissas verò divitias, quantumlibet sanctas, & à Christianorum religiositate ad Apostolicos pedes depositas, narrantur delicta, exponuntur furta, explicantur sacrilegia, lugentur supplicia primò significata, mox illata à Petro vindice. Sequenti capite sexto, adeò ob pœnam tragico, & ob culpam abominando, dum enarratur fidei amplificatio, & jurisdictionis augmentum in sanctis Apostolis proveniens ex ingenti numero baptizatorum, mox adjungitur incremento credentium pietatis imminutio, & totus percellitur gelu, quisquis ibi legit murmurationes & fremitus in Ecclesiâ, ijs non admodum absimiles, quibus olim in Synagogâ aperti sunt inferi, & quadringenti murmurantes vivi sunt absorpti. *In diebus autem illis crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum adversùs Hebræos, eò quòd despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum.* Ecce quem fructum ferant oblatæ opes, & divitiæ multiplicatæ, ac numerus subditorum auctus. Quæ incommoda cùm sub primo Apostolorum regimine sunt spectata, quomodo arrogabimus nobis ea declinari posse nostris temporibus, si supra cujusque statum fortunæ, opes, & ornamenta redundarent? Quæso finite, ut iterum dicam: *Prima cratera ad sitim pertinet, secunda ad hilaritatem, tertia ad voluptatem, quarta ad insaniam.* Nimis superfluitas externa, ah! nimis, internam sacratioris animi oppugnat integritatem, inducit corruptelam, obscurat splendorem, depravat sinceritatem. Non est hic calix lascivientis fortunæ *Calix salutaris*, non accipiam hunc calicem de manu transitorij mundi, quando olim per Isaiam minatus est Dominus: *Væ vobis! qui ponitis fortunæ mensam, & libatis super eam: numerabo vos in gladio, & omnes in cæde corruetis.* Hæc denique remanent lascivientis fortunæ emolumenta.

62. Aliud insuper poculum manutenet Mundus affectatus, quod non in propriam sanitatem sed in alienam propinat; & quidem ad multos, ad plurimos, ad innumeros annos, ad annos æternos. Nempe sic renovant Christiani illa sacra, quæ cæca Gentilitas in

Paulus Oliva Con. 9. parag. 1450

Apuleius l. 4. flor.

Act. 6. v. 1.

Isa. 65. v. 11

Poculum sanitatis alienæ immodicum non libandum.

Annæ Perennæ memoriam instituit. Anna enim Dea, ab annis, quibus præsidebat, vocata est; & illi mense Martio sacrificabant, quò eis *annare* & *perennare* liceret. Fuit ipsa Beli filia, soror Didonis, quæ Laviniam Æneæ uxorem sibi insidiantem fugiens, in Numicum amnem se præcipitem dedit; ac persequentibus se loqui visa,

--- Placidi sum Nympha Numici;
Amne perennè latens, Anna Perenna vocor.

Ovid. l. 3. fast.

Itaque in sacris Annæ superstitiosi Gentiles ad numerum bibebant, putantes, tot annos vitæ sibi adijciendos, quot cyathos in ea solennitate hausissent; prout Ovidius alludit.

Sole tamen vinoq; calent: annosq; precantur,
Quot sumunt cyathos; ad numerúmque bibunt.
Invenies illic, qui Nestoris ebibat annos,
Qui sit per calices facta Sibilla suos.

Erubesco, dum ex profanis Poëtis nugaces fabulas sacro eloquio intertexere me oportet: sed non erubesco, exinde enormes Christianorum castigare excessus, qui liquidâ quâdam insaniâ in aliorum profluunt sanitates; ut dum alijs annos conantur imbibere plurimos, sibi interim de sua sanitate dies, menses, annosque integros anticipant, morti maturant. Advertite paucos hujus sacrificij ritus. Quorum primus est, ut inter convivandum choragus hujus potationis rectus & erectus consistat, ac prægrandi arrepto vitro vel scypho aureo, dicat vicino: Hunc tibi propino ad perennem mei Principis, Domini, Amici, Patroni, Dominæ, Dilectæ, &c. sanitatē, uno tractu sine interspirio hauriendū; & peto, mihi eâdem mensurâ responderis. Deinde vicino vacuum vitrum ostendit, & aliquando ejus pectori impingit, vel in pollicis ungue experitur, *Vnica num vini potati gutta superſit?* Quòd si nihil sit reliquum, corripit alter scyphum, & consistens quoque, tertio vitrum præbebit; ubi tres nudo vertice, & erecti, sibi sanitates dominorum suorum ac amicorum, ut pilas transmittunt. Alius modus est, quo in orbem sedendo bibunt, & minimo digito scyphi labris aut vitri admoto, promittunt fidelitatē præstandæ exhaustionis. Quòd si quis legirupa sit, nec fideliter usque ad ultimam guttam magnas crateras evacuet, aut dolosis quibusdam medijs etsi honestissimis ad relevandam immodicam bibacitatem utatur, hunc sannis sibilisque exagitant; hunc oppleto de novo poculo cum indignatione ad bibendum & exinaniendum compellunt. Alius modus est, cùm in orbem potantes sese invicem manibus prensant; & dum unus stans super sanitate bibit, cæteri ad certos numeros mensurámque tam diu ingeminant, *vivant, vivat! perennet!* quoad ille sanitatis poculum exhauserit: ibi mirabilem audires musicam, quam non tam Pallas Palladiiq; intelligant, quàm Westphalicæ scrophæ mirificè exposcant. Dimittā reliquos antiquiores modos, cùm bibuli & halarides in dies nova commenta producant, & ad sanitatē bibendi novos suggerant modos, quos ignorârunt Patres eorum; ut verè Epicuri aut Aristippi ganeas nullas penè esse, præ hisce novis voluptatum officinis dijudices. Est hic quidem immodicissimus calix alienæ sanitatis bibendæ, vel potiùs alieno sanitatem bibendi; sed non est *Calix salutaris*: quandoquidem Ecclesiastico teste, plures *crapulâ & ebrietate, quàm gladio ciciderint.* Non libet recensere morbos, non periculosissima symptomata, non fatales casus, non præmaturas mortes, non mala pessima, quæ ex hac exorbitante bibendi insania longè fortiùs proruperunt, quàm Achivi ex equo Trojano ad excidium Trojæ. Deus profectò non irridetur, nec tali Scythicâ bibitione à justa vindicta in ejusmodi ventris mancipia exercenda abstrahitur; propter quæ subinde integras Respublicas, Diœceses, Regna, Monasteria, Collegia Clericorum florentissima & ferali eversione complectitur, & tali fomite hæreses varias gliscere, providentissimè permittit. Non accipiam hunc calicem sanitatis, quan-

Eccli. 31. & 37.

Isa. 5. v. 11. & 22.

quando Propheta Isaias divinas maledictiones temulentis interminat. *Væ, qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis!* *Væ, qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem!*

63. *Calix in manu S. Joannis explicatus*

Non placent bi calices, quia suspecti sunt; quia periculosi sunt, quia damnosi & scandalosi sunt; quin potiùs de manu S. Joannis *Calicem salutaris accipiam.* Pictura calicis in manu S. Joannis Evangelistæ non præcisè pictorum temeræ tribuenda est licentiæ, sed symbolicæ significationi. Abdias certè ut in multis alijs fabulosus, ita in hujus symboli interpretatione admiscet ea, quæ fabulam redolent: nominatim verò originem picturæ refundit in duos latrones, qui, dum vis veneni ab Aristodemo in ijs esset probata, mox à poculi haustu extincti, & per sanctum Joannem ad vitam sint resuscitati. Quidquid sit de veritate hujus facti; ex ejus tamen persuasio miraculo, olim Benedictio vini contra venenum hauriendi fiebat interpellato beato Joanne: nam etiam sanctus Joannes, ut scribit sanctus Isidorus, prostratos haustu poculi venenati pristinæ incolumitati restituit. Fortè, quia Deus servavit hîc quoque morem suum honestandi Sanctos, aliquid suâ causâ passos, depulsione ejus mali, cujus perpessione fuerunt gravati. Vt proinde, quia sanctus Joannes hausit pro Christo venenum, interpellatus levet veneni haustu gravatos. Ex quo alia symbolicæ significationis causa videtur ostendi: cùm enim pingatur anguis ex calicis labris extans, communi omnium Fidelium sensu ad solam exprimendam Martyrij expressionem referri videtur: nam anguis venenum significat, quod porrectum in odium Christi sanctus Joannes sine vitæ alteratione hausit illæsus. Verùm omnium optimè calix tribui videtur sancto Joanni pro symbolo ex illo colloquio Christi, quando mater Zebedæi petivit pro duobus filijs suis Joanne & Jacobo, ut unus ad dexteram, alter ad sinistram ejus sedeat; tunc Servator

Abdias l. 5. hist. Apost.

Albertus Castellanus in Sacerdot. Roman.

S. Isidorus in opere de Patribus novi Testamenti c. 72.

Theophilus Raynaudus in Hag. Lugd.

Matth. 20. v. 22.

interrogando respondit, *potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Cùmque respondissent, se posse bibere; addit: *Calicem quidem meum bibetis, &c.* q. d. Per passionem & crucem mihi tendendum est ad regnum; ergò & vobis illud ambientibus eadem calcanda est via. [Ipse tanquam pius & laudabilis medicus, inquit S. Bernardus, priùs bibit potionem, quam parabat suis; id est, passionem & mortem sustinuit, & sic sanitatem immortalitatis accepit & impassibilitatis; docens suos, ut confidenter biberent potionem, quæ generat sanitatem & vitam.] Significari per calicem martyrium, cruces, angustias, afflictiones, persecutiones & ærumnas, cû passim omnes conclament sancti Patres, exactior cæteris prodit Origenes; è cujus patentissimo campo hunc unicum legò flosculum. *Et hoc quidem*, inquit, *quo quis perfert dolores, calix est salutaris; quem bibit omnis, qui sustinet omnia sibi illata, nec rejicit, nec evomit aliquid eorum.* Bibit hunc calicem S. Joannes, cùm Romæ ante portam Latinâ à Domitiano in dolium ferventis olei immissus, vegetior inde exivit; & novo virtutis miraculo martyr in vita, sed vivens in martyrio extitit, indéque ad suscipiendam coronam Athleta Christi processit. Bibit hunc calicem; nam tota Joannis vita continua fuit passio, & continuum martyrium. Vixit enim ipse diutissimè post omnes Apostolos, usque ad Annum Domini 103. ac sexagesimo octavo post mortem Christi anno è vivis decessit: quæ sanè dilatio, & absentia tam longa à Christo dilecto suo, ad quem assiduè suspirabat, prolixum illi æquè ac B. Virgini, cui à Christo in Cruce datus erat in filium, fuit martyrium. Cui accessit cruciatus longè singularissimus dum cum B. Virgine in monte Calvariæ adstans Christo crucifixo, vidit vitam suam, id est, Christum, quem plùs quàm vitam suã amabat, acerbissimos Crucis dolores, per tres continuas horas pati, ibique quasi lento cruciatûs igne assari. Hic enim clavi & dolores medullitus ejus animum penetrabant, magisque cru-

S. Bernardus serm. 11. in parvis.

Origenes hom. 7. in Iud.


cruciabant, quàm si ferro sectum fuisset ejus corpus; adeoque doloribus hisce fuisset exanimatus, nisi Christus quasi per miraculum eum in vitâ servâsset. *Et hoc quidem, quo quis perfert dolores, calix est salutaris; quem bibit omnis, qui sustinet omnia sibi illata, nec rejicit, nec evomit aliquid eorum.*

64. Calix salutaris est calix passionum. Calix crucis & passionis, calix persecutionum & afflictionis, calix morborum & dolorum, calix egestatis & exilij, est *calix salutaris* in manu Domini: & ut cum Ægypti Proregis Administratore loquar, *Scyphus hic ipse est, in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari solet.* Afflixit nempe Josephus incognitus fratres suos germanos, ex Ægypto portantes frumenta in terram Chanaan, ad patrem suum Jacob; & piâ simulatione argenteum scyphum cum pretio pecuniario jussit abscondi in ore sacci ad uterinum suum fratrem Beniaminum pertinentis; ut hac ratione tentaret animos fratrum, num inviderent Beniamino tanquam Rachelis filio, & tanquam ei, qui quintuplo majores partes in convivio acceperat: ut videlicet, si invidiam hanc persentisceret per fratrum silentium & neglectum Beniamini, eum apud se retineret, ne quid in via fratres contra eum, ut olim contra se fecerant, molirentur. Sin verò amorem fraternum per anxietatem & curam eum liberandi, ostenderent, eundem cum eis dimitteret. Itaque abeuntibus ijs cum suis oneratis camelis, protinus insistens ex mandato Proregis eorum vestigijs Administrator domûs, arguit properantes de furto, negantes increpat, saccos aperit, & reperto scypho in sacco Beniamini exclamat indignabundus: *Scyphus quem furati estis, ipse est, in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari solet: pessimam rem fecistis.* Stupuerunt fratres, & extasi rapti præ angustiâ spiritûs tradiderunt se reos atque captivos. Jam sicut Joseph lusit cum Beniamin, quem initio quasi furem premere atque vincire velle se simulavit, postea verò totum id joco factum ostendit, cúmque amplexans cæteris fratribus prætulit; ita Deus agit cum electis, & dilectis suis. Contemni illos, affligi, vexari, & mille ærumnis gravari permittit: sed si humiliter & patienter ea ferant, blandietur eis, eosque evehet, ut tantò fiant gloriosiores, quantò fuerunt abjectiores. *Hic est calix, in quo bibit Dominus meus.* Amplissima & communissima hîc est moralisatio, quam practicato Auditori consigno.

Genes. 44. v. 5.

Itaque displicet calix salutis Mundanæ, quoniam vana salus hominum; non placet haustus exorbitantis fortunæ, quia ad insaniam adducit; nec sanitatem alienam perditione propriæ sospitatis stultè juvat procurare: sed potiùs *Calicem salutaris accipiam* de manu S Joannis; potum charitatis & dilectionis, Benedictionem Divinam, quæ in afflictionibus & ærumnis tolerandis me faciat constantem, fortem, invictum. Et tu, quisquis tot scyphorum species, tot poculorum inventiones, tot potuum virtuosos liquores oblatos contueris, *Calicem salutaris* ex omnibus apprehende; 42.

& quod reliquum est, *aut bibe, aut abi.* Amen.



IN

IN FESTO CIRCUMCISIONIS DOMINI.

APIS ARGUMENTOSA

Das eintragende vnd kluge Ymblein.

LEMMA.

Tua ope fervet opus. Virg, 2. Georg.

THEMA.

Vocatum est nomen ejus IESUS, quod vocatum est ab Angelo. Lucæ 2. v. 21.

SYNOPSIS CONCIONIS LXVI.

Politica Apum Monarchia, cùm & operis dulcedine & operationis jucunditate suaviter abundet, & nemini non eximia præbeat argumenta virtutum, dignissima censetur, ut ferventi oratione singulis Auditorij statibus in Strenam liberaliter dispensetur.

65. Ex apiario dulcedo.



PRo auspicatissimi Anni Xenio liberaliter dispentando, si quid in gazophylacijs pretiosum, si quid in antiquarijs mirabile, si quid in emporijs rarum, si quid in ferculis appetibile, si quid in floribus venustum, si quid in frugibus deliciosum, si quid in sanctis affectibus delectabile, si quid in consolationibus ac Divinis Benedictionibus dulce, si quid in operandis negotijs generosum ac splendidum, si quid in longioris vitæ felicitate desiderabile; id totum precor & auguror ex fonte salutis, ex abysso gratiarũ, ex abundantissimo Bethlehemitici Puelli corculo. Et ubi Auditoriũ meum, quâ sublimitate, quâ dignitate, quâ observantiâ spectatissimum, specialem quandam ex nostro instructissimo Ornitrophio offerri pro Xenio sibi desiderat Aviculam; talem deprehendi, quæ politico suo regimine Procerum Imperij diætas, consultissimis suis aggressionibus Senatorum dicasteria, œconomicis frugalitatibus Patrumfamilias providentiam; operosâ industriâ opificum dexteritatem, puritatis nitore Virgineam Juventam, officiorum vicissitudine Clericalem Ordinem vel admodum imitatur, vel subtiliter æmulatur, vel gloriosè superat atque excellit. Intelligitis utique, Auditores, quam Aviculam vobis pro Xenio sim præsentaturus? Si vel facundus essem Pindarus, vel divinus Plato, vel officiosus (omates; fortè, ut illis, hæ aviculæ ex aperto ore evolarent mihi, revolarentque: & si essem aliquis S. Ambros. Mediolanensis Antistes, aut aliquis S. Dominic⁹ Bononiensis; fortè paratæ Aviculæ linguam meã suâ benesuada facundiâ imbuerẽt? Dum de *Aviculis* loquor, *Apiculas* produco ex Alveario Ecclesiastici: *Brevis in volatilibus est Apis, & initium dulcoris habet fructus ejus* Vt quid oculos ani- Eccli. 11. v. 3.

ni mósq; converto in tenerrimum Puellum, manantem sanguine sub cultro & manibus sacerdotis pro salute peccatorũ? Verè *brevis in volatilibus Apis*, & parvus inter filios hominũ Infans, qui mellificat in animabus sanctis, & pascitur cum floribus inter lilia; vilis in pannis, dulcis in paleis; suavis in præsepio, suavissimus in cælo: ipse est, qui mel suum colligit in cordibus Electorum, & mentes diligentium se cælesti replet dulcedine. *Vocatum est nomen ejus IESVS, quod vocatum est ab Angelo.* Verè sacratissimum hoc Nomen JESVS; cujus *fructus* suavissimi *initium dulcoris* inexplicabilis *habent*! Gustans gustavit de hoc Divinissimo Nomine paululum mellis mellifluus Bernardus, nec tamen exinde, ut incautus ille Jonathas, demeruit mortis sententiam, sed vitæ spiritualis obtinuit exultationem; ut præ internæ dulcedinis superabundantiâ eructaret canendo mellitissimos rythmos. *IESV dulcis memoriâ, dans vera cordi gaudia: sed super mel & omnia, ejus dulcis præsentia. Nil canitur suavius, nil auditur jucundius, nil cogitatur dulcius, quàm IESVS Dei Filius.* Vt vel exinde vobis prægustare liceat, quàm mellifluum futurum sit meum xenium, quàm dulce munusculum, si à sanctissimi Nominis JESV plenissimo Apiario auspicatissimum exordium prælibârit.

66. Apes communiter infaustum & inauspicatum afferunt prodigium. Acceptabile & auspicatũ vobis possit esse xenium ex Apibus depromptum, si inveneritis in Balthasaris Bonifacij ludicræ Historiæ libro octavo, capite decimosexto, integrum titulum *de Apibus infaustis & inauspicatis?* Reverà enim mirum videri potest, quomodo Apes, quæ solæ animalium Regem agnoscunt, dirum tamen Regibus auspicium semper attulerint; cúmque suam ipsæ Rempublicam tueantur, Res tamen aliorum publicas semper evertérint, ac novo quodam ænigmate *è dulci amarum* portenderint. (Bonifacius hist. Ludicra. lib. 8. c. 16.) Nam paulò antequam Pompeius Pharsalico prælio vinceretur, apes ejus vexilla occupavêre. Et cùm atrociora adhuc bella civilia post Cæsaris victoriam Romano populo imminerent, apes in Capitolium convolantes in ipsa Herculis statuâ conglobatæ consederunt. Et cùm Antonius Lepidus atque Octavianus in perniciem Reipublicæ conspirâssent, jámque horribili & plusquam Sillanâ proscriptione promulgatâ, tyrannorum secures optimi cujusque civis cervicibus impenderent; in ipsa Æsculapij celebritate, ejus qui saluti præest Numinis, apicem templi violenter occupârunt. Sic pariter priusquam Brutus & Cassius, quos meritò elogio Cremutius Cordus *Romanorum ultimos* appellavit, apud Philippos profligarentur, apes plurimæ exercitum obsederunt, quem duces solenni tum lustratione expiabant. Drusus item Germanus in Sicambros expeditione susceptâ, ubi multa prospere gessisset, apium examine inter legiones conspecto, eas velut tenebras veritus, substitit; reductoque exercitu ab incepto desistens, ulteriùs progredi non est ausus. Quo tempore Quintilius Varus cum toto exercitu cæsus est, apes in ipsis Deorum aris nidificantes ingentem Augusto calamitatem attulerunt: ita ut barbâ capilloque summisso, caput interdum foribus illideret, vociferans, *Vare, legiones redde*; diémque cladis quotannis mœstum habuerit ac lugubrem. Sub finem Claudianæ & initium Neronianæ tyrannidis, mutationem rerum in deterius portendi, cognitum est crebris prodigijs: signa enim ac tentoria militum igne cælesti arsêrunt; fastigio Capitolij examen Apum insedit; biformes hominum partus; & suis fœtus editus, cui accipitrum ungues erant. Constantio quoq; Imperatori diræ Apes apparuerũt, cùm in domo Barbationis, pedestris militiæ tunc Rectoris, examen confecerant. Sæpenumero legas apud Scriptores, *prospera semper atq; infausta* hujuscemodi Aviculas portendisse. Qua de re prodigiorum gnaros sollicitè consulenti, discrimen magnum portendi responsum est, inquit Ammianus: conjecturâ videlicet tali, quòd hæ volucres post compositas sedes, opésque congestas, non nisi fumo pellantur ac turbulento sonitu cymbalorum.

Non

67. Apes frequenter etiam fausta auspicantur.

Non terreant vos, Auditores, prodigiosæ istæ inauspicatarum avium experientiæ, quando nòn desunt aliæ, quibus fausta omnia atque felicia significantur. Quod enim de Drusi apibus à Dione traditum est, ita pernegat Plinius, ut etiam in contrarium nitatur. *Stetêre*, inquit, *in castris Drusi Imperatoris, cùm prosperrimè pugnatum apud Arbalonem est, haudquaquam perpetuâ aruspicum conjecturâ, qui dirum id ostentum existimant semper.* Et profectò ſtetêre Apes in Vaticano paucos ante dies, cùm Maphæus Cardinalis Barberinus piger ad summum est Pontificatum evectus. Neque fecerunt enumerati casus, quominùs alijs quibusdam Regibus Apes felicissimæ advenerint. Nam & Idæum antrum, ubi Jupiter infans abscondebatur, melle opplentes, Orbis Imperium puero illi adjudicârunt. Et Hieroni, jussu Patris jam exposito, propterea quod ex ancilla natus esset, apes in os meli a congerentes paternum regnum asseruerunt. Et Dionysio, cùm in ejus equi jubâ examen apum hæsisset, Regni augurium præmonstraverunt. Et Onesili Regis Cyprij caput insepultum melle contegentes, illi & sepulchrum heroum, & divinos honores contulerunt. Vt interim taceam, quàm felici exitu in ore Platonis, Pindari, Comatæ, Hesiodi, Ambrosij mellificaverint, ut futuram eorum melicam suaviloquentiam portenderent: nam *mel*, ut ait Plinius, *sive cæli sit sudor, sive quædam siderum saliva, sive purgantis se aëris succus purus & liquidus, &c. magnam cælestis naturæ voluptatem adferi.* Qua ratione Sophocles Poëta ob linguæ dulcedinem, & sermonis vim, dictus est *Apis Atheniensis.* Non involvam tamen silentio memorabile de Apibus vaticinium ex Anglicâ historia desumptum. Rollo Dacorum Princeps anno salutis octingentesimo octogesimo octavo, classe ex Norvegijs, qui se Nortmannos, hoc est, Septentrionales vocabant, instructâ in Angliam venit, ut se Danis suis Londini adjungeret, adauctisque & in unum congestis copijs genus Anglicum deleret. Nec multò pòst per quietem visus est sibi videre examen apum supra se atque exercituum suum volitare, magnóque clamore transmittere mare, & continentem petere, ibique congregatos varios arborum flores depascere; atque inde littus Gallici Oceani peragrare, collectosque flores in unum locum comportare. Rollo igitur bonæ spei plenus, juncto cum Alfredo Anglorum Rege amicitiæ pacisque nexu, in Galliam transmisit; in eâque primò Celticæ partem populando occupavit: deinde Rothomagum excurrens, ibique terræ faciem sibi in somnis demonstratam agnoscens, Neustriam totam occupavit, & Nortmanniam perenni adhuc vocabulo nominavit. Sic de portentis & prodigijs Apum, sive bonis, sive malis, disputatur utrinque.

Plinius l. 11. c. 17.

Plinius l. 11. c. 12.

Crant. in Norveg. l. 4. c. 14.

68. Apum miranda operositas.

Nihil nobis cum infaustis & inauspicatis Apibus, nihil cum dubijs & incertis prodigiis aut portentis; quando *Argumentosa Apis* ex sanctissimi Nominis JESU alveario provolans, omnia nobis faustissima & auspicatissima prænuntiat; maximè si ad dulcissima ejus ac purissima studia convertamur, atque exinde pulcherrimarum virtutum argumenta colligamus. Commendavit Proverbiastes formicæ industriam & labores, in proprium emolumentum directos: at quod maxime nostro servit proposito, post hunc versum de formicis, in editione Romana septuaginta Interpretes aliam similem de apibus adjungunt; & est talis. *Aut vade ad Apem, & disce, quàm sit operosa, quámque seriam operationem exerceat; cujus labores & Reges & Idiota ad sanitatem assumunt, desiderabilisque est omnibus & illustris: & quidem cùm sit viribus infirma, tamen quia sapientiam honorat, evecta est.* Quid mirabilius, quàm videre favos Apum, tantâ proportione & pulchritudine in sexangulas formas compositos; in iisque cellas, in quibus mel & ceram condant, tam af-

Proverb. 6. v. 6. apud Cornel. à Lap.

fabrè concinnatas? Quid officiosius, quàm videre apes singulas tanto ordine laborare, quasi partitis inter se ex condicto operis; examina nova *virgineâ fœcunditate* procreare, fovere, animare, educere? Vbi canente inter multa de Apibus Virgilio,

...... Aliæ purissima mella
Stipant, & liquido distendunt nectare cellas; Virgil. l. 4. Georg.
Fervet opus, *redolentq; thymo fragrantia mella.*

Vbi omnibus communis est labor; *nulla, cùm* per cælum *licuerit, otio peris dies.* Comunis est omnium cibus: neque enim separatim vescuntur, ne inæqualitas operis & cibi fiat & temporis jactura. *Fervet opus* inter Apes diversis in officijs, struendo, poliendo, suggerendo, distribuendo ex eo, quod allatum est. Videres omnes certare de munere. Videres alias invigilare quærendæ annonæ. Videres, de castris alias esse solsicitas, eáque custodire. *Fervet opus.* Reperies in Apibus *totius virtutis insigne*; & quæ in alijs animalibus sigillatim videntur sparsæ, in apibus Natura mater propensiori beneficio congregavit. Quibus viget adolescentia, ad opera exeunt, seniores intus operantur. *Labor odit inertes.* Cunctis est Apibus virginalis corporis integritas, & tamen maximum filiorum emittunt examen. Non solùm ab odoriferis, quibus delectantur, sed etiam à fœtidis mel fugunt; *ab unoquoq; utilia.* Mira in eis munditíes. Cantant suaviter, dum pariter aggregatæ convolant. Consilia privatim tractant. Tempora prænoscunt; dum enim ventos & imbres prædivinant, tectis se suis continent. Si dies futurus est mitis, provolant universæ. Quæ aculeum perdunt, mella de cetero facere non possunt. Vita earum longissima septennis: nunquam autem intra decem annos perdurant. Hyeme latent, & tunc vescuntur melle, quod æstate congregârunt. Juniores disciplinâ quâdam matribus sunt subditæ, nec agunt quidquam sine majorũ imperio; adeóq; *ingentes animos angusto in corpore versant.*

69. Apis argu- Proinde Apem imitetur omnis homo, ut non nisi rebus optimis ac divinis mentem pascat. Mentem, inquam, tum suam, tum proximorum; ad imitationem sanctæ Cæciliæ Virginis & Martyris, de qua canit Ecclesia: *Cæcilia tibi Domine, quasi Apis argumentosa* (id est operosa, ledula, industria, & opere fervens) *deservit*: utpote quæ maritum Valerianum, ejúsque fratrem Tiburtium, ac insuper alios quadringentos, suo zelo & mellitâ suaviloquentiâ ad Christum convertit. Ad imitationem sancti Augustini, quem Severus Sulpitius in quadam Epistola ad eundem scriptâ vocat Apem. [O verè, ait, artificiosa Apis, DEI construens favos divini nectaris plenos, manantes misericordiam & veritatem; per quos discurrens deliciatur anima mea, & vitali pastu, quidquid in se minus invenit, aut imbecillum sentit, resarcire & suffulcire molitur.] Tali ordine & conditione nemo est, qui Apem argumentosam imitari haud possit, apud quam *labor omnibus unus* est; & sapiente periodo, admirabiliq; profectu florigerum ac mellificum *FERVET OPVS.* Adsint Religiosi, Evangelicorum consiliorum sectatores, & discant, *quàm operosa sit Apis, quamque seriam exerceat operationem.* Sic Ampo Abbas Monachum cum ape componebat; quòd quemadmodum apis, quocunque pergat, circa mel operosè negotiatur; ita & Monachus quocunque pergat, si propter opus Dei perrexerit, dulcedinem sanctorum operum possit congerere. Idipsum Ruffinus ex incerto sene retulit. Sed & Cassianus tanquam *veterem & admirabilem beati Antonij sententiam* refert, Religiosum spiritualia mella condere cupientem, velut Apem prudentissimam debere unamquamque virtutem ab alijs, qui illam familiariùs possident, deflorare, & in sui pectoris vase diligenter recondere; nec, quid minus aliquis habeat, discutere, sed hoc tantùm, quid virtutis habeat, contemplari, studioséque decerpere. Cunctas namque si ab uno volumus mutuari, aut difficilè aut cer-

mentosa quomodò omnis, & præfertim Religiosus esse possit.

S. August. ep. 37.

Ampo Abba l. 7. c. 32.

Ruffinus l. 7. vita PP. c. 32. S. Cassianus l. 5. c. 189.

cer-

certè nunquam ; idonea ad imitandum nobis exempla poterunt reperiri. Quare sicut Apes mel ex uno flore non legunt, sed omninò ex varijs; ita Religiosum prudentem dulces bonorum exemplorum succos debere ex varijs legere, concludebat, Ipsummet S. Antonium studiosè id factitâsse, prodit Magnus Athanasius, sive de vivis, sive de scriptis Sanctorum exemplis, sit sermo. *Apes igitur imitantes* Religiosi, inquit D. Chrysostomus, *sacrorum favis librorum circumvolant, magnam inde voluptatem carpentes.* Prolixitatem hujus metaphoræ relinquo eximio Theophylo Raynaudo, de Gallica Ape, mellifluo Bernardo, exquisitissima ad rem præsentem aptante in Hagiologio Exotico. *Fervet opus.*

S. Athan. in vita S. Antonij c. 3.

S. Chrys. hom. 69. in Matth.

70. Rex Apum sine aculeo, regiæ clementiæ symbolum.

Sed & ad Reges ac Principes hæc se extendit invitatio. *Vade ad apem, & disce, quàm sit operosa.* Regem venerantur Apes & ducem castrorum, qui militarem exactissimè observat disciplinam: duce prehenso, totum tenetur agmen; amisso dilabitur, migràtque ad alios. Cùm procedit Rex, unà est totum examen, circáque eum conglobatur, cingit, protegit, cerni non patitur. Reliquo tempore, cùm populus in labore est, ipse opera intùs circuit, similis exhortanti, solus immunis. Circa eum satellites quidam lictorésque, assidui custodes auctoritatis. Pulcherrimâ alia dimitto Regiæ Majestatis argumenta, quando Plinius accuratissimè observat, quod Regum ac Principum ante omnia Clementiam decet: *Rex apum vel non habet aculeum, vel si habet, eo non utitur, majestate tantùm armatus: mira plebeij circa eum obedientia agminis.* Discite hoc vos, ô vos omnes, qui judicatis terram, qui populos subjectos pascitis in virga æquitatis, quibus aulæ palatia serviunt pro diversorio, gemmatæ coronæ atque infulæ pro capitis tegumento, pedâ ac sceptra pro manuum sustentaculo: audite hoc magni Domini. *Rex apum vel non habet aculeum, vel eo non utitur.* Sapientissimus Seneca integris libris clementiam commendans Potentatibus, hunc ipsum Apum Regem in exemplar adducit. [Iracundissimæ, ac pro corporis captu pugnacissimæ sunt Apes, & aculeos in vulnere relinquunt. *Rex ipse sine aculeo est.* Noluit ipsum Natura sævum esse, nec ultionem magno (vitâ scilicet) constituram petere, telúmque detraxit, & iram ejus inermem reliquit. Exemplar hoc magnis Regibus ingens.] Improperabant Alexandro Severo Imperatori Mammea mater, & Memmia uxor nimiam ejus clementiam, dicentes: *Molliorem tibi potestatem, & contemptibiliorem fecisti.* Quibus ipse: *sed diuturniorem*, inquit, *& securiorem.* Dignissima imperatorio oraculo notatur parœmia, à Justiniano Imperatore, ut divinissimas alias leges, ita præsertim L. ult. Cod. de donationibus inter virum & uxorem sanciente, relictâ. *Nil aliud*, ait, *tam peculiare Imperiali majestati est, quàm Clementia & humanitas, per quam solùm Dei servatur imitatio.* In eandem incidit sententiam M. Antonius Imperator, asserens, nihil esse, quòd Imperatorem meliùs commendet gentibus, quàm Clementiam. Quid? quòd Josiæ Regi Hebræorum longè optimo, in benignitatis, affabilitatis, ac beneficentiæ ejus tesseram Ecclesiasticus pronuntiet. *Memoria Josiæ in compositionem odoris facta, opus pigmentarij: in omni ore quasi mel indulcabitur ejus memoria:* ideo nempe, quia clementiâ fuit roboratus thronus ejus; & quia similis illi non fuit ante eum Rex, qui reverteretur ad Deum in omni corde suo, & in totâ animâ suâ, & in universâ virtute suâ. Scitè illud emblema attexitur, quo Rex Apum coronatus inter Apes circumvolantes à Plinio pingitur, cum adjectâ epigraphe: *MAJESTATE TANTUM.* Et hoc quidem appositissimè; quia *Rex Apum vel non habet aculeum, vel si habet, eo non utitur, majestate tantùm armatus.*

Plin. l. 11. c. 17

Seneca l. 1. de clementia. c. 19.

Spartian. in Severo.

Eccli 49. v. 1 & 2.

71. Subditorũ erga regem observantia in apibus.

Dum de Rege Apum clementissimo agitur, *fervet opus* inter apes; nec deficeret ulli subditorum occasio discendi, ubi tanta suppetit materia perficiendi.

Vade ad Apem,& disce, quàm operosa sit in præstando amore & honore erga Principes suos, Duces ac Magistratus. Romanorum more, in conspectu Regis sui cæteræ Apes aculeos submittunt quasi fasces; sicque illum *ÆMVLANTVR OBSEQVIIS*, honorant, agnoscúntque, se ei digniorem cedere locum. Ad hæc mirè ei obediunt in omnibus: & cùm ejus jussu signum ad capessendum somnum intonat, in alveo strepunt minùs ac minùs, donec una circumvolet eodem, quo excitavit, bombo ceu quietem capere imperans; & hoc castrorum more: tunc repentè omnes conticescunt. Fugitivum etiam regem insequuntur, & in regnum reducunt; ac, si quidem senio affectus est, vehunt, & conglobatæ cingunt *stipatum amanter*, protegúntque, nec cerni patiuntur. Cùm processêre, se quæque proximam illi cupit esse, & in officio conspici gaudet. Fessum humeris sublevant, validiùs fatigatum ex toto portant. Vbicunque ille consedit, ibi cunctarum castra locantur. Regiam ei amplam in unâ alvearij parte extruunt; extinctum lugent ignavo dolore: siquidem nec cibos convehunt, nec procedunt; tristi tantùm murmure glomerantur circa corpus ejus. Denique addit Plinius, regem unius alvearis contra regem alterius, ubi de pascuis & floribus lis agitur, aciem instruere, ac ingenti rixâ dimicare, fidelissimè assistentibus & pugnantibus pro rege suo populis; quæ dimicatio injectu pulveris, aut fumo tota discutitur. Reconciliantur verò lacte, vel aquâ mulsâ. Et hæc quidem omnia tantâ cum circumspectione & sagacitate, ut apud Virgilium non defuerint, qui

Esse apibus partem Divinæ mentis, & haustus
Æthereos dixêre. (Virgil. 4. Georg.)

Nescio, quid addere possim politicæ disciplinæ aut legali Justitiæ, queis vel Principes feliciter ac vigilanter præsint subditis, vel subditi præstent obedientiam Duci præcipienti, observantiam præeunti, auxilium exigenti, amorem promerenti, honorem præsidenti, omnem denique nutum & obtutum imperanti.

71. Eâdem ratione inter Magistratus *fervet opus*, dum justitiam inprimis ac severitatem in plectendis sceleratis, ab Apibus addiscunt; quæ fures in alveare subrepentes, & fucos al enos depascentes, servato quasi Juris ac charitatis ordine corripiunt: & primo quidem furto non occidunt, sed modicè verberant expellúntque alis, & tanquam in exilium ejiciunt; at rursum deprehensos, aculeis confixos extremo afficiunt supplicio. (Apes magistratiem ac civi'em servare prudentiam. Ælianus l. 1. c. 9 Aristot. hist animale l. 9. c. 4.)

Ignavũ fucos pecus à præsepibus arcent. (Virgil. Georg. 4.)

Nec facilè est furibus aut latere, aut effugere; sunt enim in quovis aditu custodes & fur ipse satietate replesus nequit evolare, sed ante alveum volutatur. Sed multò potiùs ad imitationem ducenda esse videtur artificiosa industria, *OPEROSIOR IN ANGVSTO*; quam in extruendis civitatibus, plateis, ædibus, cameris ita geometricè, ita architectonicè, ita eleganter & accuratè adhibent apes, ut Lactantius de hac Apum in edificatione solertiâ affirmare non dubitaverit, *Apes domicilia inenarrabili arte componere.* Fuit olim in hanc fabrilem cerificationem S. Basilius admiratione totus defixus, ideóque disertâ oratione Magistratum ad imitationem prolixiùs evocavit. [Imitare, inquit, mores Apis peculiares, quæ nemini prorsus officiens, nec alienos ullos fructus demoliens, favos extruit & compingit suos. Etenim ceram quidem à floribus apertè colligit: mel autem humorem, qui speciem præfert roris, inspersum floribus, ore libatum atque attractum, in cavos favorum sinus immittit. Vnde & humidum primùm est, deinde tempore concoctum, ad suam propriam crassitudinem suavitatémque redit. Pulchrâ decorâque laude à Proverbiorum authore prædicata est Apis, sapiens, operatrixque nuncupata, adeò pabulum diligenter elaboratéque congerens; *cuius labores tam Reges quàm privati homines, ad tuendam sanitatem edunt.* Adeò sapienter, adeò exactâ (Lactantius l. 3. Instit. c. 10. S. Basilius l. 5. Hex. c. 11. hom. 8. hex.)

mirâ-

miráque arte apothecas mellis extruens atque fingens. In tenuem enim extensâ cerâ membranam, frequentes cellulas, densas, sibique continuas, alias super alias extruit: ut ipsarum adeò minutarum inter sese vinculi densitas, universo sit operi munimentum ac firmitudo. Quæque enim adhærer alteri cellula, pertenui sejunctæ simul copulatáque septo. Deinde aliæ super alias accumulantur hæ fistulæ; in altúmque editur opus, perinde ut ædes præcelsæ, secundâ tertiáque præditæ contiguatione. Namque caveturipsi continuum unum efficere sinum, ne foras humor suo præ pondere dilabatur. Disce interim, quantum obtineant geometricæ inventionis vel ea, quæ parerga sunt sapientissimæ istius apiculæ: favorum enim fistulæ omnes cerâ compactæ, senis angulis æqualibus ut lateribus, præditæ sunt. Non in directum super alias aliæ jacent, ne fundi vacuis intervallis accommodati defatigentur: sed sex angulorum inferiorum anguli, sedes superiorum fundamentáque sunt; ut tutò elevent ac sustineant pondera, & seorsum humor in unumquemque sinum suscipiatur, & contineti queat.] Plena hæc omnia documentis, plena magistrali industriâ, plena architectonicis & geometricis observantijs, plena studio sapientiali. Quod ita Joannes Sarisbariensis suspicit, ut exinde quandam civilis Prudentiæ Ideam effigiet; ac tum subdat. *Reipublicæ omnes auctores percurre; rerum publicarum revolve historias; vita civilis tibi rectiùs & elegantiùs nusquam occurret.* Sarisbar. l. 6. pol. c. 21.

73. Apum castimonia Virginibus & Conjugatis imitanda.

Hos inter civiles labores atque industrias *fervet opus*; & quidem tantò ardentiùs, quantò magis ab ardore concupiscentiæ abhorret apis. Adeste Virgines, adeste Conjugati, & vel virgineam vel conjugalem castitatem â castissimis Apiculis addiscite. Hæ enim inprimis à commixtione immunes, Venerem non agnoscunt: deinde obscœnum recenter à complexu venereo adventantem agnoscunt, aversantur, ac velut hostem insequuntur. Columella, rerum mellificarum gnarissimus explorator, sollicitè monet, *maximè cavendum esse Curatori, qui apes nutrit, ut pridie castus sit à rebus Venereis.* Columella l. 9. c. 5. Et olim jam confirmavit Ælianus, dicens: *A complexu Venereo recentem agnoscunt, atque illum sicut hostem insequuntur.* Ælianus l. 1. c. 11. Denique etiam aversantur delicias; quia unguentis, odoribúsque delibutos insectantur: oleo perfusæ moriuntur, aceto reviviscunt. Nihil est in ape, quod puritatem & castitatem non sapiat, non spiret Virginitatem. D. Ambrosius S. Ambrosius l. 1. de Virg. mellito suo eloquio Virgines, & suo modo conjugatos, ad imitandam apis argumentosæ puritatem suaviter invitat. *Favum*, inquir, *mellis tua opera componant. Digna enim Virginitas, quæ Apibus comparetur: sic laboriosa, sic pudica, sic continens. Rore pascitur apis, nescit concubitus, mella componit. Ros quoque Virgineus, est sermo divinus; quia sicut ros, verba Dei descendunt: pudor Virginis est intemerata natura: partus Virginis, fœtus labiorum, expers amaritudinis, fertilis suavitatis. In commune labor, communis est fructus. Quàm te velim filia, imitatricem esse hujus apiculæ; cui cibus flos est, ore soboles legitur, ore componitur. Hanc imitare tu, filia; verba tua nullum doli velamen obtendant, nullum habeant fraudis involucrum, ut & puritatem habeant, & gravitatis sint plena.* Castissimam Apum generationem, si nihil ampliùs ex Sanctorum Patribus attexam, vel ipsi Ethnici celebrârunt. Doctus Poëta brevi compendio canit. Virg. 4. Georg.

Illum adeò placuisse apibus mirabere morem,
Quòd nec concubitu indulgent, nec corpora segnes
In Venerem solvunt, aut fœtus nixibus edunt.
Verùm ipsæ folijs natos & suavibus herbis

Ore

Ore legunt. Ipsa Regem, parvosq́, Quirites
Sufficiunt; aulásque & cerea regna refigunt.

Quid, quòd Apes à fœtore abhorrent, & studiosissimè graveolentia quæque, imò & crassa & pinguia omnia refugiunt, quippe inficientia & conspurcantia attactu: è contrario autem captant suaveolentiam, ac fragrantiam. Nam S. Chrysostomo observante, [In vas & vestimentum quodvis immundum, numquam se demiserit genus Apum; propterea enim & suffitibus, & unguentis, bonisque odoribus locum aspergunt qui harum rerum sunt periti, vinisque suaveolentibus, & alijs omnibus illinunt calathiscos, in quibus sunt insessuræ exeuntes ex alveis, ne gravis odor & insuavis eas rursus abigat.] Sicut autem castimoniæ amatores venereâ aliquâ labe sordescentia corpora aversantur, sic à castis pudicisque corporibus nequaquam refugiunt: quod narrant Veronæ deprehensum; ubi ad duarum Virginum cadavera adrepserunt apes per rimas continentis parietis, ibique copiosum confecêre mellificium, quod anno pòst sexto incurrit in oculos, diffuso per fulmen tumulo. Quare innatum apibus castimoniæ amorem, non vana suspicio est; & tanquam castitati addictarum personarum imagines meritò semper sunt habitæ; quod iteratò ex D. Ambrosio veluti gemmâ obsigno. *Digna Virginitas, quæ apibus comparetur, sic laboriosa, sic pudica, sic continens. Rore pascitur apis, nescit concubitum, mella componit.* Sicque stupendo miraculo in Apibus copulata est *VIRGINITAS CVM FOECVNDITATE.*

S. Chrysost. hom. 15. in epist. ad Ephes.

74 Inter tam varios moralis imitationis modos *fervet* adhuc *opus*, quando denique ardentissima facienda est reflexio ad *Apem super apes*; ad quam invitat Origenes, qui tractans illud Isaiæ, *Butyrum & mel comedet*, Christum vocat *apem Principem*: quotquot autem *Christicolæ* denominantur à Christi nomine, tot sub illa primaria Ape appellantur *Apicolæ*; sicut juxta Tertullianum à Christo pisce *pisciculi*. Nempe versat ibi Origenes locum supra allatum ex Proverb. 6. juxta 70. *Vade ad apem, ò piger*: qui locus in vulgatâ quidem Editione desideratur, sed apertè usurpatur à Patribus, nominatimque à Basilio, Ambrosio, Chrysostomo, Hieronymo, aliisque passim. Quid igitur locus ille sibi velit, sic enodat Origenes. [Quod dicitur, *vade ad apem*, istiusmodi est. Est quædam ut ita dicam, *Apis super apes*. Et quomodo inter apes rex quidam est, qui nominatur Rex: sic princeps apum Dominus meus Jesus Christus, ad quē mittit me Spiritus sanctus, ut comedam mel (bonum est enim) & favos ejus, ut indulcentur fauces meæ.] Mira est Sanctorum Patrum consonantia, Apis primariæ nomen Christo tribuentium, appositissimâ comparatione. Apis enim habet mellis dulcedinem, habet etiam aculei punctionem. Apis verò est, quæ pascitur inter lilia, quæ florigeram inhabitat patriam Angelorum. Vnde ad civitatem Nazareth, quod interpretatur flos, advolavit: ut ad suaveolentem perpetuæ Virginitatis florem advenit, illi insedit, illi adhæsit. Hujus Apis mel & aculeum non ignorat, qui misericordiam ei & judicium cum Propheta decantat. Attamen ad nos veniens solum mel attulit, & non aculeum; id est, misericordiam & non judicium: ita ut suadentibus quandoque discipulis, ut civitatem, quæ eum suscipere noluit, præciperet igne consumi; responderit, Filium hominis non venisse ut judicaret, sed ut salvaret mundum. Non habebat aculeum Apis nostra: quodammodo deposuerat illum, quando tanta indigna patiens, misericordiam exhibebat, & non sacrificium. Sed nolite sperare in iniquitate; nolite peccare in spe: habet enim Apis nostra, quandoque assumere aculeum suum, & acriter nimis infligere illum in medullas hominum peccatorum. Quoniam *Pater non judicat quemquam, sed Filio dedit omne judicium.* Nunc autem Parvulus noster butyrum & mel comêdit, quando

Apis super apes Christus.

Tertull. l. de baptismo.
Origenes super Isaiam in principio.

Reynaudus in Hag. Exot. fol. 196.

do bonum naturæ humanæ Divinæ misericordiæ sic univit in semetipso, ut esset homo verus, & peccatum non habens; Deus misericors, & judicium non exhibens. Ideóque *vocatum est nomen eius IESVS, quod vocatum est ab Angelo*, mellitissimum, dulcissimum, suavissimum, & ad omnem consolationem redundans devotis suis, eum piè sequentibus & imitantibus Apiculis: quia *nil canitur suavius, nil auditur jucundius, nil cogitatur dulcius, quàm IESVS Dei filius.* Vt proinde nemo per imitationem virtutum, Apibus naturali sagacitate congenitarum, sub Christo Ape non velit Apis æmula, aut devota Apicula nuncupari.

STRENARUM DIstributio.

75. De apibus varia emblemata distributa pro strena. Multum hactenus fecisse videor in hoc *fervente opere*, sed nihil adhuc perfecisse, nisi etiam pro auspicatissimi Anni tesseris desideratas ex Apibus strenas ornatissimo meo Auditorio dispensarem. Et quid aliud ex Apibus sperare potestis, quàm faventissimos favos, avitas ceras, & mellitissimos dies? Nempe Apibus proprium est *INTVS MELLIFICARE.* Reverendissimo & Serenissimo Principi ac Domino, Domino Alberto Sigismundo Vtriusque Bavariæ Duci, Palatino Rheni, &c. Episcopo Frisingensi & Ratisbonensi, Sacri Romani Imperij Principi, &c. Domino nostro Clementissimo, triplex ex Apibus consecro xenium. Primum apto ex Vrbani octavi Romani Pontificis insignibus, duas apiculas aratrum trahentes sibi appropriantis, cum adjectâ epigraphe Horatiana:

Horatius in ... *Omne tulit punctum, qui miscuit VTILE DVLCI.*

Nempe revereor duplicem Pastoralem curam, trahentem aratrum in duabus amplissimis Diœcesibus, Frisingensi & Ratisbonensi, & administrantem Ecclesias Dei in abundantiâ pacis & exultatione laudis, resonantis per appositum programma, *FLORET OPVS.* Alterum depromo ex Libro Judicum, ubi Samson reversus de faucibus Leonis, quem descendendo in Thamnatha Philisthinorum viriliter aggressus dilaceravit, cum stupore prodire vidit examen Apum, adjecto lemmate: *De forti dulcedo.* Revertere & tu, ô decorata Frisinga, tibique in tua Antiquitate dissimilis nunc circumspice. Vnde tibi hæc filiarum venustas? hic filiorum vigor? hæc civium fortuna? hæc Clericorum gravitas? hic Ministrorum apparatus? hæc fabricarum majestas? hoc vitæ melioris tripudium? Scilicet de Leone Bavaro Palatino, *de forti dulcedo*: cujus perennandâ influentiâ totius Statûs Episcopalis feliciter administrati erectum *PLAVDIT OPVS.* Tertium affert sancti Corbiniani primi Frisingensium Episcopi clitellarius Vrsus, cui favum mellis lambendum appono. De Vrso scribit Plinius, quod ultrò caput inferat in Alvearium Apum, ut illarum aculeis confixus, capiti suo debili & malis humoribus obnoxio medeatur. *Eloquium Domini est super mel & favum*: quod dum avidissimè audit ac lambit Honorarius Corbiniani Vrsus, Serenitatem retinet capitis, & Pastorale sublimis conversationis *PERFICIT OPVS.* Hoc triplici xenio Clementissimo meo Principi me, totúmque nostrum Seraphicum Ordinem, quàm submississimè commendo.

Judic. 14 v. 14.

Plinius l. 8. c. 36.

Ad Reverendissimum Capitulum Cathedrale dum devictissimâ observantiæ causâ converto, *CERÆ* occurrunt *AVITÆ*, antiquissimâ nobilitate illustres, literarijs splendoribus insignes, virtute & generositate admodum sublimatæ. Scio quidem, juxta Philippum Abbatem, in cera fragili fluxam fragilitatem designari, quæ illis, qui perfectè in Ecclesia lucent, nullatenus assignatur, quos à fragili mollitie *sinceros* Divina gratia vult haberi, & puritatis gelicidio à vanorum desideriorum fluxu co-

Philippus Ab. l. de silentio c. 35. apud Reynaudum citatum fol. 294.

coërcei. Quapropter Apostolus eos instruit, & prohibens fermentari, *in azymis SINCERITATIS* diligenter admonet epulari; dátque intelligi, quia nihil aliud sunt azyma *sincera*, quàm munda conversatio *sine cera*. *Epulemur*, ait, *non in fermento veteri, sed in Azymis sinceritatis.* Non vult Apostolus nos in modum ceræ esse fragiles, sive faciles ad flectendum; nec solutos, vel solubiles ad deficiendum; recolens fortè, quòd & Poëta reprehendat *Imberbem juvenem, tandem custode remoto* qui sit *Cereus in vitium flecti*; & Propheta peccatores à facie Dei perire deprehendat, *sicut fluit cera à facie ignis.* Itaque dum Reverendissimis ac Illustrissimis meis Dominis, Dominis Canonicis Cathedralibus, *Ceram* pro xenio consecro, *Ceream candelam* supra Ecclesiæ candelabrum statuo: hæc dum accensa ardet, nolo ut aliquâ vitæ fluxibilitate deficiat; sed ut pari morum gravitate, virtutum integritate, ac generis claritate *luceat omnibus, qui in domo sunt*; adjecta epigraphe: *LVCET OPVS.* Ita me, omnésque mihi religiosâ professione in fraternâ charitate Vnitos, Reverendissimo ac Illustrissimo Cathedrali Capitulo argumentosè obligo, officiosè commendo.

1. Cor. 5. v. 8.

Psal. 67. v. 3.

Reliquo Venerabili Clero, in sortem Domini vocato, in Divinis laudibus occupato, in excolendâ vineâ Domini Sabaoth fatigato, pro accommodatissimo xenio adhibeo *Mel dulce de Apibus*: quod licèt olim in sacrificijs offerri prohiberetur, Divini tamen Verbi suavitatem in sacris Scripturis frequenter symbolizat, pariter & orationis. Et quod ferculum Ecclesiastico viro posset afferri delectabilius, quàm jugis Divinarum rerum meditatio, sacrarum lectionum revolutio, honestissimorum studiorum occupatio, Divini Eloquij prædicatio? *Comede fili mi mel, quia bonum est & favum dulcissimũ gutturi tuo: sic & Doctrina sapientiæ animæ tuæ, quam cùm inveneris, habebis in novissimis spem, & spes tua non peribit.* Et ut D. Augustinus loquitur: *Mel sapientia est, primatum dulcedinis tenens in escis cordis.* Sic, sic conditum dulci labore ac mellito studio *VIGET OPVS.*

Proverb. 24. v. 13. 14.

S. August. in Psal. 80.

Aulæ, quâ Nobilium vetustate, quâ virorum claritate, qua Ministrorum fidelitate conspicuæ, in xenium dedico occlusum canistrum; in quo *Cecropias innatus Apes AMOR VRGET HABENDI*; in quo Apes teretes hæderarum corymbos, & levissimos florentis tiliæ surculos constipantes, multiformem favorum machinam angulosis & opertis cellulis construunt. Cujus artis molimen egregius Poëta facundiâ metrica fretus, catalectico versu creditur cecinisse, cùm diceret: *Cerea gemmatis flavescunt mella canistris.* In hoc canistro quanta Plebis & Officialium Apum circa Regem suum concurrentia, apparatus, obsequendi promptitudo, honorandi industria, serviendi agilitas, supportandi alacritas, convivendi humanitas? Nemo hîc livore torpeat, nemo segnitie crudescat, nemo discordijs ardeat, nemo intumescat typho, aut turbine agitetur; ubi affabilitate, consensu, prudentiâ, Eutrapeliâ & Pietate *VRGET OPUS.*

Georg. v. 177.

Et vos adeste, Civici Magistratus consultissimi Senatores: porta Alvearis vestræ concreditur vigilanti Prudentiæ, ut providè & cautè agantur omnia in civitate. Vobis, ô honestissimi Cives, operarum distributio competit, ex Apum mellificatione jucundè collucẽs; ut quivis industriè operi suo insistens, fruatur abundantiâ panis & pacis. Vobis, ô Deum timentes Conjugati, socialem amicitiam constituo, qua Apes modò melligeris calatharum frondibus avida viscerum receptacula certatim implere contendunt; modò flavescẽtes saliculas, & croceata genistarum cacumina circumvallantes, fertilem prædam numerosis cruribus, & coxarum oneribus advehunt, quibus cerea castra conficiant. Vobis, ô morigeri Juvenes ac castæ Puellæ, labia debentur tenerrima, quibus ex omni virtutum flore plurima Divini nectaris ac sanctæ imitationis stillicidia guttatim decerpatis. Denique si quidpiam restat aculei, id calumniosis, id detractoribus, id maledicis & blasphemis infigo

in

in eorum infamiam. Ita in gloriosissimo nomine J. su inter Apes, per singulos anni dies, per omnes vitæ annos, salutis æternæ, dum agitur, *FERVET OPUS. Vocatum est nomen eius IESUS.* O gloriosissimum, ô sanctissimum, ô dulcissimum & serenissimum Nomen! *TUA OPE FERVET OPUS* nostrum quodcunque, ad cælestis meriti augmentum patrandum: tuo *urget* amore; tuâ *viget* virtute; tuâ *lucet* claritate; tuâ *acuitur* subtilitate; tuo *plaudit* honore; tuâ *floret* Benedictione. Et quod animosè canebat Claudianus, loquens cum Honorio in personâ sui patris Theodosii, illud de sanctissimo Nomine JESU pro felicissimâ subingressi Anni coronide adduco,

--- *Tum promptiùs ibunt,*
TE SOCIO; tunc conspicuus, gratúsque geretur.
SUB TE TESTE, Labor.

Amen.



IN EPIPHANIA DOMINI.

STRUTHIO-CAMELUS INSIPIENS.

Der unweise Strauß-Vogel.

LEMMA.

Sit tanta licentia stulto!

THEMA.

Ecce Magi ab Oriente venerunt. Matth.2.v.1.

SYNOPSIS CONCIONIS. LXVII.

Pro tantæ Festivitatis dignitate ex Struthio-cameli insipientiâ, instructâ oratione deducitur Magorum Sapientia ad quærendum, inveniendum, salutandum & adorandum Christum Regem, Dominum Dominantium.

76. Struthionis paradoxa inductio.



VT quid nobis hoc festivissimo Dominicæ Nativitatis tempore tam frequens negotium cum Indicis Colybribus, argumentosis Apibus, aliisque modicæ quantitatis (ne dicam, considerationis) volucribus? Omninò hoc maximo illucescentis Epiphaniæ jubilo, apparens aliquid & magnum ex nostra spectabili Ornithologiâ producendum est individuum, quod omnium oculos animósque suâ expleat quantitate. Rem notabilem percipite, Auditores, ex non vulgari quondam Concionatore, sequentia referente. [Quidam Doctor nomine Germanus dicit, quemlibet ipsorum (Magorum Christum ado- *Meffret ser. 2. Epiphan.*

Strengelius in Ovo pasch. Emb. 14. rantium) speciale signum habuisse. Refert enim, quòd unius Regis uxor peperit filium eâdem nocte & horâ, qua Christus nascebatur, qui puer statim ut fuit natus, erectus stetit, & dixit: *Istâ nocte in Iudaea natus est nobis Salvator noster.* Et iste fuit Balthasar. Alius Rex Melchior habuit pomarium pulchrum, in quo crevit balsamum. Arbores autem balsami habent quasdam domunculas ad modum malogranatorum, in quibus est balsamum. Vnâ igitur nocte domunculâ crevit ultra morem solitum, quam Rex specialiter custodiebat: nocte verò, qua natus est Christus, aperta est, & visa est in ea columba, quæ volans dixit: *Istâ nocte natus est Salvator generis humani.* Caspar tertius Rex habuit Struthionem, qui habuit duo ova, quæ longo tempore custodivit magnâ diligentiâ. Nocte igitur, qua Christus natus est, aperta sunt, & in uno repertus est Leo, & in alio Ovis. Et audita fuit vox, quòd *hac nocte puer natus esset, qui esset Deus & Homo*; sicque per Leonem Deitatem, & per Ovem Humanitatem intellexit.] Sive vera sit historia, quam retuli, seu potiùs fabula heteroclita, per hoc tamen Struthionis ovum præcipuus nostræ Religionis articulus significatur: scilicet Christum & ob humanæ Naturæ imbecillitatem, sicut ovem aliquando ducendum ad occisionem; & ob Divinæ naturæ majestatem, leonem futurum, potentissimos suos hostes victurum; immò & quâ hominem, ob sanguinis ac virtutis generositate, Leonem esse *de tribu Iuda*; simúlque & ovem & leonem in uno supposito: ut eò trahi possit, *Leo & ovis simul morabuntur.* Sed verò dimitto prodigiosum ovi partum, & apprehendo Struthionem, verè insipientem; cui ex Jobi oraculo verissimè imponitur, quòd *privavit eam Deus sapientiâ, nec dedit illi intelligentiam.* Quanto major est Struthio molis quantitate, tanto minor est capitis mole, prudentiæ acumine, rationis usurâ; ut meritò pro insipientiæ symbolo assignetur ex Avibus, scribatur in libris, proclametur è pulpitis. Rectè quidem hodie: nam *ecce! Magi*, qui *ab Oriente venerunt* cum muneribus suis adorare Dominum, non obstante, quòd fuerint Regum sapientissimi, de pennis insipientis Struthionis cristati eo ipso comparebunt, si instructâ oratione sapientiam Magorum ex Struthionis insipientiâ deduxero. *Sit tanta licentia stulto* Struthio-camelo, ut Orientalium regiam sapientiam illustret per suam insipientiam, in ejus nomine & apparatu, qui est Rex Regum, & Dominus Dominantium.

Apocal. 5. v. 5

Isa. 7. v. 21.

Iob 39. v. 17.

77. Nemini vestrûm, Auditores, insolens mea videatur propositio, quòd ex Struthionis insipientiâ Magorum elucescat sapientia: *sit tanta licentia stulto*, quando etiam Deus ex sapientiâ & ignorantiâ, ex rusticitate & urbanitate, ex idiotismo & scientiâ suam concinnavit Ecclesiam. *Ecce Magi ab Oriente venerunt.* Magos eos nuncupat Evangelista, non Reges: nempe cùm & Sapientes & Reges essent, elegit Spiritus sanctus eorum titulum, in quo robusta Dei vocantis potentia magis elucesceret. Majus enim negotium facessunt vocanti Deo Sapientes, quàm Reges; majus Magi, quàm Sapientes. Id quod egregio quodam symbolo Deus ipse significavit: cùm se vilem pastorem consideraret Moyses, & legatus mitteretur ad Regem Pharaonem, timerétque ne commissa sibi legatio à Rege rejiceretur, ac propterea recusaret impositum sibi onus; ait illi Dominus. *Quid est, quod tenes in manu tua? respondit, virga. Dixítque Dominus: projice eam in terram. Projecit & versa est in colubrum, ita ut fugeret Moyses. Dixitq; Dominus, extende manum tuam, & apprehende caudam ejus. Extendit & tenuit, versáque est in virgam.* Timebat scilicet Moyses virgam regiam, & regale Pharaonis sceptrum: at verò Dominus illi ostendit in illa serpentis figurâ, potiùs timendum esse

Plus est vocasse Magos quàm Reges.

Exod. 4. v. 4.

co-

colubrum, serpentem, inquam, humanæ prudentiæ symbolum, quàm insignē Regiæ Majestatis potentiam; majorémq; Moysi luctā cum Magis, quàm cum Rege Pharaone esse sustinendam. Quòdsi, inquit Dominus, manu tenere potes callidam Magorum sapientiam, multò minùs timenda restat magna & excelsa Pharaonis potestas. Sunt sapientes veluti angues, qui fallunt & elabuntur, dum manu firmissimè tenentur. Elabebantur Sapientes Ægyptiorum, & secum trahebant Regem, qui proximus videbatur, ut divinis præceptis obtemperaret. Majoris igitur virtutis est Magos trahere, quam Reges; & idcircò pro extollendâ Divinæ vocationis gratiâ non *Reges*, sed *Magos* eos Matthæus appellat. Nec omitteodum, quòd, cùm Moyses penetrâsset futuram difficultatem in reducendis Ægypti principibus & sapientibus, addiderit: *Mitte, quem missurus es*, ut Reges & Magos in suum trahat & alliciat obsequium. Allicit & trahit Christus: nam ecce Reges & Magi ab Oriente venerunt. *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram; servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Qui gubernatis Orbem Principes, qui judicatis terram sapientes, servite jam novo Regi, & exultate Principi sapienti. Observate mysterium, in quo laboro. Natus Salvator, Puellus Bethlehemiticus, vocat ex Synagogā illiteratos pastores, ex populo Gentium sapientes viros accersit. Et cùm postea fundat Ecclesiam suam, simili periodo progreditur. Ex populo Hebræorum rudes & idiotas primùm piscatores eligit, è gentibus autem vocat Dionysios, Cyprianos, Basilios, Nazianzenos, ut in Ecclesia sint Pastores & Doctores. Sic, sic ex idiotismo & scientiâ, ex ignorantiâ & sapientiâ, ex urbanitate & rusticitate, ex nobilitate & ignobilitate, suam erexit & composuit Ecclesiam; ut inter urbanos & rusticos, inter rudes & sapientes, inter Magos & Pastores, inter nobiles & ignobiles una Fides, una Religio, una servaretur illibata voluntas, animorum harmonia, ordinum hierarchia. Hinc fit; ut verè posset Paulus dicere cunctis, qui in Ecclesiâ vivimus incorporati, tam ignaris quàm sapientibus: *IDEM SAPITE.*

Exod. 4. v. 13.

Psal. 2. v. 10.

2. Corinth. 13. v. 11.

Idem sapite, Auditores, dum Struthionem produco, de cujus insipientia Magorum innotescat sapientia; ut ex utrâque concinnatâ mea currat ad metam cogitatio. Pierius in hieroglyphicis pro symbolo stultitiæ & stoliditatis Struthionem posuit, annotans avem esse stolidissimam: quod vel ex eo statim potest conijci, quia cùm omnibus avibus major sit, ipsi camelo æqualis (unde *struthio camelus* communiter vocatur) & altitudinem equitis equo insidentis excedens; caput tamen parvum habet ad modum *anatis*. Certum autem est, parvitatem capitis apud Physiognomicos indicare stoliditatem & insipientiam. Quæ vel maximè est in struthio-camelo ridenda, quòd indifferenter voret & deglutiat, quidquid vel appositum vel inventum est ejus rostro. Reliquæ aves nôrunt salubres escas, quas ipsis paravit DEUS: hinc ad cadavera convolant corvi, ad muscas hierundines, ad scarabæos passeres, ad frumenta columbæ, ad vermes pici, ad angues ciconiæ, ad pisces ardeæ, ad prata anseres, ad furfures gallinæ, ad canabem Acanthides, ad triticum alaudæ, ad formicas lusciniæ, ad prædas falcones, & nulla non avis salubrem appetit escam: solus struthio-camelus est insipiens; quia *Deus privavit eum sapientiâ*, ut lapides, ferrum, metalla, & quidquid indigestibile est, avidè deglutiat, deglobet, & frequenter cum manifesto vitæ periculo, suo ventriculo ad digerendum injiciât. Sed verò *sit tanta licentia stulto*, ut & sapientissimos Magos doceat crudissimos bolos in aulâ Herodis, immanissimi Iudæorum Regis, digerere ac devorare. *Ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam, quærentes, ubi est, qui natus est Rex Iudæorum? cujus stellam vidimus in Oriente.* Qui gravi siti torretur, properat ad cisternam, ad fontem aquarum viventium: Et qui fame torquetur, panis custodiam requirit.

78. Herodis hypocrisis tribus Magis callidè obtecta

Pierius l. 25.

Plinius l. 10. c. 1.

quirit. Erãt Magi sitientes veri Dei, Verbi Incarnati cognitionem salutarem & vivacem; ad fontem igitur properabant salientem in vitam æternam; currebant cum regio suo comitatu, in Dromedariis Madian & Epha, usque in Bethlehem, quod interpretatur *Domus Panis*, utique cælestis & Angelorum: interim dum Jerosolymis divertunt apud gentis illius Regem, excipiuntur convivio, quo & ferale poculum, intento infantum cædendorum sanguine spirans, sitibundis propinatur; & ferri acies in infantes *à bimatu & infra* olim stringendi, famelicis Advenis digerenda porrigitur. *Ite*, inquit, *& diligenter interrogate de Puero; & cùm inveneritis, renuntiate mihi, ut & ego veniens adorem eum.* O callida machinatio ambitiosi tyranni! ut enim Magos sibi redderet obsequentes & fidos, fingit se velle Christum adorare; cùm jam determinaverit in corde suo crudelissimo, *I Lictor, & ferrum cape: perfunde cunas sanguine.* Dum struthio ferrum, saxa, metalla, & quæcunque *DVRISSIMA COQVIT*, etiam Herodis nefanda dissimulatio durissima coxit odia, & internecinas inimicitias digessit animo contra Christum novogenitum, cujus externum cultum à sese regio augmento dedignanter simulabat. Occidit Rex Astiages barbarâ quadam feritate filium unicum Harpagi, eique occisam prolem, sapidissimo ferculo conditam, apposuit ad manducandum. *Harpagus* autem, ut scribit Justinus, *ad præsens tempus dissimulato dolore, odium Regis in vindictæ occasionem distulit.* Sic Antonius Caracalla, ut solus imperaret, Getam fratrem consortem Imperij Anno Christi ducentesimo decimoquarto, in sinu matris occidit; utque scelus pietate mitigaret, fratrem inter DIVOS retulit, dicens: *Sit divus, dum non sit vivus.* Didicit fortè hanc feralem hypocrisin uterque à turbato Herode, qui Magis se Christum adoraturum ait ut Deum; sed animo destinat, se eum velut hominem Regemque occisurum. Hoc est illud intentatum ferrum, quod Magis in Vrbe regiâ ad devorandum objectum, non nisi calidissimum struthio-cameli ventriculum exigebat pro sui digestione.

Justinus l. 1.

Spartianus in vita Getæ.

79. Sed & aliam adverto stultitiam, quam Hussæus Propheta inductâ similitudine proponit. *Penna struthionis*, inquit, *similis est pennis herodij & accipitris.* In Hebræo quidem hic habentur nomina, quæ variè ab Hebraizantibus transferuntur; rectè tamen vulgatus Herodium & Accipitrem posuit; quomodo SS. PP. passim legunt. Voluit autem Deus eas aves exprimere, quæ in sublime pernici volatu feruntur, ut naturam struthionis declaret: quæ licet pennas habeat in genere pennarum similes pennis herodij & accipitris, quia verò subtiles sunt, magnæ, laxæ, nec ita ventilabrales, *privavit eam Deus sapientiâ*, quominus possit cum herodio & accipitre in sublime evolare, cælum contingere, imò nec paululum suam molem à terrâ sublevare. *Sit tanta scientia stulto*, ut Herodi ac toti Hebræorum Synagogæ suas pennas, Magis verò pennas herodij atque accipitris accomodet. Enimverò quàm altè evolârunt illâ suâ sublimi cognitione, qua Deum Incarnatum requisiverunt in cunis vagientem? *Vidimus*, inquiunt, *stellam ejus in Oriente.* Vsque in cælum pernici volatu sese elevavit nostra indagatio, ut ex observatione insoliti phenomenis, ardentissimæ lucis, Deum requireremus in cunis, quem Synagoga & omnis populus Hebræorum nolebat recognoscere in Scripturis. Nempe id cum Synagoga Judæorum commune est hypocritis, ut quidem simulent, se velle Christum quærere, ad Christum evolare, ad cælum ascendere; & tamen dum alas quatiunt, more struthionum, vix pedem de terrâ levant. *NIL PENNA, SED VSVS* valet pennarum. *Hypocritæ*, inquit Hugo Victorinus, *habent quidem volandi pennas per speciem, sed in terrâ repunt per actionem: quia alas per figuram sanctitatis extendunt, sed curarum sæcularium pondere prægravati, nullatenus à terrâ sublevant.* Et quidem is ipse Victorinus eodem loco suum perennat discursum.

Synagoga hypocritis Christum non agnoscit. *Iob. 19. v. 13.*

Ælianus l. 14. c. 10.

Hugo Victorinus l. 1. de Best. c. 17.

Sub-

Sublevare vos videtur species pennæ: sed in infimis vos deprimit pondus vitæ. Usque adeo hypocrita cum Herode multùm conando, jactando, simulando & promittendo *NEC IMA RELINQUIT.* Sed & Scribæ & Legisperiti, quos consulebat Herodes Rex, non bene volebant assequi sensû Scripturæ; quia sola scientiæ licèt aliqualiter erigat, arduè tamen *NON SUBLEVAT ALA.* Et si hujus rationem inquiras, eam à S. Bernardo accipe. *Levat quippe cognitionis ala, sed sola non sufficit:* requiruntur etiam solida virtutum genera, & maximè verè Religionis ac Fidei actus; quibus cùm caruerint Legisperiti & Pontifices Judæorum, mirum non est, eos circa adorationem & cognitionem Verbi Incarnati tam graviter fuisse hallucinatos in animâ suâ, hypocriticis duntaxat simultatibus illuminatâ.

80. Cæcitas Herodis & illuminatio Magorum, quàm oppositæ?

Insuper struthio tam contumacis dicitur esse visûs, ut videatur oculis potentiam generativam tribuere: nam *VISU* suo *FOVET* ova, & fœtum *FORMAT OBTUTU.* In nostro proposito *sit tanta potentia stulto*, ut solo suo aspectu in lucem edat Gentilium cæcitatem. Cæca erat Gentilitas, & cùm oculis careret, nec pedes, nec manus, denique nec alas habebat, quibus vel ad Deum recurreret, vel in Divinum obsequium munera largiretur, vel ad supernarum rerum cognitionem sese sublevaret. Inter alia oculorum officia & munia, quæ refert Philo clarissimus Judæus, unum est, quòd usum pedum ac manuum afferant. *Oculi*, inquit, *ut bonum quoddam publicum, his & alijs partibus præstant facultatem perfungendi suis cuique officijs: id ita esse caci testabuntur verissimè, quia revera nec habent manus nec pedes.* Aperuerunt oculos Magi, viderunt, & statim extenderunt alas suæ sapientiæ, ut evolarent in sublime; exercuerunt pedes, ut Deum requirerent; adhibuerunt manus, ut munera largirentur. *Magi videntes stellam*, ut canit Ecclesia, *dixerunt ad invicem: Hoc signum magni Regis est; eamus, & inquiramus eum, & offeramus ei munera, aurum, thus & myrrham.* Habent expeditas alas, ut volent; habent agiles pedes, ut properent; habent liberales manus, ut munera ferant. Cæcus erat Herodes & omnis Hierosolyma cum illo; & quia pennas Struthionis habebant, non volabant sublimè, cum Magis non accesserunt, munera Christo nascenti non dederunt. Anima, quæ infantem Christum non quærit, nec manus aperit pauperi, cæca est; nec habet pennas, nec manus, nec pedes. Synagoga, ut suæ succurreret cæcitati, non est usa stellâ cælesti, sed facibus & laternis; unde inquit S. August. *Deus latebat in cruce, & ita sempiternus dies membris occultabatur humanis, ut laternis & facibus quæreretur occidendus à tenebris.* Agnosce, quàm insipiens sis, ô Herodes! quàm cæca, ô Synagoga! Hi orientales Ethnici etiam in tenebris suæ gentilitatis inveniunt Salvatorē mundi; vos autem in splendoribus Sanctorum, in lumine Prophetarum ignoratis Deum, & velut cæci ad parietem palpatis? S. Antonius Eremita silvestrem quendam ac pilosum hominem, quasi Faunum aut Satyrum, in solitudine offendit, eumque in rebus Christianis instructum ritè baptizavit; tum ad regiam Alexandriæ metropolim conversus exclamat. *Væ tibi Alexandria! Bestiæ Christum loquuntur, & tu pro Deo portenta veneraris?* O Jerusalem civitas Regum Israël, an non abstergis cæcitatem, excitata dudum ab Isaia Propheta: *Surge, illuminare Jerusalem; quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est.* Quare oculos tuos claudis, ne videant salutare Dei? Siccine te patiaris confundi à Gentibus, quæ ex conspectu insoliti sideris splendore properant cum muneribus ad adorandum Incarnatum Deum? Quare reijcis Bethlehemiticum illum Infantem, qui te ex Ægyptiaca servitute eductam, fortissimis mœnibus conclusit, ad securitatem tuorum civium, ad terrorem inimicorum? Cave, ne id tibi contingat, quod olim Tyri militibus accidit. Cœperant isti commilitones regiam urbem, & pactione inter se factâ ille decerne-

Philo l. de victimas offerentibus.

S. August. tract. 120. in Joan.

S. Hieron. in vita S. Pauli Eremitæ.

Isa. 60. v. 1.

Vide ad Apem, & disce, quàm operosa sit in præstando amore & honore erga Principes suos, Duces ac Magistratus. Romanorum more, in conspectu Regis sui cæteræ Apes aculeos submittunt quasi fasces; sicque illum *ÆMVLANTVR OBSEQVIIS*, honorant, agnoscúntque, se ei digniorem cedere locum. Ad hæc mirè ei obediunt in omnibus: & cùm ejus jussu signum ad capessendum somnum intonat, in alveo strepunt minùs ac minùs, donec una circumvolet eodem, quo excitavit, bombo ceu quietem capere imperans; & hoc castrorum more: tunc repentè omnes conticescunt. Fugitivum etiam regem insequuntur, & in regnum reducunt; ac, si quidem senio affectus est, vehunt, & conglobatæ cingunt *stipatum amanter*, protegúntque, nec cerni patiuntur. Cùm processêre, se quæque proximam illi cupit esse, & in officio conspici gaudet. Fessum humeris sublevant, validiùs fatigatum ex toto portant. Vbicunque ille consedit, ibi cunctarum castra locantur. Regiam ei amplam in unâ alvearij parte extruunt; extinctum lugent ignavo dolore: siquidem nec cibos convehunt, nec procedunt; tristi tantùm murmure glomerantur circa corpus ejus. Denique addit Plinius, regem unius alvearis contra regem alterius, ubi de pascuis & floribus lis agitur, aciem instruere, ac ingenti rixâ dimicare, fidelissimè assistentibus & pugnantibus pro rege suo populis; quæ dimicatio injectu pulveris, aut fumo tota discutitur. Reconciliantur verò lacte, vel aquâ mulsâ. Et hæc quidem omnia tantâ cum circumspectione & sagacitate, ut apud Virgilium non defuerint, qui

Esse apibus partem Divinæ mentis, & haustus
Æthereos dixêre. (Virgil. 4. Georg.)

Nescio, quid addere possim politicæ disciplinæ aut legali Justitiæ, queîs vel Principes feliciter ac vigilanter præsint subditis, vel subditi præstent obedientiam Duci præcipienti, observantiam præeunti, auxilium exigenti, amorem promerenti, honorem præsidenti, omnem denique nutum & obtutum imperanti.

71. Eâdem ratione inter Magistratus *fervet opus*, dum justitiam inprimis, ac severitatem in plectendis sceleratis, ab Apibus addiscunt; quæ fures in alveare subrepentes, & fucos alienos depascentes, servato quasi Juris ac charitatis ordine corripiunt: & primo quidem furto non occidunt, sed modicè verberant expellúntque alis, & tanquam in exilium ejiciunt; at rursùm deprehensos, aculeis confixos extremo afficiunt supplicio. (Apes magistralem ac civilem servant prudentiam. — Ælian. l. 1. c. 9. Aristot. hist. animal. l. 9. c. 4.)

Ignavũ fucos pecus à præsepibus arcent. (Virgil. Georg. 4.) Nec facilè est furibus aut latere, aut effugere; sunt enim in quovis aditu custodes: & fur ipse satietate repletus nequit evolare, sed ante alveum volutatur. Sed multò potiùs ad imitationem ducenda esse videtur artificiosa industria, *OPEROSIOR IN ANGVSTO*; quam in extruendis civitatibus, plateis, ædibus, cameris ita geometricè, ita architectonicè, ita eleganter & accuratè adhibent apes, ut Lactantius de hac Apum in certificatione solertiâ affirmare non dubitaverit, *Apes domicilia inenarrabili arte componere.* (Lactantius l. 3. Instit. c. 10.) Fuit olim in hanc fabrilem certificationem S. Basilius admiratione totus defixus, ideóque dissertâ oratione Magistratum ad imitationem prolixiùs evocavit. [Imitare, inquit, mores Apis peculiares, quæ nemini prorsus officiens, nec alienos ullos fructus demoliens, favos extruit & compingit suos. Etenim ceram quidem à floribus apertè colligit: mel autem humorem, qui speciem præfert roris, inspersum floribus, ore libatum atque attractum, in cavos favorum sinus immittit. Vnde & humidum primùm est, deinde tempore concoctum, ad suam propriam crassitudinem suavitatémque redit. Pulchrâ decoráque laude à Proverbiorum authore prædicata est Apis, sapiens, operatrixque nuncupata, adeò pabulum diligenter elaboratéque congerens; *cuius labores tam Reges quàm privati homines, ad tuendam sanitatem edunt.* Adeò sapienter, adeò exactâ mirâ- (S. Basilius l. 5. Hex. c. 11. hom. 8. hex.)

miráque arte apothecas mellis extruens atque fingens. In tenuem enim extensâ cerâ membranam, frequentes cellulas, densas, sibique continuas, alias super alias extruit: ut ipsarum adeò minutarum inter sese vinculi densitas, universo fit operi munimentum ac firmitudo. Quæque enim adhæret alteri cellula, pertenui sejunctâ simul copulatáque septo. Deinde aliæ super alias accumulantur hæ fistulæ; in altúmque editur opus, perinde ut ædes præcelsæ, secundâ tertiâque præditæ contiguatione. Namque cavetur ipsi continuum unum efficere sinum, ne foras humor suo præ pondere dilabatur. Disce interim, quantum obtineant geometricæ inventionis vel ea, quæ parerga sunt sapientissimæ istius apiculæ: favorum enim fistulæ omnes cerâ compactæ, senis angulis æqualibus ut lateribus, præditæ sunt. Non in directum super alias aliæ jacent, ne fundi vacuis intervallis accommodati defatigentur: sed sex angulorum inferiorum anguli, sedes superiorum fundamentáque sunt; ut tutò elevent ac sustineant pondera, & seorsùm humor in unumquemque sinum suscipiatur, & contineri queat.] Plena hæc omnia documentis, plena magistrali industriâ, plena architectonicis & geometricis observantijs, plena studio sapientiali. Quod ita Joannes Sarisbariensis suspicit, ut exinde quandam civilis Prudentiæ Ideam effigiet; ac tum subdat. *Reipublicæ omnes auctores percurre; rerum publicarum revolve historias; vitacivilis tibi rectiùs & elegantiùs nusquam occurret.* (Sarisber. l. 6. pol. c. 21.)

73. (Apum castimonia Virginibus & Coniugatis imitanda.) Hos inter civiles labores atque industrias *fervet opus*; & quidem tantò ardentiùs, quantò magis ab ardore concupiscentiæ abhorret apis. Adeste Virgines, adeste Conjugati, & vel virgineam vel conjugalem castitatem à castissimis Apiculis addiscite. Hæ enim inprimis à commixtione immunes, Venerem non agnoscunt: deinde obscœnum recenter à complexu venereo adventantem agnoscunt, aversantur, ac velut hostem insequuntur. Columella, rerum mellificarum gnarissimus explorator, sollicitè monet, *maximè cavendum esse Curatori, qui apes nutrit, ut pridie castus sit à rebus Venereis.* (Columella l. 9. c. 14.) Et olim jam confirmavit Ælianus, dicens: *A complexu Venereo recentem agnoscunt, atque illum sicut hostem insequuntur.* (Ælianus l. 1. c. 11.) Denique etiam aversantur delicias; quia unguentis, odoribúsque delibutos insectantur: oleo perfusæ moriuntur, aceto reviviscunt. Nihil est in ape, quod puritatem & castitatem non sapiat, non spiret Virginitatem. D. Ambrosius (S. Ambrosius l. 1. de Virg.) mellito suo eloquio Virgines, & suo modo conjugatos, ad imirandam apis argumentosæ puritatem suaviter invitat. *Favum*, inquit, *mellis tua opera componant. Digna enim Virginitas, quæ Apibus comparetur: sic laboriosa, sic pudica, sic continens. Rore pascitur apis, nescit concubitus, mella componit. Ros quoque Virgineus, est sermo divinus; quia sicut ros, verba Dei descendunt: pudor Virginis est intemerata natura: partus Virginis, fœtus labiorum, expers amaritudinis, fertilis suavitatis. In commune labor, communis est fructus. Quàm te velim filia, imitatricem esse hujus apiculæ; cui cibus flos est, ore soboles legitur, ore componitur. Hanc imitare tu, filia; verba tua nullum doli velamen obtendant, nullum habeant fraudis involucrum, ut & puritatem habeant, & gravitatis sint plena.* Castissimam Apum generationem, si nihil ampliùs ex Sanctorum Patribus attexam, vel ipsi Ethnici celebrârunt. Doctus Poëta brevi compendio canit. (Virg. 4. Georg.)

Illum adeò placuisse apibus mirabere morem,
Quòd nec concubitu indulgent, nec corpora segnes
In Venerem solvunt, aut fœtus nixibus edunt.
Verùm ipsæ folijs natos & suavibus herbis

Ore

Ore legunt. Ipsa Regem, parvosq; Quirites
Sufficiunt; aulasque & cerea regna refigunt.

Quid, quòd Apes à fœtore abhorrent, & studiosissimè graveolentia quæque, imò & crassa & pinguia omnia refugiunt, quippe inficientia & conspurcantia attactu: è contrario autem captant suaveolentiam, ac fragrantiam. Nam S. Chrysostomo observante, [In vas & vestimentum quodvis immundum, numquam se demiserit genus Apum; propterea enim & suffitibus, & unguentis, bonisque odoribus locum aspergunt qui harum rerum sunt periti, vinisque suaveolentibus, & alijs omnibus illinunt calathiscos, in quibus sunt insessuræ exeuntes ex alveis, ne gravis odor & insuavis eas rursus abigat.] Sicut autem castimoniæ amatores venereâ aliquâ labe sordescentia corpora aversantur, sic à castis pudicisque corporibus nequaquam refugiunt: quod narrant Veronæ deprehensum; ubi ad duarum Virginum cadavera adrepserunt apes per rimas continentis parietis, ibique copiosum confecêre mellificium, quod anno pòst sexto incurrit in oculos, diffuso per fulmen tumulo. Quare innatum apibus castimoniæ amórem, non vana suspicio est; & tanquam castitati addictarum personarum imagines meritò semper sunt habitæ; quod iteratò ex D. Ambrosio veluti gemmâ obsigno. *Digna Virginitas, qua apibus comparetur, sic laboriosa, sic pudica, sic continens. Rore pascitur apis, nescit concubitum, mella componit.* Sicque stupendo miraculo in Apibus copulata est *VIRGINITAS CVM FOECVNDITATE.*

S. Chrysost. hom. 15. in epist. ad Ephes.

74. Apis super apes Christus.

Inter tam varios moralis imitationis modos *fervet* adhuc *opus*, quando denique ardentissima facienda est reflexio ad *Apem super apes*; ad quam invitat Origenes, qui tractans illud Isaiæ, *Butyrum & mel comedet*, Christum vocat *apum Principem*: quotquot autem *Christicolæ* denominantur à Christi nomine, tot sub illa primaria Ape appellantur *Apicolæ*; sicut juxta Tertullianum à Christo pisce *pisciculi*. Nempe versat ibi Origenes locum supra allatum ex Proverb. 6. juxta 70. *Vade ad apem, ô piger*: qui locus in vulgatâ quidem Editione desideratur, sed apertè usurpatur à Patribus, nominatimque à Basilio, Ambrosio, Chrysostomo, Hieronymo, aliisque passim. Quid igitur locus ille sibi velit, sic enodat Origenes. [Quod dicitur, *vade ad apem*; istiusmodi est. Est quædam ut ita dicam, *Apis super apes*. Et quomodo inter apes rex quidam est, qui nominatur Rex: sic princeps apum Dominus meus Jesus Christus, ad quē mittit me Spiritus sanctus, ut comedam mel (bonum est enim) & favos ejus, ut indulcentur fauces meæ.] Mira est Sanctorum Patrum consonantia, Apis primariæ nomen Christo tribuentium, appositissimâ comparatione. Apis enim habet mellis dulcedinem, habet etiam aculei punctionem. Apis verò est, quæ pascitur inter lilia, quæ florigeram inhabitat patriam Angelorum. Vnde ad civitatem Nazareth, quod interpretatur flos, advolavit: ut ad suaveolentem perpetuæ Virginitatis florem advenit, illi insedit, illi adhæsit. Hujus Apis mel & aculeum non ignorat, qui misericordiam ei & judicium cum Propheta decantat. Attamen ad nos veniens solum mel attulit, & non aculeum; id est, misericordiam & non judicium: ita ut suadentibus quandoque discipulis, ut civitatem, quæ eum suscipere noluit, præciperet igne consumi; responderit, Filium hominis non venisse ut judicaret, sed ut salvaret mundum. Non habebat aculeum Apis nostra: quodammodo deposuerat illum, quando tanta indigna patiens, misericordiam exhibebat, & non sacrificium. Sed nolite sperare in iniquitate; nolite peccare in spe: habet enim Apis nostra, quandoque assumere aculeum suum, & acriter nimis infligere illum in medullas hominum peccatorum. Quoniam *Pater non judicat quemquam, sed Filio dedit omne judicium.* Nunc autem Parvulus noster butyrum & mel comêdit, quando

Tertull. l. de baptismo.

Origenes supra Isaiam in ipso initio.

Reynaudus in Heg. Eton. fol. 196.

do bonum naturæ humanæ Divinæ misericordiæ sic univit in semetipso, ut esset homo verus, & peccatum non habens; Deus misericors, & judicium non exhibens. Ideóque *vocatum est nomen eius IESVS, quod vocatum est ab Angelo*, mellitissimum, dulcissimum, suavissimum, & ad omnem consolationem redundans devotis suis, eum piè sequentibus & imitantibus Apiculis: quia *nil canitur suavius, nil auditur jucundius, nil cogitatur dulcius, quàm IESVS Dei filius.* Vt proinde nemo per imitationem virtutum, Apibus naturali sagacitate congenitarum, sub Christo Ape non velit Apis æmula, aut devota Apicula nuncupari.

STRENARUM DIstributio.

75. De apibus varia emblemata distributa pro strena.

Multum hactenus fecisse videor in hoc *fervente opere*, sed nihil adhuc perfecisse, nisi etiam pro auspicatissimi Anni tesseris desideratas ex Apibus strenas ornatissimo meo Auditorio dispensarem. Et quid aliud ex Apibus sperare potestis, quàm faventissimos favos, avitas ceras, & mellitissimos dies? Nempe Apibus proprium est *INTVS MELLIFICARE.* Reverendissimo & Serenissimo Principi ac Domino, Domino Alberto Sigismundo Vtriusque Bavariæ Duci, Palatino Rheni, &c. Episcopo Frisingensi & Ratisbonensi, Sacri Romani Imperij Principi, &c. Domino nostro Clementissimo, triplex ex Apibus consecro xenium. Primum apto ex Vrbani octavi Romani Pontificis insignibus, duas apiculas aratrum trahentes sibi appropriantis, cum adjectâ epigraphe Horatiana:

[illegible]arius in [illegible]rte.

Omne tulit punctum, qui miscuit VTILE DVLCI.

Nempe revereor duplicem Pastoralem curam, trahentem aratrum in duabus amplissimis Diœcesibus, Frisingensi & Ratisbonensi, & administrantem Ecclesias Dei in abundantiâ pacis & exultatione laudis, resonantis per appositum programma, *FLORET OPVS.* Alterum depromo ex Libro Judicum, ubi Samson reversus de faucibus Leonis, quem descendendo in Thamnatha Philisthinorum viriliter aggressus dilaceravit, cum stupore prodire vidit examen Apum, adjecto lemmate: *De forti dulcedo.* Ind. 14 v. 14. Revertere & tu, ô decorata Frisinga, tibique in tua Antiquitate dissimilis nunc circumspice. Vnde tibi hæc filiarum venustas? hic filiorum vigor? hæc civium fortuna? hæc Clericorum gravitas? hic Ministrorum apparatus? hæc fabricarum majestas! hoc vitæ melioris tripudium? Scilicet de Leone Bavaro Palatino, *de forti dulcedo*: cujus prennandâ influentiâ totius Statûs Episcopalis feliciter administrati erectum *PLAVDIT OPVS.* Tertium affert sancti Corbiniani primi Frisingensium Episcopi clitellarius Vrsus, cui favum mellis lambendum appono. De Vrso scribit Plinius, quod ultrò caput inserat in Alvearium Apum, ut illarum aculeis confixus, capiti suo debili & malis humoribus obnoxio medeatur. Plinius l. 8. c. 36. *Eloquium Domini est super mel & favum*: quod dum avidissimè audit ac lambit Honorarius Corbiniani Vrsus, Serenitatem retinet capitis, & Pastorale sublimis conversationis *PERFICIT OPVS.* Hoc triplici xenio Clementissimo meo Principi me, totúmque nostrum Seraphicum Ordinem, quàm submississimè commendo.

Ad Reverendissimum Capitulum Cathedrale dum devotissimâ observantiæ causâ converto, *CERÆ* occurrunt *AVITÆ*, antiquissimâ nobilitate illustres, literarijs splendoribus insignes, virtute & generositate admodum sublimatæ. Scio quidem, juxta Philippum Abbatem, in cera fragili fluxam fragilitatem designari, quæ illis, qui perfectè in Ecclesia lucent, nullatenus assignatur, quos à fragili mollitie *sinceros* Divina gratia vult haberi, & puritatis gelicidio à vanorum desideriorum fluxu co-

Philippus Ab. l. de silentio c. 35. apud Raynaudum citatum fol. 94.

coërcei. Quapropter Apostolus eos instruit,& prohibens fermentari, *in azymis SINCERITATIS* diligenter admonet epulari; dátque intelligi, quia nihil aliud sunt azyma *sincera*, quàm munda conversatio *sine cera*. *Epulemur*, ait, *non in fermento veteri, sed in Azymis sinceritatis*. Non vult Apostolus nos in modum ceræ esse fragiles, sive faciles ad flectendum; nec solutos, vel solubiles ad deficiendum; recolens fortè, quòd & Poëta reprehendat *Imberbem juvenem, tandem custode remoto* qui sit *Cereus in vitium flecti*; & Propheta peccatores à facie Dei perire deprehendat, *sicut fluit cera à facie ignis*. Itaque dum Reverendissimis ac Illustrissimis meis Dominis, Dominis Canonicis Cathedralibus, *Ceram* pro xenio consecro, *Ceream candelam* supra Ecclesiæ candelabrum statuo: hæc dum accensa ardet, nolo ut aliquâ vitæ fluxibilitate deficiat; sed ut pari morum gravitate, virtutum integritate, ac generis claritate *luceat omnibus, qui in domo sunt*; adjecta epigraphe: *LVCET OPVS*. Ita me, omnésque mihi religiosâ professione in fraternâ charitate Vnitos, Reverendissimo ac Illustrissimo Cathedrali Capitulo argumentosè obligo, officiosè commendo.

1. Cor. 5. v. 8.

P. Sal. 67. v. 3.

Reliquo Venerabili Clero, in sortem Domini vocato, in Divinis laudibus occupato, in excolendâ vineâ Domini Sabaoth fatigato, pro accommodatissimo xenio adhibeo *Mel dulce de Apibus*: quod licèt olim in sacrificijs offerri prohiberetur, Divini tamen Verbi suavitatem in sacris Scripturis frequenter symbolizat, pariter & orationis. Et quod ferculum Ecclesiastico viro posset afferri delectabilius, quàm jugis Divinarum rerum meditatio, sacrarum lectionum revolutio, honestissimorum studiorum occupatio, Divini Eloquij prædicatio? *Comede fili mi mel, quia bonum est & favum dulcissimũ gutturi tuo: sic & Doctrina sapientia animæ tuæ, quam cùm inveneris, habebis in novissimis spem, & spes tua non peribit*. Et ut D. Augustinus loquitur: *Mel sapientia est, primatum dulcedinis tenens in escis cordis*. Sic, sic conditum dulci labore ac mellito studio *VIGET OPVS*.

Proverb. 24. v. 13. 14.

S. August. in Psal. 80.

Aulæ, quâ Nobilium vetustate, quâ virorum claritate, qu Ministrorum fidelitate conspicuæ, in xenium dedico occlusum canistrum; in quo *Cecropias innatus Apes AMOR VRGET HABENDI*; in quo Apes teretes hæderarum corymbos, & levissimos florentis tiliæ surculos constipantes, multiformem favorum machinam angulosis & opertis cellulis construunt. Cujus artis molimen egregius Poëta facundiâ metrica fretus, catalectico versu creditur cecinisse, cùm diceret: *Cerea gemmatis flavescunt mella canistris*. In hoc canistro quanta Plebis & Officialium Apum circa Regem suum concurrentia, apparatus, obsequendi promptitudo, honorandi industria, serviendi agilitas, supportandi alacritas, convivendi humanitas? Nemo hic livore torpeat, nemo segnitie crudescat, nemo discordijs ardeat, nemo intumescat typho, aut turbine agitetur; ubi affabilitate, consensu, prudentiâ, Eutrapeliâ & Pietate *VRGET OPUS*.

Georg. v. 177.

Et vos adeste, Civici Magistratus consultissimi Senatores: porta Alvearis vestræ concreditur vigilanti Prudentiæ, ut providè & cautè agantur omnia in civitate. Vobis, ô honestissimi Cives, operarum distributio competit, ex Apum mellificatione jucundè colluces; ut quivis industriè operi suo insistens, fruatur abundantiâ panis & pacis. Vobis, ô Deum timentes Conjugati, socialem amicitiam constituo, qua Apes modò melligeris calatharum frondibus avida viscerum receptacula certatim implere contendunt; modò flavescẽtes saliculas, & croceata genistarum cacumina circumvallantes, fertilem prædam numerosis cruribus, & coxarum oneribus advehunt, quibus cerea castra conficiant. Vobis, ô morigeri Juvenes ac castæ Puellæ, labia debentur tenerrima, quibus ex omni virtutum flore plurima Divini nectaris ac sanctæ imitationis stillicidia guttatim decerpatis. Denique si quidpiam restat aculei, id calumniosis, id detractoribus, id maledicis & blasphemis infigo in

in eorum infamiam. Ita in gloriosissimo nomine Jesu inter Apes, per singulos anni dies, per omnes vitæ annos, salutis æternæ, dum agitur, *FERVET OPUS. Vocatum est nomen eius JESUS.* O gloriosissimum, ô sanctissimum, ô dulcissimum & serenissimum Nomen! *TUA OPE FERVET OPUS* nostrum quodcunque, ad cælestis meriti augmentum patrandum: tuo *urget* amore; tuâ *viget* virtute; tuâ *lucet* claritate; tuâ *acuitur* subtilitate; tuo *plaudit* honore; tuâ *floret* Benedictione. Et quod animosè canebat Claudianus, loquens cum Honorio in personâ sui patris Theodosij, illud de sanctissimo Nomine Jesu pro felicissimâ subingressi Anni coronide adduco,

--- *Tum promptiùs ibunt,*
TE SOCIO; tunc conspicuus, gratúsque geretur.
SUB TE TESTE, Labor.

Amen.



IN EPIPHANIA DOMINI.

STRUTHIO-CAMELUS INSIPIENS.

Der unweise Strauß-Vogel.

LEMMA.

Sit tanta licentia stulto!

THEMA.

Ecce Magi ab Oriente venerunt. Matth.2.v.1.

SYNOPSIS CONCIONIS. LXVII.

Pro tantæ Festivitatis dignitate ex Struthio-cameli insipientiâ, instructâ oratione deducitur Magorum Sapientia ad quærendum, inveniendum, salutandum & adorandum Christum Regem, Dominum Dominantium.

76. Struthionis paradoxa inductio.



ET quid nobis hoc festivissimo Dominicæ Nativitatis tempore tam frequens negotium cum Indicis Colybribus, argumentosis Apibus, alijsque modicæ quantitatis (ne dicam, considerationis) volucribus? Omninò hoc maximo illucescentis Epiphaniæ jubilo, apparens aliquid & magnum ex nostra spectabili Ornithologiâ producendum est individuum, quod omnium oculos animósque suâ expleat quantitate. Rem notabilem percipite, Auditores, ex non vulgari quondam Concionatore, sequentia referente. [Quidam Doctor nomine Germanus dicit, quemlibet ipsorum (Magorum Christum ado- (Messret for. 2. Epiphan.)

Stengelius in Ovo pasch. Emb. 14.

rantium) speciale signum habuisse. Refert enim, quòd unius Regis uxor peperit filium eâdem nocte & horâ, qua Christus nascebatur, qui puer statim ut fuit natus, erectus stetit, & dixit: *Istâ nocte in Iudæa natus est nobis Salvator noster.* Et iste fuit Balthasar. Alius Rex Melchior habuit pomarium pulchrum, in quo crevit balsamum. Arbores autem balsami habent quasdam domunculas ad modum malogranatorum, in quibus est balsamum. Vnâ igitur nocte domunculâ crevit ultra morem solitum, quam Rex specialiter custodiebat: nocte verò, qua natus est Christus, aperta est, & visa est in ea columba, quæ volans dixit: *Istâ nocte natus est Salvator generis humani.* Caspar tertius Rex habuit Struthionem, qui habuit duo ova, quæ longo tempore custodivit magnâ diligentiâ. Nocte igitur, qua Christus natus est, aperta sunt, & in uno repertus est Leo, & in alio Ovis. Et audita fuit vox, quòd *hac nocte puer natus esset, qui esset Deus & Homo*; sicque per Leonem Deitatem, & per Ovem Humanitatem intellexit.] Sive vera sit historia, quam retuli, seu potiùs fabula heteroclita, per hoc tamen Struthionis ovum præcipuus nostræ Religionis articulus significatur: scilicet Christum & ob humanæ Naturæ imbecillitatem, sicut ovem aliquando ducendum ad occisionem; & ob Divinæ naturæ majestatem, leonem futurum, potentissimos suos hostes victurum; immò & quâ hominem, ob sanguinis ac virtutis generositate, Leonem esse *de tribu Iuda*; simúlque & ovem & leonem in uno supposito: ut eò trahi possit, *Leo & ovis simul morabuntur.* Sed verò dimitto prodigiosum ovi partum, & apprehendo Struthionem, verè insipientem; cui ex Jobi oraculo verissimè imponitur, quòd *privavit eam Deus sapientiâ, nec dedit illi intelligentiam.* Quanto major est Struthio molis quantitate, tanto minor est capitis mole, prudentiæ acumine, rationis usurâ; ut meritò pro Insipientiæ symbolo assignetur ex Avibus, scribatur in libris, proclametur è pulpitis. Rectè quidem hodie: nam *ecce! Magi*, qui *ab Oriente venerunt* cum muneribus suis adorare Dominum, non obstante, quòd fuerint Regum sapientissimi, de pennis insipientis Struthionis cristati eo ipso comparebunt, si instructâ oratione sapientiam Magorum ex Struthionis insipientiâ deduxero. *Sit tanta licentia stulto* Struthio-camelo, ut Orientalium regiam sapientiam illustret per suam insipientiam, in ejus nomine & apparatu, qui est Rex Regum, & Dominus Dominantium.

Apocal. 5. v. 5

Isa. 7. v. 11.

Job 39. v. 17.

Nemini vestrûm, Auditores, insolens mea videatur propositio, quòd ex Struthionis insipientiâ Magorum elucescat sapientia: *sit tanta licentia stulto*, quando etiam Deus ex sapientiâ & ignorantiâ, ex rusticitate & urbanitate, ex idiotismo & scientiâ suam concinnavit Ecclesiam. *Ecce Magi ab Oriente venerunt.* Magos eos nuncupat Evangelista, non Reges: nempe cùm & Sapientes & Reges essent, elegit Spiritus sanctus eorum titulum, in quo robusta Dei vocantis potentia magis elucesceret. Majus enim negotium facessunt vocanti Deo Sapientes, quàm Reges; majus Magi, quàm Sapientes. Id quod egregio quodam symbolo Deus ipse significavit: cùm se vilem pastorem consideraret Moyses, & legatus mitteretur ad Regem Pharaonem, timerétque ne commissa sibi legatio à Rege reijceretur, ac propterea recusaret impositum sibi onus; ait illi Dominus. *Quid est, quod tenes in manu tua? respondit, virga. Dixítque Dominus: projice eam in terram. Projecit & versa est in colubrum, ita ut fugeret Moyses. Dixitq́; Dominus, extende manum tuam, & apprehende caudam ejus. Extendit & tenuit, versáque est in virgam.* Timebat scilicet Moyses virgam regiam, & regale Pharaonis sceptrum: at verò Dominus illi ostendit in illa serpentis figurâ, potiùs timendum esse co-

77. Plus est vocasse Magos quàm Reges.

Exod. 4. v. 3.

colubrum, serpentem, inquam, humanæ prudentiæ symbolum, quàm insignè Regiæ Majestatis potentiam; majorémq; Moysi luctâ cum Magis, quàm cum Rege Pharaone esse sustinendam. Quòd si, inquit Dominus, manu tenere potes callidam Magorum sapientiam, multò minùs timenda restat magna & excelsa Pharaonis potestas. Sunt sapientes veluti angues, qui fallunt & elabuntur, dum manu firmissimè tenentur. Elabebantur Sapientes Ægyptiorum, & secum trahebant Regem, qui proximus videbatur, ut divinis præceptis obtemperaret. Majoris igitur virtutis est Magos trahere, quàm Reges; & idcircò pro extollendâ Divinæ vocationis gratiâ non *Reges*, sed *Magos* eos Matthæus appellat. Nec omittendum, quòd, cùm Moyses penetrâsset futuram difficultatem in reducendis Ægypti principibus & sapientibus, addiderit: *Mitte, quem missurus es*, ut Reges & Magos in suum trahat & alliciat obsequium. Allicit & trahit Christus: nam ecce Reges & Magi ab Oriente venerunt. *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram; servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Qui gubernatis Orbem Principes, qui judicatis terram sapientes, servite jam novo Regi, & exultate Principi sapienti. Observate mysterium, in quo laboro. Natus Salvator, Puellus Bethlehemiticus, vocat ex Synagogâ illiteratos pastores, ex populo Gentium sapientes viros accersit. Et cùm postea fundat Ecclesiam suam, simili periodo progreditur. Ex populo Hebræorum rudes & idiotas primùm piscatores eligit, è gentibus autem vocat Dionysios, Cyprianos, Basilios, Nazianzenos, ut in Ecclesia sint Pastores & Doctores. Sic, sic ex idiotismo & scientiâ, ex ignorantiâ & sapientiâ, ex urbanitate & rusticitate, ex nobilitate & ignobilitate, suam erexit & composuit Ecclesiam; ut inter urbanos & rusticos, inter rudes & sapientes, inter Magos & Pastores, inter nobiles & ignobiles una Fides, una Religio, una servaretur illibata voluntas, animorum harmonia, ordinum hierarchia. Hinc fit, ut verè posset Paulus dicere cunctis, qui in Ecclesiâ vivimus incorporati, tam ignaris quàm sapientibus: *IDEM SAPITE.*

Exod. 4. v. 13. *Psal. 2. v. 10.* *2. Corinth. 13. v. 11.*

78. *Herodis hypocrisis tribus Magis callicè [illegible]*

Idem sapite, Auditores, dum Struthionem produco, de cujus insipientia Magorum innotescat sapientia; ut ex utrâque concinnatâ mea currat ad metam cogitatio. Pierius in hieroglyphicis pro symbolo stultitiæ & stoliditatis Struthionem posuit, annotans avem esse stolidissimam: quod vel ex eo statim potest conjici, quia cùm omnibus avibus major sit, ipsi camelo æqualis (unde *struthio camelus* communiter vocatur) & altitudinem equitis equo insidentis excedens; caput tamen parvum habet ad modum *anatis*. Certum autem est, parvitatem capitis apud Physiognomicos indicare stoliditatem & insipientiam. Quæ vel maximè est in struthio-camelo ridenda, quòd indifferenter voret & deglutiat, quidquid vel appositum vel inventum est ejus rostro. Reliquæ aves nôrunt salubres escas, quas ipsis paravit DEUS: hinc ad cadavera convolant corvi, ad muscas hierundines, ad scarabæos passeres, ad frumenta columbæ, ad vermes pici, ad angues ciconiæ, ad pisces ardeæ, ad prata anseres, ad furfures gallinæ, ad canabem Acauthides, ad triticum alaudæ, ad formicas lusciniæ, ad prædas falcones, & nulla non avis salubrem appetit escam: solus struthio-camelus est insipiens; quia *Deus privavit eum sapientiâ*, ut lapides, ferrum, metalla, & quidquid indigestibile est, avidè deglutiat, deglobet, & frequenter cum manifesto vitæ periculo, suo ventriculo ad digerendum injiciat. Sed verò *sit tanta licentia stulto*, ut & sapientissimos Magos doceat crudissimos bolos in aulâ Herodis, immanissimi Iudæorum Regis, digerere ac devorare. *Ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam, quærentes, ubi est, qui natus est Rex Iudæorum? cujus stellam vidimus in Oriente.* Qui gravi siti torretur, properat ad cisternam, ad fontem aquarum viventium: Et qui fame torquetur, panis custodiam requirit.

Pierius l. 25. *Plinius l. 10. c. 1.*

quirit. Erát Magi sitientes veri Dei, Verbi Incarnati cognitionem salutarem & vivacem: ad fontem igitur properabant salientem in vitam æternam; currebant cum regio suo comitatu, in Dromedariis Madian & Epha, usque in Bethlehem, quod interpretatur *Domus Panis*, utique cælestis & Angelorum: interim dum Jerosolymis divertunt apud gentis illius Regem, excipiuntur convivio, quo & ferale poculum, intento infantum cædendorum sanguine spirans, sitibundis propinatur; & ferri acies in infantes *à bimatu & infra* olim stringendi, famelicis Advenis digerenda porrigitur. *Ite*, inquit, *& diligenter interrogate de Puero; & cùm inveneritis, renuntiate mihi, ut & ego veniens adorem eum.* O callida machinatio ambitiosi tyranni! ut enim Magos sibi redderet obsequentes & fidos, fingit se velle Christum adorare; cùm jam determinaverit in corde suo crudelissimo, *I Lictor, & ferrum cape: perfunde cunas sanguine.* Dum struthio ferrum, saxa, metalla, & quæcunque *DVRISSIMA COQVIT*, etiam Herodis nefanda dissimulatio durissima coxit odia, & internecinas inimicitias digessit animo contra Christum novogenitum, cujus externum cultum à sese regio augmento donandum simulabat. Occidit Rex Astiages barbarâ quadam feritate filium unicum Harpagi, eique occisam prolem, sapidissimo ferculo conditam, apposuit ad manducandum. *Harpagus* autem, ut scribit Justinus, *ad præsens tempus dissimulato dolore, odium Regis in vindictæ occasionem distulit.* Sic Antonius Caracalla, ut solus imperaret, Getam fratrem consortem Imperij Anno Christi ducentesimo decimoquarto, in sinu matris occidit; utque scelus pietate mitigaret, fratrem inter DIVOS retulit, dicens: *Sit divus, dum non sit vivus.* Didicit fortè hanc feralem hypocrisin uterque à turbato Herode, qui Magis se Christum adoraturum ait ut Deum; sed animo destinat, se eum velut hominem Regémque occisurum. Hoc est illud intentatum ferrum, quod Magis in Vrbe regiâ ad devorandum objectum, non nisi calidissimum struthio-camcli ventriculum exigebat pro sui digestione.

Justinus l. 1.

Spartianus in vita Getæ.

Sed & aliam adverto stultitiam, quam Hussæus Propheta inductâ similitudine proponit. *Penna struthionis*, inquit, *similis est pennis herodij & accipitris.* In Hebræo quidem hîc habentur nomina, quæ variè ab Hebraizantibus transferuntur; rectè tamen vulgatus Herodium & Accipitrem posuit; quomodo SS. PP. passim legunt. Voluit autem Deus eas aves exprimere, quæ in sublime pernici volatu feruntur, ut naturam struthionis declaret: quæ licet pennas habeat in genere pennarum similes pennis herodij & accipitris, quia verò subtiles sunt, magnæ, latæ, nec ita ventilabrosæ, *privavit eam Deus sapientiâ*, quominus possit cum herodio & accipitre in sublime evolare, cælum contingere, imò nec paululum suam molem à terrâ sublevare. *Sit tanta scientia stulto*, ut Herodi ac toti Hebræorum Synagogæ suas pennas, Magis verò pennas herodij atque accipitris accomodet. Enimverò quàm altè evolârunt illâ suâ sublimi cognitione, qua Deum Incarnatum requisiverunt in cunis vagientem? *Vidimus*, inquiunt, *stellam ejus in Oriente.* Vsque in cælum pernici volatu sese elevavit nostra indagatio, ut ex observatione insoliti phenomenis, ardentissimæ lucis, Deum requireremus in cunis, quem Synagoga & omnis populus Hebræorum nolebat recognoscere in Scripturis. Nempe id cum Synagoga Judæorum commune est hypocritis, ut quidem simulent, se velle Christum quærere, ad Christum evolare, ad cælum ascendere; & tamen dum alas quatiunt, more struthionum, vix pedem de terrâ levant. *NIL PENNA, SED VSVS* valet pennarum. *Hypocritæ*, inquit Hugo Victorinus, *habent quidem volandi pennas per speciem, sed in terrâ repunt per actionem: quia alas per figuram sanctitatis extendunt, sed curarum sæcularium pondere prægravati, nullatenus à terrâ sublevant.* Et quidem is ipse Victorinus eodem loco suum perennat discursum.

79. Synagogæ hypocrisis Christum non agnoscit. *Iob. 39. v. 13.*

Ælianus l. 14. c. 10.

Hugo Victorinus l. 1. de best. c. 37.

Sub-

Sublevare vos videtur species pennæ: sed in infimis vos deprimit pondus vitæ. Vſque adeo hypocrita cum Herode multùm conando, jactando, ſimulando & promittendo *NEC IMA RELINQVIT.* Sed & Scribæ & Legisperiti, quos conſulebat Herodes Rex, non bene volebant aſſequi ſenſû Scripturæ; quia ſola ſcientiæ licèt aliqualiter erigat, arduè tamen *NON SVBLEVAT ALA.* Et ſi hujus rationem inquiras, eam à S. Bernardo accipe. *Levat quippe cognitionis ala, sed sola non sufficit*: requiruntur etiam ſolida virtutum genera, & maximè verè Religionis ac Fidei actus; quibus cùm caruerint Legisperiti & Pontifices Judæorum, mirum non eſt, eos circa adorationem & cognitionem Verbi Incarnati tam graviter fuiſſe hallucinatos in animâ ſuâ, hyppocriticis duntaxat ſimultaribus illuminatâ.

80. Insuper ſtruthio tam contumacis dicitur eſſe visûs, ut videatur oculis potentiam generativam tribuere: nam *VISV* ſuo *FOVET* ova, & fœtum *FORMAT OBTVTV.* In noſtro propoſito *ſit tanta potentia ſtulto*, ut ſolo ſuo aſpectu in lucem edat Gentilium cæcitatem. Cæca erat Gentilitas, & cùm oculis careret, nec pedes, nec manus, denique nec alas habebat, quibus vel ad Deum recurreret, vel in Divinum obſequium munera largiretur, vel ad ſupernarum rerum cognitionem ſeſe ſublevaret. Inter alia oculorum officia & munia, quæ refert Philo clariſſimus Judæus, unum eſt, quòd uſum pedum ac manuum afferant. *Oculi*, inquit, *ut bonum quoddam publicum, his & alijs partibus præſtant facultatem perfungendi ſuis cuique officijs: id ita eſſe cæci teſtabuntur veriſſimè, quia revera nec habent manus nec pedes.* Aperuerunt oculos Magi, viderunt, & ſtatim extenderunt alas ſuæ ſapientiæ, ut evolarent in ſublime; exercuerunt pedes, ut Deum requirerent; adhibuerunt manus, ut munera largirentur. *Magi videntes ſtellam*, ut canit Eccleſia, *dixerunt ad invicem: Hoc ſignum magni Regis eſt; eamus, & inquiramus eum, & offeramus ei munera, aurum, thus & myrrham.* Habent expeditas alas, ut volent; habent agiles pedes, ut properent; habent liberales manus, ut munera ferant. Cæcus erat Herodes & omnis Hieroſolyma cum illo; & quia pennas Struthionis habebant, non volabant ſublimè, cum Magis non acceſſerunt, munera Chriſto naſcenti non dederunt. Anima, quæ infantem Chriſtum non quærit, nec manus aperit pauperi, cæca eſt; nec haber pennas, nec manus, nec pedes. Synagoga, ut ſuæ ſuccurreret cæcitati, non eſt uſa ſtellâ cæleſti, ſed facibus & laternis: unde inquit S. Auguſt. *Deus latebat in cruce, & ita ſempiternus dies membris occultabatur humanis, ut laternis & facibus quæreretur occidendus à tenebris.* Agnoſce, quàm inſipiens ſis, ô Herodes! quàm cæca, ô Synagoga! Hi orientales Ethnici etiam in tenebris ſuæ gentilitatis inveniunt Salvatorē mundi; vos autem in ſplendoribus Sanctorum, in lumine Prophetarum ignoratis Deum, & velut cæci ad parietem palpatis? S. Antonius Eremita ſilveſtrem quendam ac piloſum hominem, quaſi Faunum aut Satyrum, in ſolitudine offendit, eumque in rebus Chriſtianis inſtructum ritè baptizavit: tum ad regiam Alexandriæ metropolim converſus exclamat. *Væ tibi Alexandria! Beſtiæ Chriſtum loquuntur, & tu pro Deo portenta veneraris?* O Jeruſalem civitas Regum Iſraël, an non abſtergis cæcitatem, excitata dudum ab Iſaia Propheta: *Surge, illuminare Jeruſalem; quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt.* Quare oculos tuos claudis, ne videant ſalutare Dei? Siccine te patiaris confundi à Gentibus, quæ ex conſpectu inſoliti ſideris ſplendore properant cum muneribus ad adorandum Incarnatum Deum? Quare reijcis Bethlehemiticum illum Infantem, qui te ex Ægyptiaca ſervitute eductam, fortiſſimis mœnibus concluſit, ad ſecuritatem tuorum civium, ad terrorem inimicorum? Cave, ne id tibi contingat, quod olim Tyri militibus accidit. Cœperant iſti commilitones regiam urbem, & pactione inter ſe factâ ille decerne-

Marginalia: Cæcitas Herodis & illuminatio Magorum, quàm oppoſitæ? — Philo l. de victimas offerentibus. — S. Auguſt. tract. 111. in Ioan. — S. Hieron. in vita S. Pauli Eremitæ. — Iſa. 60. v. 1.

nebatur futurus Rex, qui primus orientem solem videret: cæteris omnibus versus ortum respicientibus, unus ad occasum se convertit; & quia super montium cacumina primò orientes solis radios contuebatur, ab omnibus proclamatus est Rex. Idipsum tibi eveniet, ô Jerusalem: dum enim promissum in Lege Messiam præstolaris ab ortu solis, hoc est, ab ortu splendidorum honorum, regiæ Majestatis, victricium armorum, præpotentium divitiarum, Salomonicæ magnificentiæ, frustraris expectatione tuâ: nam ecce gentes vertentes se ad occasum, & suspicientes culmina paupertatis, humilitatis, charitatis, cæterarúmque sublimissimarum virtutum, præveniunt te in confessione, ideóque exaltantur in gloria Religionis. Id quod vel Ecclesiasticus olim futurum prænuntiabat: *Magnalia honoris ejus vidit oculus illorum, & honorem vocis audierunt aures illorum; & dixit illis: attendite ab omni iniquo.* Ita Herodi & Synagogæ penna Struthionis, Magis verò altùm volantibus penna herodij vel accipitris debebatur.

Justinus l. 18. hist.

Eccli. 17. v. 11.

81. Magi exposito corpore animam servant.

Omnium Ornithologorum calculis struthio-camelus vel ideò maximè proclamatur insipiens, quòd cùm sit grandi corpore & parvo capite, dum caput suum intra fruteta, cavernam, vel aliquod obscurũ foramen occultat, existimet, se totâ corporis mole esse occultatum: quia nempe *Deus privavit illum sapientiâ. Sit tanta licentia stulto.* Sic *FALLIT OPINIO* cæca, ut Magorum per hujusmodi occultationem elucescat sapientia. Magna quædam res est, ut Reges Arabiæ philosophentur, juxta nomen suum, quo Magi & Sophi nuncupantur. Aliò collimat Athleta, aliò collimat Philosophus: diversam utriusque conditionem describit Philo. *Athletæ anima differt ab anima Philosophi: nam athleta omnia refert ad bonam corporis habitudinem, cui vel animam ipsam impenderit, ut amator corporis: at Philosophus, cùm sit honestatis amator, curam gerit eius, quæ in se vivit, animæ, neglecto mortuo corpore; non aliud spectans, quàm ne quid optima anima patiatur à colligato sibi malo cadavere.* Athletarum more procedebant Herodes ac cives Solymorum, qui ne sibi nocerent, & in itinere incommodarent, de itinere non cogitaverunt: prætulerunt corpus animæ, quam in ejus gratiam impenderunt & perdiderunt. Nempe corpus occultârunt, expositâ animâ. Longè aliter se gesserunt regales Philosophi, amatores honestatis, qui exposito atque neglecto corpore molestias longi itinèris non curârunt; immò periculis amittendæ vitæ se exposuerunt, cùm in alieno regno Regem alium contra Herodem Tyrannum proclamârunt: *Vbi est, qui natus est Rex Iudaorum?* Curam gerebant animarum, quas habebant; & nihil aliud spectabant, quàm ne immortalis animæ jacturam & detrimentum paterentur. In gratiam animarum, quas occultant & salvas volunt, præstant totum quod habent, exponunt corpora, queîs gravantur; quando *Apertis thesauris suis obtulerunt munera, aurum, thus & myrrham.* Quòd si *responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam*; non corpori consuluerunt, sed animæ; cui semel ad Deum conversæ, regressus ad priora negatur & prohibetur. Hoc verè est Reges philosophari, saluti & incolumitati animarum suarum juxta formam & præscriptum Magorum providere. *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* *Matth. 16. v. 26.*

Philo 2. de legis allegorijs

Est & alia stultitia sub sole, quam struthio-camelus exhibet, *quòd alas habeat, & volare non possit.* Describit Xenophon mirabilem agilitatem, qua ingens illa bellua pollet: est enim semiavis & semianimal terrestre, eáque gravitas subsidet in corpore Struthionis, ut haud possit se attollere ad altè volandum; sed tamen ita volitat, ut nemo ipsum assequi possit: frustra citato cursu ruas, non valebis illum apprehendere; nam ex parte imis plantis subsultans, ex parte volitans, equorum & aliorum animantium omnium pernicitatem superat. Hoc insu-

82. Regiam dignitatem Christus obtinuit currendo.

Xenophon l. 1. de Cyri expeditione.

ſuper obtinet admirabile, quòd in via fugiens, lapides ungulis biſulcis comprehendat, & in conſequentes projiciat. Alis itaque utitur Struthio non ad volandum, ſed ad agiliter currendum. Propter quod divino teſtimonio, Iob. 39. v. 18. *In altum alas erigit, & deridet equum & aſcenſorem ejus:* velociùs enim currit alis erectis, quam velociſſimus equus. Sed iterum *ſit hac præſumptio ſtulta*, ut volatili ejus curſu ad Regem Chriſtum cum Magis ſapienter deveniamus. S. Iſid. l. 18. orig. c. 7. In qua via occurrit Iſidorus de ludo Gymnico dicens: *Gymnicus ludus eſt velocitatis, ac virium gloria.* Alio vero capite: Idem c. 18. *Genera Gymnicorum quinque, ſaltus, curſus, iactus, virtus, atque luctatio. Vnde ferunt, quendam Regem tot filios adoleſcentes habentem, totidem generibus de regno tuſſiſſe contendere.* Novimus ſapientiam Patris in mundum Proverb. 8. v. 30. veniſſe ad ludendum; ait enim in Proverbijs Salomonis: *Delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum.* Exercet gymnicum ludum pro regno, cùm dicit de Iob. 1. v. 21. ſe: *Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ.* Quòd ſi autem ludus gymnicus eſt velocitatis, ac virium gloria; audiebamus nuper cani, Iſa. 9. v. 6. *Gloria in altiſſimis Deo.* De quo Iſaias proteſtatur: *Vocabitur nomen eius admirabilis, Deus fortis.* Et ut conjungat cum viribus velocitatem, alio loco idem Propheta ait: Iſa. 8. v. 3. *Voca nomen eius, Accelera, ſpolia detrahe, Feſtina prædari.* Porro debetur regnum huic Infanti juxta Gabrielis oraculum: Luca 1. v. 32. *Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus ſedē David Patris ejus & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Itaque Infans Bethlehemiticus ad regnum veniſſe videtur per omnes ſpecies ludi gymnici: nam primò venit ad regnum per *SALTVM*: Cant. 2. v. 8. *Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles.* Deinde venit per *CVRSVM*, Pſal. 18. v. 6. *Exultavit ut gigas ad currendam viam.* Inſuper per *IACTVM*: nam fatetur, Pſal. 21. v. 11. *In te proiectus ſum ex utero.* Præterea etiam per *VIRTVTEM*, ſeu potentiam motivam; nam teſtimonium perhibet regius Pſaltes: Pſal. 23. v. 10. *Dominus virtutum, ipſe eſt Rex gloriæ.* Denique etiam per *LVCTAM*: quia Iob. 7. v. 1. *Militia eſt vita hominis ſuper terram*, ſimul & lucta; *regnabit in domo Iacob*, hoc eſt, *luctatoris.* Non eſt, cur de regno contendant Reges omnes, cùm ſit pro Pſal. 94. v. 6 & 3. meritis Rex, de quo David: *Adoremus Dominum, qui fecit nos. Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus ſuper omnes Deos.* Dum ergo CHRISTUS regnum & Principatum ſuum obtineret per omnes ludos gymnicos, & natus eſſet in Bethlehem Juda, ecce Magi ab Oriente venerunt Hieroſolymam, dicentes: *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum.* Cedunt CHRISTO, ſub cujus Majeſtate nec nomen ſibi regium convenire ſentiunt; unde & *Magi*, non *Reges* appellari gaudent. Solus Rex CHRISTUS eſt; *& procidentes adoraverunt eum.* Nec caret myſterio, quòd Reges illi ab Oriente veniſſent verſus Occidentem. Facit ad hoc, quod apud eundem Iſidorum obſervatur. Iſidorus l. 18. orig. c. 40. *Pedites aiunt, propterea pede currere, quia pedibus curritur in mortalitati; ob hoc à ſuperiore parte ad inferiora, id eſt, ab Oriente ad Occidentem: quia mortales oriuntur & occidunt.* Moriuntur & occidunt Reges, & idcirco ab Oriente ad Occaſum venerunt. CHRISTUS *à DEO exivit, & ad DEVM vadit:* ſemperque verſatur circa ſuum Orientem, quia *regni eius non erit finis.* Finis vitæ mortalis in CHRISTO fuit, ſed non regni; ſicut titulus Cruci impoſitus facilè declarat, & antiquum illud vaticinium, *regnavit à ligno DEVS*, planè confirmat. Itaque pedibus gymnicis currit CHRISTUS, ut obtineat Regis excellentiam: currunt etiam cum muneribus Magi, ut ſupremum Regem adorent. Quis neget, curſum ſtruthio-cameli eſſe magnæ ſapientiæ Magiſtrum? ſublimis myſterij modiperatorem? *quando in altum alas erigit; & deridet equum & aſcenſorem eius.*

83. Munera Magorum myſtice expenduntur. Expreſſo aſteriſmo notatur à ſacra Scriptura alia Struthionis inſipientia; quòd *derelinquit ova ſua in terrâ; obliviſcitur, quod pes con-*

Iob. 39. v. 15. culcet ea, aut bestia agri conterat illa. Fœcundissimus est inter aves struthiocamelus, adeò ut pluſquam octoginta ova ex ſe ſe pariat, juxta Ælianum; nullum tamen eorum protegit aut fovet, ſed omnia in terrâ aut pulvere relinquit; non attendens neque curans, quòd viatorum pedibus aut beſtiarum inceſſu conculcentur vel diſſipentur. Mirandum ſanè, quòd ova, quæ magno peperit dolore, omni curâ deſtituat! Nec tantùm ova negligit, ſed etiam pullos jam ex ovis enatos; relinquens Rectori Mundi negotium, ut ſi velit hanc Struthionis ſpeciem inter animantia conſervare, Solis calore ipſemet foveat & excludat. Interim tamen etiam ovorum reſtæ non ſunt reijciendæ: nam Plinio teſte *Præmia ex ijs ova propter amplitudinem à quibuſdam habita ſunt.* Veruntamen *ſit tanta licentia ſtulto*, ut per eam eniteat Magorum ſapientia: qui munera ſua exponunt in ſtabulo, nec conſiderant, *quòd pes* bovis aut aſini juxta Domini præſepe *conculcet ea.* Erant hæc munera à camelis aſportata, velut *præmia ex ijs ova propter amplitudinem*, ab æterni Verbi Sole in zabulo Naturæ aſſumptæ fovenda in gratijs & affectu: erant divitiarum ova, quibus propter amplitudinem Magi ſibi cæleſtia præmia comparare ſatagebant. O inaudita operatio! *Si legimus Iſaiam*, inquit ſanctus Hieronymus, *quomodo cameli Madian & Epha veniant Ieruſalem cum donis atque muneribus; & qui priùs curui erant, & vitiorum pravitate diſtorti, ingrediantur portas Ieruſalem: videbimus, quomodo & iſti cameli, quibus divites comparantur, cùm depoſuerint gravem ſarcinam peccatorum, intrare poſſint per anguſtam portam.* Et quidem offerunt non arte facta munera, ſed qualia natura produxit; ut naturalis thuris oblatione CHRISTVM ſuapte naturâ DEVM, auri verò naturalis & myrrhæ præſentatione naturâ Hominem & Regem eſſe declararent. Naturâ DEVS eſt, *qui cùm in formâ DEI eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem DEO.* Naturâ Rex eſt, qui non votis nec ſuffragijs populorum, ſed communione Eſſentiæ, qua ſubſiſtit cum æterno Patre, procedit Rex; & ideo in Pſalmis affirmat de ſe: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo.* Naturâ quoque Homo eſt; ita enim teſtatur idem Pſalmiſta: *Nunquid Sion dicet, Homo, & homo natus eſt in ea, & ipſe fundavit eam Altiſſimus?*

Ælianus l. 14. c. 19. 20. 31.

Plinius l. 10. c. 1.

S. Hieron. in c. 19. Matth.

Philip. 2. v. 6.

Pſal. 2. v. 6.

Pſal. 86. v. 5.

84. Dei, Hominis ac Regis in Chriſto conjunctio.

Cùm aſſeveramus id, quod valdè certum & verum eſt, utimur repetitione: juxta quam formam loquendi etiam atque etiam hominem Chriſtum appellat David. Qui ſæpè dixerat in Pſalterio, *DEVS, DEVS meus*; nunc aſſerit, *homo, & homo natus eſt in eâ*; ut æquè certum, DEVM verum de DEO vero, & verum hominem natum eſſe ex Virgine, credamus atque ſentiamus. Thus debetur CHRISTO, qui jure naturæ eſt ſplendor Patris, & Lumen de Lumine; aurum ipſi, qui conceptus eſt de Spiritu ſancto: myrrha apprimè cadit in Filium Virginis, in cujus conceptu & ortu corrupta Mater non eſt, ſed ſemper incorrupta permanſit. Nec vacat myſterio, quòd eſſe naturâ DEVM, per odoriferum ſignificetur incenſum; & eſſe hominem, declaretur per myrrham, quæ ex ſe emittit odorem: cùm tamen aurum non oleat, cujus oblatione Rex ſignatur & declaratur. Dum enim CHRISTVS eſſet in mundo, DEVS & homo haberi voluit, Rex autem haberi noluit: unde cùm inferret ex dictis Præſes, *Ergo Rex es tu?* reſpondit, *regnum meum non eſt de hoc mundo*: & cùm vellet populus eum rapere ad regnum ac coronam capiendam, in montem fugit, & fugâ ſibi conſuluit. Ergo cùm in mundo degens CHRISTVS redolere Regem nollet, auro ornatur: quia verò DEVM & Hominem ſemper redolere cupiebat, admittit aromata thuris & myr-

Ioan. 18. v. 36.

myrrhæ, ut eorum perceptâ fragrantiâ *DEVS HOMO* cognoſcatur & colatur. Alludit indubiè huc S. Paulus, ad Corinthios ſcribens. *Deo autem gratias, qui ſemper triumphat nos in Christo, & odorē notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco; quia Chriſti bonus odor ſumus Deo, in his, qui ſalvi fiunt.* In quæ verba S. Cyrillus ſic commentatur. *Quomodo Chriſtus non eſt Deus, ſiquidem ipſe eſt odor notitiæ Patris? Non enim in hominis natura divinæ naturæ fragrantiam quis conſideraverit, ſed quemadmodum humanitatis fragrantia ſignificat omnino hominem, ita & Deitatis Deum.* Humilis Deus, & humilis Homo, hodie colitur ac celebratur; qui cùm tantus ſit Rex, ſine ullo Majeſtatis faſtu viſus eſt: & qui cultores ejus exhibentur, cùm Reges ſint, regiam tamen non oſtentant Majeſtatem; ſed Magorum nomine contenti, ſapienter naturalem ſuum Deum, Hominem & Regem adorant. Aurea hæc virtus eſt, ſic hominem habere regnum, ſic illud regere ac gubernare, ut nec minimum oleat ſuperbiam, ſed Chriſti redoleat humilitatem.

2. Corinth. 2. v. 14.

S. Cyrillus ſuper 2. Corinth.

85. Stella viſa quid effecerit.

Hugo Cardinal. ſupra cap. 2. Ep. 2. ad Timoth.

Cum quo non transgredior aliam proprietatem Struthionis, juxta Hugonem Cardinalem, quòd ſcilicet *viſu ſuo ſovet ova ſua.* Stolidus Struthio ponit in arenâ ovum, illúdque intenſiſſimè intuetur, quaſi ſolo ſuo calidiſſimo intuitu vellet excludere pullum, à teſtâ contentum. Cita us Hugo moraliter id refert ad Sanctorum præſentiam; *Viſus enim Sanctorum & pia eorum admonitio multùm confortant, & juvant ad gratiam confirmandam & obtinendam.* Vt Abbas Theſaurus explicaret, quantum roboris contulerit filijs ſuis amantiſſimis, propter patrias leges ad carnificinam ductis, ſola Matris Machabæorum præſentia & obtutus, pulchrè ſic loquitur verſu.

Theſaurus in Genealog. Chr.

Spectat ſuos Heroas, ſpectata Herois.
Se ipſam in ſingulis miratur;
Et ſingulos TVETVR DVM INTVETVR,
Afra Volucri ſimilis; quæ alumnos OBTVTV FORMAT.

Quantùm putatis effecerit in tribus Magis, ex Arabiæ & Perſiæ finibus ad Bethlehemiticum præſepium ductis, obtutus ſtellæ? *Videntes ſtellam, gaviſi ſunt gaudio magno.* Quia nempe videbant & parturiebant Chriſtum, tanquam pullum informem, in cordibus ſuis, a tanto luminis ſplendore illuſtratis. At vero Herodes cum Jeroſolymitanis nec ſtellam vidit, nec lumen ex alto recepit; ideóque non pullum bonum, non Chriſtum parturiunt, ſed crabrones & ſcarabæos, vermes mordentes ac venenatiſſimos angues, paulo pòſt viſcera matura diſrupturos, & in innocentium Puerorum cædem excurſuros: tunc præſertim, quando infremuit tyrannus, *videns, quòd illuſus eſſet à Magis.* Sed & ſtella cæleſtis, aut magis rectè oculus Dei *DVM INTVETVR* Magos ex alto, *TVETVR* ab inſidijs, quas eiam paraverat vulpes Hebræa. Salvianus exponens illud Pſalmi 32. *Oculi Domini ſuper metuentes eum, ut eruat à morte animas eorum*; præclarè ſic ait. *Ecce, cur aſpicere juſtos homines Deus dicitur? Vtique ut conſerves ut protegas. Aſpectus enim Divinitatis propitiæ, munus eſt conſervationis humanæ.* Diſcite & hanc brevem ſapientiam abſtractivam à longa ſtultitia intuitiva Struthionis.

Salvianus l. 2. de Gubernat. Dei.

Eluxit hactenus ex Struthionis *ſtultitiâ* Magorum ab Oriente ad præſepe Domini venientium *ſapientia*; & quidem conceptibus ad eam illuſtrem ſolennitatem Epiphaniæ accomodatis. Sed nunquid etiam nos aliquando ex noſtræ inſipientiæ tenebris eluctabimur, ut cum Magis inquiramus, agnoſcamus, & adoremus Deum noſtrum? Non habuerunt Magi Angelum vocantem, quemadmodum Paſtores; ſed videntes ſtellam inſolitam, erraticam, atque ex terræ elevatis halitibus accenſam, *gaviſi ſunt gaudio magno valde.* Nos autē infallibilem habemus ſtellam, ducē Eccleſiam, quæ ſuis præceptis & conſilijs nos ad Chriſtum dirigit; & minùs errare poteſt aut ſeducere, quam illa ſtella: ſiquidem ſtella dirigebatur ab Angelo, Eccleſia autem dirigitur à Spiritu S. Et tamen quam modicè ſuſpicimus hoc lumen?

86. Antitheſis inter Magorum & noſtram Religionem.

quàm leviter contemnimus ejus regulas, & præcepta? quàm parùm observamus ejus constitutiones? Cum Herode manemus in antiquo nostro statu, nec loco propinquiùs movemur ad Christum; ut in nos cadat illud D. Cypriani effatum: *Non habebit Deum Patrem, qui Ecclesiam habere noluerit Matrem.* Magi in dromedarijs, veloci gressu jumentis, inediæ ac sitis patientissimis, intra tredecim naturales dies cum maxima sua discommodatione longissimum iter confecerunt; properarunt, advolarunt ad cunabula Salvatoris. Pari quidem velocitate nos utimur ad tripudia, ad choreas, ad convivia, ad pompas sæculi; sed verò dum ad audiendum Sacrum, ad Concionem, ad Divinum officium, ad Christianas devotiones pulsatur campana, quàm tardi adrepimus in postâ bubulâ? quàm difficulter pedem de terra levamus? quàm frequenter serò venimus, aut omninò non accedimus? quàm ægrè & tædiosè Divinis rebus interfum? ut meritò in hujusmodi refundi debeat indignatio Ecclesiæ *d. 3. de consecratione. c. missas. & c. sacerdote ibidem.* Magi in Bethlehem tam diu morati sunt, donec à Domino dimitterentur, responso accepto in somnis per Angelum. Nunc si tardigradi boves ad finem missæ saltem persisterent, aliquid hoc esset: sed quàm multi sunt, qui responsum Angeli, hoc est, sacerdotis dimittentis plebem (canendo, *Ite missa est*; quod dicitur: *Ite, plebs dimissa est*) non expectant, sed factâ elevatione mox aufugiunt, quasi lupum vidissent. Magi investigant & quærunt Christum, etiam cum manifesto vitæ periculo: quomodo enim libenter audiret Herodes, adesse in regno, quod ipse per tyrannidem interfecto Hircano invaserat, Regem alienum, & Regem natum se majorem? quomodo non impendebat mortis periculum ijs, qui alienum Regem coram Herode vel nominarent? Et tamen perrexerunt intrepidi, ac posthabitâ suâ vitâ, Christum proclamârunt Deum & Regem: *Venimus eum muneribus adorare eum.* Nos ob vanissimos respectus, ob modicum frigus, ob levem infirmitatem, ob exile periculum, Christum in Templo, in Sacro, in Concione, in rebus Divinis omnino negligimus. Magi propriam quietem & domesticas commoditates Christo posthabuerunt, suscepto asperrimo itinere, & impensis maximis adhibitis. Nos propter levissimam & frivolam negotiationem à divinis abstrahimur, & retinemur: pro exiguo lucro pretiosam margaritam dimittimus. O infelix negotiatio! Magi tanquam potentissimi Reges, magnifico comitatu stipati, intrant stabulum; procidentes adorant Christum, adhuc puerulum, pauperem, vagientem, abjectum, nulla adhuc facientem miracula, nullo Divinitatis splendore conspicuum; nos post tot Divinitatis argumenta cum quantâ dissolutione & irreverentiâ assistimus Sacrificio, venerabili portato Sacramento! Magi in contestationem suæ submissionis obtulerunt munera, aurum, thus & myrrham, & thesauros suos aperuerunt: nos ad altare non offerimus munus dignum, sed nec de thure orationis, nec de myrrha mortificationis, nec de auro charitatis quidpiam præsentamus! Magi reversi sunt per aliam viam in regionem suam, non divertendo ampliùs ad Herodem, sed longiùs ab eo recedendo: nos post Confessionem, aut sacram Comunionem, revertimur ad Herodem impium, superbum, hypocritam, crudelem, iracundum, lascivum, malitiosum, denique ad ipsum diabolum, ad peccatum, ad pristinum hominem!

Habetis ergo, Auditores charissimi, insipientiam Struthionis; ut sicut ex ea inclaruit sapientia Magorum, ita & vos ex eorum multiplici virtutum claritate incipiatis sapere, sed sapere ad sobrietatem; sicque pari Religionis cultu inveniatis, & adoretis Christum Salvatorem in Bethlehem, qui tanquam invictissimus *Leo* de tribu Juda, furentem Herodem, hoc est, potestatem tenebrarum eneruat; & tanquam mitissimus *Agnus* Dei, delet, tollit, & absolvit peccata Mundi.

Amen.

IN

IN FESTO S. SEBASTIANI MARTYRIS, PATRONI PRÆSENTISSIMI CONTRA CONTAGIOSAM INFECTIONEM.

QVETZALTOTOTL PENNIPULCHRA.

Der schöngefiderte Gold-Vogel.

LEMMA.

Alatis volat effertúrque sagittis. Musæus.

THEMA.

Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam. Thren. 3. v. 12.

SYNOPSIS CONCIONIS LXVIII.

Ex alatis & pennipulchris S. Sebastiani Martyris, quibus *volat effertú que, sagittis,* duæ duntaxat protrahuntur speciosiores, *Amoris* scilicet & *Furoris*, quarum reciprocatio & gloriosam exhibet in martyrio victoriam, & universale in pestiferâ calamitate patrocinium.

87. S. Sebastianus volantibus Sagittis confixus Pennipulchræ Avi similis.



Um pennipulchram appellò Quetz ltototl, videor vobis Avem afferre ex remotissimis Tecolotlani terris rarissimam, quæ omnes alias incomparabili suâ pulchritudine longè antecellit; ac etiam Americanos psittacos, & Indicos corvos, æmulatione ipsâ reddit admodùm sibi posteriores. Crista ejus constat splendentibus atque pulcherrimis plumis, pectus collùmque infernè rubris & micantibus, ac pavoninis supernè pennis; qualibus etiam tegitur dorsum, nec non & partes, quæ subter alas sunt. Videres iridem in caudâ multicolorem, ver in alis virescens, in plurimis pennis æstatem auricomam. Nolo excurrere in compendioso hoc vivacissimorum ac sublimissimorum colorum compendio curiosior, quando Joannes Eusebius Nierenbergius æstimationem ejus taliter exponit venalem. *Plumæ hujus Avis maximè æstimantur apud indigenas, ipsisque auro præferuntur* (ut meritò possint Auricomæ nuncupari) *nempe longiores ad cristas, & alia capitis ac universi corporis, belli pacisque ornamenta: cæteras verò ad textilia opera & rerum quarumvis, sed præcipuè Deorum exprimendas formas adhibent.* Nierenb. hist. nat. lib. 10. c. 50. Nisi scirem, gloriosissimũ & invictissimũ Martyrem S. Sebastianum esse civem Narbonensem, ex Mediolanensibus parentibus, nobilitate clarissimis natum; nisi constaret, S. Sebastianum primæ cohortis obti-

here principatum sub Diocletiano dirissimo Imperatore; nisi perspicerem, S. Sebastianum esse Virum, ætate bene grandævum, in sermone veracem, in judicio justum, in consilio providum, in commisso strenuum, in interventu fidelem, in bonitate conspicuum, in universa morum honestate præclarū: jurarem certè, eum præfatam pennipulchram, auricomam, & pretiosissimam esse *Quetzaltototl*. Tamenim ornatis, coloratis, pennatis, speciosis, aureis & deargentatis confixus resplēdet sagittis, *ut si non videas* cruentas ejus in humano corpore plagas, *esse putabis avem*. Ne mitemini, Auditores, si vobis suspiciendus exhibeatur S. Sebastianus, nunc in Altari supremo sublimis, nunc in holoserico vexillo gloriosus, nunc in argenteis statuis pretiosus, nunc in facundis suggestibus redivivus, nunc in votis & clientum suspirijs gratiosus, nunc in cælesti gloria triumphans: non, inquam, admiremini Sebastianum tam agilem in suis picturis, tam elevatum in sua virtute, quæ *ab illo exibat, & sanabat omnes*; nam sublimè & speciosè passim *ALATIS VOLAT EFFERTVRQVE SAGITTIS*. Has alatas sagittas è suo corpore vel excrescere vel prominere suspexit, dum propter constantem Christianæ Fidei confessionem sagittis confixus est S. Sebastianus, sub Diocletiano immanissimo tyranno; ita ut accommodè sibi potuerit invictissimus Martyr sub illo difficillimo agone appropriare id, quod olim illachrymans Propheta tum super suasmet, tum super Populi Israëlitici calamitates ingemuit: *Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam*. Non possum me cohibere, quin duas saltem alatas sagittas huic pennipulchræ avi extraham; *Sagittas* scilicet *AMORIS*, & *FVRORIS* Domini: quæ licèt omninò sibi sint in splendore opposita, vobis tamen videbuntur ex eadem pharetra protractæ, si sagittam Furoris Domini S. Sebastianus converterit in sagittam Amoris, & sagittam Amoris in sagittam Furoris; prout profectò affectuosa hac oratione convertet in nomine Salvatoris nostri Jesu Christi.

88. *Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad Sagittam.* Notat Lorinus, quòd Jovem, Apollinem & Cupidinem, ferè cunctæ Gentes arma verint arcu & sagittis, quæ feriunt eminus: Jovi arma illa dederunt ob facultatem puniendi, Apollini propter vim persuadendi, Cupidini propter vim ad amorem alliciendi & impellendi. Miranda sunt, quæ de peritis & admirandis legimus Sagittarijs, quolibet ictu scopum intentum configentibus. Tales erant Incolæ insularum Balearium, qui pueros suos ita in arte jaculandi exercebant, ut cibum eis non darent, nisi priùs eum sagittâ tetigissent. Gabaonitis Sacra Scriptura attestatur, eos ita fuisse jaculandi arte gnaros, ut etiam à pilo non aberrarent. Celebratur à Manilio & Valerio Flacco in Argonautis Alcon Cretensis sagittarius accuratissimus, qui cùm vidisset Filium Phalarum à serpente complexum, adeò certo ictu serpentem percussit, ut immissâ ei sagittâ filius illæsus evaderet: unde Virgilius ait:

Sagittarij excellentissimi.

Iud. 20. v. 16.

Virg. ecl. 5.

Aut laudes Alconis habes, aut jurgia Codri.

Laudatur ab Herodoto Cambyses Persarum Rex, qui Prexaspis filio, in vestibulo Regiæ constituto, medium cor sagittâ transfixit. Commendatur à Suetonio Domitianus Imperator, quòd quarumcumque ferarum capita tam directè sagittâ feriebat, ut duobus jactibus quasi duo cornua efficeret: quandoque in pueri procul stantis, præbentisq; pro scopo distensam dextram, sagittas tantâ arte libravit, ut omnia digitorum intervalla digitis intactis contingeret. Simile est, quod faciunt malleatores æris Dionanti, qui inter duos pollices locum malleo percutienti ostendunt & præbent; quem percussores ita certo & continuo ictu feriunt, ut ab hominum memoria in tanto numero vix ullus sit inventus, qui errarit, & pollicem tenentis æs tetigerit & læserit. Prædicatur etiam Commodus Imperator; qui volantes grues

grues telo configebat; centum ictibus in arenâ totidem feras stravit, & quidem subinde tam validè, ut multas conficeret uno ictu: adeò certa fuit ei manus, ut quidquid oculo destinâsset, jaculo aut sagittâ contingeret. Parthi in jaculando tam fuerunt certi & expediti, ut fugientes etiam configerent hostem à tergo. Verumenimverò hos omnes Sagittarius Deus & dexteritate jaculi, & ictûs certitudine longè in immensum superat: ipsius

Psal. 119. v. 4

enim sagittæ, sunt *sagittæ potentis acutæ*: arcus ejus nervosissimus est, & à nemine mortalium confringetur: pharetra tantis est jaculis inplumata, ut nullo possit discrimine exhauriri.

89. Sagittæ Domini sunt Christus ejusq; virtutes, apostoli, verbũ Dei, & præsertim Amor.

Facessant inermes Joves, inanes Apollines, iniquæ Cupidines; quando Sagittarius Deus *tetendit arcum suum*, ut sagittet in occulto rectos corde sagittâ Amoris sui Divini indeclinabili, inevitabili. Innumeras habet sagittas Deus, quas vel in amicos infigit, vel in suos intorquet hostes: *Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, in corda inimicorum Regis.* Acuta sagitta Dei est ipsemet Christus, juxta illud Isaiæ vaticinantis. *Et posuit me sicut sagittam electam; in pharetrâ suâ abscondit me:* ut notant SS. Hieronymus, Basilius, Didymus, & alij. Sagittæ acutæ Dei sunt etiam virtutes Christi: nam ut Origenes & Eusebius ajunt, justitiâ Christus injustum ferit, prudentiâ imprudentem, temperantiâ intemperantem, castitate mœchum, fortitudine timidum, mansuetudine iracundum, & fide infidelem. Emittitur autem ante omnes fidei sagitta; oportet siquidem primùm credere, *quòd Deus est.* Sagittæ insuper acutæ Dei, sunt Apostoli per universum orbem dispersi, & illum divino amore saucian-tes. De S. Paulo ait Hieronymus: *Paulus sagitta fuit Domini, qui postquam ab Hierosolymis usque ad Illyricum missus arcu Domini, huc illucque volitavit, ad Hispanias ire festinat: ut velox sagitta sub pedibus Domini sui Orientem Occidentémque prosternat.* Certissima, acutissima, & penetrantissima Potentis Dei sagitta est Verbum Dei; quippe testante Doctore Gentium *efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritûs, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis.* Hisce Verbi Dei sagittis vulnus amoris accepit Sponsa, quæ tam ardenter post Dilectum currit, & præ amore languet; ut S. Gregorius Nyssenus vocet præclarum vulnus, dulcem plagam, per quam vita ad interiora penetrat. Ab hisce Verbi Dei sagittis D. Augustinus ad aliam me dirigit sagittam, quam videor in effervescente corde sentire, antequam vulnerer. *Sagittæ*, inquit, *potentis acutæ, Verba Dei sunt. Ecce iaciuntur, & transfigunt corda: sed cùm transfixa fuerint corda sagittis Verbi Dei, Amor excitatur, non interitus comparatur. Novit Dominus sagittare ad amorem; & nemo pulchriùs sagittat ad amorem, quàm qui verè Verbo sagittat: imò sagittat cor amantis, ut adjuvet amantem; sagittat, ut faciat amantem.* Hâc sagittâ Divini Amoris vulneratus Jeremias dicebat: *Non sum turbatus, te pastorem sequens, & diem hominis non desideravi; tu scis.* Hac sauciatus David dulciter suspiravit: *Adhæsit anima mea post te.* Hac Petrus: *Domine, tu scis quia amo te.* Hac Paulus: *quis nos separabit à charitate Christi?* Hac sancta Theresia, Virgo Seraphica: *Domine, aut pati, aut mori.* Hac sagittâ confixus fuit S. Augustinus, audiens conversionem duorum aulicorum, qui legentes vitam S. Antonij Eremitæ, relictâ aulâ, Deo in solitudine se consecrârunt. Hac sagittâ icta S. Maria Magdalena, fluvios lachrymarum profudit: erant enim ejus lachrymæ *sanguis cordis vulnerati*, qui per oculos largiter profluebat. Hæ sunt sagittæ Amoris Divini, statuentes sibi medullam cordis humani pro scopo, in quem collineant; pro signo, in quod collimant, ut vivificent occidendo, ut sanent configendo. *O quàm beatum, hâc sagittâ Divini Amoris vulnerari!* exclamat Mediolanensis Præsul & Doctor. Quid! quòd sagitta Divini Amoris

Marginal notes: Psal. 44. v. 6. — Isa. 49. v. 2. — S. Hier. ep. 140 ad Principiam. — Hebr. 4. v. 12. — S. Greg. Nyss. hom. 4. in Cant. — S. August. in Psal. 119. — Jer. 17. v. 16. — S. August. l. 8. confess. c. 6. & 8. — S. Ambrosius exhort. ad Virg.

moris secum ferat mœrores, ærumnas, nuditatem, paupertatem, afflictionem, persecutionem, dolores, tormenta, vulnera, & qualcunque animi desolationes, contemptus, calumnias, odia hominum, carceres, lancinationes, crudelitates, & quælibet adversa; quæ Deus vel à dæmone, vel à carne, amicis, inimicis, maledicis permittit infigi, ut sagittet cor amantis, adjuvet amantem, faciat amantem. *Quàm beatum, hâc sagittâ Divini Amoris sagittari*: quandoquidem Aponius ad præsens institutum affectuosissimè sentiat; quòd *Martyribus convertantur Amphitheatra in Paradisum; craticulæ & sartagines in mollissimam plumam; flammarum globi in gratissimos flores, liquefactum plumbum in balsamorum unguenta. Ipsa quoque mors pro Christo suscepta, omni gaudio, omníque jucunditati, & affectu pretiosissimo lapidi pretiosior anteponatur.*

Aponius lib. 5 in Cant.

90. S. Sebastiani compendiosa vitæ ac martyrii inductio.

Sensit hanc Divini Amoris sagittam gloriosissimus Martyr Sebastianus, foris in carne, intus in corde: & ita sensit, ut jam non amanter sed furiosè cum illo egisse videatur Amor. Enimverò tunc Romanus Pontifex erat Cajus, vir magnæ prudentiæ atque virtutis, imperantibus Carino, Diocletiano & Maximiano. Sed Diocletianus in Vrbe erat cum Maximiano; Carinus autem cum omni exercitu in partibus Galliarum positus, fortissimè in Imperij hostes animadvertebat; ejus tamen intuitu lenta Diocletiani persecutio in Christianos sæviebat, quia Carinus quosdam numerabat amicos, quos Christiani nominis professio decorabat. Occiso proinde Carino in Civitate Moguntina, cùm Maximianus & Aquilinus consulatu fungerentur, tam crudelis & furiosa exorta est persecutio contra Christianos, ut nullus emeret vel venundaret aliquid, nisi qui statunculis positis in eo loco, ubi emendi gratiâ conventum erat, thuris exhibuisset incensum. Circa insulas, circa vicos, circa nymphæa quoque erant positi compulsores, qui neque emendi copiam darent, nec hauriendi aquam tribuerent facultatem, nisi qui priùs idolis delibassent. Hoc medio vel debebant fame sitiq; perire, constantes Christiani; aut si nollent adolere incensum, eo ipso se manifestare tales, ut raperentur ad tribunalia, carceres, equuleos, nervos, catastas, gladios, flammas, tormenta, denique ad crudelissimas neces. Tam furiosa erat illius temporis persecutio, quam cum alijs invictissimis Christi Martyribus etiam infracto animo sustinebat SEBASTIANVS. Nec tamen interim à ferventissimo suo zelo remittit hilum: nam divinâ vulneratus charitate non tantùm pericula aggreditur, verú etiam adversa quælibet sustinet pro veri Dei & Salvatoris nostri JESU CHRISTI confessione: sed & omni conatu nititur ad proximi salutem se totum impendere; quod tantò feliciori poterat præstare dexteritate, quantò majori publici muneris pollebat authoritate. Hunc milites venerabantur ut patrem; hunc universi, qui palatio præerant, reverentiali prosequebantur affectu. Et quia verus Dei cultor erat, Divinóque amore vulneratus, necesse erat, ut, quem Divina gratia perfuderat, ab omnibus amaretur. Christo igitur quotidie sedulum exhibebat officium, sed agebat, quatenus hoc sacrilegis Regibus esset occultum; non passionis timore perterritus, nec divitiarum suarum affectu fascinatus: sed ad hoc tantùm sub terreni imperij chlamyde Christi militem agebat absconditum, ut Christianorum animos, quos inter tormenta videbat deficere, confortaret; & Deo lucraretur animas, quas diabolus per idololatriam perdere satagebat. Divino vulneratus amore Sebastianus plurimos Martyrum animos à passionis timore eripuit, & ad procreandam æternæ gloriæ coronam erexit. Clarissimis viris Marcelliano & Marco, geminis fratribus, eorúmque servis, pro Christi nomine in vincula conjectis, salutaria fidei ministrabat consilia, & vivifica conferebat solatia, quibus fallacia sæculi blandimenta respuerent, & momentanea tor-

Ex Bolland. hist. 20 Ian.

men-

mentorum genera non formidarent. Prolixa pariter & efficacissima erat D. Sebastiani ad Martyres exhortatio in ædibus Nicostrati Primiscrinij, & uxoris ejus Zoë, gentilium. Tum ecce! subitò, dum esset indutus chlamyde, succinctus baltheo, per integram ferè horam cælesti splendore illuminatur, ac candidissimo pallio amicitur à septem clarissimis Angelis, suscipiens osculo Divini cujusdam Juvenis pacem, dicentis: *Tu semper mecum eris.* Ex hoc splendore & osculo major Sebastiani sanctitas exarsit, ut, quâ apud Deum polleret dilectione, totas familias in ejus cognitionem raperet atque fidem. Vidisses ex ejus persuasione Chromatium urbis præfectum destruere idola, abijcere superstitiosam astrologiam, & suas fortunas in Christianorum alimenta convertere. Vidisses ex ejus cohortatione Tiburtium, Tranquillum, Castulum, Zoëm, & reliquorum splendidissimas familias ad Martyrij lauream tripudiando properare. Denique cùm nullâ persecutionis machinâ, nullo deliciarum blandimento, nullis minarum terroribus, nullâ ærumnarum contumaciâ Sebastianus posset separari *à Charitate, quæ est in Christo IESV Domino nostro*; ut internum amorem externâ significatione conicstaretur, inter heroicissimos Religionis ac summarum virtutum actus, iratus Diocletianus *FURORIS tetendit arcum*, & Sebastianum in medio campo ligari funibus, ac poni jussit *quasi signum ad sagittam*; in quem proinde milites tot sagittarum fulmina conjecerunt, ut jam non ampliùs homo, sed velut ericius sagittarum ictibus hirsutus, atque *VNDIQVE TVTVS* appareret; aut certè pennipulchra quædam Quetzaltototl, quæ nunc gloriosissimos inter Martyrum Triumphos *alatis volat effertúrque sagittis.* Hos inter Tyrannicæ Persecutionis furores, *Novit Dominus sagittare ad amorem: imò sagittat cor amantis, ut adjuvet amantem; sagittat, ut faciat amantem.*

91. Sagitta Furoris Domini. Dum inter hasce Amoris versor sagittas, occurrit nobis etiam *FVROR DOMINI.* Sed ecce! erratum est in arcu: nam cùm olim simul peregrinarentur Amor & Furor, & itinere defatigati, dum in tabernâ diverterent, arcus deposuerunt & pharetras, quieti concessuri. Refectis somno corporibus summo mane dum ad iter sese denuò accingerent, ante Solis diluculum; tum ecce! perperam deprehendit Amor Furoris arcum, & Furor Amoris pharetram, existimans se proprijs cinctum armis incedere. Contigit autem in itinere, ut quos Amor telis configeret, ij lethaliter vulnerati conciderent; & quos Furor feriret, ij cordialiter læti viverent atque exultarent. Ventum est ad S. Sebastianum, & nova ibi experientia capta in tam gloriosi Martyris corpore: nam & ibi sagittæ Divini *Amoris* conversæ sunt in tela dirissimæ persecutionis; & nunc frequenter tela *Furoris* vertuntur in sagittas beneficentissimæ dilectionis. Nescitis, quid loquar; unde desideratis scire exardescentiam Divini Furoris. Regius Psaltes & ipse aliquoties positus *quasi signum ad sagittam* Divini Furoris, ad punctum hoc longè accuratiùs, quàm ullus Commodus attingit, dum ait: *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit: arcum suum tetendit & paravit illum; & in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.* Psal. 7. v. 13. 14. Per arcum intentum & sagittâ armatum symbolicè intelligitur *Potentia* Dei jam ad puniendum parata, ac mox punitura, nisi interveniat *Pænitentia. Et in eo paravit vasa mortis*, quæ sanctus Gregorius Pœnalitates humanæ vitæ appellat; scilicet esuriem, sitim, frigus, calorem, lassitudinem & ægritudinem. Et hæ miseriæ mortem homini afferunt; ac significatæ sunt per illos sex viros, apud Ezechielem, nempe sex archiduces Nabuchodonosoris, Neregel, Serescr, Semegarnabu, Sarsachim, Rabsares & Rebmag; seu magis app sitè per illos sex bonos angelos, qui strictò gladio præfatos duces præibant, & dirigebant. Ezech. 9. v. 2. Hi *veniebant de via portæ superioris, quæ respicit ad Aquilonem*; Ibid. propè quam templi portam Judæi pec-

peccaverunt idololatriæ scelere, *& unimcuiusq. vas interitûs in manu eius.* Duræ & diræ sunt hæc Mortalitatis ac Passibilitatis vasa : sed quod sequitur, *sagittas suas ardentibus effecit*, magnum Dei explicat *Furorem*, quo calidas febres, lethales contagiones, ardentissimas pestes immittit in homines & animantia, ad contestandam indignationem *Furoris* sui.

92. Pestis luctuosa indignatio à Deo immissa.

Pestilentia, inquam, sagitta est Furoris Domini, ardens ignis, comburens & inflammans corpora : *sagitta potentis acuta*, longè admodùm superans & Gallorum *gesas*, & Hispanorum *lanceas*, & Saguntinorum *falaricas*, & Germanorum *frameas*, & Theutonicorum *cateias*, & Thracum *rhomphaeas*, & Macedonum *sarissas*, & Lacedæmoniorum *gladios*, & Persarum *sagares*, & Medorum *acinaces*, & Romanorum *pilas*, & Amazonum *secures*, & cæterorum populorum *hastas*. Inest huic sagittæ Potentis acutæ certa penetratio, *VIS NESCIA VINCI*. Hinc pestilentiæ diversa symptomata, & pessimi corporis affectus, & horribilium omnium carnificinam nemo est qui dignè scrutetur, nisi qui *carbones desolatorios* sensit, & vel immitigabilem luem in proprio corpore pertulit, vel supportavit in alieno. Acuta sagitta est Pestis; horrida, tristis & amara, vitæ nostræ inimicissima, quæ non paucos solùm perdat, sed integras civitates depascat, Provincias depopuletur amplissimas. Æthiopes hanc sunt experti suo malo, suorum morte & interitu. Invalescebat apud eos hæc lues, ex occisorum cadaveribus enata; & in parentum liberorúmque ita fœdè grassabatur corpora, ut illi sua ipsorum nomina amplius non revocare in memoriam valerent. Grave malum, & tale prorsus, ut licèt à patiente id sentiatur parciùs, vel omninò etiam non sentiatur, ejus tamen vis & violentia fortunas, vitam, æternam salutem in summa pericula conijciat. Quàm miserè ac diversimodè per pestem afficiatur corpus contactum, & quomodo juxta graviorem morbi virulentiam, aptius ad sensum corporis temperamentum acerbiori perstringatur dolore, non tam librorum lectione, Majorúmve traditione, quàm proprio contactorum experimento didicimus : quorum aliqui vi morbi planè acti in rabiem, ut nisi validissimè constricti fuissent, edituri stragem non modicam viderentur : alij emotâ mente per fenestras acti præcipites, solo allisi egerunt animas. Hæreo in Iliade malorum, per hanc *sagittam furoris Domini* inferri solitorum; quæ sicut nunquam ejusdem redeunt specifici symptomatis, ita diversis semper malignitatibus & suam exercent immanem luctuositatem, & Medicorum obstupefaciunt alexi-pharmacandi peritiam. Permulti constante mentis sanitate tam intolerabilibus se doloribus vexari professi sunt, ut eis nunquã acerbiores persenserint; & quod plerisque castitatis amatoribus accidebat longè molestissimum, tantis ad Venerem motibus prurire, ut quamvis ingruere mortem scirent, &, si lasciviæ habenas permitterent, æternum impendere exitium non dubitarent, desperanda tamen in eo œstro repressio videretur: quod plerisque de æterna sua salute & peccati fugâ sollicitis, supra vim morbi cæteroquin importabilis acerbissimum fuisse, frequenter Epidimiæ tempore compertum est. Refert Raynaudus, certis nuntijs se accepisse rem ruboris plenissimam. Apud Cavares adeò cum lue exarsit impuri amoris incendium, ut mediâ in urbe infirmior sexus viros ultrò raperet; & Religiosi ad serviendum pestiferis ex generosâ charitate consecrati, renovato Josephi exemplo, mobiles illas petulantiæ pyras ægrè evaserint. Heu pudoris cladem, omni per pestem corporum clade atrociorem! Exclamat vehementer hac luctuosâ lue contactus cum afflictissimo Jobo: *Sagittæ FURORIS Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum* : quia tunc omnis cessat jucunditas; pallescunt sani de continua ejectorum tragœdiâ; claudun-

Thomas le Plank. in Ps. 32. v. 5.

Vinc. Bellvac. in hist. spec.

Raynaudus in Poicm. fol. 515

Iob. 6. v. 4.

duntur ædes, deserti negliguntur amici; depascuntur plateæ; lætitiæ festa convertentur in luctum: qui hodie sospes, cras inter funera sine comitatu, sine lugubri apparatu effertur: maxima denique omnium est calamitas, à calamitate neminem reputari immunem. *Sagitta furoris Domini*: quocunque appellitetur nomine, horripilio riget. Sive juxta Isidorum dicatur *contagium* à contingendo, eò quòd tangendo inficiat: sive iuxta eundem *Pestilentia* à depascendo, quòd totum hominem instar ignis depascat; imò familias & regna, hæreditates & Provincias, extinctis earum possessoribus ad alios transferat: sive secundùm alios nuncupetur *Inguinta*, quia faciliùs in Inguine recepitur: seu *Lues* à labe aut luctu, quia morbus est horribilis, quem omnes timent & fugiunt: seu denique apud Marsilium Ficinum à Græcis vocetur *Epidimia*, quod latinè sonat, *In populo*; cùm sit morbus, plerumque populis à Deo immissus tanquam ultricis iræ minister. Quocunque, inquam, appellitetur nomine, semper sonat *arcum* iræ atque *furoris Domini* paratum, in quo *paravit vasa mortis* insaturabilis ac luctuosæ, quæ nunquam dicit, *sufficit*; tela lethalia euibrando in obvios, sine errore, sine effugio: *CONSEQUITUR QUODCUNQUE PETIT*: sagittas ardentes, quarum indignatio ebibit spiritum, accendit medullas, corrumpit sanguinem, & cum dolorosissimo impetu expellit animam.

Isidorus lib. 3. Etymol.

93. Quando igitur *tetendit arcum suum* Deus, ut sagittet tela *furoris* & indignationis suæ, graviter utique desævijt in gregem Fidelium hæc frequens sagitta; sed verò plurimis locis ac vicibus intolerabiliùs desævijsset, nisi S. Sebastianus fuisset positus *quasi signum ad sagittam*; & ad Angelos ex Dei mandato percutientes clamásset illud Euriali:

Cur S. Sebastianus invocetur contra pestem.

Me, me, ego qui feci, in me convertite tela;

Sicque adeò *tela furoris* in se susciperet, & converteret *in sagittas amoris*; validissimè intercedendo apud Altissimum pro populo Christiano, ut contra illum se contineat in misericordia & miserationibus, nec omninò effundat omnem iram, furorem & indignationem suam. Maximus omninò contra pestilentiam Patronus ab Ecclesiâ Catholicâ religiosissimè celebratur S. Sebastianus: cujus devotionis originem inquirit Philibertus Marchinus Novariensis, ponens talem quæstionis titulum. Cur pro peste avertendâ Divi Sebastiani patrocinium ubique imploretur? Et respondet. [Conjectura fortè illa esse potest, quam retulit Pierius Valerianus lib. 42. Cùm enim apud Veteres pestis hieroglyphicum fuerint Apollinis sagittæ in Græcos emissæ; nec non apud Sacras litteras idem morbus Numinis infensi telum reponetur: *nisi conversi fueritis, arcum suum vibrabit, & paravit illum, & in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit*. Vbi contagia tum vasa mortis, tum ardentissimæ Divinæ iræ sagittæ nuncupantur: ideò Christiana Pietas è Divorum numero Sebastianum, sagittis impetitum, adversùs pestiferum morbum sibi Tutelarem elegit. Cujus patrocinium cùm sæpè multæ urbes, præsertim Mediolanensis anno Christi M. D. LXXVI. reipsâ probaverint; idcirco communi Christianorum voto pro hoc morbo depellendo S. SEBASTIANVS invocatur, nullis alijs extantibus in ejusdem gestis hujus rei vestigijs.] Hactenus citatus Marchinus. Sed verò extant, si non in ejus gestis, saltem alibi, cáque illustria vestigia hujus saluberrimi moris, præsertim apud Paulum Diaconum, Ecclesiæ Chronologum: quo referente Anno Salutis reparatæ sexcentesimo octogesimo per inductionem VIII. Luna eclipsin passa est: Solis quoque eclipsis eodem pænè tempore, horâ diei quasi decima, V. Nonas Majas effecta est: móxque subsecuta gravissima pestis tribus mensibus, Julio, Augusto & Septembri: tantaque fuit multitudo morientium, ut etiam parentes cum

Marchinus in probl. 9. de pest. apud Bolland.

Ps. 7. v. 13. et 14.

Paulus Diac. de gestis Longobard. l. 6. c. 5

Bollandus 20. Ian. in S. Sebast.

cum filijs, atque fratres cum sororibus, bini per feretra positi, apud urbem Romam ad sepulchra deducerentur. Pari etiam modo hæc pestilentia Ticinum seu Paphiam, antiquissimam Lombardiæ Regiam, quoque depopulata est; ita ut cunctis civibus per juga montium, seu per diversa loca fugientibus, in foro & per plateas civitatis, herbæ & fruteta nascerentur. Túmque visibiliter multis apparuit, quòd bonus & malus Angelus noctu per civitatem pergerent; & ex jussu boni Angeli malus Angelus, qui videbatur venabulum manu levi ac *NUNQUAM FRUSTATA* ferre, quoties venabulo ostium cujuscunque domûs percussisset, tot de eadem domo die sequenti homines interirent. Nempe *sagitta furoris Domini IGNESCIT EUNDO*; ad eum fermè modum, quo apud Virgilium Alcestis sagitta, ab arcu emissa, exarsit volando.

Æneid. l. v. 525.

Namq; volans liquidis in nubibus arsit arundo,
Signavitq; viam flammis, tenuesq; recessit
Consumpta in ventos.

Et quod de Jonathæ telo, ac gladio Saulis celebravit David: *Sagitta Jonatha nunquam rediit retrorsum, & gladius Saul non est reversus inanis*; id luctuoso experimento de illo venabulo lethifero didicerunt cives Ticinenses. (2. Reg. 1. v. 22.) Tunc per revelationem cuidam dictum est, quòd pestis ipsa priùs non quiesceret, quam in Basilicâ Beati Petri, quæ Ad vincula dicitur, Sancti Sebastiani martyris altarium poneretur: factúmque est, & delatis ad urbem Romam Sancti Sebastiani Martyris reliquijs à Catacumbis, quamprimum altare ejus in dictâ Basilicâ positum est, pestis ipsa quievit. Vbi egregium S. Martyris monumentum, veneranda ejus imago opere musivo expressa, atque hactenus integra extat, senili aspectu & barbâ (quod pictores admoneat, qui eum juvenem palo alligatum perperam pingunt.) (Baronius 1. Augusti de vinculis S. Petri.) Subdit verò Sigonius: *Ab eo tempore observatum, ut, qui in pestem incidercent, Martyrem ipsum in vota vocarent.* (Sigonius l. 2. de regno Ital.)

94. (S. Sebastianus totius Ecclesiæ specialissimus & universalis Patronus contra pestem.) Omninò quidem tutelares Patroni locis illis, quibus solenni ritu sunt præpositi ad Fidelium concreditorum comprecationes, felicem adferunt medelam contra pestilentiæ exterminium. Dum grassans pestis apud Treviros sæviret, Nicetius illic Episcopus, dictæ urbis Patronos, SS. Eucharium & Maximinum, ignitis amore precibus imploravit; & impetravit, quæ postulabat, insuper. Nam primò super pontem Mosellanum horribilis noctu auditus est fragor, quo nocturna omnium quies interrumperetur; dein confusus & promiscuus aliquorum clamor, jubens cum imperio socios non inferre malum civitati ampliùs. *Discedite*, ajebat vox, *nihil facimus: Eucherius enim ad unam partem excubat; Maximinus alteram occupavit; in urbis medio perambulat Nicetius. His impedimur, propter hos urbi nocere non possumus ulterius: discedamus! nihil proficimus!* (Surius in vita S. Nicetii 1. Octobris.) Quo facto lues cessavit, liberata est civitas à peste. Tantum Trevirensibus profuit cultus Sanctorum Encherij & Maximini, à Nicetio loci Episcopo illis prolixè pièque oblatus! Non est novitium, quod addo de Neapolitana civitate Orbi notâ, quam tutelares ejus Patroni, videlicet SS. Januarius, Cajetanus, Franciscus Xaverius, Jacobus de Marchiâ, & alij contra pestem miraculosissimè sunt tuiati. Turonensibus Sanctus Martinus de cælo opem tulit; Rhemensibus eodem modo Sanctus Remigius, tutelaris loci Patronus, intercessione suâ ad Deum, sævientem & grassantem pestem abegit. Ita quævis Patria, civitas, oppidum, Religio, Familia suo particulari gaudet Patrono cælesti, cujus implorato auxilio contra sagittas immissarum à Deo afflictionum evadant custoditi. At verò *ab eo tempore* Romanæ ac Ticinensis pe-

stilen-

stilentiæ *observatum*, *ut* universaliter omnes Christiani Catholici, *qui* in hanc calamitosissimam luem *inciderent*, *Martyrem ipsum* Sanctum Sebastianum pro universali totius Ecclesiæ Patrono *in vota vocarent.* Sigonij amplifico verba. Hinc jam in tota Christianitate vix ampliùs extat Ecclesia aut Parochia, quæ non vel primariò tanto Protectori sit consecrata, vel per aliquod speciale altare erectum, statuam, imaginem, vexillum, fundationem, similésque cultus S. Sebastiano obligata. Instituuntur solennes Processiones, eriguntur devotæ Confraternitates, ejus sacræ Reliquiæ summâ veneratione asservantur, anniversaria Sacra celebrantur; offeruntur munera, ac dispensantur liberaliter eleemosynæ, ad cultum & invocationē universalis totius Ecclesiæ Patroni S. Sebastiani, *ut qui inciderent*, vel ne inciderent, *Martyrem ipsum in vota vocarent.* Scio in pluribus, Galliæ præsertim locis, etiam B. Rochum Confessorem contra pestem præsentissimum implorari Auxiliatorem; idéoque in antiquissimo ac celeberrimo S. Victoris cœnobio Massiliæ, cui olim Joannes Cassianus præfuit, in divino Officio post sanctorum Apostolorum commemorationem, ad Laudes & Vesperas juxta Ecclesiæ ritum, subjici etiam SS. Rochi & Sebastiani simul suffragium sequens. *Sancti Sebastiane & Roche pretiosi, servorum preces suscipite clementer, ut qui vos elegit ad claritatem visionis æternæ, à peste epidimiæ nos liberet celebrantes vestram sanctam commemorationem. Gaudium sit in cælo, & in terra pax hominibus bona voluntatis.* ℣. *Orate pro nobis SS. Sebastiane & Roche.* ℟. *Ut mereamur præservari à peste.* Oratio. *Deus qui B. Sebastianum Martyrem tuum virtute constantiæ in Passione roborasti; & B. Rochum Confessorem tuum in languore pestis & epidimiæ, quam in suo corpore pro tui nominis gloriâ passus est, juvisti: præsta quæsumus, ut qui eorum memoriā agimus, meritis ipsorum à mortiferâ peste corporis & animæ liberemur.* Scio, inquam, B. Rochum subinde etiam pro Patrono contra pestem inclamari: sed verò sine differentia & intermissione, universaliter in tota Ecclesia Romana, S. Sebastianus Martyr positus est *quasi signum ad sagittam*, qui tanquam alter Eliseus ex sagittis *furoris* efficiat *sagittas salutis Domini*; hoc est, sagittas *amoris*, mitigando indignationem, coërcendo iram indignantis, & præservando sospitatem clientum; *ut qui inciderent, Martyrem ipsum in vota vocarent.*

[Margin: Bolandus citatus.]

[Margin: 4. Reg. 13. v. 17.]

Duas duntaxat plumas pennipulchra Quetzaltotl ad dicendum nobis hodie largiter administravit, eximia scilicet *capitis ac universi corporis belli pacisque ornamenta*: pretium magnum, quod instar præfatæ avis optimorum prædiorum loco dominis & ad hæredes transeat: Verè sublimis & gloriosus eminet S. Sebastianus, dum hisce *alatis volat effertúrque sagittis*, ut sagittas *furoris* in se recipiat, & sagittas *amoris* in Deum & proximum sine intermissione refundat. Quod si verò amor reciprocus sit, prout antiqua Gentilitas ingeniosè finxit, ponendo duos sagittarios se invicem reciprocè telis sauciantes, adjecto hoc lemmate:

Summe meas, summam ego tuas, mea
Vita sagittas,
Nec aliter noster conciliatur amor:

[Margin: Nierembergius citatus.]

Si fortè sagitta iræ furoris Domini infixa sit nobis, extrahat eam suâ amorosissimâ interpellatione S. Sebastianus, & convertat in sagittam amoris atque salutis. Hoc etenim flagitant ardentia vota clientum: *Nec aliter noster conciliatur amor.*

Amen.

IN FESTO PURIFICATIONIS B. VIRGINIS DEI GENITRICIS MARIÆ.

PAR TURTURUM.

Das paar Turteltäublein.

LEMMA.

Neutra unquam alterius.

THEMA.

Vt darent hostiam, secundùm quod dictum est in Lege Domini, Par Turturum, aut duos pullos Columbarum. Lucæ 2. v. 24.

SYNOPSIS CONCIONIS. LXIX.

Instruitur Anima fidelis, ut pro viribus pudici Turturis mores studeat imitari, sícque digna evadat, ut cum CHRISTO cælesti Sponso constituat *Par Turturum*, quod in supernæ & æternæ gloriæ Aulâ altissimo Deo offeratur.

95. Turturum prærogativa ex hodiernâ solennitate.



INvitans Sponsus suam Dilectam post rigidos & frigidos hyemis languores ad vernam amænitatem, triplici utitur motivo in Canticis; tum quia *Flores apparuerunt in terrâ nostrâ*; non tantùm violaram, hyacinthorum, ac tuluparum lepôres germinant in areolis, sed & primæ baccæ ac gēmæ ex vitibus, stirpibus ac fruticibus revirescunt: tum quia *tempus putationis advenit*, ut inutiles succidantur arborum rami, emortua brachia auferentur, & vinearum fœcunditas redigatur ad modestiam ac sobrietatem, antequam gemmascant & floreant vites. Accinente Ovidio.

Cant. 2. v. 12.

Ovid. l. 1. Fast.

Omnia tunc florent, tunc est nova temporis atas;
Et nova de gravido palmite gemma tumet.
Et modò formatis aperitur frondibus arbos,
Prodit & in summum seminis herba solum.

Sed quod maximè hyemali fastidio sopitum erigit animum, *vox Turturis audita est in terra nostra*, ut suos repetat suspirabundos cantus: nam Aristoteles tradit, Turtures totâ hyeme ita in antris sese abdere, ut nemo sit, qui hyeme turturem se vidisse asserat; quare ubi turtur apparet vel auditur, certum est signum, transisse hyemem, & ver prosilire. Itaque & Turtur auditur, & Cuculus, ab Oppiano primus Veris nuntius appellatus, canere incipit:

Arist. l. 8. hist. animal. c. 16.

Et tepidum volucres concentibus aëra mulcent,
Ludit & in pratis, luxuriátque pecus:
Tunc blandi Soles, ignotáque prodit Hirundo,

Et

Et luteum celsâ sub trabe fingit opus.

O vernales delicias! ô florida temporis festa! ô deliciosa Sponsi cum Sponsâ in pratis conversatio! Verè *vox Turturis audita est in terra nostrâ*, quando in hodiernâ Processione, *secundum quod dictum est in Lege Domini, obtulerunt PAR TVRTVRVM, aut duos pullos Columbarum.* Pulchra conjunctio, mystica significatio. *Par turturum*, Verbum Divinum & natura humana. *Par turturum*, castissimus Joseph & intemerata Virgo Maria. *Par turturum*, Senex Simeon & Anna Prophetissa. *Par turturum*, Christus Sponsus, & Anima fidelis & Ecclesia Sponsa. O quam dilectam, delicatam & deliciosam Deus semper habuit Turturem, quam præ alijs aviculis sibi crebrò immolari præcepit; utpote *Genes.* 15. ab Abrahamo, *Levit.* 12. à Puerperâ, *Levit.* 15. à Leproso! Nimirum quia Aviculæ simplices sunt, & ut S. Bernardus observat; *quod sunt oves inter quadrupedia, hoc turtures & columbæ sunt inter volatilia.* Interim dum hæ duæ Avium species junctæ offerri præcipiuntur, semper Turtures præponuntur columbis propriè dictis, quatenus præ his Deo magis forent acceptæ. *Par Turturum, aut duos pullos columbarum.* Quare non dubito, quin Virginea Deipara, cùm esset Divinæ Legis zelantissima, *par turturum* hodie obtulerit, quod noverat Deo fore gratius, quam columbarum. Et licèt ob immunitatem ab omni peccato cum propriam, tum alienam dilecti sui Filij, tali expiatione non indigeret; voluit tamen B. Virgo humilitatis studio, & ut cæteris puerperis se conformaret, ac ne eas scandalizaret, & videretur esse singularis, atque ut Virginitatem suam, conceptúmque ex Spiritu sancto celaret, purificari, sicut & Christus eisdem de causis volvit circumcidi. *Par turturum* hodie pro dicendâ materiâ assumo, ut in *Purificatione* etiam elucescat *Purificatio: par turturum*, par nobile; Christum Sponsum, &, quæ se ei purificatam consecrat pro hostiâ charitatis, Animam fidelem. Viterque veteri genitis de more pudicus Turtur. Erit Anima fidelis CHRISTO compar Turtur & Sponsa, si pro viribus pudicæ Turturis mores fuerit imitata: prout imitari docebo in nomine & unione castissimæ conjunctionis cum JESV, Electorum suorum Sponso æterno.

96. Eximia & adæquata esse potest sanctorũ Patrum interpretatio de invitatione paulò antè memoratâ, quâ Sponsus dilectam suam ad vocem Turturis evocat, ut egrediatur in agros, & fruatur delicijs vernis. Ita nempe Christus Sponsus primitivam Ecclesiam, scilicet Apostolos, recepto jam in Pentecoste Spiritu sancto evocat, ut vineas, hoc est, udæ ac cæterarum Gentium Ecclesias, suo labore excolant, & ad maturandos Evangelij fructus disponant. Dicit ergò: *Iam hyems*, id est, rigor & timor Mosaicæ Legis *transijt*; Jam transijt frigus, gelúque infidelitatis Gentium; jam abijt vitiorum & errorum imber: quia Sol vernus, hoc est, Spiritus sanctus illuxit, qui suo calore tam hyemem quàm imbrem fugavit, ac flante suæ gratiæ Austro in terra nostrâ produxit Sanctorum flores, Innocentes, Stephanum, Jacobum, ac reliquos socios. *Tempus* itaque *putationis advenit*, quo vos, o Apostoli, Judæorum infidelitatem & Gentium ignorantiam, omnémque rerum temporalium cupiditatem fidei cultro amputetis, ut bonorum operum proferant fructus. Sed & insuper *vox turturis audita est* in terrâ nostrâ, in Ecclesia novâ. Dum S. Joannes Baptista in eremo prædicaret pœnitentiam: *agite pœnitentiam, appropinquavit enim regnum cælorum*; *vox* gementis, pudici & solitarij *turturis audita est*. Sic etiam dum Petrus & Paulus, cæterique Apostoli, Judæis ac Gentibus pœnitentiam prædicaverunt in remissionem peccatorum; *vox turturis audita est*. Tunc ver novæ Legis, ver S. Evangelij *advenit*, quo Christus, quasi Sol, suæ gratiæ calore omnem infidelitatis & concupiscentiæ hyemem discussit, floresque & fructus bonorum operum produxit: unde tunc apparuerunt flores, Martyrum vernantissimæ rosa; apparuerunt pu-

Ecclesia prima verno empori similis.

Matth. 3 v. 2.

putationes, mortificationes Religiosorum, & Anachoretarum castigationes: auditæ sunt turtures Viduarum & Virginum, quæ se Christi amore castraverunt propter regnum cælorum. Talis est sanctorum Patrum commentatio super invitatione illa amicabili, quâ Sponsus cælestis, Christus Primogenitus mortuorum, Ecclesiam suam provocavit ad carpendos flores, ad capiendas sui primitivi vigoris delicias.

97. *Christus assimilatur Turturi.* Sed verò dum hodie audio offerri *par turturum*, revertor è campis vernantibus, ex Hyblæis montibus, ex amœnissimis Floræ hortis: revertor, inquam; non quidem ut ornatioris orationis flores negligam, sed ut in Templo Hierosolymitano offerri intuear *par turturum*; in loco sacro Sponsum cælestem cum dilectâ & sanctâ Animâ, tanquam suâ sponsâ comparatum. Et quidem de Christo Sponso cum turture vel columbâ comparando, haud equidem magna observari potest difficultas. Celebrant Patres in columbâ (eadem omnino, imò manifestior ratio quadrat de Turture) innocentiam, ac placiditatem fellis expertem, & irasci nesciam; eadémque est velut nota „Vnitatis & Pacis. [Simplex animal, „inquit S. Cyprianus, & lætum est, non „felle amarum, non morsibus sævum, „non unguium lacerationc violen„tum; hospitia humana diligere, unius „domûs consortium nosse; cùm gene„rant, simul filios edere; cùm comme„ant, volatibus invicem cohærere; „communi conversatione vitam suam „degere; oris osculo concordiam pacis „agnoscere; legem circa omnia una„nimitatis implere.] Simplicitas & Innocentia non tantùm in Christo nascente, & hodie coram Domino constituto, sed verò etiam in tota reliqua vita mortali, incomparabili quadam claritate enituerunt: quandoquidem *Innocentiam* ne hostes quidem arguere de peccato cum verisimilitudine potuerint; tametsi anxios observatores, & sollicitos criminatores innumeros sustinuerit. *Simplicitas* verò ejusmodi fuit, ut ex carnalium sensu videri posset, eam reddere columbæ simplicitatem, quæ à stoliditate reprehenditur. Inde enim est, quòd Isidorus Pelusiota neget, monitum Christi de exprimenda columbæ simplicitate per omnia capi posse, id est, quadrare undecunque; cùm simplicitas columbæ sit talis, ut etiam ad eos accedat, qui eam capere meditantur. In quem sensum accipit illud Oseæ 7. *Ephraim columba seducta, non habens cor*: nimirum quia se recipiebat ad Ægyptios & Assyrios, captivitatem & servitutem ejus assiduè machinantes. Christus ad hanc simplicitatem descendit, quandoquidem *à gente non sancta, & iniqua atque dolosa non abhorruit*, ejúsque malignitati se permisit. Placiditas item columbæ, & mititas IRASCI NESCIA, in eodem Christi statu resplendet. Quid enim Christo placidius, qui juxta Isaiæ prænuntiatum adeò sedatè incedebat, ut vel si calamū quassatum calcâsset, non contrivisset, & linum fumigans non planè extinxisset? Non sic planè se geret in adventu secundo, cùm advenerit dies Domini magnus & terribilis. Propterea enim Spiritus Christi, qui primò visendum se præbuit in specie columbæ, secundò apparuit in specie ignis. Vt silentio transeam Pacis atque Amoris energiam, quam per omnem vitæ suæ periodum hic Turtur Christus demonstravit.

S. Cyprianus l. de Vnit. Eccles.

Isidorus Pelus. l. 4 Epist. 137

Isa. 42. Matt. 12.

98. *Anima sancta monogama est instar Turturis.* Hæc sublimia ac Divinis mysterijs speciosa prædicata dum Sponso adscribo, fidelis & electa Anima interim avidè expectat suam cum Turture proportionem, cum Christo comPARationem. *Par turturum.* Goropius Becanus, qui omnia vocabula suæ linguæ Flandricæ origini accepta ferenda esse contendit, ab Hebræo *tor* & Latino *turtur*, dictum putat Cimbricum & Belgicum *trou*, quod est fidelitas per metathesin; & *trouwen* idem esse ac blandiri, nubere, & conjugi fidem conjugij dare, uti turtur eam dat turturi compari suo. Quo sensu Heliogabali nummus erat, in quo visitur fæmina gestans turturem cum hoc lemmate: MILITVM FIDES, q. d. Sicut turtur fida est suo compari, sic miles fidus sit suo duci. Alij deducunt

à

à *Trour*, quod est luctus; inde *Traurtaube* derivatur. Turtur enim monogamus est; & fæmella amisso conjuge aquas vitat limpidiores, ne se in aquis conspectâ, conjugis recordetur. Vnde monogamiæ amantissima est turtur, nec defuncto compare suo alteri copulatur; sed cùm castissima sit, assiduè perstans in gemitu, defuncto compari suo perseverantem amoris fidem contestatur: nec ampliùs terræ, aut ramo virenti insidebit; & ut Virgilius canit,

Virgil.

Nec GEMERE aëreâ CESSABIT Turtur ab ulmo.

S. Amb. l. de Viduis.

Ex quo Mediolanensis Antistes, Turturum exemplo affatur Sacras viduas: *Discite mulieres quãtá sit viduitatis gratia, quæ etiam in avibus prædicatur*, laudatur, & commendatur. In quo hodie illustre exemplum, maximè spectandum præbuit Anna Prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser, quæ processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo in legitimo & sacro conjugio annis septem: quo mortuo marito vidua permansit usque ad annos octoginta quatuor, nec discedebat à templo, iejunijs & obsecrationibus serviens die ac nocte. Et quia Turtur erat, hisce merebatur videre Desideratum gentibus, agnoscere & prædicare humani generis Salvatorem. Anna prophetissa & vidua, quæ propter servatam monogamiam poterat meritò suo gentilitio inserere turturem, emortuæ arboris ramis insidentem, & illud Didonis lemma inscribere.

Ille meos primus, qui se mihi junxit, amores
Abstulit: ille habeat secum, servêtque sepulchro.

Hæc, inquam, pro fidei suæ coronâ promeruit videre in carne Verbum Vnigenitum DEI; adorare, prædicare, & osculari Sponsum castarum & sanctarum Animarum. Quid tibi, ô Anima DEO devota, *veteri gentis de more pudica Turtur?* Monogamiam tua exigit fides, assignat pietas, dilectio imitatur; ut alium amoris affectu non prosequaris Sponsum, nisi cælestem, Christum JESVM: cujus passionem & mortem lugeas assiduè, ac ad eum in cælis suspires, ejus absentiam defleas, & crebrò piarum lachrymarum imbre tuas genas inundes. [Sancta quæque Anima (verba sunt „sancti Gregorij Magni) cùm à Sponso „suo absens est, ab ejus amore non re„cedit, sed in ejus desiderium semper „anhelat & gemit: & dum illum, „quem valdè diligit, non invenit, „quia ab omni alieno amore se retra„hit, quasi in genarum verecundiâ „castitatem cordis ipso habitu & actu „exteriori ostendit.] Et S. Bernard. de modo bene vivendi ad Sororem scri„bit. [*Pulchræ sunt genæ tuæ*, inquit, *sic„ut Turturis*. Natura Turturis est, ut „si per occasionem perdiderit conju„gem, alterum ampliùs non quærat. „*NEVTRA VNQVAM ALTERIVS.* „O Sponsa CHRISTI, assimilare & „tu huic turturi, & præter JESVM „Christum Sponsum tuum, amato„rem non quæras alterum. O Spon„sa CHRISTI, esto similis Turturi, & „luge die ac nocte cum desiderio „JESV CHRISTI Sponsi tui, quia „jam ascendit in cælos, ut aliquan„do faciem illius videre merearis in „dexterâ Patris. *Pulchræ sunt genæ tuæ, „sicut Turturis.* In genis solet esse ve„recundia. Soror venerabilis, genas „habes turturis, si præ verecundia „JESV CHRISTI Sponsi tui nihil „contra voluntatem illius facis: ge„nas habes turturis, si cum amore „& reverentia CHRISTI ea, quæ „illi displicent, postponis: genas ha„bes turturis, si præter CHRISTUM alterum amicum non diligis.] *NEVTRA VNQVAM ALTERIVS*: nam deletâ fide maritali per mortem, manet pudica Viduitas post mortem. S. Basilius rem sic declarat. *Turturem asserunt sejugatam à conjuge nunquam societatem inire cum alio, sed sine conjuge vitam cælibem degere, recordatione amissi consortis conjugium alterius abnuentem. Audiant ipsæ mulieres, ut etiam apud animalia ratione non prædita viduitatis honestas indecoro iterati conjugij anteponatur.* Quia nempe

S. Bernard. ad Soror. c. 18.

S. Basil. h. 8. hex.

NEVTRA VNQVAM ALTERIVS. Et possent hoc Prælati intelligere de suis Ecclesijs, quibus authoritate publicâ sunt desponsati, ut ijs ob frivolas causas dimissis, ad opulentiores ac pinguiores præbendas non immodicè adspirent: sic enim Evaristus Papa ad Episcopos Ægypti scripsit. *Sicut vir non debet adulterare Vxorem suam; ita nec Episcopus Ecclesiam suam, id est, ut illam dimittat, ad quam sacratus est, absque inevitabili necessitate, aut Apostolica & regulari mutatione; neque alteri se ambitûs causâ conjungat.* Quod ipsum de Animâ fideli desponsatâ Christo per Baptismum, aut per votum, aut qualemcunque aliam moralem colligantiam, neruosè interpretantur sancti Patres & Doctores.

Evarist. Ep. 1. ad Episc. Ægypti.

99. Gemitus Turturis pœnitenti animæ applicatus. Bapt. Mont.

Par turturum. Pœnitentiæ symbolum est Turtur, cui post mortem conjugis mœror & gemitus pro cantu serviunt. Non sum prolixior circumscribendo, sed crispatis Baptistæ Montani utor versibus.

Sicut ubi amisso thalami consorte, per agros,
Sola volat turtur; nitidis nec potat in undis,
Ne comitis prisci tristetur imagine visâ;
Nec viridi posthac fertur considere trunco:

Ita Anima Deum amans gemebundam emittit erratorum suorum confessionem; aversatur delicta; indignatur de excessibus suis, & quibuscunq; imperfectionibus; suspirat in pristinam redire gratiam, & dilectionem; abstinentijs & mortificationibus sese castigat; luctum & cilicium induit; denique mœrorem animi in tota sua conversatione exhibet ac contestatur. Hodiernæ festivitatis cæremoniæ mea competit intentio. Enim verò juxta Legem Domini, Puerpera post quadraginta dies, si pepererat masculum, aut post octoginta, si fæminam genuerat, veniebat in templum; & ibi consistens in atrio immundorum offerebat turturem, aut pullum columbæ pro peccato, ibique aspergebatur aquâ cineréâ vitulæ rufæ, quæ erat aqua lustralis in omni purificatione: rum intrans atrium mundorum offerebat infantem Deo, eúmque redimebat, & in gratiarum actionem dabat turturem aut pullum columbæ. Superveniens his S. Gregorius ad propositum nostrum præclare moralizat, [Quid per duos columbarum pullos, vel duos Turtures, nisi duplex pœnitentiæ nostræ gemitus designatur? ut cùm ad offerenda bona opera non assurgimus, nosmetipsos dupliciter defleamus; quia & recta non facimus, & prava operati sumus. Vnde & unus turtur pro peccato, alter verò offerri in holocaustum jubetur. Vnum ergo turturem pro peccato offerimus, cùm pro culpâ gemitum damus; de altero verò holocaustum facimus, cùm pro eo, quòd bona negleximus, nosmetipsos funditùs succendentes igne doloris ardemus.] Vultis audire gemitus Animæ pœnitentis? Quousque, ingemit, tandem irasceris supplici tuæ, optime humani generis Conditor, & Pater Deus? quamdiu iratus creaturæ tuæ, promissa tua reposci, & nequidquam efflagitari patiéris? quem ad finem profusa primùm in me, se contrahet, & in thesauris suis cõtinebit Benignitas tua? Nihilne te occupatum à Sathanâ Sponsæ imperium? nihil in servitutem redactæ potentiæ meæ? nihil peccandi, & moriendi inducta in me necessitas? nihil ad vitam data lex, mihi cedens ad interitum? nihil data fides, ac mea te movebunt pietatis vota? Justa est, fateor, indignatio tua. Justa sunt, quæ in me exerces, judicia. Incredibilis namque primũ fuit tua erga me benignitas, amplissimi decreti honores, cælestes descriptæ dignitates, & quæ in me affluenter contulisti, ingentia beneficia! Contrà verò pro tua tanta dilectione, incredibilis mea erga te extat impietas; pro amplissimis honoribus, atroces injuriæ; pro ingentibus beneficijs, gravissima noxa. Tuæ tandem miserere famulæ, ô Deus totius consolationis! Tu, qui es propitiatio pro peccatis totius mundi; tu pax, & salus mea; tu halitus, spiritus & vita mea: miserere, quia peccavi tibi, & malum coram te feci! Desine, oro per Redemptionis humanæ plagas; desine irasci & depone furorem, quem promerui; neque in-

S. Greg. l. 11. Moral. c. 2.

intres in judicium cum famula tua, *quia in conspectu tuo non justificabitur omnis vivens.* Veruntamen quia totâ dilectione te prosequor, ô amantissime Sponse mi, te brevi affuturum præstolor: cujus amplectendi & osculandi quò major mihi spes crescit, eò magis meum glifcit & inardescit desiderium, meúsq; medendo ægrescit spiritus. Accipe meam, tuámq; vicissim da fidem; tu me recuperatâ pristinâ gratiâ amplectere; tu me dignare amoris tui osculo; tu qui solus potes præsentissimâ facere medicinam, tu, inquam, impotenter amantis misertus, meo dolori precor ut medearis. Dum hujusmodi affectuosos & pœnitabundos gemitus adverteret S. Chrysostomus, quasi auream suam eloquentiam & melleam dulcedinem in hanc Turturis vocem extenuâsset, ita appositè interloquitur. [Hujus turturis meminit Scriptura in „Cantico Canticorum: *Vox turturis audita est in terra nostra.* Vox turturis „hujus cælestem Christi, nobis verni „temporis significavit adventum. *Vox* „*turturis audita est in terra nostra.* Au„diamus igitur hujus turturis vocem „melleam decantantem. *Nigra sum,* „inquit, *& speciosa, filia Ierusalem.* Ni„gra propter priorem prævaricatio„nem, speciosa propter celebrem pœ„nitentiam: nigra propter luctum rui„næ, speciosa propter splendorem Ba„ptismi gloriosum. *Nigra sum & spe*„*ciosa, filiæ Hierusalem.* Filias Hieru„salem sanctas Patrum animas dicit. „Nigra sum & speciosa ex Gentibus Ec„clesia; ne consideretis me vos animæ „sanctæ, ne aspiciatis in me, quoniam „ego nigerrima sum, quoniam despe„xit me sol propter priora mea delicta. „Sol, inquam, Justitiæ, qui ortus est „nobis de sanctâ Maria secundùm car„nem genitus.] Talia quidem gemitum, & luctum nostræ Turturis exprimunt. Sic *Gemebunda semper Turturis vox insonat: Perenniter sic pœnitens sidus dolet.*

S. Chrysost. in 3. hom. de turture.

100. Solitudo interna quàm sit animæ de votæ acceptabilis.

Sed verò *ut darent hostiam, secundum quod dictum est in Lege Domini, Par turturum.* Vt illibatam servet castitatem, *veteri gentis de more pudica Turtur* amat solitudinem; & in locis remotis nidificat, pullósque generat ac nutrit, ubi ab hostium invadentium insidijs sint semoti & tuti. Cæterùm in hac solitudine, ut nomen ejus duplicem syllabam *Tur Tur* importat, ita etiam duplicem videtur amare orationis & meditationis spiritum. D. Bernardus & ipse solitudinis *turtureæ* emolumenta expertus, Sponsam Christi hisce hortatur delicijs. *O Anima sancta, sola esto, ut soli omnium serves teipsam, quem ex omnibus tibi elegisti. Fuge publicum, fuge & ipsos domesticos; secede ab amicis & intimis, etiam ab illo, qui tibi ministrat. An nescis, te verecundum habere Sponsum, & qui nequaquam suam velit tibi indulgere præsentiam præsentibus cæteris? Secede ergo, sed mente, non corpore; sed intentione, sed devotione, sed spiritu.* Non placent urbes, quia sunt ergastula, ubi utplurimum vitiorum mancipia, iniquitatum servi, & æternæ mortis rei concluduntur: non vult contineri urbium mœnibus, non domorum tectis, non conclavium parietibus; sed liber sit exitus in montes, valles, prata, sylvas, camposque latè patentes: *per agros SOLA VOLAT Turtur.* Ad hos Sponsa invitat Dilectum: *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Ibi salit Dilectus in montibus, transilit super colles. Sed & sancta Hieronymi Anima Rusticum sibi amicissimum assecurat: *Mihi oppidum carcer est, & solitudo paradisus.* Heliodorum verò instanter hortatur: *Quid agis frater in sæculo, qui major es mundo? quamdiu te tectorum umbræ premunt? quamdiu fumosarum urbium carcer includit.* Civitatis magnitudinem non facit ædificiorum pulchritudo, neque inquilinorum multitudo, sed inhabitantium virtus: propter quam & solitudo civitatibus dignior est, quæ virtute justi ornatur, & orbe toto fit fulgidior. Non placent urbes, quia luto & fordibus scatent; ubi pauci se conspergunt pulvere ad pœnitentiam, sed plurimi se inquinant luto scelerum ad pœnam. Sordet Lutetia in Galliâ, tot carnalium spurcitiarum luto conspersa: sordet Lima in Americâ, limo graviffi-

S. Bernardus serm. 40.

Cant. 7. v. 11.

S. Hieron. Ep. ad Rust.

morum scelerum conspurcata: sordent Sinæ, in concupiscentiarum cineres redactæ; sordet Africa, idololatriæ arenis affricata. Magis delectat Animam sanctam solitudo pulchra & munda, ubi non conterendum lutum Ægypti, sed carpendi flores paradisi; ubi *germinaverunt speciosa deserti, ficus & vinea dederunt virtutem suam.* Omnino suadet S. Ambrosius, à terrâ & luto efferri Animam, dum super Psalmos commentatur. *Quid te reflectis in terram, si in Enoch raptus ad cælum et, in Eliâ levatus es curru, in Paulo raptus ad Paradisum, conversatus in cælis, in David exauditus, ut pennas columbæ assumeres & volares, in Christo exaltatus, Volucris factus in Spiritu? Quando sicut columba descendit, illas tibi alas dedit, ut tu disceres evolare de terris.* Non placent urbes, ubi pestilens aër corrumpit incolas, inficit mentes, depravat mores: ubi conviciorum, detractionum, contumeliarum, maledictorum, execrationum, blasphemiarum, injuriarum, & similium scelerum lepræ, in innumeris leprosis vicos, plateas, & domos personant. *Per agros sola volat turtur, de more pudica*: in solitudine moratur; quia ibi est aër purus, Dei laudibus resonans; ibi consortium Angelorum; ibi plena omnia salutis, sanitatis, & sanctitatis. Vnde D. Gregorius Nazianzenus ejusdem amore exardescens, liberè fatetur. *Solitudinem ex omnibus rebus maximè complexus eram, ac veluti sociam & administram, & divina ascensionis matrem, & Deum ex homine facientem, mirificè suspexeram, totiúsque vitæ ducem ac moderatricem mihi statueram.* Non placent urbes, ubi perpetuus tumultus, animorum dissensiones, jurgia, rixæ, lites, controversiæ, invidiæ turbant, & inquietant mentem: ubi ob divisiones & oppositiones animorum difficilius longè est placere hominibus, quàm Deo, qui est author pacis & unitatis. *Per agros sola volat Turtur* quærens solitudinem; ad quam Arsenius Præceptor Arcadij & Honorij, filiorum Theodosij Imperatoris, cùm videns sibi necem ab Arcadio parari orationi intenderet, voce cælitus missâ evocatus est: *Arseni, fuge tumultus, & salutem assequeris.* Non placent urbes, in quibus vapores sunt malolentes, nidores pinguedinis, fumi obscurantes aërem, & sereno cæli aspectu prohibentes. *Per agros sola volat Turtur*; & Anima Christo desponsata quærit & amat solitudinem, ubi est paradisus deliciarum, fragrantia virtutum, serenitas mentium, negotiatorum cælestium apotheca, spiritualis arena certaminis, fortiter dimicantium palæstra luctatorum, mors vitiorum, fomes & vita virtutum. Ergo *ô Anima sola esto, ut soli omnium serves teipsam, quem ex omnibus tibi elegisti:* & si forte tibi videatur impossibile, in urbe, in medijs occupationibus, in negotiantium concursu, in populorum multitudine solitudinem invenire; audi Chrysostomum. *Solitudo non facit esse solum, sed mens quæ tenetur amore & studio sapientiæ. Ita etiam qui habitat in medijs urbibus, foris, & strepitibus, poterunt esse singulares homines, dum corruptos cœtus fugiant, & se justorum concilijs adjungant.* Ita enimverò etiam sancto Gregorio teste, dum Rex potentissimus profiteretur, se elongavisse fugientem, & mansisse in solitudine; tametsi tot populorum millibus præesset, habitabat tamen in solitudine cordis sui, in qua nullos spiritualium hostium impetus, nullos perversarum cogitationum strepitus, nullos pateretur clamoris iniqui tumultus.

103. Solitudinem disquisivimus; sed in hac quid operetur Tur Tur, necdum consideratum est nobis. *Meditationis & Orationis* videtur esse studiosa Turtur; adeoque secum intus loqui, secum & cum DEO tractare negotia salutis. Hoc autem summopere præstare satagit Anima DEO obligata, si non de die frequentiùs, saltem manè & vespere, quêis sese ad DEVM elevat suis sanctis cogitationibus. S. Ephrem in quodam sermone Ascetico quædam assignat capita, Christiano suæ salutis studioso observanda. [Singulis diebus, inquir, vespere & manè diligenter considera, quo pacto se habeat nego-tia-

Marginalia: Joel. 2. v. 22. — S. Ambros. serm. 14. super Psal. 118. — S. Greg. Naz. Orat. 1. de fugâ in Ponticum solitudinem. — S. Chrysost. in Psal. 140. — S. Greg. in Psal. 6. pænit. — Animæ electæ orationi ac meditationi jugiter insistendū. — S. Ephrem. to. 3. in serm. asc.

tiatio, ac mercimonij ratio. Et vespera quidem ingressus cubiculum cordis tui examina teipsum, ac dicito: Putásne hodie Deum in aliquo exacerbavi? nunquid verba otiosa protuli? per contemptum, negligentiámque peccavi? num fratrem irritavi? num cui detraxi?] Et postquam jubet cordialibus lachrymis defleri peccata, tum addit. [Et facto jam diluculo rursus eadem tecum meditare, & dicito: quomodo putas ista nox præterijt? nũquid improbæ & sordidæ cogitationes invaserunt me, atque illis libenter immoratus sum?] Ita planè recta ratio præscribitur faciendi particularis conscientiæ examinis, quo anima suos nævos cognoscit & abstergit, ut Sponso maneat jugi dilectione conjuncta. Sed verò etiã alia hujus meditationis amplificanda est ratio, quòd Deus tam in Exodo, quàm in Numeris mandârit, ordinario Sacrificio singulis diebus agnos duos sibi offerri in holocaustum, unum manè, alterum vespere. Et quidem S. Bernardus rectè intelligit per eos significatum esse Christum, qui fuit Agnus *matutinus*, quando infans hodie in templo est oblatus; & *vespertinus*, quando ad vesperam vitæ se obtulit circa horam diei nonam in Cruce. Et si quidem Christus se manè & vespere obtulit cælesti Patri, cur non id faciat suo modo anima Christiana, manè & vespere (ad minimum *par turturum* offerendo) vitam & operationem suam ex perfectissimæ charitatis motivo offerendo ad Dei laudem & gloriam? Quid, quòd Platone teste, Græci æquè ac barbari omnes, Sole tam oriente quàm occidente, adorent Deum, Causam illam primam omnia efficientem, gubernantem & conservantem? Quid, quòd Pythagoras duorum maximè temporum rationem habendam præscribebat, matutini scilicet & vespertini? Et anima Christiana, Deo per Baptismum devicta, totâ die aut septimanâ non cogitet de cælesti suo Sponso? non meditetur in Lege ejus die ac nocte? nihil ad ejus gloriam, ac beneplacentiam aggrediatur? nunquam aliquo Theologicarum virtutum, aut Religionis actu cum eo uniatur? nullam ostendat in amando teneritudinem, in obsequendo officiositatem, in gratificando promptitudinem, in laudando cordialitatem? Surgent gentiles & barbari in judicio, & condemnabunt Sponsam tam morosam, tam nullâ amabilitate conspicuam, tam invenustam moribus, tam affectibus inexcultam. Omninò animæ Deum amanti opus est frequentiori oratione aut meditatione, in qua exardescat ignis, ascendat sursum, luceat intus & foris, urat dæmones & peccatores. Compendioso documento tradit Absolon Abbas. *Sicut incensum, cùm incenditur, flammam, fumum, odorem ex se mittit: ita oratio Deo grata, fumum compunctionis ob peccata, flammam charitatis ob amorem cælestium, odorem devotionis per ascensionem mentis in Deum.*

Exod. 29. Num. 28.

S. Bernardus serm. 2. & 3. de Purificat.

Plato l. 10. de leg.

S. Hieron. l. 3. contra Ruf. c. 10.

Absolon Abb. l. de dedicat. Ecclesiæ.

102. Sed & à genis, ab oculis maximopere commendatur Turtur. *Par turturum.* Solennis est applausus Sponsi ad Dilectam: *Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis.* Communis quidem Sanctorum Patrum expositio per *genas pulchras* hîc intelligit *Verecundiam*, & *Castitatem* Sponsæ; puta Ecclesiæ, quæ sit *veteri gentis de more pudica.* Hæc enim prima & summa Sponsarum dos est, quæ maximè in genarum rubore & pudore resplendet. Ecclesia namque haud alium Sponsum quàm Christum amat, illum unum cogitat & loquitur, ad illum absentem instar turturis gemit & suspirat; usquè dum in cælis fruatur ejus delicioso aspectu, & amplexu. Porrò Ecclesiæ genæ primitus, dum gentilissimi maculis notarentur, non erant pulchræ neque speciosæ: at postquam susceperunt osculum Sponsi in lavacro Baptismi, speciosæ factæ sunt, *sicut turturis.* Sed verò multò magis ad nostrum propositum S. Bernardus per *genas turturis* intelligit rectam Intentionem, quam Christus oculis comparavit apud S. Matthæum: oculos autem circumdant, & sustinent genæ. Genarum vim motivam Plinius affabiliter considerat. *Infra oculos malæ,* quas

Anima sancta in omnibus foveat rectã intentionẽ.

Cant. 1. v. 9.

S. Bernar. ser. 40. in Cant.

Matth. 6. v. 22

Plinius l. 11. c. 37. *quas Prisci genas vocabant, duodecim tabularum interdicto radi à fœminis eas vetantes: pudoris hæc sedes. Ibi maximè ostenditur rubor: infra eas, hilaritatem risumq; indicantes, buccæ.* Et paulò antè, *Graviores alitum inferiore genâ connivent. Eædem nictantur, ab angulis membranâ obeunte. Columbæ,* turtures *& similia, utrâq; connivent.* Nec minor est, nec ineptior in suâ ferendâ sententiâ Oratorum princeps Cicero, differens, quòd genæ ab inferiore parte tutentur oculos subjectos, leniterque eminentes; esseque binas: quia in intentione considerari debent duo, scilicet *res & causa, hoc est, quid intendas, & propter quid intendas.* Accipio ab Ethnico tantam directionem; quam etiam S. Bernardus citatus ita conjungit, ut ex his duobus vel animæ decor, vel fœditas judicetur: utrumque enim deforme est, intendere bonum propter causam malam, vel intendere malum propter causam bonam. Intendere non in Deum, sed in sæculum, sæcularis est animæ, nec ullam prorsus genarum speciosam habentis: intendere autem quasi in Deum, sed non propter Deum, hypocritæ planè animæ est; cujus etsi una gena videatur decora, quòd ad Deum qualicunque intentione respiciat, ipsa tamen simulatio omne decorum in ea exterminat, & magis per totum ingerit fœditatem. Vis habere pulchras genas sicut Turturis, assume oculos & genas turturis, quæ utrisque connivet. Si oculi & genæ turturis eò tendunt ac defiguntur, in quod aspiciunt; tunc anima sancta tota primò intendit in Deum tanquam finē suum ultimum, ad quem omnes suos dirigit gressus atque actiones. Si oculi & genæ turturis ejusce rei in se suscipiunt speciem ac similitudinem; tunc & anima sancta in Deum unicè intēdens, illius imbibit formam, fitque divina, & quasi Deus terrestris. Si oculi & genæ turturis sine interjecto medio ad visum feruntur objectum; tune anima sancta intendens Deum, omne aliud medium bonorum, deliciarum & commodorum excludit, ut fine primario perfectè fruatur. Si oculus turturis plures res simul potest lateraliter vel circulariter dispositas aspicere; tunc anima sancta in operatione suâ plures potest intendere virtutum fines; dando v. g eleemosynam ex motivo misericordiæ, ut sublevet pauperis egestatem; ex motivo satisfaciendi pro peccatis, ut agat pœnitentiam; ex motivo Justitiæ, ut meliori modo compenset iniquè parta; ex motivo Religionis, ut Deum colat, atque in suis pauperibus honoret; præsertim & vel maximè ex motivo charitatis, ut Deum diligat propter se, & proximum propter Deum. Omninò bona & recta intentio habenda est Sponsæ Christi, ad hoc, ut sit pudica, verecunda, casta, immaculata, Deóque placens.

Cicero de Nat. Deor.

Deliciosa sunt & delectabilia animæ Deo devotæ, quæ hactenus vel de Ecclesiastici veris prodromo, vel de Christi Sponsi amabilitate, vel de spiritualis Sponsæ monogamia, solitudine, gemitu & genis copiosè consideravimus. *Par turturum.* Lubet pro epilogo adducere D. Bernardi affectuosissimam cohortationem, nulli Christi Fidelium non summopere capessendam. [Pudica avicula est Turtur, & conversatio ejus non cum multis, sed solo degere fertur contenta compare: ita ut si illam amiserit, alteram non requirat, sed sola deinceps conversetur. Tu ergo qui hæc audis, ut sanè non otiosè audias ea, quæ scripta sunt propter te, & nunc propter te versantur & disputantur: tu, inquam, si ad istiusmodi Spiritûs S. incitamenta moveris, & inardescis dare operam, quomodo animam tuam facias Sponsam Dei; stude, ambas speciosas habere has genas tuæ intentionis, ut imitaror castissimæ volueris sedeas secundùm Prophetam solitarius, quoniam levasti te supra te. Omninò supra te est, Angelorum Domino desponsari.] Amen.

S. Bernardus cit. serm. 40. in Cant.

IN



IN FESTO SANCTI MATHIÆ APOSTOLI.

FICEDULA ATRICAPILLA.

Daß schwartzplattige Münchlein.

LEMMA.

Cur potiùs nomen non dedit Vva mihi? Mart. l. 13.

THEMA.

Cecidit sors super Mathiam, & annumeratus est cum undecim Apostolis. Act. 1. v. 26.

SYNOPSIS CONCIONIS LXX.

S. Mathias Apostolus in *vicem* prævaricantis Judæ electus, & exinde *Vicedulæ* comparatus, triplici sorte cælitus donatur; quam proinde toti Venerabili Clero, in pignus universalis Fideicommissi, tanquam Clericorum Primas paternè dispensat.

103. Ficedulæ proprietates ad S. Mathiam & Clerum applicatæ.



Cum venerabili ac Apostolico Clero mea hodie officiosa tractat oratio, dum in primâ canonicâ & legitimâ electione *sors cecidit super Mathiam*: cui vel ideò Ficedulam consecro, quòd hæc avicula caput gerat, atris capillis instar cuculli monastici, aut birreti obtectum, sicque videatur clericalis statûs symbolum exhibere: unde etiam vulgò à Germanis das Münchlein/ oder Pfäfflein appellitatur; hoc est, clericellus vel Monacellus. Gellius refert, tantam fuisse veterum in cœnis instruendis luxuriam, ut negarent, avem ullam præter Ficedulam totam comesse oportere: ideóque meritò debetur Clericis, quibus melior & delicatior portio à Deo deputata est. Mutat simul formam & colorem Ficedula; & hoc nomen Aviculæ tales non nisi in Autumno retinent, postea Melancoryphi vocantur. Idipsum faciunt Clerici, qui exutâ sæculari formâ Ecclesiasticam vel Monasticam induunt cappam: unde qui priùs erant *Ficedulæ*, hoc est, dulces mundanæ libertatis *ficus edentes*; postea in statu clericali fiunt *melancoryphi*, hoc est, speculativi, meditabundi, & in Ecclesia choros psallendo ducentes. Ficedula nunquam ponit ova numero paria, sed semper imparia, septendecim, novendecim, & aliquando viginti unum: sic & Clerici plerumque numerum imparem observant, in dicendo *Kyrie eleison*, formandis crucibus, recitandis horis & psalmis, scientes quia *nume-*

Gellius l. 19. c. 2.

Gesnerus in Ficedula.

numero Deus impare gaudet. Ficedula pullos suos tam sollicitè alit, ut etiam in nido omninò pinguescant, antequam ad avolandum maturescant: Clerici verò animi sui partus nobilissimos, hoc est, studia, scientias & virtuosos actus, rore cæli & divinarum influentiarum pinguedine enutriunt. Verùm apud Martialem ipsa *Ficedula* de sua nomenclatione dubium movet; nam inquit:

Quum me Ficus alat; cùm pascar dulcibus Uvis:
CUR POTIUS NOMEN NON DEDIT UVA MIHI?

Optaret enim pari titulo vel *Uvedula*, vel *Ficedula* nuncupari Imò cum *vices* mutet quotannis, vellet servato eodem vocabulo, mutatâ duntaxat unicâ littera, æquè dici *Ficedula* vel *Vicedula*.

Quum me ficus alat; binis vicibusq́ per annum
Muter; ab hac mihi non cur vice *nomen inest?*

Sed nempe *Vicedula* nomen aptiùs condecet S. Mathiam, quàm ullam personam Apostolicam: ipse enim vacantem *vicem* supplevit prævaricantis Judæ; ipse accepit *locum ministerij hujus, & Apostolatûs* duodecimi; quando per legitimam sortitionem *sors cecidit super Mathiam, & annumeratus est cum undecim Apostolis.* Scitis, quomodo fuerit annumeratus Mathias? Erat similis elemento aquæ, quæ cùm naturâ suâ descendat deorsum, ramen propter metum vacui elevatur in sublime; sicque rectè ei subscribitur accentus: *SURGO NE DETUR INANE.* Cæterùm verò huic elemento observatur naturale esse,

Ovid. *Ut magis exurgat, quò magis unda cadit.*

S. Bernard. ser. 34. in Cant. Et rectè ad sensum moralem deduxit S. Bernardus, dum ait super Cantica: *Oportet namq́ humiliter sentire de se, nitentem ad altiora.* Humiliavit se Mathias, & coram oculis Domini invenit gratiam. Ideóque cùm Apostolica Synodus consultaret de substi-
Act. 1. v. 25. tuendo uno *in locum ministerij huius, & Apostolatus, de quo prævaricatus est Judas*; ne daretur vacuum in hoc Apostolico Collegio, dederunt sortes; *& cecidit sors super Mathiam*, qui surrexit, *ne detur inane.* Quapropter, ó venerabiles Clerici, *Vicedulam* hanc selectissimam, tanto Apostolo consecratam, vobis expono; & ut intelligatis, qua ratione sorte vestrâ possitis contenti vivere, triplicem vobis ex actis S. Mathiæ sortem ordinariâ methodo declaro. Vestrum enim principale hoc agitur Festum: quod tunc dignè celebrabitis, si sortem Domini à me propositam benevolâ attentione susceperitis, in nomine sanctissimæ Trinitatis.

Observavit id Antiquitas, ut nemo unus præficeretur alijs, nemo ad sacram ac profanam sublimis evolaret dignitatem, nisi is cui sors & fortuna dedisset. Ita olim sanxit Plato, cùm ageret de Republicâ bene instituenda; sorte instituendum, quis cui imperaret. Et inter cæteros testans Plutarchus: *ut in Democratia*, inquit, *cui sorte contigit imperium, eum oportet imperare; sic in vita hominum, quod sors dederit, boni consulendum.* Fuerunt autem variæ apud Veteres sortiendi rationes, & modi. nam juxta Salomonis Proverbia in *sinum* conjiciebantur chartulæ, tesseræ, globuli aut lapilli; juxta Homerum in *galeam*; juxta Plautum in *situlam*; juxta Ciceronem in *hydriam*; juxta Virgilium in *urnam.* Ea verò institutio non videtur à ratione, bonóque communi aliena; sortes enim in manibus Dei sunt, ab eo versantur in eam partem, & sese in ea capita inclinant, in quæ suaves & miræ Divinæ Providentiæ Leges inclinârint. *Sortes mittuntur in sinum*, ait Sapiens, *sed à Domino temperantur.* Secus contingit, cùm ab avito parentum sanguine, & natali luce petuntur hæreditates, & imperia obveniunt: nam tunc naturæ ac naturali necessitati cedendum est, & acquiescendum ei, quem maternus uterus effuderit; sive sit ille stupidus, aut ingeniosus; sive bardus, aut activus; sive arduæ operationis capax, aut ingenuæ mentis inops;

104. Sortis Divinæ ratio in Electionibus expensa.

Plato Dialog. 6.

Plutarch. in moral.

Prov. 16. 33.

ops; sive ad aram, vel ad haram qualificatus; sive ad aulam, vel ad caulam natus; sive ad purpuram, vel ad fabricam aptus. Non ita, cùm imperia cælo divinæque sorti committuntur: tum enim in ea non incurrit in terris, nisi qui priùs in cælorum fastis fuerit coronis & diadematibus inscriptus. Sic olim Saul sorte creatus est Rex: sic sorte deprehensus est Achan; sic sorte divisa est terra Promissionis inter filios Israël. Quæ olim ad thronum Regium sceptrúmque per sortes via fuit, eadem deinde ad Pedum, ad Infulas sacrásque dignitates fuit aperta. *Sic in vitâ hominum, quod sors dederit, boni consulendum.* Totius veritatis hujus est testis Sanctus MATHIAS, omnium Clericorum primus ac Primas, à quo omnes reliqui posteris sæculis successuri *Clerici* nomen & appellationem sunt consecuti. Solum hîc adduco Augustinum ex Patribus; qui Primatum Clericatûs unicè S. Mathiæ adscribit. *Clerus*, inquit, *sors dicitur græcè; & sortes ex promissione Dei, partes hæreditatis vocantur, quæ populo sunt distributa: unde tribus Levi præcepta est non habere sortem inter fratres suos, quòd ex eorum decimis sustentaretur. Nam & Cleros & Clericos hinc appellatos puto, qui sunt in Ecclesiastici ministerij gradibus ordinati: quia Mathias sorte electus est, quem PRIMUM per Apostolos legimus ordinatum.* Clericus enim dicitur à κλῆρος, id est, à sorte, quia sorte in sortem Domini adsciscitur. Nimirum habet illud amabilis Dei Providentia, ut sortes regat, flectátque ad commune bonum, in electione Clericorum: quorum utique Pater & Patriarcha est S. Mathias; quia eo antiquiorem Clericum nullibi legimus, nec ex traditione scimus: atque ex hac electione per sortes factâ, Cleri nomen incœpit cum Apostolis, imò ab Apostolis, per Mathiam primò ex divinâ ostensione supplentibus vicem prævaricatoris Judæ, in ordine ad Ecclesiæ concreditæ administrationem.

S. Augustinus in Psal. 67.

305. Igitur gloriosissimus Domini nostri JESU Christi Apostolus Mathias, de tribu Judâ, civitate Bethlehem, illustri prosapiâ fuit oriundus. Parentes verò ejus multis divitijs & generis nobilitate insignes, grandi apud Deum & homines morum venustate pollebant. Unde verè divinitus illis creditur donatum, ut religiosi parentes religiosiorem ex se filium procrearent, nomine Mathiam; quod interpretatur *PARVUS DEI*, seu *donatus*: natum proinde puerum à primis unguiculis Divinæ Legis institutionibus mancipârunt. Ad pedes itaque Simeonis, summi Sacerdotis & incomparabilis viri, atque tunc temporis in Lege Mosaica doctissimi, prima Legis elementa percepit, divinâque sibi gratiâ cooperante omnem brevì Legis & Prophetarum scientiam comprehendit. Conabatur jam tum in tenerâ ætate majorum imitari studia, divinæ lectioni jugiter incumbere, lasciviæ sensum non impendere, sed annos pueriles morum gravitate condecorare. Succrescens in adolescentem & crebris disputationibus exercitatus, non solùm suis condiscipulis, sed etiam Magistro mirabilis suspiciebatur: quippe cùm esset eruditissimus, nullatenus extollebatur, sed juxta nominis sui etymologiam se verè *parvum* & humilem nitebatur exhibere. Erat vir beatus corpore mundissimus, animo purus, in solvendis sacræ Scripturæ quæstionibus acutissimus, in consilio providus, in sermocinatione nudus & expeditus. Informabatur sensim animus ejus ad virtutem, ut esset ad intelligentiam habilis, ad misericordiam facilis, in prosperis non elatus, in adversis constans & intrepidus. Satagebat, ut quod sensu perceperat, opere compleret, & manûs assertione oris probaret doctrinam. O virum beatum, cujus præconium non solùm in Ecclesia Sanctorum, sed quod mirificum magis est, in Synagogâ resonat Judæorum! Ut ergo lucerna de medio Legis transiret ad Ecclesiæ candelabrum, vocatione Christi dignus habitus, pauperem Christum pauper ipse secutus, in sortem

S. Mathiæ natalis, educatio, mores, & electio in Apostolatum.

Bellarmin. ex editione Wolfgangi Lazii & variis [illegible].

sortem & numerum septuaginta duorum discipulorum ab ipso Domino est designatus. Completo deinde Dominicæ dispensationis Sacramento, cùm Salvator in cælum gloriosissimo comitatu stipatus jam ascendisset, exurgens Petrus in medio Fratrum, gravi oratione præmissâ, de substituendo Judæ proditori successore deliberavit cum cæteris Apostolis, etiam antequã acciperent Spiritum sanctum ex alto. *Et statuerunt duos, Ioseph, qui dicebatur Barsabas, qui cognominatus est justus, & Mathiam.* Factâ autem publicâ oratione totius Ecclesiæ, *dederunt eis sortes* propriè dictas: nempe nomen Mathiæ uni chartæ, & nomen Joseph alteri chartæ inscriptum, utrumque injecerunt *in urnam*, & ibi commiscuerunt; ut cujus primò educeretur, is esset Apostolus. Et hoc rudi quodam ac inexperto modo faciebant ex consuetudine Patrum Veteris Testamenti,
Cornel. à Lap. sup. act. antequam recepissent Spiritum sanctum; quanquam idipsum facerent ex instinctu divino, quo tacitè Deus promittebat, se suam voluntatẽ per eam demonstraturum, & magis idoneum
Act. 6. designaturum. Post acceptum verò Spiritum S. in simili electionis Diaconorum casu id ampliùs non faciebant;
c Ecclesia, de sortilegiis. perinde ac jam omnis sors in electionibus Pastorum & Ecclesiasticorum est prohibita Jure Canonico. Itaque in hac sortitione primò eductum est nomen MATHIÆ: qui insuper, ne inferior esset cæteris Apostolis à Christo electis, signo quodam cælesti est confirmatus, radio scilicet fulgentissimo super caput Mathiæ illapso; prout SS. Dionysij, Antonini, & aliorum Patrum recenset sententia. Eo ferè modo, quo postea S. Fabianus illapsu columbæ, aut S. Gregorius M. irradiatione lucis cælestis, in Pontificatu à Deo est confirmatus. Verùm ut ut sit, parum interest: ab illâ sortitione Mathias dictus est *CLERICUS*, id est *sorte electus.*

106. An rectè prael. Joseph major sic declaratus Mathias. *Statuerunt duos, Ioseph & Mathiam; & cecidit sors super Mathiam.* Quid hoc, ô Clerici venerandi? Controversia de præcedentia odiosa est Christo, qui graviter redarguit inordinatũ affectum duorum filiorum Zebedæi, affectantiũ primos concubitus in regno Dei: qui etiam, cùm esset inter Apostolos de majoratu contentio, molestissimè tulit cõtentionem eorum; & contentiosis intimavit suæ familiæ leges, quibus è domo suâ penitus exularet & ablegaretur ambitio. Hæc cùm ita sint, mirum videri debet, quòd in cœnaculo disputetur ab Apostolis priorum redargutionũ haud ignaris, quisnã ex his Septuaginta duobus sit excellentior? & in sortem vocatis duobus, cæteris major declaretur *Mathias*. Mystica hæc æmulatio est, qualem & Paulus scribit, ac suadet Corinthijs: cùm enim Ecclesiæ gradus justo ac debito ordine dispositos enumerasset, rogat: *Nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes virtutes*? Concludit tandem: *æmulamini autem charismata meliora.* Non 1. Corinth. 12 v. 31.
dicit superiora & elatiora, sed meliora: non igitur est contra canones humilitatis æmulatio, quæ tendit in meliora, sed elatiora culmina dignitatũ, ut ex ascensu quis excellentior & honoratior ab hominibus esse censeatur. Hæc terrenorum hominũ conditio & professio est: at verò sanctorum virorum institutum est, ut non de honore, sed de onere, non de dignitate, sed de humilitate, non de elatione, sed de melioratione contendant inter se; & juxta D. Pauli monitum *meliora charismata* æmulentur. Quo loco, interprete S. Thoma, ordinat Apostolus Corinthiorum, & omnium Christianorum affectus, quo pacto sine errore possint gratias superiores affectare. *Æmulamini*, inquit, *id est, desiderate, charismata meliora, id est, gratias potiores, ut scilicet magis desideretis ea, quæ sunt meliora.* Vnde & idem Paulus Thessalonicenses hortatur: *Omnia probate, quod bonum est, tenete.* Appositi sunt Ma- 1. Thess. 5 v. 21.
thias & Barsabas in medio virorum adstantium, qui juxta prædictum affectum meritò prætulerunt Mathian; quia scilicet noverunt hunc cælestem hominem desiderare meliora, ut, quam posset, statu ac conditione sanctiore Domino deservire; & propterea decreverunt, eum dignum esse

sum-

summo Apostolatu. Deus enim illis inspiraverat ac revelaverat, cui & dixerunt: *Tu Domine, qui corda nôsti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum.* Ad hujus Apostoli normam componendi sunt eorum affectus, qui gradus Ecclesiasticos ascendunt, ut non sint dominantes in Clero, sed obtemperantes Deo, qui non propter suorum ministrorum honorem, sed propter eorum & sibi commissarum ovium perfectionem, in Ecclesia varios gradus & status ordinavit.

107. Instructiones Clericorum ex electione S. Mathiæ.

Tu quoque, qui in eam sortem venisti, ab ea diceris *Clericus*, hoc est, electus, non hominum suffragiis, sed Superûm calculis; non casu, sed divino consilio è toto mortalium genere ad hunc dignitatis gradum assumptus. Assumptus, inquam, etiam si voles, per miraculum: per donum altioris sapientiæ, à qua doceris ea sapere, quæ Dei sunt, non quæ mundi: per amœnam & bene ominatam columbæ speciem, cælestem dico Spiritûs S. afflatum; à quo fortunatum omen futuræ aliquando fælicitatis, si tamen in ea sorte consistas, vitámq; exigas consonam tuæ vocationi: de qua magnificè & elatè Apostolus, *Gratias*, inquit, *agentes Deo & Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine.* Electus, inquam, & assumptus à Spiritu S. qui hodiernâ electione mira docet, Ecclesiasticis observanda. Vides, quàm non sint respiciendæ in electionibus ad officia, vel beneficia Ecclesiastica, cognationes & consanguinitates; quando Christus Joseph consanguineo, in Apostolatu Mathiam extraneum prætulit. Nec tamen Joseph doluit super prælaturam Mathiæ, nec inde in prædicatione Evangelij segnior evasit, sed æquè strenuus Christo in alijs munijs deservivit. Quot sunt, qui in electione ad Prælaturam vel Beneficium Ecclesiasticum repulsam passi, enormia quæq; machinati sunt mala, schismata & hæreses invexerunt; ut non tantùm de Novato antiqua, sed etiam de Luthero moderna lamentatur Ecclesia? Agnosce, Apostolatum similésque præeminentias, & gradus Ecclesiasticos, non

Colo∬. 1. v. 12.

cadere sub meritum de condigno? quando Deus etiam Mathiam & cæteros Apostolos sorte elegit, non merito. Sic enim & alij heroës à Deo missi ad Ecclesiæ defensionem, reformationem, vel illuminationem, ut S. Augustinus, Basilius, Hieronymus, Chrysostomus, Benedictus, Bernardus, Dominicus, Franciscus, Ignatius, ac innumeri tales, *sorte*, hoc est, gratiâ Dei ad hoc munus sunt electi. Veruntamen ad hanc gratiam se disposuerunt, eámque suâ humilitate de congruo sunt promeriti; agnoscentes se ad tantum opus planè indignos & ineptos esse, séque ad id sorte seu *dono Dei* destinari. Vt verum sit illud S. Bernardi superiùs allatum: *oportet humiliter sentire de se, nitentem ad altiora.* Prout Seraphicus noster P. Franciscus aliquoties rogatus, quid excellentiæ aut boni haberet, ob quod à Deo ad tantum sanctitatis & authoritatis culmen esset exaltatus, ut totum mundum ad se suique venerationem traheret? Non enim singulari quodam nobilitatis gradu eminebat; divitias abjecerat, Academicas scientias non didicerat: statura pusillus & contemptibilis erat, eloquio etiam à Demosthenis virtute longè deficiebat; qui ergo totus post eum mundus currit? Interrogatus de hoc aliquoties Franciscus, humiliter respondit: idcirco Deus me ad hoc elegit, quia nihil habeo, in quo gloriari possim, ut ostendat hoc opus non esse hominis, sed Dei.

Cecidit sors super Mathiam. Si non arrideat hæc Divinæ vocationis vel electionis sors, ad aliam vos Clericos hodie ducit S. Mathias: quæ utique non in purâ nominis etymologiâ, sed in sorte Domini, hoc est, in hæreditate Domini consistat, quam Altissimus olim Sacerdotibus ac Levitis consignavit, volens eos exclusos & privatos esse ab omni possessione bonorum, & hæreditate filiorum Israël. Verba Legis erant ista. *Dixit Dominus ad Aaron: In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos: quia ego pars & hæreditas tua in medio filiorũ Israël.* Nempe Deus optimus Maximus, cui fluvii rivi aquarum, &

108. Hæreditas Domini quomodo Sacerdotibus assignata in veteri Testamento.

Num. 18 v. 20

panduntur immensa maria; cui suas opes, sua spolia, frugésque terra parturit; cui summo jure, summo in omnia dominio debetur, quidquid usquam locorum habet hic orbis spectabile (tanta fuit supremi Numinis in pusillos, indignósque mortales indulgentia!) ttia tantùm suo juti ac nomini voluit servanda ac consequenda, frugum primitias, decimas, & sacrificia sive victimas, quæ in aris caderent. Ea deinde in Sacerdotes & Levitas effusâ transtulit liberalitate: & ex hoc titulo dicuntur Clerici adiisse ipsam Domini sortem, ac hæreditatem. *Ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Israël*: nam sacrificia, victimæ & oblationes, quæ mihi offeruntur, sunt tua sors & hæreditas, nec aliam te habere volo; cùm hæc tibi abundè sufficiat ad alimentum, nec opus sit, agrorum & vinearum culturæ implicari, quando te totum mibi meisque ministerijs debes impendere. Ego Deus vobis, ô Sacerdotes, ero arva, vinea, oliveta, segetes, uvæ, olivæ. Ego absque vomere & aratro, absque fossione & bastinatione, absque labore & ullâ curâ vestrâ, vobis proferam ac reddam ea emolumenta, quæ ulla pinguissima gleba, fertilissima vitis, fructuosissima olea, ingenti etiam labore & culturâ haud solet parturire. Sed verò hoc ideo facio, ut magnâ veneratione & charitate ceteræ Tribus meos proiequantur Sacerdotes; & vicissim Sacerdotes in eorum acriùs incumberent salutem: volo ut in sacris & spiritualibus omnes à Sacerdotibus penderent, hi vero in corporalibus vitæ subsidijs penderent ab alijs Tribubus. *Ego pars & hæreditas tua.* Vultis, ô Israëlitæ, me Deum vestrum venerari, date Sacerdotibus meis, quæ ad victum & vestitum requiruntur; date ea, quæ mihi à vobis debentur. Vultis vicissim Levitæ & Sacerdotes, ab Israëliticis pingues hostias, primitias & oblationes recipere; sacris operamini naviter, populum meum sedulò Divinas leges docete; ipsum vobis vestrâ religione, doctrinâ, sedulitate & exemplo devincite; ipsius liberalitatē ac munificentiam impietate, inertiâ, otio ac lasciviâ ne retundite: eorum animæ vobis, vestrum ijs corpus à me commendatum est. Quare ut sine impedimento detis populo vitæ cælestis speciem, nolo vos terræ ac terrenis bonis inhiare, sed præcisè cælestia desideria & vota in animo gerere. Et hoc rectissimè: nam ut S. Augustinus ait. *Temporalia bona non cessant nos inflammare ventura, corrumpere venientia, torquere transeuntia: concupita inardescunt, adepta vilescunt, amissa vanescunt.* Et S. Bernardus: *Nolite diligere ea, quæ amata inquinant, possessa onerant, amissa cruciant.*

S. Augustin. hom. 21. de verb. Apost.

S. Bernard.

Non audiendi sunt nostri temporis hæretici, quibus invidia oculos clausit, & lingua duntaxat ad maledicendum est expedita. Hi enim improbè insultant Ecclesiastico Clero, ex principio Numerorum allato jactantes: *Clericos solis decimis contentos vivere oportere, divino jure omni hæreditate privari, omnibus bonis immobilibus exui, omnis insuper Principatûs incapaces reddi.* Advertisse hi gannitores deberent, legē illam cæremonialem cum ceteris ejusce generis penitùs abolitam, atque è sacrarum Legum serie esse expunctam. Nova Lex aliam Clero tribuit authoritatē, quando in Christo, *vero Sacerdote in æternum secundùm ordinem Melchisedech*, coojunctum Regnum cum Sacerdotio suspicimus: in quo solo Regia & Pontificia Jurisdictio, vi ejusdem tituli, summa & plenissima cernitur; ita ut quemadmodum mons Sion esset bicollis & bijugus, cujus in uno colle Arx regia, in altero Templum contineretur, Christus solus Filius Dei naturalis, utrobiq; regnaret, & regiâ ex objecto temporali ac spirituali potestate frueretur. Nemo maledicorum imponat Romano Pontifici & Clero, eos à prima sua institutione defecisse, nec ampliùs usurpare posse illud Petri: *Aurum & argentum non est mihi*; nemo cum calumniosissimo Petro Molinæo Ministro Sedanensi petulanter improperet Sumo Pontifici, quòd posthabitâ literâ Dominicali *numerū aureū* sectetur, sitq. avaritiæ & imensæ cupiditati mancipatus. Deberet talis meminisse illius, quod olim nascens vidit Ecclesia,

109. Clericus qua is com pe. at hæreditas Domini.

clesia, suspexit, amavit; cùm primi Christiani ad pedes Apostolorum abjecti, suorū prædiorum pretia & omnes proventus effunderent; adeò ut Ananiæ & Saphiræ subito interitu steterit, eorum tantùm partem obtulisse, reliquam mendaci linguâ suppressisse. Cujus honoris ac demissionis modum expendens S. Chrysostomus, rationem reddit: *Non ad manus ipsorum ponebant, sed ad pedes, declarando fidem & pietatem & reverentiam, quam habebant Apostolis; & quod maioris ducebant, quòd ab eis reciperentur, quàm quòd ab eis darentur dona.* Hæc S. Doctor ex totius Antiquitatis sensu, primoque nascentis Ecclesiæ spiritu. Vt innumera talia dimittam Controversistis, de possessione sacerdotalis Ordinis pertractantibus; occurrit nobis hodie sanctus Mathias: quippe

S. Chrysostom. in 1. Ep. ad Corinth. c. 11.

110. *Cecidit sors super Mathiam*, ut acciperet hæreditatem Domini cum reliquis Apostolis, & intraret sortitionem universæ terræ in funiculo distributionis, in officio prædicationis. Si de terris agitur, quas prædicando Evangelium peragravit, amplissimæ illæ sunt, & à nativo solo remotissimæ. Nicephoro teste, post divisionem Apostolorum ex Spiritûs sancti ordinatione factam, Mathias primò Æthiopiam adiit, ibique à feris, infestis, & immanibus gentibus innumera pertulit; sicque annuntiando Evangelium, magnam hominum multitudinem ad Christum convertit. Macedoniam etiam prædicatione, miraculis & captivitate sancti Mathiæ fuisse illustratam, alij perhibent apud Equilinum: ubi gentiles ejus fidem & sanctitatem probare volentes, toxicatam potionem, quæ cunctos bibentes visu privaret, ei porrexerant, quam in nomine Christi sine læsione ebibit. Et cùm illa potio plusquam ducentos quinquaginta excæcâsset, ille singulis manus imponens, omnes illuminavit: Diabolus autem sub specie cani infantis eis apparens suasit, ut Mathiam occiderent, utpote qui suis prædicationibus eorum cultum evacuaret. Mirabile dictu! qui semper in eorum medio conversabatur, eum triduo quærentes non viderunt. Tertiâ verò die sponte se eis manifestatum, & vinctum in carcerem recluserunt: ibi dæmones terribili aspectu ac dentium fremitu eum quidem volebant deijcere, sed appropinquare aut nocere minimè potuerunt: Christus enim multo lumine eum circumdans & confortans, aperto ostio liberum permisit abire. Cumque iterum prædicaret, & quidam obstinati ejus doctrinis obsisterent, mox terra se aperuit, & dum plerosque refractarios deglutiret, reliqui Christo sunt initiati. Post hæc reversus in Judæam Verbum Domini prædicabat instanter, & circuiens castella, vicos & domos, benefaciens & annuntians Verbum Dei, innumeris miraculis suam doctrinam, cooperante Dei virtute, confirmavit. Itaque munere suo Apostolico ritè functus, hæreditatem Domini obtinuit: parum dico, *hæreditatem*; quando Justinianus in quodam sermone de S. Mathiâ contestatur, quòd *Primatum adeptus est gentium, quia prius sibimet didicit principari. Sic namque ad veri honoris conscenditur cathedram, ut antè quis sibi, deinde dominetur & cæteris.* Magna res, à qua pendet summus honor, supremus principatus, hæreditas Domini, sors Numinis supremi!

S. Mathiæ prædicatio diversis Provincijs.

Nicephorus l. 2. hist. Eccl. c. 40.

Bollandus 24. Febr.

Equilinus l. 3. c. 149.

Justinianus in serm. de S. Mathia.

111. Dum de hac sorte, de hac Domini hæreditate loquor, suspicere vos omnes adverto sanctum Mathiam tanquam hæredem: *quod si hæres*, erit & *filius*; qui ex legitimo successionis titulo hæreditatem aggrediatur. Quòd si filius sit Mathias, cujusnam putatis esse filium? Nobiles ejus parentes audistis *secundùm carnem*; nunc etiam *secundùm spiritum* accipite. Magnum esse matrimonij Sacramentum inter Christum & Ecclesiam, testatur Apostolus: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo & in Ecclesiâ.* Magnum est hoc Sacramentum & propter personas desponsatas, & propter sanctissimum partum inde procedentem. Sciatis, quòd sicut olim ex latere Adami dormientis prodivit Eva, quæ est mater viventium; ita ex latere

S. Mathias filius & hæres Ecclesiæ, speciali titulo.

Ephes. 5. v. 32.

Christi in Cruce aperto prodivit Ecclesia, quæ est mater Electorum. Cùm alij Apostoli sunt vocati, nondum erat formata Sponsa, & ideo deficiente matre imperfecti erant filij. Quamobrem Christus futurorum præscius, non pronunttavit in vocatione, *Facio vos piscatores hominum*; sed dixit, *faciam vos fieri piscatores hominum*: hoc est, faciam vos fieri ex me tanquam ex patre, & Ecclesiâ tanquam ex matre, ut & Dei proles sitis, & Ecclesiæ progenies. Ob similem causam confitenti Petro non statim datæ sunt claves regni cælorum, sed in posterum reservatæ: *Et tibi dabo claves regni cælorum*; quia nondum Ecclesia ædificata, sed ædificanda erat, juxta illud. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: ædificabo mihi Sponsam ex latere meo; & eùm filius sis Ecclesiæ atque meus, innitetur super te totum ædificium, totiusque mei regni eris claviger. Apostolos, qui Passionis tempore fuerant sicut oves errantes, inito jam cum Ecclesiæ matrimonio, revocavit ad se post resurrectionem, ut ex se & Sponsâ suâ generati, quasi modò geniti infantes, rationabiles, sine dolo lac concupiscerent. Exinde sapienter ordinavit Petrus, electionem Mathiæ fieri per sortes ab Ecclesiâ congregatâ, ut sic Sponsæ filius evaderet: & per sortes quidem, quarum eventus à solo Deo pendet, ut ex Deo tanquam ex Patre natus censeretur. Hac recenti generatione, qua Mathias per electionem *Filius* Dei & Ecclesiæ, adeóque etiam *hæres* suspicitur, in parvulorum numero constituitur; & eorum quidem, in quorum laudem Servator ait: *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ; quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Parvulus est Mathias, sed more Christi, qui natus est parvus, simul & *magnus*, tanquam *Altissimi Filius*. Cùm Cain fratrem occidisset, quis crederet territos parentes rursus ad concubitum redituros? *Cognovit quoque adhuc Adam uxorem suam* tristem ac mœstam, *& peperit filium, vocavítque nomen ejus Seth; dicens: posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain*: sicque de prioris sobolis amissione solatium accipiens mater, ad spem erigebatur posteritatis. Desolata erat mater Ecclesia ex damno per Judæ proditionem illato, & infelicior videbatur, quàm Eva de morte Abelis: quia Eva filium perdidit, aliquando sibi suscitandum & restituendum; Ecclesia verò gnatum amisit, & simul omnem restaurationis ac redemptionis de eo spem abjecit. Itaque consolatus est Ecclesiam suam Deus, quia pro Juda suffecit Mathiam, Filium electum & *parvum Dei* pro filio perdito prævaricante, ut ex ejus electione ac creatione geminatum gaudium consequeretur mater, reparati scilicet & novegeniti filij; qui legitimo jure, suo & totius venerabilis Cleri nomine, intraret in possessionem hæreditatis Divinæ.

Matth. 4. v. 19. — Matth. 16. v. 19. — Ibid. v. 18. — Lucæ 10. v. 21. — Genes. 4. v. 25.

Restat adhuc tertia sors, Clericis venerabilibus potissimùm propria; quam 112.
regius Psaltes, ex humili sorte ad supremum Majestatis fastigium evectus, dudum suis ceris ac cordi appropriavit, dicens: *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei.* Quod facit ad laudem, dignitatem, & Ordinis clericalis Majestatem; cui non terra, non maria, non æther, non cæli, non denique totus mundus sunt ultimata hæreditas, sed *Dominus*. Quærant alij, sibique metiantur in terris amplissimas possessiones; scribant nomina sua in terris suis, dicant se Dominos à valle, à monte, à palude, à rebus memorabilibus: excurrant alij in exteras regiones, trajiciant immensa maria, novos venentur orbes, acquirendis divitijs & honoribus insudent; Clericos plùs satis unum illud satiat, specificat & exornat: *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei.* Ita enim, dum primâ tonsurâ ab Episcopo insigniuntur, illud sibi pronuntiari audiunt; eoque moneri sciunt, se per inaugurationem Status clericalis Deum in partem specialem assumere. Ad hujusce hæreditatis considerationem sanctus Hieronymus inducit Nepotianum in quâdam Epistola

Dominus ipsemet optima Cleri sors & hæreditas. — Psal. 15. v. 5. — S. Hieron. Ep. ad Nepotian.

„stolâ scribens. [Clericus, qui Chri- „sti servit Ecclesiæ, interpretetur pri- „mò vocabulum suum; & nominis de- „finitione prolatâ, nitatur esse quod „dicitur. Sic enim *Cleros* græcè, lati- „nè *Sors* interpretatur; propterea vo- „cantur, Clerici; vel quia de sorte sunt „Domini; vel quia Dominus ipse sors, „id est, pars Clericorum est. Qui au- „tem vel ipse pars Domini est, vel Do- „minum partem habet, talem se exhi- „bere debet, ut & ipse possideat Do- „minum, & ipse possideatur à Domi- no.] Addit similia præfatus Doctor. Qui Dominum possidet, & cum Propheta dicit, *Pars mea Dominus*, nihil extra Dominum habere potest. Quòd si quidpiam habuerit aliud præter Dominum, pars ejus non erit Dominus. Obsecro te, & repetens iterum iterúmque monebo, ne officium Clericatûs, antiquæ genus militiæ putes: id est, ne lucra sæculi in Christi quæras militia, ne plùs habeas, quàm quando Clericus esse cœpisti, & dicatur tibi, *Cleri eorum non proderunt eis*. Hæc memoria nominis & hæreditatis clericos in officio continebit, & Ecclesiam in virtute promovebit universam. Vt alios Oecumenicorum Conciliorum canones silentio venerer, Concilium Tridentinum universum Clerum paternâ exhortatione instanter commonefacit: *Nihil est*, inquiens, *quod aliis magis ad pietatem ac Dei cultum assiduè instruit, quàm eorum vita & exemplum, qui se divino ministerio dedicârunt. Cùm enim à rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquam in speculum, reliqui oculos conjiciunt, ex ijsque sumunt, quod imitentur. Quapropter sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos, vitam morésque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, alijsque omnibus rebus, nil nisi grave, moderatum, ac religione plenum præseferant: levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.* Non tantùm Dominus pars hæreditatis meæ; sed *& calicis mei*; antiquo prorsus more, quo portiones hæreditatis in calicem mitti, & ex eo sorte solebant extrahi. Dicam accomodatiùs, hanc Domini hæreditatem, & hunc calicem tunc S. Mathiæ obtigisse, quando calicem Domini bibit, & exinanivit, usque ad fundum per cruentum martyrium, quod pro confessione sui Salvatoris generosissimè sustinuit. Placet de hoc calice nonnullos haustus, absynthio tinctos, ad gustum vobis delibare.

Tridént. Sess. 22. de Refor. c. 1.

113. S. Mathiæ mors, martyrium & præconia.

Ecclesiasticæ historiæ varia suppliciorum genera referunt, quæ S. Mathiæ de calice Domini exhaurienda obtigerunt. Equilinus Episcopus sequentia refert. *Reversus Apostolus in Iudæam Verbum Domini prædicabat, multósque in signis & prodigijs convertebat. Cui invidentes Iudæi eum in Concilio statuerunt, duóque testes, qui illum accusaverunt, primo in ipsum lapides miserunt; quos lapides in testimonium secum sepeliri petijt. Qui dum lapidaretur, securi in capite percussus, spiritum Deo reddidit.* A Nicephoro refertur, *animo intrepido & forti martyrii coronam suscepisse*; & quidem, ut Joannes Langus Interpres adjunxit, *lapidibus penè obrutus, ad extremum securi percussus*. S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus laudes Apostoli sequentibus encomijs comprehendit, quæ etiam Treviris in Ecclesia Cathedrali supra ejus venerabiles reliquias sunt exsculpta. *Fuit in Lege Domini doctissimus, corpore mundus, animo prudens, in solvendis quæstionibus sanctæ Scripturæ acutus, in consilio providus, in sermocinatione expeditus, multorum signorum patrator: extensis in cælum manibus Spiritum Deo Martyr reddidit.* Martyrologium Coloniense Anno 1490. excusum, inter alia etiam de illo hæc memorat. *Primò à Iudæis capitur, & velut blasphemus, lapidibus obruitur: post hoc quasi bos securi percutitur, & capite truncatur: tali martyrio, priùs oculos in cælum figens, emisit spiritum.* Pleræque aliæ authoritates perhibent unanimiter, Mathiam Apostolum Giscalæ, Galilææ urbe, ingressum Synagogam constantissimè Christum prædicâsse Judæis, disputâsse cum eis profundissimè, subijsse martyrium lapidationis & decollationis ar-

Bollandus in S. Mathia.

S. Anton. part. 1. Chron. tit. 6. c. 25.

Martyrolog. Coloniense.

ardentissimè. Non carent suâ forte obitus, & natales Sanctorum; & *Sors cecidit super Mathiam*, ut lapidaretur & capite plecteretur. Congruit cum ejus officio, ac ministerio mors ista gloriosa. Electus fuit, ut esset testis Resurrectionis: & tunc suum confirmavit testimonium, cùm testis sive Martyr comprobatus, *Calicem Domini* bibit, & veritatem, quam fuerat in prædicatione testatus, proprio sanguine rubricavit. Lapidatus est Mathias, ut testis esset Dominicæ Resurrectionis de revoluto lapide ab ostio monumenti. Supposuit cervices suas gladio, ut quod erexerat Christus in Resurrectione caput, erectum omnes crederemus; pro cujus fide suum proprium caput magnus hic Apostolus lubens, & volens subjecisset. Inclinavit ac demisit Mathias caput suum cum Christo in Passione, quod tandem in Resurrectione novissimâ exaltabitur gloriosè. Electus fuit Mathias ad observantiam mandatorum Dei, sicut omnes communiter Justi. Electus fuit ad perfectionem consiliorum Evangelicorum, sicut omnes Discipuli. Electus fuit ad tolerantiam violentæ mortis, sicut omnes Christi Martyres. Electus fuit in sortem Clericorum, sicut alij Sacerdotes legitimi. Electus fuit ad officium Prælatorum, sicut cæteri Apostoli. Electus denique fuit ad gloriam Beatorum, ad æternæ vitæ hæreditatem, ad quam ingressus est consummatione cruenti agonis.

Triplicem sortem venerabili Clero adjudicatam hodierna tulit *Vicedula* Mathias, Clericorum Primas & Patriarcha: cujus quicunque particeps factus evaserit, lætetur & exultet in sorte Electorum, cum quibus in hierarchico suo gradu constitutus Altaris ministerio dignè deserviat, ut olim, si dormierit *inter medios Cleros*, hæreditatem capiat æternæ retributionis. Amen.



IN FESTO VIRGINEI SPONSI S. JOSEPHI.

PORPHYRIO PUDICUS.
Der geschämige Purpur-Vogel.

L E M M A.

Virginei Custos Monitorque Pudoris. Statius lib. 12.

T H E M A.

Joseph autem vir ejus, cùm esset justus, & nollet eam traducere; voluit occultè dimittere eam. Matth. I. v. 19.

SYNOPSIS CONCIONIS. LXXI.

S. Joseph Verbi Incarnati Pater nutritius, inter eximias prærogativas, vel à conditionis ac morum similitudine depromptas, vel ab amicabili conversatione promeritas, sub hoc encomio gloriosissimus audit, *Virginei Custos monitorque Pudoris.*

114. Porphyrio pudicitiæ Custos.



Columbam candidam fortè expectabitis hodie, Auditores, quæ ex Veterum monumentis virgæ insedisse refertur S. JOSEPHI. Sacerdotes enim, quorum erat Virgines Deo sacras & templi obsequijs devotas matrimonio jungere, cùm inter se quæsiissent, cui viro danda esset in Sponsum MARIA, nec inter eos convenirent; placuit super ea re oraculum con-

confulere: è quo hæc est audita vox, hoc allatum responsum. *Cujus virga derepentè floruisset, & in ejus vertice Spiritus S. Columbæ formâ consedisset, ipsum esse, quem cæli leges Mariæ Sponsum designassent.* Oraculo respondit eventus; nam virga Josephi in germina, florésq; se se explicuit, atque in eam columba nivea devolavit. Quare Princeps Sacerdotum, Sacerdotésque omnes, qui convenerant, rem admirati, pari voto illi quatuordennalē Virginem Mariam desponderunt. Et quadraret hæc Columba Sponso Virginis castissimo (quidquid tandem veritatis subsit facto relato; quod vel in Scripturis, vel in Ecclesiæ traditione, vel in unanimi Patrum assertione fundatum non est, & qua facilitate invehitur, eâdem negari potest) nisi ex toto volatilium cœtu *pudicus Porphyrio* eidem consecranda justissimo titulo advolâsset. Si cætera deessent omnia, solus purpureus color ex coxis, cruribus, & rostro ejus renitens Virgineo Pudori patrocinaretur. Nam purpureus color pudoris est indicium; hinc prætexta Romanos pueros admonebat, verecundiam in dictis factisque esse servandam. Notum est Catonis illud, qui diceret, sibi magis placere adolescentes, qui rubescerent, quàm qui pallescerent: & Diogenes verenti cuidam; *confide fili*, inquit, *hic enim virtutis est color.* Illud multò magis considerandum, quod plures Ornithologi aiunt, Porphyrionem domi educatum mulieres, quæ sunt sub viri imperio, diligenter observare; ejusmodique habere sensum adulterium admittentis, ut quando hoc cognoverit, domino significet, sibique vitam suffocatione vel suspendio adimat: quam esse certissimam commissi adulterij notam observant. Causam hujus in abditis naturæ arcanis reponunt; tantùmque inde colligere juvat, quàm turpe & quàm abominabile sit adulterium, cujus actu etiam clanculario ejusmodi avis vitâ privetur. Alciatum audite.

Colvenerius in Calendario B. Virg. 23. Ian. n. 5. Novarini l. 1. Exempt. Deipar. c. 6. q. 4. S. Hieron. to. 9. in Prot. Evangelio Iacobi.

Alexand. ab Alex. 2. c. 19.

Ælianus l. 14. c. 55. Varro hist. l. 3. n. 39. Alciatus Embl. 47.

Porphyrio, domini si incestet in adibus uxor,

Despondétque animum, præque dolore perit.

Quid de castissimo Josepho? Non quidem despondit animum, non suffocatione aut suspendio afflictam contestabatur mentem, dum videret Virgineam suam Sponsam intumescente utero gravidam; sed verò de alio consultat medio *VIRGINEI CUSTOS MONITORQUE PUDORIS.* Purpureus Josephi color, rei novitate attonitus & suspensus, varios animi motus sensit & affectus deliberabundos, ignarus, quid in gravissimo momento assumeret medij; adhuc enim nesciebat, an ab homine, an ab Angelo, vel Deo esset fœcundata. Veruntamen *cùm esset justus, & nollet eam traducere*, jamjam resolvit se, ad aggrediendum securius remedium, *& voluit occultè dimittere eam.* Vbi sanctus Hieronymus commentatur: *Hoc testimonium Mariæ est, quòd Ioseph sciens illius castitatem, & admirans quod evenerat, celat silentio, cujus mysterium nesciebat.* Vultis suspicere, Auditores, Virum castum, pudicum, virgineum, fidelem & justum; oculos animosque hodie in sanctissimum Deiparæ Sponsum Josephum conjicite: qui castitatem & pudicitiam longè prudentiùs, multóque constantiùs tuebatur semper atque contestabatur, quàm ullus Porphyrio conjugum verecundiam postea, sese despondendo, propalare. Quare toti⁹ meæ modestissimæ dictionis scopus & thema erit, ad punctum succollati lemmatis collimare, quòd S. Josephus, Salvatoris nostri Pater nutritius, Deiparæ Sponsus tutorius, sub hoc encomio gloriosissimus audiat, *VIRGINEI CUSTOS MONITORQUE PUDORIS.*

S. Hieron. t. 9. Comment. in c. 1. Matth.

Ioseph autem vir ejus, cùm esset justus, 115.
Magna nominis excellentia, quâ toto orbe nihil præstantius inveniri potest, nihilq; obtineri honorificentius, quàm esse conjugem, & *VIRUM* Deiparæ Virginis Mariæ. Laudaturus Ennodius Honoratam, sancti Epiphanij Ticinensis Germanam, in vitâ illius S. Antistitis: *Sufficit*, inquit, *ad laudum eius cumulum, dignam tanti VIRI sororem dixisse.* Quantò ergò altiùs evehitur sanctus Josephus,

S. Iosephi multiplex prærogativa ex conjugio Virginis

cùm tantæ Virginis, quâ infra Christum nihil orbis vidit sublimius, non Frater, sed Vir, atque adeò portio & compars, nominetur & fuerit? Itaque quod Gregorio Nazianzeno de sororio suo, B. Gorgoniæ marito, scribere licuit, eum compendio summè laudari, & omnibus virtutum ornamentis clarum prædicari, cùm audiebat *Vir Gorgoniæ*, tam piæ & tam sanctæ mulieris; tantò potentiùs urget circa Josephum, quantò fuit supra Gorgoniā altior, & quomodolibet eminentior Deipara MARIA. Accedit, quòd Pater Christi putatitius fuerit, & ejus Pueri curam gesserit; provisus à Deo ad subsidium tam Matris quàm Filij, ac proinde *Virginei Custos testisque pudoris*. In quo S. Josephus, quantùm salvâ Matris integritate fieri potuit, nomen Patris haudquaquam vacuum tulit. Jure siquidem conjugij in eum finem cum Virgine à DEO provisi, Christus ad Iosephum pertinebat multò magis, quàm filius viduæ ad secundum maritum: hic enim non contrahit cum ipsa, ut prolem ejus educet, sed ut ex ea suscipiat prolem. At verò Ioseph provisus est Virgini maritus, ut Mariæ ex se solâ, id est, absque viri operâ concipienti, ac parienti adesset adjutor ad educandum; obiens omnes erga Prolem partes patris, extra operam in generatione, ratione curæ, quam in juvandâ matre ad Christi contulit educationem. Ex qua cura, convictu & conversatione assiduâ cum Christo & ejus sanctissima Matre, dubitare haud licet, quin ad immensum gratiæ cumulum pertigerit; quando à Deo ad tantum munus electus, *præventus* utique *fuit in benedictionibus dulcedinis*, tanto ministerio consentaneis; quibus ad summum sanctimoniæ verticem proveheretur. Nec prorsus vana esset omnino imago Patris naturalis (quantùm creata creatis componere fas est) nimirum æterni Patris: cum Spiritu item sancto analogiam habuit, quatenus uterque Virginis fuit Sponsus. Vt non immeritò has viri sanctissimi prærogativas suspiciens

S. Greg. Naz. Orat. 11.

S. Damasc. Orat. 1. de Nat. Virg. S. August. l. 23. contra Faust. c. 8.

Gerson in Concilio Constantiensi, existimet, eum per vitam universam à labe mortalis cujusvis culpæ fuisse præservatum. Scriptura verò ejus eximiam sanctitatem satis expressit, vocans *Virum justum*, & proponens ejus plùs quàm humanam patientiam in acceptâ (ut rebatur) per uxorem à se intactam, aliundè gravidam, injuriâ æquanimiter ferendâ. Huc enim pertinet nostri thematis vigor, *Iosephus Vir ejus, cùm esset justus, & nollet eam traducere* (hoc est, infamare aut publicâ castigatione exemplariter ludibrio exponere) *voluit occultè dimittere eam*. Nisi tanti viri perfectioni convenientius sit, quod ipsamet beatissima Virgo sanctæ Birgittæ inter alia revelavit; quando famulæ suæ sequentia est locuta. [Ioseph verò, cui commendata fueram, videns uterum meum Spiritûs sancti virtute intumescere, expavit vehementer, non suspicatus contra me aliquod sinistrum; sed recordatus dicta Prophetarum, prænuntiantium Filium DEI nasciturum de Virgine, reputabat se indignum tali servire Matri, & mihi cohabitare anxiabatur, nesciens quid ageret. Cui Angelus in somnis dixit: Non recedas à Virgine commendatâ tibi; quia sicut audivisti ab ea, sic verissimum est. Concepit enim de Spiritu DEI, & pariet Filium Salvatorem Mundi. *Ergo servi ei fideliter, & esto pudicitiæ eius custos & testis*. Deinde ab illo die Ioseph servivit mihi quasi dominæ suæ, & ego etiam me ad opera sua minima humiliabam.] Hucusque Deipara devotæ suæ famulæ Birgittæ.

Gerson serm. de Nat. Virg.

Revelat. S. Birgittæ l. 6. c. 25. & 59.

Dum Angelicâ hac exhortatione sanctus Iosephus jubetur esse *Virginei custos*, *monitorque pudoris*; illud mihi cumprimis imperceptibile videtur, quomodo veritas conjugij rati cohæreat cum voto Virginitatis, priùs emisso per DEIparam; præsertim si de intrinseca ratione conjugij esset formalis & expressus consensus in copulam conjugalem? Potuit hæc controversia 116.

116. Virginitas Mariæ quo modo consistat cum conjugio Iosephi.

æquè

æquè locum invenisse circa votum Virginitatis editum à S. Pulcheria, & tamen posteà salvo voto, conjunctâ Marciano Imperatori per verum matrimonium ratum: suntque alia exempla sanctorum conjugum; uti S. Kunegundis cum S. Henrico imperatore; B. Delphinæ cum S. Elzeario comite Ariani; B. Salomeæ Regis Polonorum filiæ cum B. Colomanno Vngariæ Rege, & hujusmodi Christianorum plurium, qui post addictam Deo virginitatem, justâ de causâ, salvâ voti religione celebraverunt matrimonium ratum. Sed circa Deiparam, cujus interna puritas omne dubium longè transcendit, pungit maximè hæc difficultas: quæ posset sanè inexpedibilis videri, si juxta Michaëlis Medinæ sententiam expressus consensus in usum conjugij, seu commixtionem à contrahentibus ad matrimonium requireretur. Verum enim verò dimissis quibuscunque scholasticis disputationibus, hujus difficultatis solutio ex eo est petenda, quòd matrimonium ratum contineat quidem consensum in traditionem juris ad copulam conjugalem; non contineat tamen consensum ad illius juris usum. Nam cum matrimonium essentialiter consistat in ea traditione juris mutui in corpora, fieri non potest, ut, qui contrahit matrimonium, in eam juris traditionem haud consentiat. Quia verò usus illius juris est aliquid posterius, rectè intelligitur, qui consentit in jus illud, posse dissentire circa usum ejusdem juris: ita ut consensus in conjugalem cohabitationem seu copulam, importatus in consensu traditionis mutuæ, non sit formalis consensus in copulam, sed tantùm radicalis. Vnde si quis contra tale votum matrimonium ratum reduceret ad actum, esset quidem sacrilegus, non tamen adulter; cùm tamen si fidem conjugij infringat, fornicator pariter ac adulter evadat. Ex quo principio facilè ostenditur concordia voti Virginitatis emissi ab initio per Deiparam, & consensûs in copulam, inclusi in matrimonio rato, quod cum Josepho celebraverat. Nam divinitus edocta, fore Josephum filium Virginitatis Deo addictæ custodem, consensit in jus ad copulam; certa tamen, illud jus omni exercitio cariturum, quod per votum exclusit: nec potuit elicere consensum conditionatum ad usum conjugij formalem, Josepho arbitrarium; cùm fuerit divinitus certificata de nunquam ponenda per Josephum voluntate, jure tradito utendi; & votum ejus de perpetua Virginitate emissum, omnino cum tali consensu pugnârit. Alio insuper ex capite actus ille conditionalis conjugij (*redderem debitum, si peteretur*) omnino removendus est a B. Virgine; cùm juxta graves Doctores, etiam Josephus ante sponsalia & nuptias cum Deiparâ, emiserit votum Virginitatis perpetuæ. S. Damascenus illum Isaiæ 29. locum *de libro signato*, dando viro nescienti litteras, interpretatur de Josepho, qui librum illum grandem, ex chartâ virgineâ confectum, legere non posset; quippe nesciens litteras, & inexpertus operis, quo liber ille legendus esset; id est, professus Virginitatem etiam in conjugio. S. Bernardus de utroque hoc Sponso, Josepho & Maria, accipit illud Canticorum 2. *qui pascitur inter lilia*, hoc est, virgineos parentes. Apud Gersonem Lyranus, utraque Glossa & alij DD. de Josepho intelligunt illud ejusdem Isaiæ cap. 62. *habitabit juvenis cum Virgine, & gaudebit Sponsus super Sponsam.* Vbi vox hebræa, quam vulgatus interpres expressit per verbum *habitabit*, conjugale fœdus significat, & æquè verti poterat, *maritabitur.* Juvenis igitur, non virilis ætatis ante senium, sed maturus cum Virgine maritabitur: quod tanquam valde mirum Propheta proponit; quia nempe Juvenis ille, & quæ ei spondebitur Virgo, non ut cæteræ, per conjugium esse desinet Virgo; sed ambo perstabunt Virgines; nec aliter sese habebunt quoad integritatis detrimentū, quàm Sponsus & Sponsa. Vnde in utroque hoc conjuge, cum volitione implicitâ radicalis potestatis ad copulam, in radice sua & fundamento volitam, probè adhæsit formalis obligatio copulæ

Baronius anno 450.

Annal. Ord. anno 1235.

Medina l. 5. de sac. hom. continentia c. 70.

Raynaudus in Diptycho Mariano.

S. Damascen. orat. 2. de Nativit. Virg.

Gerson in Ep. de celebrando festo S. Josephi.

Isa. 62. v. 5.

P 2 nua.

nunquam petendæ aut reddendæ, ob renuntiationem liberi juris petendi ac reddendi utrinque factam, & ligamen per vota utrinque emissa injectum potestati utendi corporibus. Exclamare hic potiore jure liceat cum Authore vitæ S. Kunegundis, conjugatæ S. Henrico Imperatori salvâ utriusque virginitate. *O conjugium non voluptate, sed bonâ voluntate copulatum! ô sanctum matrimonium, ubi una fides inviolatæ castitatis, ubi unus Spiritus misericordiæ & veritatis, ubi idem velle in virtutibus, idémque nolle in vitiis, ubi nec primus nec alter discerni potuit, dum alter quod primus voluit; ubi par animus in multivariis operum effectibus pares in duobus ostendit affectus. Quales has nuptias dixerim, nescio. Unum scio, quia nescit nostra modo regio tales.*

Author vitæ S. Kunegund.

117. S. Iosephi cum Deipara paritas quoad cognationem & ætatem.

Stante hâc Virginalis conjugij absolutissimâ & Angelica Integritate, magis adhuc elucescere debet hujus tituli prærogativa, quâ sanctus Josephus celebratur dignissimè, *Virginei custos, testisque pudoris*. Primò quoad parem utriusque conjugis conditionem; quæ si non fuerit in duobus matrimonij subjectis, non erit jucundum, non consolabile, non tranquillum, tali ligamine vinciri.

Quàm malè inæquales veniunt ad aratra iuvenci,
Tam premitur magno coniuge nupta minor.

Ovidius.

Par est utriusque Virginei Sponsi conditio quoad stirpem regiam, quâ ex Davide sanctissimo Israelis Rege descendunt: nam repromissi nesdivinæ à Salomonitis ad Nathanitas translatæ, secundùm utramque lineam descendentes Christi tangunt parentes; prout Evangelistæ Matthæus & Lucas suis Genealogijs Christum inducunt in duabus lineis ex David prodeuntibus, & per Mariam ac Josephum ad JESUM terminatis. Deinde non deest quoad utriusque Sponsi ætatem florida proportio: quandoquidem ratum sit ex Isaia relato, Juvenem Virginem cum Virgine habitâsse, conjugem mentis affectu, non carnis commixtione. Non quoad Deiparam duntaxat purum ac nitentem à quacunque carnis violatione obijsse Josephum, fide sanctum est; sed etiam aliâ quâcunque ratione, omnino tenendum: ita ut non modò usu quolibet alterius conjugij caruerit, quippe qui monogamus fuerit, sed planè Virgo (ut tantæ Virginis decebat Sponsum) universam vitam exegerit. Idque significare debet ramusculus virescens, qui in ejus manibus solet pingi, signum floridissimæ & incorruptæ Virginitatis. Ludunt tamen nos, quibus omnia licent, pictores atque poëtæ, speciatim Sannazarius, Scaliger & Novidius, cùm sanctum Josephum exprimunt non juvenili, sed decrepitâ jam ætate, plane canum & annis gravem; ineptè veriti, ne si Iuvenem maritum speciosissimæ adjungerent Virgini, vocarent in suspicionem illibatum Virginitatis pudorem. Qui modus abijciendus est tanquam hominis carnei, ac Divina opera metientis de sensu & experimento. At recogitatum oportuerat, etiam senes exarsisse in fœdum Susannæ amorem: econtra verò multos juvenes in medio ævi florentis & ardentis camino, Angelo Domini faciente medium fornacis quasi ventum roris flantem, non æstuâsse in medijs ignibus, & in quantisvis occasionibus ad extremam usque ætatem ab eâ flammâ illæsos pervenisse; ut Tertullianus intrepidè objiciat Ethnicis à primâ ætate in omnem libidinem projectis, longè aliam esse Christianorum sanctimoniam, inter quos multi reperirentur pueri senes. Est hic utique insignis Divinæ gratiæ effectus, quem si erronei pictores expendissent, neutiquam timuissent puritati sancti Josephi à contubernio Deiparæ, tametsi speciosissimæ: neque maximè indecoram conjugum ætate tam disparium consonationem tribuerent DEO, hujus inter Virginem & Josephum connubij paranympho; qui præterquam quòd nihil facit *indecorè*, & propterea à Pythagoræis meritò dictus est *ipsum decens*, Adjutorem Virginis in peregrinationibus & prole educanda, & fa-

Vide Bolland. 19. Martij in vita S. Iosephi.

famæ bonæ tutorem, Virgineique pudoris custodem, providere statuebat per hujusmodi conjugium: ad quorum neutrum usui esse poterat homo per ætatem ad nuptiarum opus inidoneus. Quî enim vacâsset suspicione speciosissima Puella, homini centenario conjuncta, uterum gerens? quævè ab exhausto & decrepito sene vitæ subsidia, ac peregrinationis levamenta expectare potuisset?

118. §. Iosephus Deiparæ in prærogativis proportionaliter comparatus.

Sed necdum satisfeci, ostendendo paritatem Josephi cum Deipara in cognatione & ætate, amplificandum est argumentum etiam quoad paritatem conditionis; non quidem quoad æqualitatem (quis enim meritis, & dignitati Deiparæ comparari possit?) sed quoad proportionem. Sicut enim B. Virgo ornata fuit tot tantisque charismatibus divinis, ad hoc, ut esset idonea Mater Dei; ita & Joseph ornatus fuit, ut esset non tantùm *Virginei Custos monitorque pudoris*, sed etiam idoneus Pater putatitius Jesu Christi. Elegit Deus pro Filio Matrem, cui similis, aut quâ melior in mundo non reperitetur; elegit eidem & Custodem, quo purior aut sanctior non posset inveniri: nam longè rigorosiùs cognovit & lustravit corda hominum usque ad Adam, quàm in Academijs scientiæ Candidatorum pro Doctorali gradu solent tentari atque examinari: & non est inventus similis Josepho, qui Mariæ Sponsus, & Infantiæ Christi tutor atque protector esset. *Josephum ergo*, inquit D. Bernardus, *tanquam alterum David Dominus invenit; cui tutò committeret secratissimum sui cordis arcanum.* Proinde ambo simul ab æterno præ omnibus Sanctis ad hanc celsissimam dignitatem sunt electi, ut illa esset Mater Christi naturalis, hic verò Pater Christi legalis: ut illa Filio Dei propriæ carnis substantiam conferret, hic verò eundem pasceret, nutriret, custodiret ac tutaretur. In utrisque peccati vomitem extinxit Deus; & quidem de B. Virgine est certum, at verò de Josepho pia ac devota Doctorum sententia: ambos ex regali stirpe, & eâdem progenie Davidis nasci voluit Deus; quippe Metaphraste testante, *Inventus est Ioseph, qualem quærebat ratio, ex eadem Tribu, ex qua erat Virgo.* Ambobus inspiravit, virginitatis illibandæ votum emittere, & eandem in matrimonio colere: ambobus donavit Deus, ut Verbum humanâ carne indutum primi viderent, & illius mannæ cælestis dulcedinem primi degustarent: utrisque donavit Angelicos concentus Christi natalem celebrantes, affabiles insuper Pastorum ac Regum adventus intueri: utrisque ferendas imposuit propter Christum infantem ærumnas graves, subeunda incommoda, & longum illud Ægyptiacum exilium, propter Herodianam persecutionem cum eodem Divino Infante sustinendum: elegit ambos suos nutritios, Virginem quidem ut Vbere de cælo pleno lactaret, Josephum verò ut sui vultûs sudore & manuum labore necessaria ministraret victûs emolumenta: ambos elegit Christus suæ infantiæ gerulos, suæ pueritiæ tutores, suæ juventutis custodes, totius suæ conversationis individuos comites, domesticos & familiares: ab utrisque permisit se millies contrectari, amplexari, osculari, & cordialissimè basiari, juxta Ecclesiæ hymnodiam,

Nunc ad Ioseph tanquam Patrem,
Nunc ad sanctam repsit matrem,
Per Virgineas cervices
Gratas alternando vices.

Majoribus tamen gratiarum ornamentis, & privilegiorum prærogativis enitescit Virginea Mater, utpote quæ naturalis Christi Genitrix, Deum in utero suo suscepit, humanâ carne induit, novem mensibus intra sua viscera formavit, sine dolore peperit, Virgineo lacte nutrivit, ejus omnia miracula vidit, doctrinam salutis æternæ audivit, toti cruentissimæ Passioni particeps interfuit, & usque ad gloriosam ejus Ascensionem fidelissima testis adstitit. Quæ omnia sicut ineffabilem Deiparæ contulerunt dignitatē, ita eam meritis

Marginal notes: S. Bern. hom. 2. sup. missus est. — Metaphrast. erat de edue. Maria & orta Christi.

ac prærogativis supra proportionatam paritatem Josephi longiùs evexerunt.

119. S. Josephi sympathia in moribus cum Deipara. A triplici hac paritate ad motum similitudinem, ac sympathiam, cum Porphyrione saliente mea prosilit oratio. Erat hoc Altissimi negotium, ut homini conderet *adiutorium simile sibi*: simile, inquam, in moribus, virtutibus, affectionibus & sanctitate; alioquin sine tali similitudine matrimonium non foret amicabili cohabitione & societate beatum. Verè enim Ovidio accinente,

Genes. 2. v. 18.

Ovid. l. 1. Ebr. 1.

Oderunt tristes hilarem, tristémque jocosi,
Sedatum celeres, agilem gnavúmque remissi.

Hanc morum sympathiam considerate in S. Josepho, & obstupescite Auditores, quà dignissimus evadat, ut esset *Virginei Custos monitórque pudoris.* Ad horum hîc vos induco Elysiorum florum, queîs utrumque Virgineum Sponsum condecorarem. Si Deipara Virgo sit fons totius sanctitatis, ab omni peccati macula & terrenarum rerum sordibus depurata, atque omnigenis virtutibus & gratiarum donis venustissima; non minùs Josephus simplicitatem in Noë, in Abrahamo obedientiam, in Jobo patientiam, in Moyse mansuetudinem, castitatem in Josepho Ægyptiaco, fortitudinem in Samsone, in Salomone sapientiam, in Petro fidem, amorem in Joanne transcendit, dum divino elogio proclamatur *IUSTUS*: *Ioseph autem vir eius cùm esset iustus*, justitiâ utique universali, quæ omnis virtutis congeriem importet. Si Deipara Virgo prædicatur *Beata* propter summam fidem, quam Divinissimis nuntiantis Angeli mysterijs adhibuit, *Beata quæ credidisti*: non minoris habenda est fides Josephi, quam sine scrupulis aut disquisitionibus pravis præstitit Angelo, aliquoties familiariter apparenti, sive de imprægnatione uteri Virginalis hæsitaret, sive in Ægyptum fugeret à Tyrannide Herodis, sive eo mortuo in terram Israël rediret; sive propter metum Archelai in partes Galilææ secederet. Charitas,

Luca 1. v. 45.

quâ Virgo erga Deum flagravit, fuit ineffabilis; quâ erga proximum, incomparabilis: at verò Divinus amor, quo S. Josephus erga Deum & proximum exarsit, non sustinet ponderationem, nisi cum Trinitatis symbolo conferatur. Enimverò tota sanctissima Trinitas nostram operata est Redemptionem, dum Pater Filium misit, Filius carnem assumpsit, Spiritus S. humanitatem in Vtero Virginis formavit: sic & matrimonialis Trinitas Jesu, Mariæ & Joseph, salutem nostram est operata, dum Jesus Dei Filius sic mundum dilexit, ut carnem nostram ad suam hypostasin assumeret; dum Virginea Mater Maria ei suam substantiam subministravit; dum Joseph castissimus Verbum Incarnatum & Mundo genitum propter hominum salutem fovit, nutrivit, educavit. Fuit Deipara prudentissima Virgo ob rerum cælestium pariter ac terrenarum perfectam cognitionem, simul ac harum contemptum: & verò Josephus non tantùm prudentissimè ad tempus mysterium Incarnationis celavit, sed etiam Isolano teste, Ægyptijs ac Judæis de idolorum vanitate, de Redemptione Humani generis per Messiam orbi datum, déque similibus sacræ doctrinæ capitibus, tam potenter prædicavit, ut eorum multi B. Josephi adhortationibus persuasi, manus darent, & in Christi partes concederent. Fuit Deipara Virgo castissima, quæ prima votum Virginitatis suæ Deo consecravit; fuit & Josephus castissimus, qui Virgo Virginem adijt, Virginem servavit, primus ex masculis in conjugij consortio Virginitatem Deo dedicavit ac perpetuò coluit, cæterósque post se sanctum & integrum cælibatū observare docuit. Fuit Deipara fortis & magnanima Martyrum Regina, quæ ex Passionis Filij sui nobilitate, diuturnitate, fortitudine, invictâque constantiâ alios omnes superavit Martyres: at verò Josephus fortitudinem & magnanimitatem suam demonstravit, cùm immanissimum zelotypiæ amoris hostem in animo suo viriliter superavit, & omnes insurgentes vindictæ motus

Isolan. p. 4. c. 1.

motus in se imperiosè coërcuit; cùm etiam adversùs Herodis tyrannidem strenuè pugnans, non tam viribus quàm arte illum devicit, quando prædam infantis Jesu, quem ille trucidare anxiè curabat, ejusdem oculis subduxit, & in remotam regionem transtulit. Verè fortis & magnanimus Josephus, qui tot incommoda & aëris injurias propter Christum pertulit, migrando in Bethlehem, fugiendo in Ægyptum, laborando manibus Christum cum Matre nutriendo. Longior essem, quàm temporis angustiæ sustinerent, si per omnia virtutum florentissima prata exsilirem, & mirabilem sympathiam Mariæ atque Josephi combinarem.

120. S. Iosephi conversatio dulcis cum Deipara. Confertur in Porphyrione.

Inardescit tamen magis magisque animus, suadens non deficere à panegyricâ oratione, sed cum cæruleo Porphyrione procedere, cui mutui amoris conjunctio, & diuturna jucundáque conversatio in ædibus magnatum & Religiosorum claustris, magnam conciliat commodita em: summopere enim diligit inquilinos homines, alias etiam aves quascunque suæ societati conjunctas tolerat jocando cum illis, & valde familiariter convivendo. Mutui amoris conjunctio inter Deiparam & Deipatrem non potuit non esse nitidissima, & Angelica; quando D. Bernardino teste, *Beatissima Virgo totum thesaurum cordis sui, quem Ioseph recipere poterat, ei liberalissimè exhibuit*; & Josephus Virgineæ conjugi sincerissimum cordis affectum omni obsequiorum genere comprobavit.

S. Bernardin. serm. de laud. S. Ioseph.

Didacus Beza, sublimis vir ingenii, concipit D. Josephum factum fuisse Mariæ quasi in Deum, eùm ei nonnihil de adulterio suspectæ pepercit, &, *cùm esset vir justus*, non accusavit, non confudit, non turbavit, neque traduxit; videtur enim Bezæ divinum esse attributum, *misereri semper & parcere.* Ego verò hoc paradigma aliâ æquiore arundine dimetior, magisque credo, Josephum evasisse suæ Sponsæ quasi in Deum, cùm ei tot beneficia præstitit; ac omnia sua ministeria, & obsequia tam circa eam, quàm circa puerum Jesum, eodem ferè modo, quo Spiritus S. circa eosdem operatus est, etiam ille peregit. Enimverò Spiritus S. Virginis fuit Sponsus, virginitatem ejus non lædens, sed confirmans & consecrans: fuit etiam Josephus Virginis Sponsus, ejus integritatem non contingens, sed custodiens & conservans; *Virginei custos monitorq; pudoris.* Spiritus S. Mariam fœcundavit, & divinâ suâ virtute in ea Prolem produxit: eandem Josephus multis beneficiis affecit, & ejus Prolem paternè enutrivit. Spiritus S. Mariæ obumbravit, ne sentiret libidinis æstum: Joseph verò eidem sic obumbravit, ut sub illius umbrâ illæsa servaretur fama, & honor Virginitatis. Quódque Ecclesia de Spiritu S. canit, quòd sit *in labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium*, id totum Josephus Divino præstitit Infanti. Ei siquidem fuit *in labore requies*, cùm eum in brachiis portavit, requiem ei parando in illo laborioso itinere Ægyptiaco: fuit *in æstu temperies*, sub illis intensis caloribus, quales in Ægypto perennant, Puerum refrigerando, & flabello dulcem auram concitando: fuit *in fletu solatium*, cùm lachrymas infantis Jesu jam tunc pro salute nostrâ liberaliter fusas, ceu præstantissimos uniones, amorosè abstersit. Ecce Josephum, in hac mutui amoris conjunctione fungentem Spiritus S. officio, & munere oprimi Consolatoris! Quantum verò emolumenti ex jucundâ hâc conversatione S. Iosepho accrevit? Satis temporis & felicitatis ei esto per annos triginta & unum, cum Virgine conjuge honestâ, gravi, castâ, modestâ, sanctâ, gratâ & amabili convixisse. Quis explicare possit, quantâ dulcedine, quo gaudio, quantis spiritualibus consolationibus quotidie repleretur Iosephus, cùm Sponsam Angelico ministerio dignam affectuosissimè intuebatur? quanto jubilo erigebatur animus, cùm videret Deum incarnatum obedientiam sibi & reverentiam præstare? Quæ verba, quis conferendi modus, quæ suavitas responsionis, quanta mysteria & oracula, quæ societatis dul-

Didacus Beza to. 1. l. 1. c. 2. parag. 5.

dulcedo, quanta conversationis innocentia! Mulieres bonæ viros suos beatos faciunt, juxta illud Ecclesiastici: *Mulieris bonæ beatus vir.* Sic S. Natalia beatum reddidit Adrianum, Clotildis, Clodoveum, Cæcilia Valerianum, Theodora Sisinium, Martha Marium, Monica Augustinum, Gorgonia Vitalianum: quantò magis sanctificatus est Joseph, justus & fidelis, per Mariam conjugem optimam & fidelissimam? Non est mea hæc argumentatio, sed D. Bernardini citati: *si ex cohabitatione Sanctorum*, inquit, *qui respectu Virginis nihil sunt, sæpè proficimus, quantùm existimandum Joseph cum B. Virgine profecisse?* Si Parvuli necdum nati liquefacta est anima in utero Elisabethæ, quàprimum Maria locuta est; quænam fuerit Josephi exultatio, & in virtutibus progressio, qui non tantùm Virgineæ Sponsæ audire vocem, sed etiam videre faciem; non tantùm ejus præsentiâ, sed etiam conjugali familiaritate & amicitiâ perfrui promeruit, atque insuper esse *Virginei custos monstiorq; pudoris?*

Eccli. c. 26. v. 1.

S. Bernardin. cit.

Luca. 1. v. 41.

121. S. Josephi suspicienda in tanta sublimitate humilitas.

Deniq; Virginitatis collactanea est humilitas, juxta Blesensem; & ut S. Fulgentius scribit, *Virginitas Virginitatis est humilitas.* Quid enim refert carnis integritas, si mens per fastum ac superbiam sit corrupta? Josepho igitur Virgini hæc virtutum coronis, & animæ ipsius Virginitas minimè defuit; sed humilitatem, cujus præcellentissima exemplaria habebat semper ob oculos, studiosissimè adamavit. Quid autem aliud præstare poterat homo, cui Deus ipsemet erat subditus, & Virgo jure conjugii obnoxia, ac tanquam capiti subjecta; quàm ut quantò erat major, tantò se humiliaret in omnibus? Non ignorabat ipse quidem sua decora, nec, quam familiam administraret. Noverat se paradisi mystici custodem Cherubinum: sciebat constitutum se à Deo multò veriùs, quàm umbratilem illum Josephum, Dominum domûs suæ, & Principem omnis possessionis suæ; ut scitè S. Bernardus accommodat. Nam & Matrem Domini accepit in sua: potestatem, inquam, in eam, id est, jus in ejus corpus vi conjugii acceepit; quæ possessio quædam fuit longè pretiosissima: possessio, inquam, gratiæ, omnibus luteis opibus immenso spatio antecellens. Per Virginem autem etiam in possessionem Josephi cessit Divina Proles, in Virgine absq; conjugii injuria, miraculo enata; nam juxta Jurisperitorum sanctiones, *quod in alieno solo nascitur aut inædificatur, sub illius possessione ac iure nascitur, cuius est solum*: nec fons per miraculum in fundo cujuspiam exortus minùs ejus est, quàm si naturaliter ibi scaturivisset. Non ignoravit hæc jura Virginea Mater; ideóque cùm Jesum triduo, postquam amissus erat, in templo invenisset, eum suæ observantiæ ac pietatis monuit: *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Ecce! propriâ confessione Deipara Josephum & Patrem pronuntiat, & sibimetipsi tanquam veræ naturali Matri præfert. O miranda prorsus Josephi sublimitas! O dignitas incomparabilis! ut Mater Dei, Regina Cæli, Domina Mundi, Eum profiteatur Verbi Incarnati Patrem, ac naturalis Maternitatis dignitati cum omni respectu præponat submissionis! Talem igitur ac tantum se agnoscens Joseph, humillimus tamen perstitit; in perfectum obedientiæ ac demissionis exemplar, quod præstò semper erat, intentus animo. Conjugis item humillimæ sensibus per diuturnam conversationem imbutus, occulebat tam pretiosam virtutum omnium margaritam vili & despicatissimo ostreo fabrilis artis, quam factitabant, sive ferrariæ, sive lignariæ; prout diversimodè SS. Patres sentiunt. Nempe quia S. Josephus Lilium erat purissimum, *CELSUM RESPEXIT IMA*, ac tot Virgineo *MERUIT CANDORE CORONAS.* Ut ut sit, Josephus in speciem tam abjectus, & humili opifico victum sibi ac Conjugi & beatæ Proli præparans, humilitatis ac modestiæ eximium in tanta sublimitate dedit specimen; suóque exemplo monstravit, prout optimè vidit S. Chrysostomus, non esse despiciendos, qui juxta sæculum jacent, & in tenui fortuna ac simplicitate, vitam exigunt virtutibus locupletem.

Blesen. serm. 35. Fulgent. Ep. ad Probam

S. Bernardus hom. 3. super Missus

Instit. de rerum divis. §. cum in suo.

S. August. l. 25 de nupt. c. 11. & l. 5. contra Iul. c. 8.

Luca 2. v. 4.

S. Chrys. hom. 21. in 1. Corinth.

Ple-

Plena sunt Virginei Pudoris & nitoris Angelici, quæcunque de custodia Josephina possent adhuc in medium produci; plena mellis, plena suavitatis, plena salutis & bonitatis. Hac florescentis ætatis & conditionis paritate recreatus, hac ineffabili morum similitudine excitatus, hoc mutui amoris vinculo & jucundæ conversationis solatio animatus, hisce sublimissimis virtutum splendoribus ex fragrantissimo Josephi flore & gratiarum cælestium rore serenatus, denique etiam in affectuosas melodias cum Porphyrione colliquescés, in canoras resolvor melodias; ut cum devotissimis Seraphicæ Teresiæ Filijs, hominum linguas provocem & Angelorum ad concinendum suavissimum Hymnum.

Ex Breviario Carmelitano. *Collaudemus toto corde Dei sapientiam,*
Virgini qui iunxit forte Ioseph diligentiam,
Qui Nascentis sine sorde aleret Infantiam.
Quem inviolata Matris peperit integritas,
Ipsum putativi Patris aluit Virginitas;
Hostibus celatur atris hac arte Divinitas.
Ioseph portat, Ioseph tractat, Ioseph mulcet osculis;
Dum Herodes parvos mactat artubus minusculis,
Ioseph hunc, quem Virgo lactat, subtrahit periculis.
Puer in Ægyptum ductus Ioseph ministerio.
Ab eodem post reductus Patris est imperio:
Maturescit: cæli fructus fit, Crucis mysterio.
Gloria summo Parenti, laus æqualis Genito,
Ab utroq; procedenti par decus Paraclito,
Qui nos salvet præpotenti sanctis Ioseph merito. Amen.



IN FESTO S. BENEDICTI ABBATIS, MONACHORUM PATRIARCHÆ.

PHILOMELA MUSICA.

Die Sing-Künstliche Nachtigal.

LEMMA.

Desertum facit esse disertum.

THEMA:

Imperitia sua requirentes modos musicos, & narrantes carmina Scripturarum. Eccli. 44. v. 5.

SYNOPSIS CONCIONIS LXXII.

Ex articulato & dulcissimo Philomelæ cantu, celebratissima D. Benedicti sanctitas, & Religiosissima eius Progenies ita suaviter & constanter resonant, ut vox tota & laudis honor prius haud desinant, quàm spiritus deficiat dicentis præ affectûs teneritudine.



122. Philomelæ musicæ D. Benedictus cóparatus. MAximi, Antiquissimi & Florentissimi Ordinis Patriarchæ S. BENEDICTO specialissimâ devotione mancipatus, *Musicam Philomelam* consecro, in gloriosissimum suæ sanctitatis præconium, te-

 nuis-

nuissimus quidem, sed in clarissimam vocem resolutus Panegyrista. Si quis pro tantæ solennitatis symbolo adoptaret Aquilas sublimè volantes, aut corvos in afferendo pane officiosos, aut denique graculos sociali familiaritate celebratos, videretur quidem pro rei dicendæ amplitudine magna conscendere rostra, & clamorosis vocibus intonare: quia verò in tantæ claritatis splendore ab hisce nigerrimis Avibus mea oratio pullum hæreditaret colorem, & per tam rauca rostra etiam vox prostreperet tumultuosior; hinc *Musicam* eligo *Philomelam*, Aviculam parvam, agilem, ingeniosam, piam, indefessam, jucundam & delicatam, ut tanto Patriarchæ Sancto Benedicto æquissimas concinat laudes. *Vox tota*, & in vocem canoram præcisè digesta Luscinia, secundùm Alberti Magni observationem, *omnia ferè repræsentans musicorum instrumenta*; nec in certamine de melodiæ suavitate ulli volatilium facilè palmam deferens, aut in pulchra æmulatione victoriam cedens.

Albertus M. l. 23. de animalibus.

Usque adeò & tenues animas ferit æmula virtus,
Et viget in parvo corpore laudis honor!

Fam. Strada.

[*Digna miratu avis*, inquit Plinius. *Primùm tanta vox tam parvo in corpusculo, tam pertinax spiritus; ubi visum est, vibrans, summus, medius, imus: breviterque omnia tam parvis in faucibus, quæ tot exquisitis tibiarum instrumentis ars hominum excogitavit!*] Ut meritò Democritus artis Musicæ inventionem Philomelæ adscripserit, quam Pythagoras à mensuratis malleorum ictibus derivavit super incudem. Et quid de Sancto *Benedicto* aliud mea poterit oratio, quàm *bene dicere*? Parum esset *bene dicere*, nisi etiam à Philomela didicisset *bene canere*; quando etiam imperito Sauli datum est exilire inter Prophetas, & mihi favet opportunitas Religiosissimis applaudendi Viris, qui *in peritiâ suâ requirentes modos musicos, & narrantes carmina Scripturarum*, de solennitate sui Sanctissimi Patriarchæ collætantur. Nolo, ut hæc mea Panegyris gravetur aliquali mole morosæ dictionis: sit *tota, vox* resonantis laudis; eo modo, quo Citharædus ille olim suâ arte modulantem, atque æmulans Philomelam deijciens, cùm advertisset tenuissimum ejus corpusculum, præ admiratione suspensus exclamavit: *Tota, vox; prætereà nihil.* Quidquid in tanti Patris encomium produxero, sit *Vox*, sit *laudis honor*, resultans ex admirabili tantæ Aviculæ harmoniâ. Non appellabo Benedictum *Veritatis Tubam*, prout sanctus Athanasius à sancto Gregorio Nazianzeno nuncupabatur; non *sonoram Lyram Spiritûs sancti*, prout à Theodoreto S. Ephrem prædicabatur; neque vocabo *Volucrem cæli*, prout sanctum Dionysium Areopagitam indigitabat sanctus Chrysostomus: sed dicam Benedictum *Philomelam*, simili phrasi & elogio, quo Seraphicus Doctor Bonaventura hujus Avis proprietates mirificè transfert ad devotam animam, dulcissimis suis meditationibus eximia Salvatoris nostri Jesu Christi beneficia jugiter contemplantem; aut certè, quo à sancto Gregorio Nysseno D. Basilius celebratur *aurea dogmatum ἀηδὼν*, id est, *philomela*; ita dicta, quasi ἀεὶ ἄδων, id est, *perpetuò cantans*, ubi semel inceperit: sic enim assiduè Sanctus Basilius instar Philomelæ, Dei dogmata aureâ voce omnibus occinuit. Incœpit cantare Benedictus, ac *DESERTUM FECIT ESSE DISERTUM*; & ita gloriosè tenacem cantum perennavit, ut *vox tota* & *laudis honor* per montes, valles & urbes, usque in hanc lucem resonent. Vos Auditores melodiam percipite, & Benedictæ Philomelæ cantibus gratiosâ attentione auscultate.

Plin. l. 10. c. 29

S. Chrysost. de falsis Prophetis.

S. Nyssenus in encomio S. Ephrem.

Ad eremos & vastas solitudines vos primùm velim invitatos, quas adeò dilexit Sanctus P. Benedictus, ut in Sublacensi secessu velut Philomela 123.

S. Benedict. amat solitudines sicut Philomela.

lomela juxta rivulorum lepôres latitans, & omnibus hominibus (si solum *Romanum* Monachum, ei quotidie panem deferentem excipias) incognitus divinis laudib⁹ insisteret; ac alijs etiam temporibus ad declinandas adversantium persecutiones ad loca dilectæ solitudinis rediret, solúsque in Superni Spectatoris oculis habitaret secum. In locis igitur solitarijs Benedicto tam amicis, quæ gratior aut jucundior corporea queat occurrere species, quàm Avicularum? quæ ridente cælo, arborum comis mollissimorum Favoniorum flabello leniter ventilatis, usque & usque liquidissimos cantus tenui gutture fundunt? Plenum est miraculi, quod in Luscinia notatum est à Plinio, & notamus etiam singuli quotannis, si lubet: tametsi admirationem rei frequentia excusserit. [Luscinijs, ait Plinius relato loco, earum concentum describens ac suspiciens) diebus ac noctibus continuis XV. garrulus sine intermissu cantus, densante frondium germine, non in novissimum dignâ miratu ave. Primùm tanta vox tam parvo in corpusculo, tam pertinax spiritus! Deinde in una perfecta Musicæ scientiâ modulatus editur sonus, & nunc continuò spiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo; nunc distinguitur conciso, copulatur intorto, promittitur revocato, infuscatur ex inopinato, interdum & secum ipse murmurat: plenus, gravis, acutus, creber, extentus; ubi visum, est vibrans, summus, medius, imus. Breviterque omnia tam parvulis in faucibus, quæ tot exquisitis tibiarum instrumentis ars hominum excogitavit; ut non sit dubium, hanc suavitatem præmonstratam efficaci auspicio, cùm in ore Stesichari cecinit infantis. Ac ne quis dubitet artis esse, plures singulis sunt cantus, nec ijdem omnibus, sed sui cuique. Certant inter se, palámque animosa contentio est. Victa, morte finivit sæpè vitam, spiritu priùs deficiente quàm cantu. Meditantur aliæ juniores, versúsque quos imitentur, accipiunt, Audit discipula intentione magnâ, & reddit, vicibúsque reticent. Intelligitur emendatæ correctiò, & in docente quædam reprehensio. Ergo servorum illis pretia sunt, & quidem ampliora, quàm quibus olim armigeri parabantur. Scio, sestertijs sex candidam alioquin, quod est propè insusitatum, vœnijsse, quæ Agrippinæ Claudij Principis conjugi dono daretur. Visum jam sæpè, jussas canere cœpisse, & cum symphoniâ alternâsse. Sicut homines repertos, qui sonum earum additâ in transversas arundines aquâ, foramen inspirantes, linguâque parvâ aliquâ oppositâ morâ, indiscretâ redderent similitudine. Sed eæ tantæ támque artifices argutiæ à XV. diebus paulatim desinunt, nec ut fatigatas possis dicere, aut satiatas.] Sic ille. Concinnata hæc sunt Philomelæ encomia: ejus tamen cantandi suavitas ad tantam non foret sublimata æstimationem, si homo auditor deesset; aut certè si homo auditor non ipsemet provocaretur ad cantum, dulcissimo illo S. Bonaventuræ rhythmo: ex quo mihi nonnullam depromere liceat stropham.

Plinius l. 10. c. 29.

S. Bonavent. in Philomenâ

Igitur charissime, audi nunc attentè;
Nam si cantus volucris huius serves mente;
Eius imitatio, spiritu docente,
Te cælestem Musicum faciet repentè.

124. Primùm tanta vox tam parvo in corpusculo, tam pertinax spiritus! *Nursia*, Sabinorum urbs est antiquissima; quæ ut Q. Sertorium rei militaris expertissimum jure sibi civem vendicat, ita BENEDICTUM sacræ Religionis Colonum. Patre is progenitus est Eutropio, Aniciorum Familiâ Orbi quondam adoratâ, Romani exercitûs Imperatore; Matre Claudiâ, Octaviâ gente prosemitatâ. Stupendum hîc Petrus de Valderana tradit; quòd Benedictus sub cortinâ materni adhuc uteri latens infantulus, incomparabili prodigio,

S. Benedicti natales, & cantus in utero materno.

Petrus de Valderana. & communiter alij.

canorâ voce psallere sit auditus. Scio cælestia portenta, quæ varijs sanctùm uterum gerentibus Matribus sunt divinitùs ostensa. Mater Sancti Dominici videbatur sibi portare catulum, accensâ tedâ ore apprehensâ totum orbem sufflamantem: Mater Sanctæ Virginis Claræ videbatur sibi utero parturire Lumen, quod totum mundum perfectionis suæ luce collustraret: Mater Sancti Andreæ Corsini gravida sibi visa est per quietem lupum edidisse, qui ad Carmelitarum ædem pergens, in ipso templi vestibulo statim in agnum sit conversus. In his, & plurimis similibus prodigijs uterinis, speciosi sequebantur eventus. At verò quòd Benedictus in Vtero materno cecinerit, non caperet sapientissimus Seneca, qui suorum amicorum quempiam ad ferendas magnanimiter humanæ vitæ ærumnas consolatur tali motivo. *Nonne vides, qualem vitam nobis natura promiserit, quæ primum nascentium omnium fletum esse voluit?* Benedictus infans tam parvo in corpusculo, tantâ voce, tam pertinacem spiritum facit intonare, ut naturæ miserabilis ordo videatur in pristinum originalis Justitiæ statum restitutus. Nondum didicit *risu cognoscere matrem*, nec balbutiente linguâ invocare patrem, & jam agit Musicum Benedictus, pro choro sibi adhibens materna viscera: non ut esset olim candidus Cygnus, cui non nisi moribundo canoram emittere vocem dederunt Superi; sed ut instar Philomelæ in teneritudine animæ æmularetur cælum, & classicum præcineret sanctissimis Religiosarum Familiarum Legionibus, quas fuerat ducturus ad grandia laborum certamina. Et hoc quidem dispari admodùm ratione, quâ Hebræorum Legislator Moyses post transitum maris rubri, post submersas Pharaonis insidias, Iuvenes simul ac Senes ad benedicendum Dominum invitavit: *Cantemus Domino; gloriosè enim magnificatus est.* Dum econtra Benedictus adhuc ante conflictum cum infernali Pharaone decertandum, imò & ante victoriam in maternis visceribus canit triumphum, & ante communem lucis usuram gaudet particulari melodiæ privilegio: *quia* nempe juxta D. Gregorij Magni sententiam, *crescente pugnâ gloriosam sibi non ambigit manere victoriam.* Ita certè innocentissima nostra, atque ex matris utero lætificata Philomela Benedictus,

Seneca l. de consolat. c. 23.

Exod. 15. v. 1.

S. Gregor. l. 14 moral.

Cantilenis dulcibus præviat auroram;
Sed cùm dies rutilat circa primam horam,
Elevat prædulciùs vocem insonoram,
In cantando nesciens pausam, sive moram.

125. S. Benedicti operosa adolescentia

O formosam auroram! ô deliciosum Philomelæ diluculum! ô ingenuam Benedicti adolescentiam, & amabilem venustatem! Natus Nursiæ, & mundo datus Benedictus, anno salutis octogesimo supra quadringentesimum, adolevit in puerum castissimis imbutum moribus, & angelicâ innocentiâ præclarum: queîs dotibus cùm accederet eximia faciei venustas, omnium in se rapuit oculos, & affectum accendit. Proinde si ex prominente faciei interioris horologij intelligitur dimensio; monstrat S. Gregorius horas matutinas, auroræ comites, & sonoras Benedicto, qui *ab ipso pueritiæ tempore cor gerens senile, ætatem moribus transibat.* Septennis ex aulâ patriâ Romam commigravit, primos adolescentiæ annos liberalibus studijs insigniturus. Ædes Anitiorum avitæ hospitem excepêrunt. Sed ut solent intra Musarum domicilia non infrequenter nidulari vitia, ita Benedictus, quem melior Spiritus intùs urgebat, eum, quem quasi in ingressu mundi posuerat, retraxit pedem: & dimissis litterarum studijs, soli Deo placere desiderans, paternis ædibus ac Româ fugitivus, Eufidenam se recepit, sanctæ conversationis habitum requisiturus. Hic velim Theologorū pulpita fatigari disputando, an

Baronius anno 491.

S. Gregor. l. 2 dialog. c. 1.

An-

Angelorum quidditas convenientiùs explicetur per *esse*, quàm per *operari?* Graviter urget difficultas inter præcipuos sublimium mysteriorum Notarios, Moysen & Ioannem: Moyses enim aggressurus suam canonicam historiam, ab operatione Dei essentiam & existentiam ostendit: *In principio creavit Deus cœlum & terram;* Ioannes econtra multa præmittit de Divinâ Essentiâ, priusquam ad ejus operationes faciat gradum: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Subscriberem methodum Ioanni, nisi doctissimus Didacus Zelada ex hac controversia Moysen exsolveret; quòd scilicet rectè *priùs proponat mundo Deum operantem, quàm probet esse Deū; quia operando vindicatur Deus ab hac humana stuporis calumniâ.* Solutiōis claritas elucescit ex Benedicto, qui priùs incœpit exilire, quàm pedibus insistere; priùs canere, quàm movere labia; priùs mirabiles effectus producere, quam in obedientiali potentiâ subsistere; priùs magna *operari*, quàm parvum *esse*. Suspiciebant omnes, & stupebant, Benedictum priùs esse sapientem quàm maturum, priùs maturum quàm adultum, priùs adultum quàm adolescentem. In conversatione humana modestissimus, in Religionis exercitijs assiduus, in proferendis verbis sobrius, in agendis negotijs circumspectus, in charitatis operibus fervidus, in morum gravitate gratiosus, in alloquio affabilis, in conscientiæ tutelâ sollicitus, *ab ipso pueritiæ tempore cor gerens senile, ætatem moribus superabat.*

Genes. 1. v. 1.

Joan. 1. v. 1.

Zelada in Ind. c. 7.

126. Deinde in unâ perfectâ musicæ scientiâ modulatus à Philomelâ editur sonus, & nunc continuo spiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo: hicque spiritus plenus, gravis, acutus, creber, extentus; ubi visum est, vibrans, summus, medius, imus. Noluit Benedictus esse formosus & multicolor Psittacus in Almodæi Ornitotrophio relegatus; sed ut libertate spiritûs potiretur, Philomelæ cubicula quæsivit, in solitaria loca secessit: Anno Christi quadringentesimo nonagesimo quarto, in Sublacense spelæum sponte se condidit, Româ quadraginta milliaribus distans. Quo pergis Benedicte, nobilissime Adolescens? quo te conceptæ trahent tui animi procellæ? rigidioris vitæ exercitatio tuæ teneræ & delicatæ haud congruit complexioni! siccine nobilissimæ tuæ prosapiæ tumulum quæris in ferarum delubris? Matura tibi tandem subsistit innocuo pede ætas ad vitalem semitam. Quo petas, ignoras? viam virtutis rigidam & sentibus hispidam ingrederis, & tener molimina conaris, quæ quondam territus ipsemet exhorruit Hercules. Ah te! ardua nimis est, ac viribus impar tuis! cur non eò tendis, quo dulcis licentia vitæ, & cōgenita voluptatis vis illustri præludit schemate? Non ista satis tuæ conveniunt ætati; cui vividus adhuc in corpore sanguis calet. Si virtus sentibus abstrusa conditur, ad humanam facta non videri debet indolem: viam proinde sibi planiorem sternat, si coli cupiat. Voluptatis potiùs invitat stimulus; & deliciarum pateant semitæ, regiæ, tritæ, floridæ, planæ, spatiosæ, quæ tam roseo tuo arrident genio. Româ discedere, est lenocinanti fortunæ terga vertere. Eremum incolere, est brutalem naturam imitari. Revertere igitur ad patrios Pennates, ad honores, ad dignitates, ad delicias; quas plenissimis cornucopijs propitia Roma in te profundere parata invitat. Talibus agitabatur stimulis juvenis Benedictus, Deo jam consecratus, dum Sublacensis spelæi squallores subintraret: & quidem tunc vel maximè, quando tentator diabolus, merulæ avis speciem & cantilenam imitatus, circa eum officiosè volitans, ac insuper etiam vaferrimæ fœminæ imaginem objiciens, ad palinodiam *Deserto* canendam, vehementissimis suis & impetuosissimis invasionibus eum vix non permovit. At verò Benedictus supernâ gratiâ animatus, noluit stygiæ merulæ fallaces cantilenas admittere; quin potiùs Philomelam musicam agens, vepretorum aculeos & spinarum fruteta quæreret, & ijsdem nudo corpore

S. Benedicti secessus in eremum, & castigatio in spinis affectuosè refertur.

rè injectus, per cutis vulnera educeret à corpore mentis plagam, & voluptatem converteret in sensationis dolores. O militem in arena strenuum, qui spinas suo sanguine imbuit, ut pudicitiæ rosas sereret; & ita generosè extingueret concupiscentiæ incendium, ut nunquam ampliùs ejusdem debellatæ persentisceret fomentum! Quàm graves in vepretis hîc traxit spiritus, Philomela nostra spirituosissima? quàm acutos, quàm crebros, quàm extentos, quàm confractos & contractos? Quotiesin hisce vepretis hærens inventus est à pastoribus, suorum gregum gerentibus curam, velut aries ille, quem Abraham in monte Morian subitò protraxit, & immolandum suo filio exsoluto substituit? Erat Benedictus in hoc generosissimo actu, & fortissimâ sui ipsius victoria, velut *Lilium inter spinas*; quod illæsum atque integrum etiam inter cruentos aculeos vel *SIC SERVASSE IVVAT* à carnis pruritu, à dæmonis insidijs, à voluptuosæ titillationis blandimentis.

Inter virgulta viruit, inter dumeta floruit:
Ne flos juventæ quidquam deberet Veneri,
Cruore florem purpureum fecit suo.
Virtutis iactum semen in spinas, adverso more naturæ,
& feraciùs provenit & pulchriùs:
Acuit pudorem inter aculeos.

Bollandus 21. Martij de S. Benedicto.

Traditio Sublacensium perennat, Seraphicum meum Patrem Franciscum multis pòst sæculis in hasce spinas inseruisse fragrantes rosas, quarum frondes vernant in plantario totâ hyeme inter frigora & nives: ex ijs autem distillari aquam rosaceam, quæ pro eximio ac religiosissimo honorario ad Ecclesiæ Magnates, & ad regnorum Principes dispensatur. Ego autem dum inter hæc cruenta Benedicti spineta rosas non dissero; rosas tamen de ijs colligo, rosas loquor. Et quod olim S. Chrysostomus de vinculis Divum Paulum, Gentium Apostolum, dirè constringentibus affectuosissimè protulit, tractans illa verba ad Colossenses scripta, *Propter quod & vinctus sum.* [Rusus, inquit, vincula in medium adducit, quæ vehementer animo, quæ cor meum excitant, & semper incutiunt desiderium videndi Paulum vinctum, & in vinculis scribentem, & prædicantem, & baptizantem, & instituentem, &c.] Idipsum ad spineta Virginei Benedicti refero; quæ vehementer suspicio, quæ cor meum pijssimè afficiunt, & semper desiderium incutiunt videndi Benedictum cruentatum, & inter spinas confixum, in spinis suspirantem, in spinis gementem, in spinis canentem, in spinis acuto, gravi, pleno, crebro, extento spiritu sese extenuantem, debile corpus castigantem, & Philomelæ animositatem imitantem.

Colosf. 4. v. 3.

S. Chrysost. hom. 10. ad Colosf.

127.

S. Benedicti Filij ad Dei laudes instructissimi.

Ab hoc solitario & spinoso Philomelæ incolatu, ad ejus pædagogiam progredior. Suos enimverò instituit pullos, accentuum observationem docet, ut uno pronuntient spiritu, jam producant, jam corripiant, jam inflectant & minuant: mox per semitonos mutent, distinguant, dividántque in brevissimos exilésque garritus; acutum reddant vocem tremulam, in variosque transforment modos. Et ut Plinij observationem repetam: *Meditantur aliæ juniores, versúsque quos imitentur, accipiunt. Audit discipula intentione magnâ & reddit, vicibúsque reticens.*

Euseb. Nierenberg. hist. natural. l. 3. c. 13.

Plinius citatus.

S. Bonavent.

Horam circa tertiam quasi modum nescit,
Quia semper gaudium cordis eius crescit:
Verè guttur rumpitur, sic vox invalescit,
Et quò cantat altiùs, plùs & inardescit.

In hac solitudine, quæ Benedicto erat deliciarum paradisus, & cælestis Philosophiæ gymnasium, cùm diu virtutibus signisque succresceret, multi ab eo in eodem loco ad Omnipotentis Dei sunt congregati servitium; ita ut in illo Regionis tractu duodecim monasteria, Deo opitulante, brevi annorum spatio construeret: ubi statutis Abbatibus duodenos assignavit mo-

na-

nachos, paucos secum retinens, quos in suâ præsentiâ asceticis exercitationibus accuratiùs erudivit, ut *in peritiâ suâ requirentes modos musicos, & narrantes carmina scripturarum*, Monasticæ disciplinæ fundamenta probata firmarent. Cœpêre etiam tunc Romanæ urbis Nobiles & Religiosi ad eum concurrere, suosque filios eidem in monastica Philosophia nutriendos & instruendos commendare. Hos inter Maurus ab Eutychio, Placidus verò à Tertullio Patritio offerebantur: è quibus Maurus junior, cùm optimis polleret moribus, in adjutorium Magistri fuit assumptus. Jam quanto spiritu, quantisve pietatis studijs selectissimi isti Filij, primi Discipuli tanti Patris, in Divinas laudes diu noctuque persolvendas, in collectissimæ Asceseos exercitia sese impenderunt? *Meditantur aliæ iuniores* Philomelæ, *versúsque quos imitentur, accipiunt*. Inde per universam Ecclesiâ propagatus Monasticus Ordo; inde erecti chori laudantiû, & benedicentium Deum: quos ideò juvat Monachos dicere, quia Musicos; vel ideo Musicos, quia Monachos; & quidē tam beatos, ut cum Nazianzeno eos nûcupari liceat, *Philosophiæ deditos, ac Dei amore praditos, atque ante tempus in cælis civium munere fungentes*. Quod est dicere, eos jam nunc ex hac vita cælestium vitam vivere, ac beatitudine perfrui. Est enim *Monasterium* secundùm D Bernardum, *Paradisus claustralis*; secundùm Chrysostomum, *tutissimus cali portus*; secundùm Hieronymum, *florentissimus deliciarum hortus*; ubi fragrantia spirant odoramenta virtutum, sicut redolentium pigmentorum species, aut rutilantes aromatum flores; ubi charitatis rosæ igneo flammescunt rubore, & lilia castitatis niveo candescunt decore; ubi humilitatis violæ, dum imis sunt contentæ, nullis flatibus impelluntur; ubi myrrha perfectæ mortificationis exsudat, & thus assiduæ orationis indesinenter emanat; ubi denique omnia sanctarum virtutum germina diversis venusta coloribus rutilant, & perpetuæ viriditatis gratiâ incomparabiliter vernant. In hisce cælestium deliciarum hortis, in hisce claustralibus paradisis quid aliud faciant Philomelæ, quàm ut *in peritiâ suâ requirant modos musicos, & narrent carmina Scripturarum*. Observatur in Lusciniâ, quòd ejus cantus *TVNC SVAVIVS* resonet, & elegantiùs per musicales scalas divagetur, quando ipsa avicula est conclusa ornithotrophio. Idipsû familiare est religiosis hominibus, qui dum à mundo separantur & monasterijs continentur, longè securiùs & suaviùs serviunt Deo. Nempe

Carcere NVNC cantus Philomela SVAVIVS edit:
Sic quoque mens Superis Religiosa canit.

S. Nazianz. Orat. 21. n. 31.

D. Chrysostomi præclaram juvat hisce cælestibus musicorum choris adscribere parænesin, & præcipuè ad religiosissimos D. Benedicti filios dirigere, quod ille de veteris Eremi Monachis verissimè pronuntiabat. Cùm enim super illud Matthæi, *sicut prophetam eum habebant*, præmisisset, vitam monasticam respondere vitæ Adami innocentis in terrestri paradiso; altiùs provehens Monachorum jam ex hac vita beatitatem, componit eos cum Angelis in cælo, qui utique perfectè sunt beati. „Sic autem loquitur: [ita igitur orbis „terrarum lumina, in exortu Solis, „imò verò multò etiam ante diē à le„ctulo surgentes, integri, sobrij, vigi„lantes (nam nec gravedo capitis, nec „rerum cura, nec turba, nec aliud „hujusmodi eos perturbat, sed tan„quam Angeli in cælo versantur.) „Illic igitur postquam è lectulo splen„dentes & læti surrexerunt, choro „constituto, integra conscientiâ, om„nes quasi ab uno consonantes ore, „hymnis DEVM laudant, gratias „pro universis tam proprijs quàm „communibus beneficijs ei agentes. „Quare illo Adam omisso, quid in„ter Angelos & hunc Monachorum „intersit chorum, libenter interro„gaverim, qui sic in terris cantant, & „dicunt: *Gloria in excelsis DEO, & in „terra pax hominibus bona volunta„tis?*

S. Chrysost. hom. 69. Matth. 21.

Dum

128. *Benedictinæ Familiæ emolumenta in studijs literarum.*

Dum in hac Philomelarum Didascoliâ versor, eximios inde Phonascos prodire adverto, qui divinis Officijs ad sacra Altaria modos componant, & in suavissimis symphonijs *enarrent carmina scripturarum.* Quanta emolumenta à Benedicta tanti Patriarchæ Hæreditate acceperit musicalis Respublica, si cætera omnia desiderentur, satis ex eo & superabundè constaret, quòd Guido Aretinus, Monachus sub Benedicto VIII. Romano Pontifice, Anno 1022. invenerit notas musicas, *ut*, *re*, *mi*, *fa*, *sol*, *la*; & hasce notas in illum S. Joannis Baptistæ hymnum, *Ut queant laxis resonare fibris, &c.* appinxerit: tam prospero quidem eventu, ut puer paucis mensibus, quod antea vix pluribus annis homo ingenio valens capere potuisset, nunc facilè apprehendat & addiscat; præsertim quando Lusciniarum more *audit discipulus intentione magna & reddit, vicibúsque reticent.* Laus ista Gregorio Magno, Ordinis vestri lumini ac columini, debetur, quòd cantum Hymnorum & Psalmorum ad meliorem ordinem ac melodiam redegerit, quæ hodie Gregoriana vocatur. Sed & inventio organorum Hydraulicorum Gerberto Ordinis S. Benedicti Monacho, postea Sylvestro II adscribitur, qui ob insignem Matheseos peritiam, & mirabilem evectionem à claustro ad primas quasque Dignitates, ipsúmque earum fastigium Romanum Pontificatum sublimatus, per calumniam Magus audivit. Modica dicerem, si variorum instrumentorum Musicorum, sed & conficiendi ex bombyce serici, ad Altarium ornamenta admodum consecrati, inventiones Benedictinæ Prosapiæ adscriberem; nisi etiam ingentia alia in Christianam Rempublicam profusa beneficia, meritissimæ pariter ac utilissimæ huic Didascoliæ accepta referrem. Quantum humani generis bonum sit *Res Literaria*, nihil attinet aperire, cùm sit res manifestissima, dudum à Tiraquello demonstrata. Superi! quanta pietatis, & honestissimarum scientiarum, aut facultatum emolumenta cœpit tenera & ad omnē virtutis imaginem cerea juventus, quæ sub institutione Benedictinâ *in peritiâ suâ requirebat* non tantùm *modos musicos*, sed etiam humaniores literas, ac sublimiores scientias: & quidem subinde tam copioso numero, ut teste Aymoino, in solo Floriacensi Monasterio celeberrimæ scholæ studiosorum adolescentum numerum ultra quinque millia exercerent, à quorum singulis pro munere honorario dabatur Monacho didascalo duplex volumen manuscriptum; haudquaquam vile xenium, nondum tunc excogitatâ arte Typographicâ. Quæ minutæ ætatis in D. Benedicti monasterijs continuata nutritio, educatio & informatio, tanti semper momenti esse debuit, ut circumspectissimus Gerson sapientissimè pronuntiarit. [*Si suscipiatur consilium de Ecclesiæ reformatione, nihil posse convincibilius præstari, quàm si initium sumatur à parvulis, qui præ carentiâ malorum habituum, & cereâ mollitudine ad extrinsecam formationem, culturæ sunt maximè accomodati.*] De sapientialibus studijs Theologiæ ac Philosophiæ, de Juris Utriusque Prudentia quid dicam? ubi initium dicendi auspicabor?

Theoph. Raynaudus in Afcetic. fol. 366, 367.

Tiraquellus l. de nobilit. c. 5.

Ioannes à Bosco in c. 1. vitæ S. Abbonis Floriacensis.

Gerson l. de parvulis ad Christum trahendo. Con. 1.

Verè guttur rumpitur, sic vox invalescit,
Et quò cantat altiùs, plùs & inardescit.

Quam enim D. Benedicti Proles non excoluit atque promovit rem literariam, quâ verbo, quâ scripto? quàm in tradendis sacris Literis, aut exponendis Divinis mysterijs semper excelluit! quot innumeros intra suæ Amplitudinis viscera progenuit Doctores, quorum quisvis vel novas Academias condidit, vel novis condendis par esse potuisset singularis Phœnix. Imitantur omnino Philomelæ fœcunditatem, quæ dum ovis in nido incubat, suos pullos CANTU EXCLUDIT. Sic enim Albertus Magnus ait: *Philomela inter incubandum cantat, & dixerunt aliqui Platonicorum, ova ejus non posse sine cantu vivificari.* Idipsum religiosissimi ex hac Benedictina Familia præstare satagunt: cum maxima animi alacritate, & obsequendi promptitudine, & fructificandi hilaritate, *enarrant carmina Scripturarum*, & incumbunt studijs lite-

Albertus M. l. 5. hist. c. 9.

tera-

terarum, simul conjungentes Septem horariam Psalmodiam, & Chori longissimos tractus cum nobilissimorum studiorum exercitijs: quibus & semetipsos perfectè excolunt, & juventutem pulchrè erudiunt, & incultam plebem sanctè instituunt, & doctiores mirificè recreant, & mysteria rerum profundè penetrant, & maturissimos virtutum & meritorum fœtus in Ecclesiâ *cantu excludunt*. Stupefactus hîc Firmamentum suspicio, & fulgentissimas stellas, dum numerare haud possum, saltem admiror. Trithemio suum de Scriptoribus, & Viris illustribus sui Ordinis opus hîc non expilabo; nec ullatenus contentus esse volo quindecim millibus scriptorum, quos Arnoldus Wionius aliquando recensuisse studuit: coaptabo potiùs ad omnes clarissimos Benedictinæ Familiæ Viros illud Stephani Cantuariensis paradoxum paradigma, deprompium ex 1. Paralipomenon 2. & pro encomij dignitate appellabo eos *Cognationes Scribarum, habitantes in Iabes, canentes atque resonantes, & in tabernaculis commorantes*. Scribas, inquam, religiosissimos & illustrissimos Scriptores ex D. Benedicti Asceterijs: qui habitant in Jabes, *siccitatem* significante; quia aruit in eis noxius concupiscentiæ humor, sedem præbens Behemotho: canunt autem ob mentis jucunditatem, & resonant per carnis macerationem, nec aliter, quâm peregrini & hospites, habitant sub tabernaculis: unde curis sæculi soluti, & in mentis jucunditate perpetui, accommodatissimi evadunt ad proficiendum in litteris, & multas nec jejunas, sed benè fartas ac pinguiter saginatas lucubrationes in publicum proferendas, ac liberaliter *enarranda carmina Scripturarum*.

Trithem. in op. de scriptoribus & l. de viris illust. & l. 2. ligni vitæ c. 61. Arnoldus VVion.

Stephanus Cantuar. ex allegorijs Tilmanni.

1. Paralip. 2. v. 55.

129. Eximia Benedictinorum charitas & hospitalitas.

Philomelæ pædagogiam prosequor, *Quæ quo cantat altiùs, plùs & inardescit*. Inardescit profectò D. Benedicti Progenies amorosa, & in sublimissimis Charitatis operibus cæteris plerumque Religiosis Ordinibus dum ex congenitâ modestiâ non vult palmâ præripere, vult tamen pari passu procedere, imò frequenter præcurrendo bravium abripere. Nullum calamitatis publicæ genus aliquando Deo permittente emersit, vel à sæviente mortis imperio, vel à furente Martis excidio, vel depascente famis ingluvie, vel à coarctante captivitatis ergastulo; cui sublevandæ aut mitigandæ Benedictina charitas non ferret suppetias, manum non fortiter interponeret, aut misericorditer ad opitulandum non aperiret. Quæ quidem Thaumaturgæ dilectionis officia cum cæteris Religiosis numerant communia Benedictini, in hospitalitate verò (sine invidiâ, aut æmulatione) cæteros omnes communi calculo antecellunt. Glorietur Societas JESU in suo speciali de Apostolicis missionibus voto; glorientur Minimi in perpetuæ ab esu carnium abstinentiæ pallore; glorientur Minores in suâ Apostolica imitatione, & suo speciali voto Sedi Apostolicæ obediendi; glorientur Carthusiani in perpetuâ clausurâ, & rigorosissimi silentij observantiâ; glorientur quicunque alij Religiosi in suis specialissimis decoribus: Benedictini verò illud D. Hieronymi decorum suæ Religiosæ Architecturæ fronti, primisque postibus inscribunt, familiari lectione dignum. *Nobis in Monasterio Hospitalitas cordi est, omnèsque ad nos venientes læta humanitatis fronte suscipimus*. Quisquis sive sæcularium, sive aliorum Religiosorum, aut Ecclesiasticorum in suis peregrinationibus apud hos beneficentissimos Patres diversorium quæsierit, & omni charitatis officio recreatus, adjutus & consolatus perrexerit, meminerit, se Christi personam exhibuisse; quando pientissimus Legislator Benedictus in suâ regulâ id mandat. *Omnes supervenientes hospites tanquam Christus suscipiantur, quia ipse dicturus est: hospes fui, & suscepistis me.* Præscribit deinde modum salutandi, suscipiendi, accomodandi, & reficiendi hospitem; efficacissimo tam perfectæ Legis argumento subillato: ad innuendum scilicet, *Verbum Dei propter nos factum esse peregrinū, & eguisse susceptione*; ac proinde ad recolendam eam gratiam suscipi in nomine ejus externū. Unde non dubitavit insignis è D. Benedicti Familia de rebus Asceticis, & conversatione Monastica Scriptor Petrus à

S. Hieron. apolog. in Ruffinum.

S. Benedictus cap. 53. reg.

Petrus à S. Audomaro super reg.

S. Audomaro disertè affirmare, ex S. Benedicti mente *Hospitalitatem esse peculiariter essentialem eius Ordini*: ita ut præter tria *essentialia*, quæ ipse *cōmunia* vocat, paupertatem nimirum, castitatem & obedientiam, ad quorum observationem omnes Religiosi adstringuntur, Benedictini insuper præcepto Hospitalitatis teneantur. Idque quamdiu in ejus Familiâ duravit, nec oleum, nec farinam defecisse; repente autem hospitalitate stetisse oleum Magnatum, & siccata esse fluenta beneficentiæ Principum in Cœnobia, observat Petrus Blesensis in epistolis suis. Et addit: quia Fratres comedūt buccellam suam soli, & foris stat peregrinus, humerum à juncturâ suâ cadere, & brachium cum ossibus conteri; dum reverenda olim Religionis authoritas Principum oppressione calcata vilescit, & evenit imprecatio illa Jobi, dicentis: *si comedi buccellam meam solus; quia ab infantia mea crevit mecum miseratio, & de utero matris meæ egressa mecum est. Si foris stetit peregrinus, si ostium meū viatori non patuit, humerus meus à juncturâ suâ cadat, & brachium cum ossibus conteratur.* Non vult, omnino non vult hospitalissimus Benedictus tali imprecationi sua Monasteria esse obnoxia; ideóque paternè jubet, ut *Omnes supervenientes hospites tanquam Christus suscipiantur.*

Blesensis ep. 19.

Job. 31. v. 17.

130. S Benedicti spiritualia bella contra hæreses, idololatriam & vitia, per regulam suam discretissimam gesta.

Proinde in hac sua didascolia quid non profecit, quid non effecit Benedictus? Filios educavit, edocuit, informavit; qui tanto duce prævio nova certamina, nova prælia inirent cum vaferrimis Arianæ hæresis prosecutoribꝰ, quos per Africam & cæteras Christiani Orbis plagas scriptis, dictis & factis acerrimè invaderent, contererent, eliminarent. quid enim aliud, quàm exurgentes hæreses confutare, & supprimere discerent Discipuli à tam potenti Veritatis Magistro Benedicto: qui vel ipsi diabolo validum indixit bellum, & in occupatione montis Cassinatis, Apollinis delubra evertit, idola confregit, errores abstulit, pericula profugavit? Parum hactenus dixi, quòd Benedictus à tot sæculis hæresum pravitatibus, & Idololatriæ immanitatibus, continua bella immiserit. Majus est, & incomparabiliter generosius, seipsum vincere, sibi imperare, totique vitiorum in perpetuâ acie consistentium potentiæ clades inferre; pessimorum affectuum radices evellere, ac semper originalis injustitiæ conatibus invidere quietem; seipsum militaribus velitationibus lacessere, ut virtus in infirmitate perficiatur, & sublimes S. Evangelij perfectiones in apice salvæ consistant. Hoc maximi & divinissimi momenti opus Benedictus instituit in suâ discretissimâ Regulâ, de Spiritu Dei compositâ, plenissimâ monitis salutis; quam in fine concludit confidens in Divinâ misericordiâ, quòd *facientibus hæc, Regna patebunt æterna.* In Philomelæ instructione illud suprà notavit Plinius, quòd intelligatur emendatæ correctio, & in docente quædam reprehensio: at verò in D. Benedicti sanctissimâ Regulâ, ne quis ex Asseclis correctione aut reprehensione indigeat, ita suæ mentis faciem inspicit, ut quàm conformis aut dissimilis sit Divinæ imagini, semetipsū clarè agnoscat. Novit Philomela Musica in suis tonis per *scalas* ascendere subitò, subitóque descendere, sicque jucundissimam edere melodiam. Non loquor vobis de *Scalâ musicâ*, quando & S. Hieronymus, & S. Romualdus regulas suas appellârunt *scalas*, quibus è terris ad cælestia fiat ascensus. O quàm firmam, quàm securam Philomela Benedictus suis Pullis tenerrimis instituit *scalam*, ut *in peritia sua requirentes modos musicos, & narrantes carmina Scripturarum*, mentē in orationum, ac jugi spiritualium contemplationum exercitio ad Deum elevent, & animo ad cælestia conscendant altiùs; nec descendant ampliùs, nisi dū in profundo humanæ infirmitatis Passo nota quæpiam tremula mortis sit currenda! An non hæc *scala* illa ad cælum usque pertingens, per quam in veste candidâ, & super nivem dealbatâ, hujus fœcundissimi Patriarchæ ad cælestes Triumphos ascendunt Agmina Sanctorum utriusq; sexus, habentium palmas in manibus suis, & laureolas in capitibus: laureolas, inquā, Martyrum, Doctorum & Virginum, in tanta frequen-

Reg. c. 13.

Bibliotheca Patrum pag. 40.

quentiâ & numerositate, ut videantur castra Israël & virtute, & multitudine longè exuperare? An non hæc scala, in cujus gradibus tot Summi Pontificis, tot purpurati Patres, tot infulati Patres, tot coronata Capita, tot Duces & clarissimæ nobilitatis Viri, decantabant laudis canticum Deo & Agno? Universim in hos clarissimos D. BENEDICTI imitatores cadit encomium, quod Cæsarius de Ordine Lerinensi, nunc quidem Ordini Benedictino adjuncto, longè tamen ante S. Benedicti tempora florente pronuntiavit. [O felix ac beata habitatio Insulæ hujus, ubi tam sanctis quotidie & tam spiritualibus luctis gloria Domini Salvatoris augetur, & tantis damnis diaboli malitia minoratur! Beata, inquam, & felix Insula Lerinensis, quæ cùm parvula & plana esse videatur in terrâ, innumerabiles tamen montes ad cælum misisse cognoscatur. Hæc est, quæ eximios nutrit Monachos, & præstantissimos per omnes Provincias erogat sacerdotes: *ac sic, quos accipit Filios, reddit Patres; & quos nutrit parvulos, reddit magnos; quos velut tyrones excepit, Reges facit.* Nam omnes, quoscunque felix & beata habitatio illa suscepit, charitatis & humilitatis pennis, ad excelsa virtutum culmina Christo sublimare consuevit.] An non hæc *Scala scalarum*, & Regula regularũ, ad quam postmodum tot sanctissimi Ordinum Juniorum Fundatores suas religiosissimas institutiones collimârunt, ut ijs mediantibus ad Evangelicæ Perfectionis apicem rectâ penetrarent, & tanti Legislatoris imitatione in fundandis suis Religionibus securi procederent? An non hæc *Scala*, cujus summitas cælos tangebat, quando per hanc viam inter corusca lampadum lumina à duobus Fratribus, Divinâ revelatione, *Dilectus Domini Benedictus* visus est cælum conscendere, ad parandum suis Filijs regnum? Ad hanc Philomelæ nostræ *Scalam* Petrus Damiani subitò advenit, & benedictos omnes Benedicti Filios censens, amabili stupore exclamat. *Beati, qui vobiscum sunt! beati, qui inter vos, & in sanctis vestris operibus moriuntur!*

Cæsarius hom. 26.

Petrus Dam. Opusc. 36. c. 16.

Piâ nimirum fide credendum est, quia SCALA illa, quæ de Cassino monte olim in cælum videbatur erecta, adhuc pallijs strata, lampadibúsque coruscat. Sicut tunc excepit Ducem, ita nunc exercitum transmittit ad cælestia subsequentem; nec ab eius glorioso tramite exorbitant declinantes, iam defuncti, cuius dum in hoc exilio viverent, vestigia sunt secuti.

131. S. Benedicti virtutes & miracula.

Jam verò dum inter Philomelæ suavissimas didascolias versor, quò raptus excurri? quò *me bonus abstulit error*? Num Sol in meridie me destituit, ut aurium pruritu illectus cantilenas amarem, & Benedicti ornamenta negligerem? Aut certè inter Philomelas sic elinguis facta est oratio mea, ut de principalibus decoris omnino obmutescat? Non tacet Philomela, etiam fecerat exiguas dum Sol altissimus umbras:

Sed cùm in meridie Sol est in fervore,
Tunc dirumpit viscera nimio clamore.
Oci, Oci, clamitat illo suo more,
Sicque sensim deficit cantus præ labore.

Deficit & mea panegyris in virtutibus, ac miraculis S. P. Benedicti ritè inducendis. *Oci, oci* clamito, *& ocyùs* propero, quia properando me temporis angustia anteverrit. Quis enim dignâ orationis mensurâ possit assequi sublimissimarum virtutum operationes, pro quibus Benedicto in cælis incomparabilis confertur gloria, in Ecclesia militante dignissimus *laudis honor*? quis Laconica methodo exprimat profundissimam ejus *humilitatem*, quam religiosæ suæ fabricæ fundamento substravit? inconcussam *Magnanimitatem*, qua invidorum, præsertim verò inimicissimi Florentij insidias evasit? vigilantissimam *Fortitudinem*, qua diabolicis tentationibus, & pessimis machinationibus sese strenuè opposuit? paternum & religiosissimum *Zelum*, quo monasticam disciplinam vel instituit floridam, vel erexit collapsam, vel integram conservavit? Theologicæ *Charitatis* ardorem, quo erga Deum & proximum amabili quodam, & omnibus desiderabili affectu æstuavit? exquisitum *Religionis* cultum, quem in universa Ecclesia indesinen-

ter promovit? avitæ *Pietatis* exercitia, quæ exemplum & imitationem innumerabilium Electorum induxit? exquisita *Mortificationum* genera, quêis corpus suum in servitutem spiritûs redegit, & vitam usque ad nonagintà annos in Dei servitio exhausit. *Oci, oci* clamito; & *ocyùs* propero ad miracula à D. Benedicto patrata, quæ & rei magnitudine, & supernæ virtutis operatione, admirationem nostram usque ad extasin exstimularent. *Homo* potens virtute, cui terrena corpora & elementa facta sunt tributaria, ut ad omnem ejus parerent nutum. *Homo* mirabilis sanctitate, qui antiquos veteris ac novi Testamenti Patres suâ sanctitate coæquavit. Enim verò velut alter *Moyses*, in tribus Monasterijs limpidissimam aquam ex durissimâ petrâ ad Fratrum commoditatem produxit. Velut *Elisæus*, ferrum, quod cuidam Gotho spinas excidenti in lacum cecidit, arrepto manubio protinùs extractum converso novitio restituit. Velut *Noë*, panem venenatum sibi à Florentio inimico porrectum, cuidam corvo in loca desertissima deferendum mandavit. Velut *Iacob*, luctavit sæpiùs, non quidem cum Angelo lucis, sed cum Principe tenebrarum, eúmque gloriosè superavit. Velut *Elias*, & vacua dolia implevit oleo; & puerum muro à dæmone everso oppressum ad vitam revocavit. Velut *Balaam*, sævienti Totilæ fraudem detexit, eique prædicendo mortem punicum terrorem incussit. Velut *Filij Prophetarum*, Romæ excidium tempestatibus & terræmotu struendum, Cassinatis monasterij depopulationem à Longobardis inferendam, & innumera alia eventura infallibili prodigio prædixit. Velut *Habacuc*, ad longa viarum spatia est translatus, ut in momento Fratres præpositos de fabricæ Monasterij struendæ observationibus paternè instrueret. Velut *Petrus*, tactu, nutu & umbrâ suâ, morbos acerrimos, incurabiles & lethales curavit. Velut *Ioannes*, toxicata vina aliquoties porrecta agnovit, exinanivit. Denique *velut Christus* imperavit mari & ventis, dispensavit vitam & mortem, & creaturas omnes ad laudem & gloriam Dei, ad obsequium hominum induxit.

Bolandus in actis S. Benedicti.

142. Ignoscite mihi, Auditores, si tandem oratio mea ad raucedinem usque etiam inter musicales cæli oscines dissonare, & *Vox tota* inter abbreviatas laudes vobis videatur concidere. Ita est præ affectûs teneritudine, & gutturis gracilitate tandem etiam elanguescit melodia, eneruatur virtus, & vigor vocis exhauritur; *Sicque tandem deficit cantus præ labore.* Addam generosiùs,

S. Benedicti mors beata.

Sic quassato organo huius Philomenæ,
Rostro tamen palpitans fit exanguis penè,
Sed ad nonam veniens moritur iam plenè,
Cùm totius corporis dirumpuntur venæ.

Sic corpusculo Divi Benedicti ad sanctitatis eximiæ opera consecrato, sic neruis ad Divinæ canticû laudis intensis, sic venis ad cælestium meritorum triumphos exoneratis, sic conatibus ad religiosæ perfectionis culmen impensis, sic robore ad fraternæ dilectionis officia erogato, sic viribus singulis ad Servatoris Christi imitationem exhaustis: cùm mortis suæ horam longè antè Discipulis prædixisset venerabilis Senecio & Patriarcha Benedictus, ante sextum sui obitûs diem aperiri sibi sepulturam jubet; qui mox correptus febribus, acri cœpit ardore fatigari. Cùmque per dies singulos languor ingravesceret, sextâ die portari se in Oratorium à discipulis fecit, ibique exitû suum Dominici Corporis & Sanguinis perceptione munivit; atque inter discipulorum manus imbecillia membra sustentans, erectis in cælum manibus stetit, & ultimum spiritum inter verba orationis efflavit. Sepultus verò est in Oratorio beati Joannis Baptistæ, quod destructâ arâ Apollinis ipse construxit; qui & in eo specu, in quo priùs habitavit, nunc usque, si petentium fides exigat, miraculis coruscat. *BENEDICTVS sit talis exitus, sed multò magis talis introitus*: exitus de hoc mortali corpusculo, introitus in perennem fe-

S. Gregor. M. in legend.

fælicitatem! exitus è cruentis spinis, intr..itus in cælestes rosas! exitus Israël de Ægypto, introitus Israël in terram l.cte & melle manantem! exitus de valle lachrymarum & miseriarum, in..oitus in paradisum deliciarum!

Victa, morte finit sæpè vitam Philomela, spiritu priùs deficiente quàm cantu. Non deficit orationi meæ conatus, non voci affectus, non cordi animus, non gutturi sonus, sed verò inter hodiernos universales totius Florentissimæ Benedictinæ Religionis plausus, & inter solennissimos laudis honores magno Dei amico & servo BENEDICTO consecratos, exiguo incomptæ meæ Panegyris corpusculo deficit spiritus; non præ doloris vehementia, sed præ internæ consolationis dulcedine; non præ animi languore, sed præ gaudij, lætitiæ, & exultationis festivitate: cui

Philomela pravia temporis amæni,
Accessum denuntiat veris cantu leni;
Tollens hyemis tristia voce dulcis lyra;
Laudes quas vult addere, cogitur nescire,
Amen.



IN FESTO ANNUNTIATIONIS B. VIRGINIS MARIÆ.

CHENALOPEX VIRGINEA.

Die Jungfräwliche Sterngans.

LEMMA.

Spiritus intus alit. Virg. Æneid. 6.

THEMA.

Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Luc. I. v. 35.

SYNOPSIS CONCIONIS. LXXIII.

Quàm magna in mentis fœcunditate efficiat *Spiritus Dei*, potens & vehemens; quàm contrà tenuiá & nulla *Spiritus vanitatis*, sterilis & infirmus; potissimùm elucescit ex Verbo Dei dignè concepto, & indignè pronuntiato.

135. Aves concipientes à vento, symbolizant Deiparam fœcundatam à Spiritu sancto.



Ad facultatem Ornithologicam spectat, circa generationem ovorum & pullorum investigare, an dentur ova hypenemia seu subventanea; id est, sterilia, quæ ad incubationem nil valent, ut ex ijs excludantur naturali matris incubantis calore pulli? Ponit Aldrovandus experimentum his verbis: *Ova recentia nomen servant, vetusta verò antiquis requieta dicta sunt, nobis vulgò stantia; fortè quoniam levitate suâ aquis supernatant. Hâc enim ratione tutò experiris, si plena sunt & r.centia; an è contra-* Aldrovandus l. 14. Ornith. 1.

rè injectus, per cutis vulnera educeret à corpore mentis plagam, & voluptatem converteret in sensationis dolores. O militem in arena strenuum, qui spinas suo sanguine imbuit, ut pudicitiæ rosas ferteret; & ita generosè extingueret concupiscentiæ incendium, ut nunquam ampliùs ejusdem debellatæ persentisceret fomentum! Quàm graves in vepretis hîc traxit spiritus, Philomela nostra spirituosissima? quam acutos, quàm crebros, quàm extentos, quàm contractos & contractos? Quoties in hisce vepretis hærens inventus est à pastoribus, suorum gregum gerentibus curam, velut aries ille, quem Abraham in monte Morian subitò protraxit, & immolandum suo filio exsoluto substituit? Erat Benedictus in hoc generosissimo actu, & fortissimâ sui ipsius victoria, velut *Lilium inter spinas*; quod illæsum atque integrum etiam inter cruentos aculeos vel *SIC SERVASSE IVVAT* à carnis pruritu, à dæmonis insidijs, à voluptuosæ titillationis blandimentis.

Inter virgulta viruit, inter dumeta floruit:
Ne flos juventa quidquam deberet Veneri,
Cruore florem purpureum fecit suo.
Virtutis iactum semen in spinas, adverso more naturæ,
& feraciùs provenit & pulchriùs:
Acuit pudorem inter aculeos.

Bollandus 21. Martij de S. Benedicto. Traditio Sublacensium perennat, Seraphicum meum Patrem Franciscum multis pòst sæculis in hasce spinas inseruisse fragrantes rosas, quarum frondes vernant in plantario totâ hyeme inter frigora & nives: ex ijs autem distillari aquam rosaceam, quæ pro eximio ac religiosissimo honorario ad Ecclesiæ Magnates, & ad regnorum Principes dispensatur. Ego autem dum inter hæc cruenta Benedicti spineta rosas non dissero; rosas tamen de ijs colligo, rosas loquor. Et quod olim S. Chrysostomus de vinculis Divum Paulum, Gentium Apostolum, dirè constringentibus affectuosissimè protulit, tractans illa verba ad Colossenses scripta, *Propter quod & vinctus sum.* *Coloss. 4 v. 3.* [Rursus, inquit, vincula in medium adducit, quæ vehementer amo, quæ cor meum excitant, & semper incutiunt desiderium videndi Paulum vinctum, & in vinculis scribentem, & prædicantem, & baptizantem, & instituentem, &c.] *S. Chrysost. hom. 10. ad Coloss.* Id ipsum ad spineta Virginei Benedicti refero; quæ vehementer suspicio, quæ cor meum pijssimè afficiunt, & semper desiderium incutiunt videndi Benedictum cruentatum, & inter spinas confixum, in spinis suspirantem, in spinis gementem, in spinis canentem, in spinis acuto, gravi, pleno, crebro, extento spiritu sese extenuantem, debile corpus castigantem, & Philomelæ animositatem imitantem.

Ab hoc solitario & spinoso Philomelæ incolatu, ad ejus pædagogiam progredior. Suos enimverò instituit pullos, accentuum observationem docet, ut uno pronunrient spiritu, jam producant, jam corripiant, jam inflectant & minuant: mox per semitonos mutent, distinguant, dividántque in brevissimos exilésque garritus; actutum reddant vocem tremulam, in variosque transforment modos. Et ut Plinij observationem repetam: *Meditantur aliæ juniores, versúsque quos imitentur, accipiunt. Audit discipula intentione magnâ & reddit, vicibúsque reticent.* 127. *S. Benedicti Filij ad Dei laudes instructissimi.* *Eusеb. Nierenberg. hist. natural. l. 1. c. 15.* *Plinius citatus.*

Horam circa tertiam quasi modum nescit, *S. Bonavent.*
Quia semper gaudium cordis eius crescit:
Verè guttur rumpitur, sic vox invalescit,
Et quò cantat altiùs, plùs & inardescit.

In hac solitudine, quæ Benedicto erat deliciarum paradisus, & cælestis Philosophiæ gymnasium, cùm diu virtutibus signisque succresceret, multi ab eo in eodem loco ad Omnipotentis Dei sunt congregati servitium; ita ut in illo Regionis tractu duodecim monasteria, Deo opitulante, brevi annorum spatio construeret: ubi statutis Abbatibus duodenos assignavit mona-

nachos, paucos secum retinens, quos in suâ præsentiâ asceticis exercitationibus accuratiùs erudivit, ut *in peritiâ suâ requirentes modos musicos, & narrantes carmina scripturarum*, Monasticæ disciplinæ fundamenta probata firmarent. Cœpêre etiam tunc Romanæ urbis Nobiles & Religiosi ad eum concurrere, suosque filios eidem in monastica Philosophia nutriendos & instruendos commendare. Hos inter Maurus ab Eutychio, Placidus verò à Tertullio Patritio offerebantur: è quibus Maurus junior, cùm optimis polleret moribus, in adjutorium Magistri fuit assumptus. Jam quanto spiritu, quantisve pietatis studijs selectissimi isti Filij, primi Discipuli tanti Patris, in Divinas laudes diu noctuque persolvendas, in collectissimæ Asceseos exercitia sese impenderunt? *Meditantur aliæ iuniores* Philomelæ, *versúsque quos imitentur, accipiunt.* Inde per universam Ecclesiā propagatus Monasticus Ordo; inde erecti chori laudantiū, & benedicentium Deum: quos ideò juvat Monachos dicere, quia Musicos; vel ideo Musicos, quia Monachos; & quidē tam beatos, ut cum Nazianzeno eos nūcupari liceat, *Philosophiæ deditos, ac Dei amore praditos, atque ante tempus in cælis civium munere fungentes.* Quod est dicere, eos jam nunc ex hac vita cælestium vitam vivere, ac beatitudine perfrui. Est enim *Monasterium* secundùm D. Bernardum, *Paradisus claustralis*; secundùm Chrysostomum, *tutissimus cæli portus*; secundùm Hieronymum, *florentissimus deliciarum hortus*; ubi fragrantia spirant odoramenta virtutum, sicut redolentium pigmentorum species, aut rutilantes aromatum flores; ubi charitatis rosæ igneo flammescunt rubore, & lilia castitatis niveo candescunt decore; ubi humilitatis violæ, dum imis sunt contentæ, nullis flatibus impelluntur; ubi myrrha perfectæ mortificationis exsudat, & thus assiduæ orationis indesinenter emanat; ubi denique omnia sanctarum virtutum germina diversis venusta coloribus rutilant, & perpetuæ viriditatis gratiâ incomparabiliter vernant. In hisce cælestium deliciarum hortis, in hisce claustralibus paradisis quid aliud faciant Philomelæ, quàm ut *in peritiâ suâ requirant modos musicos, & narrent carmina Scripturarum.* Observatur in Luscinia, quòd ejus cantus *TUNC SUAVIUS* resonet, & elegantiùs per musicales scalas divagetur, quando ipsa avicula est conclusa ornithotrophio. Idipsū familiare est religiosis hominibus, qui dum à mundo separantur & monasterijs continentur, longè securiùs & suaviùs serviunt Deo. Nempe

Carcere NUNC cantus Philomela SUAVIUS edit:
Sic quoque mens Superis Religiosa canit.

S. Nazianz. Orat. 21. & 33.

D. Chrysostomi præclaram juvat hisce cælestibus musicorum choris adscribere parænesin, & præcipuè ad religiosissimos D. Benedicti filios dirigere, quod ille de veteris Eremi Monachis verissimè pronuntiabat. Cùm enim super illud Matthæi, *sicut prophetam eum habebant*, præmisisset, vitam monasticam respondere vitæ Adami innocentis in terrestri paradiso; altiùs provehens Monachorum jam ex hac vita beatitatem, componit eos cum Angelis in cælo, qui utique perfectè sunt beati. „Sic autem loquitur: [Ita igitur orbis „terrarum lumina, in exortu Solis, „imò verò multò etiam ante diē à lectulo surgentes, integri, sobrij, vigilantes (nam nec gravedo capitis, nec „rerum cura, nec turba, nec aliud „hujusmodi eos perturbat, sed tanquam Angeli in cælo versantur.) „Illic igitur postquam è lectulo splendentes & læti surrexerunt, choro „constituto, integra conscientiâ, omnes quasi ab uno consonantes ore, „hymnis DEUM laudant, gratias „pro universis tam proprijs quàm „communibus beneficijs ei agentes. „Quare illo Adam omisso, quid inter Angelos & hunc Monachorum „intersit chorum, libenter interrogaverim, qui sic in terris cantant, & „dicunt: *Gloria in excelsis DEO, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis?*

S. Chrysost. hom. 69. Matth. 21.

Dum

128.

Benedictinæ Familiæ emolumenta in studijs literarum.

Dum in hac Philomelarum Didascoliâ versor, eximios inde Phonascos prodire adverto, qui divinis Officijs ad sacra Altaria modos componant, & in suavissimis symphonijs *enarrent carmina scripturarum.* Quanta emolumenta a Benedicta tanti Patriarchæ Hæreditate acceperit musicalis Respublica, si cætera omnia desiderentur, satis ex eo & superabundè constaret, quòd Guido Aretinus, Monachus sub Benedicto VIII. Romano Pontifice, Anno 1022. invenerit notas musicas, *ut, re, mi, fa, sol, la*; & hasce notas in illum S. Joannis Baptistæ hymnum, *Vt queant laxis resonare fibris, &c.* appinxerit: tam prospero quidem eventu, ut puer paucis mensibus, quod antea vix pluribus annis homo ingenio valens capere potuisset, nunc facilè apprehendat & addiscat; præsertim quando Lusciniarum more *audit discipulus intentione magna & reddit, vicibúsque reticent.* Laus ista Gregorio Magno, Ordinis vestri lumini ac columini, debetur, quòd cantum Hymnorum & Psalmorum ad meliorem ordinem ac melodiam redegerit, quæ hodie Gregoriana vocatur. Sed & inventio organorum Hydraulicorum Gerberto Ordinis S. Benedicti Monacho, postea Sylvestro II adscribitur, qui ob insignem Matheseos peritiam, & mirabilem evectionem a claustro ad primas quasque Dignitates, ipsúmque earum fastigium Romanum Pontificatum sublimatus, per calumniam Magus audivit. Modica dicerem, si variorum instrumentorum Musicorum, sed & conficiendi ex bombyce serici, ad Altarium ornamenta admodum consecrati, inventiones Benedictinæ Prosapiæ adscriberem; nisi etiam ingentia alia in Christianam Rempublicam profusa beneficia, meritissimæ pariter ac utilissimæ huic Didascoliæ accepta referrem. Quantum humani generis bonum sit *Res Literaria*, nihil attinet aperire, cùm sit res manifestissima, dudum à Tiraquello demonstrata. Superi! quanta pietatis, & honestissimarum scientiarum, aut facultatum emolumenta cœpit tenera & ad omnē virtutis imaginem cerea juventus, quæ sub institutione Benedictinâ *in peritiâ suâ requirebat* non tantùm *modos musicos*, sed etiam humaniores literas, ac sublimiores scientias: & quidem subinde tam copioso numero, ut teste Aymoino, in solo Floriacensi Monasterio celeberrimæ scholæ studiosorum adolescentum numerum ultra quinque millia exercerent, à quorum singulis pro munere honorario dabatur Monacho didascalo duplex volumen manuscriptum; haudquaquam vile xenium, nondum tunc excogitatâ arte Typographicâ. Quæ minutæ ætatis in D. Benedicti monasterijs continuata nutritio, educatio & informatio, tanti semper momenti esse debuit, ut circumspectissimus Gerson sapientissimè „pronuntiarit. [*Si suscipiatur consilium „de Ecclesia reformatione, nihil posse con„ducibilius præstari, quàm si initium su„matur à parvulis, qui præ carentiâ ma„lorum habituum, & cereâ mollitudine ad „extrinsecam formationem, culturæ sunt „maximè accomodati.*] De sapientialibus studijs Theologiæ ac Philosophiæ, de Juris Utriusque Prudentia quid dicam? ubi initium dicendi auspicabor?

Verè guttur rumpitur, sic vox invalescit,

Et quò cantat altiùs, plùs & inardescit.

Quam enim D. Benedicti Proles non excoluit atque promovit rem literariam, quâ verbo, quâ scripto? quàm in tradendis sacris Literis, aut exponendis Divinis mysterijs semper excelluit! quot innumeros intra suæ Amplitudinis viscera progenuit Doctores, quorum quisvis vel novas Academias condidit, vel novis condendis par esse potuisset singularis Phœnix. Imitantur omnino Philomelæ fœcunditatem, quæ dum ovis in nido incubat, suos pullos CANTV EXCLVDIT. Sic enim Albertus Magnus ait: *Philomela inter incubandum cantat, & dixerunt aliqui Platonicorum, ova ejus non posse sine cantu vivificari.* Idipsum religiosissimi ex hac Benedictina Familia præstare satagunt: cum maxima animi alacritate, & obsequendi promptitudine, & fructificandi hilaritate, *enarrant carmina Scripturarum*, & incumbunt studijs litera-

Theoph. Raynaudus in Aprosc. fol. 166, 167.

Tiraquellus l. de nobilit. c. 5.

Ioannes à Bosco in c. 1. vita S. Abbonis Floriacensis.

Gerson l. de parvulis ad Christum trahendis. Cons. 1.

Albertus M. l. 5. hist. c. 3.

terarum, simul conjungentes Septem horariam Psalmodiam, & Chori longissimos tractus cum nobilissimorum studiorum exercitijs: quibus & semetipsos perfectè excolunt, & juventutem pulchrè erudiunt, & incultam plebem sanctè instruunt, & doctiores mirificè recreant, & mysteria rerum profundè penetrant, & maturissimos virtutum & meritorum fœtus in Ecclesiâ *cantu excludunt*. Stupefactus hîc Firmamentum suspicio, & fulgentissimas stellas, dum numerare haud possum, saltem admiror. Trithemio sum de Scriptoribus, & Viris illustribus sui Ordinis opus hîc non expilabo; nec ullatenus contentus esse volo quindecim millibus scriptorum, quos Arnoldus Wionius aliquando recensuisse studuit: coaptabo potiùs ad omnes clarissimos Benedictinæ Familiæ Viros illud Stephani Cantuariensis paradoxum paradigma, depromptum ex 1. Paralipomenon 2. & pro encomij dignitate appellabo eos *Cognationes Scribarum, habitantes in Iabes, canentes atque resonantes, & in tabernaculis commorantes*. Scribas, inquam, religiosissimos & illustrissimos Scriptores ex D. Benedicti Asceterijs: qui habitant in Jabes, *siccitatem* significante; quia aruit in eis noxius concupiscentiæ humor, sedem præbens Behemotho: canunt autem ob mentis jucunditatem, & resonant per carnis macerationem, nec aliter, quàm peregrini & hospites, habitant sub tabernaculis: unde curis sæculi soluti, & in mentis jucunditate perpetui, accommodatissimi evadunt ad proficiendum in litteris, & multas nec jejunas, sed benè fartas ac pinguiter saginatas lucubrationes in publicum proferendas, ac liberaliter *enarranda carmina Scripturarum*.

Trithem. in op. de Scriptoribus & l. de viris illust. & l. 2. lignum vitæ c. 61. Arnoldus VVion.

Stephanus Cantuar. ex allegorijs Tilmanni.

1. Paralip. 2. v. 55.

129. Eximia Benedictinorum charitas & hospitalitas.

Philomelæ pædagogiam prosequor, *Quæ quò cantat altiùs, plùs & inardescit.* Inardescit profectò D. Benedicti Progenies amorosa, & in sublimissimis Charitatis operibus cæteris plerumque Religiosis Ordinibus dum ex congenitâ modestiâ non vult palmâ præripere, vult tamen pari passu procedere, imò frequenter præcurrendo bravium abripere. Nullum calamitatis publicæ genus aliquando Deo permittente emersit, vel à sæviente mortis imperio, vel à furente Martis excidio, vel depascente famis ingluvie, vel à coarctante captivitatis ergastulo; cui sublevandæ aut mitigandæ Benedictina charitas non ferret suppetias, manum non fortiter interponeret, aut misericorditer ad opitulandum non aperiret. Quæ quidem Thaumaturgæ dilectionis officia cum cæteris Religiosis numerant communia Benedictini, in hospitalitate verò (sine invidiâ, aut æmulatione) cæteros omnes communi calculo antecellunt. Glorietur Societas JESU in suo speciali de Apostolicis missionibus voto; glorientur Minimi in perpetuæ ab esu carnium abstinentiæ pallore; glorientur Minores in suâ Apostolica imitatione, & suo speciali voto Sedi Apostolicæ obediendi: glorientur Carthusiani in perpetuâ clausurâ, & rigorosissimi silentij observantiâ; glorientur quicunque alij Religiosi in suis specialissimis decoribus: Benedictini verò illud D. Hieronymi decorum suæ Religiosæ Architecturæ fronti, primisque postibus inscribunt, familiari lectione dignum. *Nobis in Monasterio Hospitalitas cordi est, omnésque ad nos venientes læta humanitatis fronte suscipimus.* Quisquis sive sæcularium, sive aliorum Religiosorum, aut Ecclesiasticorum in suis peregrinationibus apud hos beneficentissimos Patres diversorium quæsierit, & omni charitatis officio recreatus, adjutus & consolatus pertexerit, meminerit, se Christi personam exhibuisse; quando pientissimus Legislator Benedictus in suâ regulâ id mandat. *Omnes supervenientes hospites tanquam Christus suscipiantur, quia ipse dicturus est: hospes fui, & suscepistis me.* Præscribit deinde modum salutandi, suscipiendi, accomodandi, & reficiendi hospitem; efficacissimo tam perfectæ Legis argumento subillato: ad innuendum scilicet, *Verbum Dei propter nos factum esse peregrinũ, & eguisse susceptione*; ac proinde ad recolendam eam gratiam suscipi in nomine ejus externũ. Unde non dubitavit insignis è D. Benedicti Familia de rebus Asceticis, & conversatione Monastica Scriptor Petrus à

S. Hieron. apolog. in Ruffinum.

S. Benedict. cap. 53. reg.

Petrus à S. Audomaro super reg. S. Audomaro disertè affirmare, ex S. Benedicti mente *Hospitalitatem esse peculiariter essentialem eius Ordini*: ita ut præter tria *essentialia*, quæ ipse *communia* vocat, paupertatem nimirum, castitatem & obedientiam, ad quorum observationem omnes Religiosi adstringuntur, Benedictini insuper præcepto Hospitalitatis teneantur. Idque quamdiu in ejus Familiâ duravit, nec oleum, nec farinam defecisse; repente autem hospitalitate stetisse oleum Magnatum, & *Blesens. ep. 29.* siccata esse fluenta beneficentiæ Principum in Cœnobia, observat Petrus Blesensis in epistolis suis. Et addit: quia Fratres comedūt buccellam suam soli, & foris stat peregrinus, humerum à juncturâ suâ cadere, & brachium cum ossibus conteri; dum reverenda olim Religionis authoritas Principum oppressione calcata vilescit, & evenit im- *Job. 31. v. 17.* precatio illa Jobi, dicentis: *si comedi buccellam meam solus; quia ab infantia mea crevit mecum miseratio, & de utero matris meæ egressa mecum est. Si foris stetit peregrinus, si ostium meū viatori non patuit, humerus meus à juncturâ suâ cadat, & brachium cum ossibus conteratur.* Non vult, omnino non vult hospitalissimus Benedictus tali imprecationi sua Monasteria esse obnoxia; ideóque paternè jubet, ut *Omnes supervenientes hospites tanquam Christus suscipiantur.*

130. *S. Benedicti spiritualia bella contra hæreses, idololatriam & vitia, per regulam suam discretissimam gesta.* Proinde in hac sua didascolia quid non profecit, quid non effecit Benedictus? Filios educavit, edocuit, informavit; qui tanto duce prævio nova certamina, nova prælia inirent cum vaferrimis Arianæ hæresis prosecutoribꝰ, quos per Africam & cæteras Christiani Orbis plagas scriptis, dictis & factis acerrimè invaderent, contererent, eliminarent. quid enim aliud, quàm exurgentes hæreses confutare, & supprimere discerent Discipuli à tam potenti Veritatis Magistro Benedicto: qui vel ipsi diabolo validum indixit bellum, & in occupatione montis Cassinatis, Apollinis delubra evertit, idola confregit, errores abstulit, pericula profugavit? Parum hactenus dixi, quòd Benedictus à tot sæculis hæresum pravitatibus, & Idololatriæ immanitatibus, continua bella immiserit. Majus est, & incomparabiliter generosius, seipsum vincere, sibi imperare, totique vitiorum in perpetuâ acie consistentium potentiæ clades inferre; pessimorum affectuum radices evellere, ac semper originalis injustitiæ conatibus invidere quietem; seipsum militaribus velitationibus lacessere, ut virtus in infirmitate perficiatur, & sublimes S. Evangelij perfectiones in apice salvæ consistant. Hoc maximi & divinissimi momenti opus Benedictus instituit in suâ discretissimâ Regulâ, de Spiritu Dei compositâ, plenissimâ monitis salutis; quam in fine concludit confidens in Divinâ misericordiâ, quòd *facientibus hæc, Regna patebunt æterna.* *Reg. c. 73.* In Philomelæ instructione illud suprà notavit Plinius, quòd intelligatur emendatæ correctio, & in docente quædam reprehensio: at verò in D. Benedicti sanctissimâ Regulâ, ne quis ex Asseclis correctione aut reprehensione indigeat, ita suæ mentis faciem inspicit, ut quàm conformis aut dissimilis sit Divinæ imagini, semetipsū clarè agnoscat. Novit Philomela Musica in suis tonis per *scalas* ascendere subitò, subitóque descendere, sicque jucundissimam edere melodiam. Non loquor vobis de *Scalâ musicâ*, quando & S. Hieronymus, *Bibliotheca Patrum pag. 40.* & S. Romualdus regulas suas appellârunt *scalas*, quibus è terris ad cælestia fiat ascensus. O quàm firmam, quàm securam Philomela Benedictus suis Pullis tenerrimis instituit *scalam*, ut *in peritia sua requirentes modos musicos, & narrantes carmina Scripturarum*, mentē in orationum, ac jugi spiritualium contemplationum exercitio ad Deum elevent, & animo ad cælestia conscendant altiùs; nec descendant ampliùs, nisi dū in profundo humanæ infirmitatis Passo nota quæpiam tremula mortis sit currenda! An non hæc *scala* illa ad cælum usque pertingens, per quam in veste candidâ, & super nivem dealbatâ, hujus fœcundissimi Patriarchæ ad cælestes Triumphos ascendunt Agmina Sanctorum utriusq; sexus, habentium palmas in manibus suis, & laureolas in capitibus: laureolas, inquā, Martyrum, Doctorum & Virginum, in tanta frequen-

quentiâ & numerositate, ut videantur castra Israël & virtute, & multitudine longè exuperare? An non hæc scala, in cujus gradibus tot Summi Pontificis, tot purpurati Patres, tot infulati Patres, tot coronata Capita, tot Duces & clarissimæ nobilitatis Viri, decantabant laudis canticum Deo & Agno? Universim in hos clarissimos D. BENEDICTI imitatores cadit encomium, quod Cæsarius de Ordine Lerinensi, nunc quidem Ordini Benedictino adjuncto, longè tamen ante S. Benedicti tempora florente pronuntiavit. [O felix ac beata habitatio Insulæ hujus, ubi tam sanctis quotidie & tam spiritualibus lucris gloria Domini Salvatoris augetur, & tantis damnis diaboli malitia minoratur! Beata, inquam, & felix Insula Lerinensis, quæ cùm parvula & plana esse videatur in terrâ, innumerabiles tamen montes ad cælum misisse cognoscatur. Hæc est, quæ eximios nutrit Monachos, & præstantissimos per omnes Provincias erogat sacerdotes: *ac sic, quos accipit Filios, reddit Patres; & quos nutrit parvulos, reddit magnos; quos velut tyrones excepit, Reges facit.* Nam omnes, quoscunque felix & beata habitatio illa suscepit, charitatis & humilitatis pennis, ad excelsa virtutum culmina Christo sublimare consuevit.] An non hæc *Scala scalarum*, & Regula regularũ, ad quam postmodum tot sanctissimi Ordinum Juniorum Fundatores suas religiosissimas institutiones collimârunt, ut ijs mediantibus ad Evangelicæ Perfectionis apicem rectâ penetrarent, & tanti Legislatoris imitatione in fundandis suis Religionibus securi procederent? An non hæc *Scala*, cujus summitas cælos tangebat, quando per hanc viam inter corusca lampadum lumina à duobus Fratribus, Divinâ revelatione, *Dilectus Domini Benedictus* visus est cælum conscendere, ad parandum suis Filijs regnum? Ad hanc Philomelæ nostræ *Scalam* Petrus Damiani subitò advenit, & benedictos omnes Benedicti Filios censens, amabili stupore exclamat. *Beati, qui vobiscum sunt! beati, qui inter vos, & in sanctis vestris operibus moriuntur!*

Cæsarius hom. 24.

Petrus Dam. Opusc. 36. c. 16.

Piâ nimirum fide credendum est, quia SCALA illa, quæ de Cassino monte olim in cælum videbatur erecta, adhuc pallijs strata, lampadibúsque coruscat. Sicut tunc excepit Ducem, ita nunc exercitum transmittit ad cælestia subsequentem; nec ab eius glorioso tramite exorbitant declinantes, iam defuncti, cuius dum in hoc exilio viverent, vestigia sunt secuti.

131. Jam verò dum inter Philomelæ suavissimas didascolias versor, quò raptus excurri? quò *me bonus abstulit error?* Num Sol in meridie me destituit, ut aurium pruritu illectus cantilenas amarem, & Benedicti ornamenta negligerem? Aut certè inter Philomelas sic elinguis facta est oratio mea, ut de principalibus decoris omnino obmutescat? Non tacet Philomela, etiam fecerat exiguas dum Sol altissimus umbras:

S. Benedicti virtutes & miracula.

Sed cùm in meridie Sol est in fervore,
Tunc dirumpit viscera nimio clamore.
Oci, Oci, clamitat illo suo more,
Sicque sensim deficit cantus præ labore.

Deficit & mea panegyris in virtutibus, ac miraculis S.P. Benedicti ritè inducendis. *Oci, oci* clamito, *& ocyùs* propero, quia properando me temporis angustia antevertit. Quis enim dignâ orationis mensurâ possit assequi sublimissimarum virtutum operationes, pro quibus Benedicto in cælis incomparabilis confertur gloria, in Ecclesia militante dignissimus *laudis honor?* quis Laconica methodo exprimat profundissimam ejus *humilitatem*, quam religiosæ suæ fabricæ fundamento substravit? inconcussam *Magnanimitatem*, qua invidorum, præsertim verò inimicissimi Florentij insidias evasit? vigilantissimam *Fortitudinem*, qua diabolicis tentationibus, & pessimis machinationibus sese strenuè opposuit? paternum & religiosissimum *Zelum*, quo monasticam disciplinam vel instituit floridam, vel erexit collapsam, vel integram conservavit? Theologicæ *Charitatis* ardorem, quo erga Deum & proximum amabili quodam, & omnibus desiderabili affectu æstuavit? exquisitum *Religionis* cultum, quem in universa Ecclesia indesinen-

ter promovit? avitæ *Pietatis* exercitia, quæ exemplum & imitationem innumerabilium Electorum induxit? exquisita *Mortificationum* genera, queis corpus suum in servitutem spiritûs redegit, & vitam usque ad nonaginta annos in Dei servitio exhausit. *Oci, oci* clamito; & *ocyùs* propero ad miracula à D. Benedicto patrata, quæ & rei magnitudine, & supernæ virtutis operatione, admirationem nostram usque ad extasin exstimularent. *Homo* potens virtute, cui terrena corpora & elementa facta sunt tributaria, ut ad omnem ejus parerent nutum. *Homo* mirabilis sanctitate, qui antiquos veteris ac novi Testamenti Patres suâ sanctitate coæquavit. Enim verò velut alter *Moyses*, in tribus Monasterijs limpidissimam aquam ex durissimâ petrâ ad Fratrum commoditatem produxit. Velut *Elisæus*, ferrum, quod cuidam Gotho spinas excidenti in lacum cecidit, arreptò manubio protinùs extractum converso novitio restituit. Velut *Noë*, panem venenatum sibi à Florentio inimico porrectum, cuidam corvo in loca desertissima deferendum mandavit. Velut *Iacob*, luctavit sæpiùs, non quidem cum Angelo lucis, sed cum Principe tenebrarum, eùmque gloriosè superàvit. Velut *Elias*, & vacua dolia implevit oleo, & puerum muro à dæmone everso oppressum ad vitam revocavit. Velut *Balaam*, sævienti Totilæ fraudem detexit, eique prædicendo mortem punicum terrorem incussit. Velut *Filij Prophetarum*, Romæ excidium tempestatibus & terræmotu struendum, Cassinatis monasterij depopulationem à Longobardis inferendam, & innumera alia eventura infallibili prodigio prædixit. Velut *Habacuc*, ad longa viarum spatia est translatus, ut in momento Fratres præpositos de fabricæ Monasterij struendæ observationibus paternè instrueret. Velut *Petrus*, tactu, nutu & umbrâ suâ, morbos acerrimos, incurabiles & lethales curavit. Velut *Ioannes*, toxicata vina aliquoties porrecta agnovit, exinanivit. Denique *velut Christus* imperavit mari & ventis, dispensavit vitam & mortem, & creaturas omnes ad laudem & gloriam Dei, ad obsequium hominum induxit.

Bollandus in actis S. Benedicti.

141. Ignoscite mihi, Auditores, si tandem oratio mea ad raucedinem usque etiam inter musicales cæli oscines dissonare, & *Vox tota* inter abbreviatas laudes vobis videatur concidere. Ita est præ affectûs teneritudine, & gutturis gracilitate tandem etiam elanguescit melodia, eneruatur virtus, & vigor vocis exhauritur; *Sicque tandem deficit cantus præ labore.* Addam generosiùs,

S. Benedicti mors beata.

Sic quassato organo huius Philomenæ,
Rostro tamen palpitans fit exanguis penè,
Sed ad nonam veniens moritur iam plenè,
Cum totius corporis dirumpuntur venæ.


Sic corpusculo Divi Benedicti ad sanctitatis eximiæ opera consecrato, sic neruis ad Divinæ canticû laudis intensis, sic venis ad cælestium meritorum triumphos exoneratis, sic conatibus ad religiosæ perfectionis culmen impensis, sic robore ad fraternæ dilectionis officia erogato, sic viribus singulis ad Servatoris Christi imitationem exhaustis: cùm mortis suæ horam longè antè Discipulis prædixisset venerabilis Senecio & Patriarcha Benedictus, ante sextum sui obitûs diem aperiri sibi sepulturam jubet; qui mox correptus febribus, acri cœpit ardore fatigari. Cùmque per dies singulos languor ingravesceret, sextâ die portari se in Oratorium à discipulis fecit, ibique exitû suum Dominici Corporis & Sanguinis perceptione munivit; atque inter discipulorum manus imbecillia membra sustentans, erectis in cælum manibus stetit, & ultimum spiritum inter verba orationis efflavit. Sepultus verò est in Oratorio beati Joannis Baptistæ, quod destructâ arâ Apollinis ipse construxit; qui & in eo specu, in quo priùs habitavit, nunc usque, si petentium fides exigat, miraculis coruscat. *BENEDICTVS fit talis exitus, sed multo magis talis introitus:* exitus de hoc mortali corpusculo, introitus in perennem fæ-

S. Gregor. M. in legend.

fælicitatem! exitus è cruentis spinis, introitus in cæles tes rosas! exitus Israël de Ægypto, introitus Israël in terram lacte & melle manantem! exitus de valle lachrymarum & miseriarum, introitus in paradisum deliciarum!

Victa, morte finit sæpè vitam Philomela, spiritu priùs deficiente quàm cantu. Non deficit orationi meæ conatus, non voci affectus, non cordi animus, non gutturi sonus, sed verò inter hodiernos universales totius Florentissimæ Benedictinæ Religionis plausus, & inter solennissimos laudis honores magno Dei amico & servo BENEDICTO consecratos, exiguo incomptæ meæ Panegyris corpusculo deficit spiritus: non præ doloris vehementia, sed præ internæ consolationis dulcedine; non præ animi languore, sed præ gaudij, lætitiæ, & exultationis festivitate: cui

Philomela pravia temporis amœni,
Accessum denuntiat veris cantu leni;
Tollens hyemis tristia voce dulcis lyra;
Laudes quas vult addere, cogitur nescire,
Amen.



IN FESTO ANNUNTIATIONIS B. VIRGINIS MARIÆ.

CHENALOPEX VIRGINEA.

Die Jungfräwliche Sterngänß.

LEMMA.

Spiritus intus alit. Virg. Æneid. 6.

THEMA.

Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Luc. I. v. 35.

SYNOPSIS CONCIONIS. LXXIII.

Quàm magna in mentis fœcunditate efficiat *Spiritus Dei*, potens & vehemens; quàm contrà tenuiá & nulla *Spiritus vanitatis*, sterilis & infirmus; potissimùm elucescit ex Verbo Dei dignè concepto, & indignè pronuntiato.

135. Aves concipientes à vento, symbolizant Deiparam fœcundatam à Spiritu Sancto.



Ad facultatem Ornithologicam spectat, circa generationem ovorum & pullorum investigare, an dentur ova hypenemia seu subventanea; id est, sterilia, quoad incubationem nil valent, ut ex ijs excludantur naturali matris incubantis calore pulli? Ponit Aldrovandus experimentum his verbis: *Ova recentia nomen servant, vetusta verò antiquis requieta dicta sunt, nobis vulgò stantia; sed quoniam levitate suá aquis supernatant. Hâc enim ratione tutò experieris, si plena sunt & recentia; an è contra-* Aldrovandus l. 14. Ornith. c. 1.

trario. Sed verò hujusmodi ova subventanea seu Zephyrina à Gallina sine mare concipi, agitata est controversia. De Vulturum conceptione è vento absque copulâ maritali, mira passim tradunt Physiologi. Certè Author Geoponicorum, qui ab aliquibus Aristoteles, sed falsò, putatur: *Vultures*, inquit, *tertio à conceptu anno pariunt, nec nidum struunt, ut fertur, neq; ova pariunt, sed statim pullos, eosq; mox à nativitate volucres.* Huic contentanea habet Simocatus, quòd Vultures triennio uterum gerant, nec ullus inter illos mas sit; sed fœminæ ore aperto, extensisque alis zephyrum, aut ejus loco Eurum hauriant; ac inde concipiant materiam quandam, quæ ob sui tenuitatem plurimo tempore eget ad animalis perfectionem; animal autem, non ovum pariant. Sive *ovipa-ret*, sive *vivipares* sint Vultures; saltem nonnullas aves sine nuptijs, sine mare, & absque virtute adventitiâ in corpus generantis & parientis transfusâ aut communicatâ, generare ova, communis est doctrina; prout de gallinis, perdicibus, columbis & pavonibus regulariter observant Ornithologi: quibus vel maximè adduntur Chenalopecem, seu Vulpanserem; ita dictam, quasi Anserem specie, vulpem autem calliditate referat. Enimverò Aquilæ & felis injuriam facilè propulsat, & aucupi ad nidum accedenti obviàm procedit, ut interim pullis elabendi spatium præbeat: quare Ægyptij pro hieroglyphico filialis amoris servijt. Et quia maculas rufas pectori insertas habet, stellis non admodum dissimiles, ideo à Germanis speciosò nomine appellitatur ein Sterngans. Non respicio Chenalopecis callidam astutiam, non ferocem cum hostibus pugnam, quando eam offendo in cuniculorum foveis & rupium cavernis nidificantem, atque ova Zephyria parientem: Virgineam Chenalopecem, quæ hodierna solennitate symbolizat Prudentissimam Virginem Mariam, cujus venerandum Caput duodecim sublimissimarum virtutum stellis illustratum rutilat; cujus pectus puritate angelicum, & Divini Verbi amore ardentissimum, tantam contulerunt Virgineo Vtero dignitatem, ut sine conjugali cooperatione conciperet Dei Filium, non ex afflante sterilis imaginationis Zephyro, sed perficiente, supplente, & fovente Spiritu sancto. *Spiritus S. superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Attonitos vos adverto, Auditores, ad tam insolitam Spiritûs operationem, ad tam heteroclitam conceptionem, ad tam Virgineam fœcunditatem: sed verò quia *SPIRITUS INTUS ALIT*, sublimissimum hoc mysterium ita explanabo, ut omnes intelligant, quàm magna efficiat in mentis fœcunditate *Spiritus Dei*; quàm tenuia & nulla præstet *Spiritus vanitatis*? Operetur in me Spiritus Dei, ut in vobis expellat Spiritum vanitatis, in nomine Verbi Incarnati.

Caspar Schotus l. 7. mirab. animal. c. 6. parag. 1.

Nicephor. l. 6. c. 7.

Ælian. l. 15. c. 11. Gesnerus in Chenalop.

Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Supervenire, & obumbrare proprium est hujus Divinæ Personæ; prout ex illo Genesis intelligimus: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Legit textus Hebraicus pro ferebatur, *merachephet*; quod teste S. Basilio, Diodoro & Hieronymo, ad volucres pertinet, dum super *ova* & pullos quasi pendulæ, leniter agitatione alarum se librant, motitant, volitántque, ac ijs deinde incubant, calorem aspirant, fovent, animant. Ita supervectabatur aquis Spiritus S. non loco aut motu, sed omnia præcellente potentiâ, quâ aquis quasi incubabat, vim eis prolificeam indens, ut reptilia, volatilia, pisces, germina, imò cæli omnes ex aquis producerentur. Quem spiritum ab Hebræis, ut creditur, eruditus Plato vocavit *animam Mundi*: prout alludit Virgilius.

134 Spiritus S. virtus mirabilis in fovendo & incubando. Genes. 1. v. 2.

S. Hieron. Heb. in Genes.

SPIRITUS INTUS ALIT, totamq; infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Virg. Æneid. 6

Ferebatur super aquas. Vertunt alij clarissimè ad propositum: *Spiritus sanctus fovebat aquas, ad modum Avis ova incubantis.* Volucres autem fovent, fœcundant & animant, nihil tamen lædunt;

dunt; fovent illæ ova, alas super ova expandunt, formatur illâ expansione pullus, nulla immittitur ovo substantia, non læditur, non frangitur. Cur igitur non dicemus, Spiritum sanctum incubâsse & obumbrâsse Mariam, sicut in primordio Mundi Aquas? Potuit illam fœcundam reddere sine ullâ Virginitatis læsione, sine ullâ pudoris corruptelâ. Si teste D. Basilio quædam Aves, ut Columbæ, Perdices, Chenalopeces, Vultures, *in aëreas subvectæ plagas, solo ventorum haustu & afflatu concipiunt ova, quæ quia ex vento sunt, ideò subventanea nuncupantur.* Si Puteanus ob hujusmodi ova Zephytia præfatas volucres vocat gallinas *matres, & tamen virgines; innuptas & tamen puerperas, quibus hoc quoq; natura concessit, ut sine dolore parerent:* cur non simile quid, aut majus longè in Virgine possit Spiritus Dei? Quamvis enim ex naturæ conditione ejusmodi irrita esse soleant, nihil tamen fœcundius eo ovo, quod Spiritus ille vehemens suo afflatu fœcundavit, & cui alis suis *obumbravit:* ut eadem, quæ gratiâ, etiam Deo plena esset, simulque & *ovum* & *avem* progigneret. Certè vultur fœcundatus à sufflante vento, pulcherrimè servit ad figurandam Annuntiationem Virgineæ Matris; cui Henricus Eburo in suis diphteris dedit: *SINE VENERE.* Aresius superscribit verba Isaiæ Prophetæ: *VIRGO CONCIPIET.* Et Lucarinus aptissimè: *CONCIPIT SPIRITU,* Scilicet alludendo ad dictum Angeli: *Spiritus sanctus superveniet in te;* & jam *Concipies in utero, & paries filium.* Vbi ad propositum Lactantius Firmianus sic argumentatur: *Si animalia quædam vento & aurâ concipere solere omnibus notum est, cur quisquam mirum putet, cùm Spiritu Dei, cui facile est, quidquid velit, gravatam esse Virginem dicimus?* Nec minùs convenienter Incarnatio Verbi Divini à Lucarino fuit repræsentata per picturam Vulturis, aperto ore adversùs ventum volantis, signatam hoc lemmate: *GENITUS ABSQUE PATRE.* Mysterium magis declarat S. Ambrosius, dicens: *Impossibile putatur in Dei Matre, quod in Vulturibus possibile non negatur? Avis SINE MASCULO parit, & nullus refellit: & quia desponsata viro Maria peperit, pudoris eius faciunt quæstionem? Nonne advertimus, quod Dominus ex ipsa naturâ plurima exempla antè præmisit, quibus susceptæ Incarnationis decorem probaret, & astrueret veritatem?* Quasi nempe Spiritus sanctus non potuerit operari in Virgine circa Verbi Divini Incarnationem, quod operatur in Volucre circa pulli fœtificationem? Hic verò Spiritus, quia Deus & omnipotens fuit, haud indiguit fotu diurno, sed corpus Redemptoris nostri in instanti perfectissimè formavit. Quo instanti alia multa accidisse constat miracula: nam & animæ Christi, ubi primùm cœpit esse, scientijs, virtutibus, lumine gloriæ, gaudijs, omnibus bonis beatificis perfectissimè est inundata: neque tamen hæc animæ gloria in corpus, sicut gloria Divinitatis in animam, redundavit; sed sicut novâ & mirificâ vi gaudium in animâ illâ mœstitiam & dolores non exclusit, ita & corpus cruciatibus ac morti obnoxium non subtraxit.

S. Basil. hom. 8. in hexam.

Puteanus mat. 10.

Henric. Eburo l. 1. diphtera Elog. 21.

Isa. 7. v. 14.

Luca 1. v. 35.

Firmian. l. 4. div. Instit. c. 12.

Lucarinus.

S. Ambrosius l. 5. hex. c. 20.

135\. Et quis non tanti mysterij apprehendat possibilitatem aut convenientiam, quòd Virgo Dei virtute possit concipere, & parere; quando D. Cyrillus Gentilibus & Judæis, ad audiendum surdis, eam verisimiliter persuasit. Aggreditur S. Pater Gentiles, suis fabulis & inanibus commentis excæcatos. [Qui, inquit, dicitis, projectos lapides in homines mutari, quomodo Virginem parere posse negatis? Qui ex Jovis cerebro natam filiam fabulamini, quomodo ex utero Virginali nasci aliquem, impossibile dicitis esse? Qui de femore vestri Jovis prognatum falsò esse dicitis Bacchum, cur nostram veritatem reijcitis?] Aggreditur deinde Judæos, talibus eos rationibus constringens. Sterilis erat Sara, & deficientibus jam mulieribus præter naturam peperit: aut utrumque nega, aut utrumque concede. Idem enim Deus utrumque operatus est. Deus, qui virgam aridam Moysis in vivum animal, nempe serpentem convertit, cur

Incarnationis Verbi possibilitas verisimiliter adstruitur.

D. Cyrillus Catech. 12.

cur non possit ex viva Virgine vivum hominem producere? Deus ex viro, scilicet Adamo Virgine, formavit Evam, Virginem fœminam; cur non possit etiam ex fœmina Virgine formare Virginem virum? Denique Deus vivum ex sicco pulvere produxit Adamum; cur non possit ex viva Virgine delineare Verbum Incarnatum? Reddidit igitur Maria gratiæ hujus mutuum officium, & non ex viro, sed ex se solâ, atq; impollutè ex Spiritu sancto, virtutéque Dei concepit & peperit. Supervenit hîc noster devotissimus Amadæus, qui ad fœcunditatem Deiparæ celebrandam Homiliâ quâdam de laudibus ejusdem ita scribit: *Spiritus sanctus superveniet in te; superveniet in ubertate, in affluentiâ, in plenitudine, & in effusione carnis & animæ: cumq; repleverit te, erit adhuc super te, & super aquas tuas feretur, facturus in te quiddam melius & mirabilius, quàm cùm ferebatur super aquas à principio, ut materiam creationis in distinctionem formamq; produceret.* Poterat pulchrius? poterat opportunius dici? Super Mariæ aquas fertur Spiritus sanctus, sicut in prima mundi productione: quia sicut tunc fœcundavit aquas, & illas, velut Avis ova, absque ulla læsione fovit; ita, imò & multò perfectiùs, Virginem suâ umbrâ fœcundam reddidit, sed ejus Virginitatem non imminuit. Illibatus post conceptum Verbum stat Virgineus pudor: sub spiritualis Chenalopecis alis potuit in Virginis utero Christus formari, violari verò non potuerunt Virginitatis claustra. Fertur, & incubat super Virginis fœcunditatem Spiritus, ut Mundo decorem formámque suam tribuat: *Spiritus intus alit,* & supplet concursum causæ secundæ ad incarnandum Verbum in castissimo utero electissimæ Matris.

Amadæus hom. 5. de laud. Deipara

136. Quid hoc? *Spiritus intus alit.* Quomodo alit? quomodo fœcundat? quomodo causam secundam supplet? Mysterium sublime est, quod non nisi subtili & piâ investigatione suâpte

Cur potiùs celebretur festum Annuntiationis, quàm

naturâ petit considerari. In generatione hominum ex Adami propagatione descendentium, maternus sanguis concupiscentiâ carnis attractus conspirat in uterum, ut ex eo proles formetur: cùm autem Virginea Deipara à fomite peccati, & ab omni concupiscentiæ incentivo ex vi originalis Justitiæ esset immunis, purissimus ejus sanguis in uterum allatus est à Spiritu sancto; cujus operante obumbratione *Verbum caro factum est,* & humanâ naturâ inauguratum. Videtur hîc mysticus quidam societatis contractus inter Spiritum sanctum, & beatissimam Virginem Mariam fuisse celebratus: cùm enim purissimus ille sanguis, assumendus à Verbo, pertineret ad Virginem, cooperans verò obumbratio ad Spiritum sanctum; utraque societatis pars de suo aliquid ad sortis communis substantiam posuit, quâ humanæ Redemptionis lucrum ex Incarnati Verbi mysterio compararent. Quod cùm ita sit, nescio, quo pacto duntaxat celebremus æterni Verbi Conceptionem sub titulo Annuntiationis, & non etiam pari æquitate sub titulo Obumbrationis? cùm hæc pari jure Spiritui sancto cooperanti, illa verò Virgini fœcundatæ, conferrent plausum & nominis excellentiam. Hujus differentiæ causam si Theologos in Concilio Toletano quærerem, protinus responderent: *Cùm Spiritum sanctum superventurum in ea dicit, & virtutem Altissimi, qui est Dei Patris Filius, obumbraturam eam præmonuit, ejusdem Filij Carni totam Trinitatem cooperatricem esse monstravit:* cùm opera Dei ad extra sint indivisa, & toti sanctissimæ Trinitati communia. Magis videretur sanctus Augustinus in Spiritûs sancti partem concedere, dum in Enchiridio talem pro illo fert sententiam: *Spiritus sanctus fuit opifex Humanitatis Christi, quia eam efformavit, organizavit, disposuit & animavit; at eius Pater dici nequit, quia ex suâ substantiâ nihil ei contulit, aut communicavit.* Ego verò existimarem, hujusce rei discrimen inde pro-

Obumbrationis.

Conc. Tolet. c. 16.

S. Augustinus in Enchirid. c. 38.

provenire, quòd Filius Dei in manus & potestatem hujus Virgineæ Matris sit traditus: traditio verò fit actus, per quem jus rei traditæ in dominium alterius cedat. Declaro opinionem meam ex Sacrarum Literarum oraculo: inde juvabit scire, quo societatis emolumento Barac & Deboram in prælium prodierint. Concluserat Barac, prælium cum Sisara non inire, nisi secum Debora in castris adesset. *Si venis*, inquit, *mecum, vadam; si nolueris venire mecum, non pergam.* Cui Debora. *Ibo quidem tecum, sed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Sisara.* Poterat Spiritus sanctus solus ipse hominem Christum formare; cùm tamen posset, dixerat ille Virgini: *Si venis mecum, vadam; si nolueris venire mecum, non pergam.* Quid illa? *Ibo quidem tecum* (*Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*) *sed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur*, non Sisara, sed Deus. Traditus est in manu Mulieris, quæ dixit, *Tenui eum, nec dimittam*; quæ & natum in Bethlehem suis Virgineis manibus involvit fasciis, & in præsepio reclinavit: ita tamen devenit ad Virginis manus, ut & nobis omnibus sit datus ac natus. Non solùm nomine suo, sed etiam totius nostræ afflictissimæ Naturæ, societatem iniit cum Spiritu sancto Maria; & propterea necessarium erat, ut toti humanæ naturæ acquisitum in præfatâ societate lucrum & emolumentum proveniret. Quia verò in societate qui plus ponit, plus debet accipere lucri; hinc consequens fit, ut plus emolumenti sola capiat Maria, quàm cæteri omnes simul, utpote quæ is omnibus plura hæc sola ad tantum Mysterium expendit. Hinc noli ampliùs sciscitari, cur non pari passu festivitas Obumbrationis in honorem Spiritûs sancti celebretur ab Ecclesia. Traditio Verbi Divini per Annuntiationem facta est soli MARIÆ; & exinde nuncupata est Mater tantû Dei.

Judic. 4. v. 8.

Cant. 3 v. 4.

137. Eiusdem Filii Virgo Mater, cui ius est Deus Pater: non item si genuisset Spiritum S.

Insuper cùm singularis & unica interveniat in Trinitate Generatio, quam hactenus pro dignitate enarrare nemo potuit; hinc unica & singularis etiam extitit in Virgine Proles. Et quamvis non minùs Spiritus sanctus potuisset de eadem Virgine concipi ac generari, eo modo, quo Verbum caro factum est; nihilominus de facto in Divinitatis Consistorio fuit determinatum, ut Unigenitus DEI Filius, non item Spiritus sanctus humanam indueret carnem; sicque vel ex hoc maternus nostræ Virginis decor, & splendor magis elucerent. Quis decor? quis splendor? Divum Anselmum audite, suâ suaviloquentiâ hosce præclarissimos „radios refringentem. [Hic se subrigat, inquit, intentio mentis hu„manæ, & pro posse paucis inten„dat, quanti penderet Omnipotens „Deus merita hujus Beatæ Virginis. „Intendat, inquam, & contemple„tur, videat & admiretur: unum „Filium sibi consubstantialem, coæ„ternum, omnipotentem, ex suâ „naturâ sine initio Deus Pater genu„it, & per eum omnes creaturas in„visibiles & visibiles ex nihilo fecit. „Hunc igitur sibi tam unicum quàm „dilectissimum, & in omnibus om„ninò æqualem, non passus est re„manere solummodò suum; sed „eundem ipsum voluit in rei verita„te esse Beatæ MARIÆ unicum & „dilectissimum, & naturalem Filium: „nec ita, ut duo essent, unus vide„licet Filius Dei, alius Filius S. MARIÆ „Virginis; sed unus idem ipse esset in „unâ personâ Filius Dei, & Virginis „Quis hæc audiens non obstupescat, „& quòd Deus tale, quod velle po„terit, non ultra omne, quod dici „potest, admirabile ducat?] Sic honorabitur, quam Rex cœlestis voluerit honorare, ut non solùm Deum, sed

S. Anselm. l. de Excell. Mariæ c. 1.

Deum Filium concipiat & pariat; sicque ejusdem sit Mater Verbi, quod Pater ab æterno genuit. Enimverò, tametsi etiam Spiritus sanctus ex Virgine nasceretur, nasceretur quidem ex Virgine Deus, nasceretur Divina Persona; sed non talis, cui propriè possit dicere Deus Pater, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*: non talis, ut de eo testetur, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. Diceret quidem Maria sola, postquam Spiritum sanctum generâsset: *Filius meus es tu*. Et: *Hic est Filius meus dilectus*; nec tamen sibi Maria Deum Patrem, nec Deus Pater sibi Mariam consonantem respiceret. At verò in præsenti rerum ordine naturaliter sibi consonant, & mirabili relatione sibi correspondent *Pater* & *Mater*; ut quem Deus Filium vocat, hunc eundem Filium appellet & Mater. Quòd Deus Pater gignat Deum sibi similem, magis naturale, quàm quòd Ignis ignem, & Aqua generet aquam: at verò quòd Creatura sibi similem generet Creatorem, miraculum maximum est, & miraculum miraculorum; propter quod Ecclesia accinit Deiparæ: *Tu quæ genuisti, naturâ mirante tuum sanctum Genitorem*. Exinde si rerum creatarum consonantia pulchritudinem parit; ubi tanta consonantia inter Deum Patrem & Matrem Dei intercedit, summa erit elegantia, summa pulchritudo, digna omni acclamatione & exclamatione: *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate*.

Psal. 2. v. 7.
Matth. 17. v. 5.
Sap. 4. v. 1.

138. Spiritus afflans & inflans humiles ac superbos.

Et hæc omnia quidem *Spiritus intus alit*, ac operatur in purissimis Virginis visceribus: Spiritus fortis & vehemens, qui flatu suo & adspiratione omnia potest, omnia perficit. Per flatum homo erigitur in animam viventem, & per flatum tumescit ac inflatur homo. Hinc ortum trahit *superbia vitæ*, & in mundo dominatur, quemadmodum Joannes scribit. Cùm autem dixerit Ecclesiasticus: *Sapientia filiis suis vitam inspirat*, intervenit mirabili suâ lectione Clemens Alexandrinus, pronuntiando: *Sapientia inflavit filios suos*. Sapientia quidem humana cujus sit conditionis, exponit Paulus ad Corinthios scribens: *Scientia inflat*; & simili stylo monet Colossenses: *Nemo vos seducat, volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, FRUSTRA INFLATUS sensu carnis suæ, & non tenens caput; ex quo totum corpus per nexus & conjunctiones subministratum & constructum, crescit in augmentum Dei*.

Eccli. 4. v. 12.
Clem. Alex. l. 7. Stromat.
1. Corint. 8. v. 1.
Coloss. 2. v. 18. & 19.

Longè alius est Divinæ sapientiæ Spiritus, cujus afflati oraculis, non inflati, de Deo & ejus gloriâ loquuntur. Hoc spiritu afflatus Petrus, de gloria Transfigurationis modestissimè scribit: *Non doctas*, inquit, *fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri JESU Christi virtutem & præsentiam; sed speculatores facti illius magnitudinis*. Non seducit Petrus animas vanâ fabularum narratione; non sensu carnis inflatur, nec spiritu superbiæ: sed alienus à tumore, narrat simpliciter, quæ verissimè vidit. Non caperem igitur Clementis Alexandrini lectionem, quomodo sapientia inflat filios suos, nisi ipsemet Clemens accuratè responderet. *Non enim iis*, inquit, *quæ sunt in doctrina singularia, fastum & arrogantiam ingeneravit Dominus, sed in veritate habere fiduciam; & esse magnificum in cognitione; quæ traditur per Scripturas, efficit contemptorem eorum, quæ trahunt ad peccatum: quod significat dictio, INFLAVIT, quæ docet magnificentiam sapientiæ, quæ implantatur iis, qui sunt per doctrinam filii*. Cùm hæc virtus sit Inflatorum filiorum sapientiæ, indubiè eâdem virtute præditus Apostolus Petrus magnificè se gerit, & loquitur de Christo gloriosè transfigurato. *Accipiens enim à Deo Patre honorem & gloriam, delapsâ voce ad eum hujuscemodi, à magnifica gloria: Hic*

2. Petri 1. v. 16.

2.Petr.1.v.17 *Hic est Filius meus dilectus.* Magnifica gloria Christi magnum fecit D. Petrum, non solùm eam videntem, sed de ejus etiam magnitudine differentem. Præluxit hôc ipsum mysterium in Virgine, quæ à superveniente Spiritu divinitus afflata, & cælitus inflata cecinit: Lucæ 1.v.46. *Magnificat anima mea Dominum.* Magnificat Maria Dominum, à quo & ipsa per admirabilem Maternitatem *magna* efficitur. Profitetur hanc magnitudinem sine flatu superbiæ, sed cum Lucæ 1.v.49. spiritu humilitatis: *Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius.* Ergo Sapientia, quibus vitam inspirat, facit & flatum, ut superbiæ vitæ mysticæ studentes, carnali & mũdanæ sapientiæ renuntient, *speculatores facti illius magnitudinis*, quam ostendit in se Christus, & suis communicat.

139. Inflata scientia & prædicatio Verbũ Dei nec concipit, nec generat.

Exinde colligite, AA. quàm irritos & subventaneos partus excludant, qui inanibus typhis & vento vanitatis, conceptis scilicet consilijs & inceptis actionibus, inflantur. Ova Zephyria pro generando fœtu sunt inepta, & suâ inanitate redduntur irrita, quippe citra patrem generata; in cibum tamen idonea redduntur. At verò *inflata* illa *puncta* & ventosa mortalium opera, non tantùm nihil ulli prosunt, vel teruncio indigna; sed etiam quàm maximè officiunt, inanem glotiam captanti. Neque enim illis inest cælestis præmij semen; Spiritûs sancti gratia desideratur: irritum Matt.6.v.15. est, quidquid isti parturiunt. *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Quantum damnum facit, qui singulis operibus posset promereri cælum, excludere æternam fælicitatem; sed verò, quia inani gloriâ plerunque ventosa sunt opera, vix aliquando ad promerendam æternam salutem fœcundum concipitur ovum, vix opus aliquando utile præstatur. Quid dico utile? quando etiam perniciosum partum fovet, ut quasi basiliscum sibi videatur peperisse. *Væ*, ait sanctus S. Bernardus serm.45. in Cant. Bernardus, *qui bene de Deo & sentire & eloqui acceperunt, si quæstum æstiment pietatem: si convertant ad inanem gloriam, quod ad lucra Dei acceperunt erogandum: si alta sapientes, humilibus non consentiant.* Quàm meritò de his quæritur Deus per Osee Prophetam: *Dedi eis argentum, multiplicavi eis aurum, quæ fecerunt Baal.* Ose.2.v.8. q. d. Dedi Sacerdotibus meis argentum eloquentiæ, dedi aurum intelligentiæ, ut Scripturas & mysteria mea dignè interpretarentur, & Divinum Verbum cooperante Spiritu sancto piè conciperent: at illi fecerunt sibi plausum, & erexerunt sibi inanis gloriæ idolum. Atque ut videas hæc ova, per inanis gloriæ ventum illegitimè concepta, refert huc sanctus Gregorius illud S. Pauli 2. *Corinth.* 2. *v.* S.Gregor.l.22. moral.c.17. 17. *Non sumus, sicut plurimi, adulterantes Verbum Dei, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur.* Non enim tantùm hæretici Verbum Dei adulterant, aut qui illud perversè adulterino judicij proprij sensu exponunt, relicto legitimo Spiritûs sancti sensu; qui sicut est legitimus sacræ Scripturæ auctor, ita & maritus per assistentiam, & interpres per sanctos Ecclesiæ Doctores: sed etiam, qui ex scientiâ sive Sacrarum, sive profanarum Scripturarum, vanos duntaxat honorum ac laudum typhos captant, relictâ Dei gloriâ, & animarum salute atque utilitate neglectâ. Jam verò relatus Gregorius sensum Pauli magis declarat. [Adulter quippe in carnali coitu, non prolem, sed voluptatem quærit. Et perversus quisque ac vanæ gloriæ serviens, rectè adulterare Verbum Dei dicitur, qui per sacrum eloquium non Deo filios gignere, sed suam scientiam desiderat ostentare. Quem enim libido gloriæ ad loquendum trahit, voluptati magis quàm generationi operam impendit.] Non potest talis dicere illud Pauli ad Corinthios: *Per* 1.Cor.4.v.15. *Evangelium ego vos genui.* Quin potiùs ad gratiam loquitur, & verbis etiam coquinarijs delinit; dirissimo cuique assurgit, & more lupi cervarij adulatur, sicque verissimè Dei *VERBUM* adulterat. Qua de causâ SS. Patres vanam gloriam *spiritua-*

tualis Luxuriæ nomenclaturâ rectè donârunt.

140. Adulterantium Verbũ Dei plures so:tes referuntur.

Non est adulterinus partus Verbum, quod concipitur à Spiritu sancto, sed quod à superveniente vanitatis & ventriloquij, atque inanis ostentationis spiritu parturitur. Sunt, qui obumbrationem laudum captantes ineptiunt affectando volubilitatem verborum,& citatissimam sermonis profusionem : ob quam artem se efferentes Sophistæ infælices, & canoris quibusdam suis nugis garrientes, cùm in nominum delectu,& certa dictorum compositione & connexione totâ vitâ laborant, cicadis apparent loquaciores, eos quibus pruriunt aures, non satis viriliter demulcentes & titillantes. *Verborum non stilla cadens, sed flumen ineptum*, nec agrum impinguat,nec fœcundat, nec penetrat, nec segetem producit. Sunt, qui in aucupando laudum fumo, sententiarum flosculos & verborum consectantur lenocinia; atque calamistratâ oratione in tantùm luxuriantur, ut ne verbis quidem communibus & usitatis suos velint infuscare discursus. Puerilitatis cum Platone hoc studium damnat Isidorus Pelusiota :& de spumeo hoc verborum ambitu non multùm curando, temnendo potiùs ac negligendo, inter cæteros Patres Divus Augustinus sinceriùs hortatur. [In „ipso sermone malit rebus placere, „quàm verbis : nec existimet dici „meliùs, nisi quod dicitur veriùs : „nec Doctor verbis serviat, sed verba „Doctori. Hoc est enim, quod A„postolus ait : *Non in sapientia verbi*, „*ne evacuetur Crux Christi*. Ad hoc e„nim valet etiam, quod ait ad Timo„theum : *noli verbis contendere* ; *ad* „*nihil enim utile est, nisi ad subversio*„*nem audientium*.] Meritò igitur neglecta & secura Simplicitas à Deo semper adamata est, & probata Ecclesiæ, ac celebrata à SS. Patribus. Tales erant rusticani illi veri gregis arietes, quibus eximio quodam Authore teste [*Spiritus superfusus est intus ardentibus, extra loquentibus, & complectebantur se dilectio & verbum: & de calore Spiritûs sermo fervebat ignitus*.] Econtra autem comptuli illi, quorum ex ore (ut ait Hieronymus) veneres fluunt, tantæque sunt in sermocinando elegantiæ, ut comico sale ac lepôre conspersi incedunt; tanquam nugivenduli, & indocti rerum, ideóque hærentes in vocibus, præscinduntur. *Quid paleis ad triticum*, dicit Dominus per Jeremiam ? *Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus conterens petram* ? Sunt, qui inescandæ plebeculæ, ut numerosâ fruantur concione, jocos & sales inter dicendum consectentur; qui potiùs infames & obscœnos decent Scenicos, quàm Ecclesiastici Oratoris gravitatem. Nam *quamvis interdum honesta joca & suavia sint* (verba sunt sancti Ambrosij) *ab Ecclesia tamen regulâ, & Verbi Divini maiestate abhorrent*. Posse tamen interdum, ubi auditor oscitans labia diducit & languet, proferri aliquid honestâ hilaritate conditum, loquitur sanctus Augustinus; & factum à Machete legimus apud Cassianum. Juvent etiam sales & lætitia, quæ auditori Concionis necessaria est, ut S. Chrysostomus disserit: nam & sal inspersum, jucundum est, & saporem edulijs conciliat. Sed aliud est, sales adhibere ut sales; aliud salibus cibari,quod est perniciosum. Doctoris Ecclesiastici esse,lachrymas potiùs movere quàm risum, S. Hieronymus admonuit, ad illud Isaiæ : *Popule meus, qui te beatificant, ipsi te decipiunt*. Alioquin non dubitavit Leonardus Lessius affirmare, grave peccatum esse, jocos in sacris Concionibus adhibere; nimirum frequenter, ac veluti ex usu, meditatò ac studiosè; nisi parvitas materiæ, vel inadvertentia excusent. Rationem reddit, quia hoc est contra reverentiam & attentionem, necessariam, ut Verbum Dei fructum idoneũ ferat. Itaque quamvis delectatio per sales & jocos, in profano & communi convictu possit aliquam præferre honestatem, & labe vacare ; similis tamen usus in Ecclesia meritò

est

Pelusiota l. 4. Epist. 30.

S. Augustinus l. 4. doct. Christ. c. 28.

Author. lib. de oper Card. serm. de Spiritu S.

S. Hieron. in Apolog. ad Domnionem.

Ierem. 23. v. 28. 29.

S. Ambros. l. 1. offic. c. 23.

S. August. l. de Catechiz. rud. c. 13.

S. Chrysostom. hom. 2. ad pop.

Lessius l. 4. de virt. c. 4. n. 96

est deteſtandus, tanquam adulteratio Verbi Divini, & tanquam abuſus malitiæ plenus, & ab negotij ſanctitate & gravitate planè abhorrens. Sunt, qui laudem æquè abſurdè ac ſtultè aucupantur ex memoriæ oſtentatione in dicendo: hi perlongos nominum catalogos inutiliter agglomerant; v. g. Piſcium omnium ex Rondeletio, Avium ex Aldrovando, Quadrupedum ex Geſnero, Gemmarum ex Alberto, Foſſilium ex Agricola, Plantarum ex Theophraſto, longas recitant phalanges: nunc Pontifices omnes, nunc Imperatores Romanos, modò omnes Hiſpaniæ ac Galliæ Reges, ſtupente plebeculâ educunt ex memoriæ promptuarijs; primùm quidem ſeriatim & directo ordine, poſtmodum autem inverſo, ſive facto à poſtremis initio: quaſi non agerent ſalutis Auditorum negotium, ſed eam gloriam captarent, quam ille apud Divum Auguſtinum eſt conſecutus, qui retrorſum progrediendo, totum potuiſſe recitare Virgilium eſt creditus. Quamvis alia ratio eſſe poſſit de ſyllabis, & Genealogijs ſacræ Scripturæ; ubi ne voculam quidem ullam abundare, aut ſuperfluam haberi debere, ſcitè admonuit ſanctus Bernardus. Sunt, qui ſanctarum ipſarum Scripturarum, vel ſanctorum Patrum peregrino Idiomate, Græco præſertim aut Hebræo, longas lacinias ex memoria depromunt in Concione ad populum, ut vel memoriæ, vel eruditionis laudem captent. Quid enim fructus ex ijs in auditorium redundare poſſit? Apoſtolus hoc *ſtultiloquium*, Idiotis inutile, exagitavit ad Corinthios. Hi omnes, & hujuſmodi ſimiles in concipiendo Divino Verbo, ſive in ſe, ſive in Auditorio, quia non aguntur Spiritu ſancto, ſed ſpiritu inanis gloriæ, utplurimum adulterant Verbum Dei.

S. Bernardus hom. 1. ſuper miſſus.

1. Corinth. 4. 14.

141\. Adulterantiũ Verbum Dei periculã, & gravíſſimi lapſus.

Addo denique, quàm facilè hujuſmodi ova ſubventanea fœteant, quàm meritò confracta abjiciantur. Par eſt ratio de *Adulterantibus Verbum Dei*, qui cùm honorantur atque laudantur, intumeſcunt ſuperbiâ; ac multò magis, qui laudes & plauſum ex dictione captant, facillimè in exitium ruunt, & fœtore ſuo corrupti abjiciuntur. Quòd enim ſanctus Auguſtinus obſervat, captatores illius fumi in dies fiunt tantò avidiores inaniſſimæ gloriæ; intumeſcunt hoc partu tantò apparentiùs, quantò eos frequentiùs atq; latiùs lingua blandior ventilaverit: qua deniq; ita leves fiunt, ut eos rumoris aura, ſive quæ proſpera, ſive quæ adverſa exiſtimatur, in quaslibet invehat flagitiorum voragines, aut in facinorũ etiam ſaxa collidat. Quod quàm accuratè ad veritatis amuſſim pronuntietur, dubitare non ſinunt prodita jam olim depravationum experimenta. Neſtorium ex popularis gloriæ captatione in dicendo, ad horrendum barathrum, in quo miſerrimè perijt, eſſe pertractum, admonet Theodoretus. Photinus, multis & eximijs naturæ ac gratiæ dotibus ad dicendum factus, per hanc popularis favoris cupiditatem in profundum malorum decidit. In quæ ſcelerum monſtra ſuperiore ſæculo præcipites egerit popularis auræ in tractando Dei Verbo captatio, Apoſtatarum fœce poterit remonſtrari. Quid enim Bernardinum Ochinum, primò in Franciſcana noſtra Religione honoratiſſimum, dein verò in laudabili PP. Capuccinorum Familia ad Vicariatum Generalem evectum, ad tam enormem metamorphoſin ac exitioſam Apoſtaſiam protraxit, ut cum Lotrice ſcorto iret *in locum ſuum*; ad Calviniſtas, Zvvinglianos, & Arianos miſerè jactatus tranſiret; quàm ille popularis auræ ſpiritus, qui plurimos Verbi Divini Præcones egit præcipites? Quis Petrum Vermilium ex Religioſiſſima Carthuſianorum Diſciplina? Quis Auguſtinum Maynardum ex Eremitarum S. Auguſtini Ordine? quis Joannem Oecolampadium ex S. Birgittæ Profeſſione? quis Petrum Viretum ex Carmelitarum Gubernio? quis Martinum Bucerum ex Prædicatorum Inſtituto? quis Joannem Balæum ex Seraphicâ noſtrâ Fraternitate? quis Wigandum ex Societate Jeſu ad ſocietatem Prævaricantium? quis ex alijs quibuſcun-

S. Auguſt. l. 1. doct. Chriſt. c. 19.

Theodoret. l. 4. hæret. fab. Vincentius Lyrinenſis c. 16. commonitorij.

Vide Raynaudum in Aſceticis de Apoſtaſiâ.

que Religiosis familijs tot celeberrimos Divini Verbi Oratores ad nefandissimas apostasias protraxit? *Spiritus intus alit*, qui tantas malorum voragines aperuit: *Spiritus inflatus & superbus*; *Spiritus iniquitatis & arrogantiæ*. Vt meritò ad omnes hujusmodi Religiosos Apostatas coaptari possit id, quod Leonardus Cocquæus exprobranti Plessæo, Lutherum fuisse Augustinianum, respondit: *Ex nobis prodijt, sed non erat ex nobis*. Atque utinam deessent recentiora exempla, nec propè quotidianis abundaremus! Manet hos omnes ac similes illa Dei ira, de qua his verbis Cassianus. [Quantâ igitur potes, cautione devita, ne vanæ gloriæ amore detentus, illius quem Propheta collaudat, particeps esse non possis: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram*. Omnis enim qui eloquia Dei, de quibus dicitur, *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum; probatum terræ, purgatum septuplum*, humanæ laudis amore dispensat, pecuniam suam erogat ad usuram; non solùm nulla pro hoc præmia, sed etiam supplicia meriturus. Ob hoc enim pecuniam Domini maluit profligare, ut ex ea temporalem consequeretur ipse mercedem; non ut Dominus veniens, quod suum est, reciperet cum usura.] Quid multis:

Leonardus Cocquæus in Antimornæo.

S. Cassianus collat. 14. c. 17.

Concepta ventis ova nil gignunt boni:
Ventosa virtus quid ferat?
Testas inanes, corticem, cucurbitas;
Locóque prolis, tormina.

Ergò duplicem vobis partum exposui; & quid Verbi generet in utero Virgineo *Spiritus Veritatis*, superveniens atque obumbrans; & quid in animo vertumnali producat *Spiritus Vanitatis*, inflans ac intumescere faciens. Quòd si verò *ij, qui Spiritu Dei aguntur, sunt Filii Dei*; eritis & vos Virgineæ Matris filij & imitatores, si Verbum Dei ita concipiatis in cordibus vestris, ut quod illa Virginali parturijt ventre, vos humili mente perficiatis. Amen.



IN FESTO S. FRANCISCI DE PAULA, MINIMORVM PATRIARCHÆ.

MUSCATULUS MINIMUS.

Das mindiste Muscat-Spätzlein.

LEMMA.

Promicat è minimo. Mamesburiens. l. 4. de Pontif. Angl.

THEMA.

Qui autem diligunt te, sicut Sol in ortu suo splendet, ita rutilent. Judic. 5. v. 31.

SYNOPSIS CONCIONIS LXXIV.

S. Franciscus de Paula, Ordinis Minimorum Fundator, est *minimum* quoddam *punctum*, & quasi punctuale Foramen, per quod sanctitatis ejus splendores non minùs, quàm Solis radij, immittuntur *Maximi* ad oculum mentis & capitis.

142. Minimis inesse solet maxima virtus.



IN minore ac breviore corpore constipari spiritus, & virtutem adunatam fieri dispersâ fortiorem, notatum est à Philosopho, cùm reddit rationem majoris timiditatis eorum animantium, quibus

Aristot. l. 3. de partibus animal. c. 4.

bus est cor amplum & mole distensum. Videtur natura, cùm exigua corpore animalia compegit, id ante omnia procuravisse, ut, quidquid magnitudini detrahebat, illud vi aut aliquâ certè utilitate compensaret. Id quod ingeniosè monstrat Calcaguinus in pulice, & in alijs *unius puncti* animalibus, quæ S. Hieronymus argutè *Puncta corporũ* appellavit. Et quid juxta sapiens Plinij monitum, *Turrigeros Elephantorum miramur humeros, taurorúmque colla, & truces in sublime jactus; cùm rerum natura nusquam magis, quàm in MINIMIS tota sit?* In toto Avicularum cœtu non reperitur *Punctum pennatum* corpore subtilius, splendore viridius, virtute admirabilius, quàm *Muscatulus Passer*, ita ob Indis nuncupatus; quem Josephus à Costâ ex Brasiliâ scripsit, fortè ipsissimam, cui nomen *Guainemba*, esse omnium avium *minimũ*, nihil edentem, solo rore victitantem. *Muscatulus* noster juxta Maioli relationem, muscæ majori, aut ad summum scarabæo comparatur: nam & unacum plumis non excedit magnitudinem humani pollicis; detractis plumis scarabæo non est major: color ejus viridis ac nitidus, rostrum ejus nihil majus mulieris acu; crura & pedes quasi exigua scriptoris linea: miræ velocitatis est avicula; ad nidum ejus accedentibus statim insilit, atque oculos primùm petit, ac fugit: contigit ponderari nidum ejus, & aves simul non excessisse grana viginti quatuor. Dum de *rebus minimis* auspicatum ordior discursum, ritè & reverenter ad *Minimorum* Patriarcham S. FRANCISCUM DE PAULA me converto: in quo illud à fronte summum admirabile prodigium suspicio, quòd licèt omnia, quæ hunc ex luce & veritate compactum Orosmaden, prout eum argutè nuncupat clarissimus Theophilus Raynaudus, circumstant decora, appareant modica, tenuia, & parva; reverâ tamen magis nusquam Sanctitatis fulgor videatur totus & magnus elucescere, quàm in *Minimo Minimorum Patriarcha*; ut ipsi non improportionaliter volatilium *minimus Muscatulus* Passer sit in propriam consecrandus Avem. Nempe *PROMICAT E MINIMO major de corpore virtus*; & Vas illud admirabile, opus excelsi, Sol gyrans in circuitu gloriæ suæ, *maximus mundi Oculus*, non consideratur constantiùs, quàm per *minimum foramen*, per quod subtilissimum radium velut immensum conum ad oculum immittit. *Qui autem diligunt te, sicut Sol in ortu suo splendet, ita rutilent.* Sic claudit epicinium suum Debora post interfectum Sisaram. Ego verò ardentissimam Charitatem, & reliquum eximiæ sanctitatis apparatum, quo hodie sanctus Franciscus Paulanus in Ecclesiæ Firmamento rutilat, ita *minimum* suspiciam, sive per foramen, sive per acumen, ut toti venerabili Auditorio appareat *Maximus*; ita obscurissimum, ut sit clarissimus; ita infirmissimum, ut agat potentissimus: si tamen etiam ea dicenti in auscultando conferatur humanitas, quam tanta in Orosmade nostro requirit sublimitas.

S. Hieron. super Ioelis 2.

Plinius l. 11. c. 2.

Iosephus à Costâ Anno 1500.

Maiolus coll. 6.

Ovetanus in summa c. 38.

Raynaudus in Hagiolog. Exotico.

Non metior Solis molem ingentem, non velocissimum motum, non admirabiles partus, non interpictos luminis fontes, non conjunctos stipatores, non horizontalem Zodiacum, non interpositales obscurationes: *Lucis duntaxat radios* in immensum dispersos per *minimum* immitto ad oculos, ut cognoscam, quantùm rutilent, qui diligunt Deum. Ante omnia quidem statuendum est, fuisse sanctissimo Viro Francisco nostro de Paulâ congenitam *Charitatem* Dei & Proximi, sicut Soli congenitus est radius claritatis: nam *ex abundantia cordis os loquitur*, & sapor mentis in sermone gustatur. Adeo Franciscus infixâ pectori rutilabat charitate, ut hujus vocabuli nectar ex ejus ore perpetuò dimanaret: vix tres voces fundebat de quocunque demum negotio, quin eas affuso charitatis radio quasi illustraret. Quoties erat cum alijs agendum, solenne ejus Κώρε audiebatur *per charitatem*: etiam bruta & saxa, aliáq; inanima obtestabatur *per charitatem*. Constat illum semel ac iterum immanis molis rupem labantem stitisse, eo uno repagulo adhibito,

143. Charitas S. Francisci superabundans.

Matth. 12. v. 34.

bito, *per charitatem fiste foror.* Sicut Paulus sanctum & gloriosum JESV nomen opportunè & importunè passim fudisse, observatus est à S. Hieronymo; ita Franciscus affluentem in pectore charitatem per omnes propemodum vices, etiam ubi haud satis quadrare videretur, foras prorumpentem exhalabat. Nempe Franciscus, cùm in flammantia Divinæ Charitatis per Verbi Incarnationem humano luto unitæ opera, cogitationem attentiùs defigeret, effervescebat ac ignescebat ab ardoribus sempiternis; quos cineri nostro suppositos fodicari studiosè, est fructuosissimum. Adverto quidem, quotquot hactenus sancta Mater Ecclesia Franciscos, post Assisiatem Seraphicum Minorum Fratrum Patriarcham, Divorum Catalogo solenniter adscripsit, Xaverium & Borgiam ex Societate JESU, Salesium ex Ordine Episcopali, Solanum ex Franciscanis, singulos ex ardentissimo illo curru, cui Seraphicus Pater insidendo sublimè rapi ac vehi videbatur, velut novos Prometheos, flammarum impetus, *excessum*, inquam, *Charitatis miraculi plenum*, prout Chrysostomus loquitur, rapuisse, ut in Deum & proximum exardescerent mirabiliùs. Præsagiebant hanc *Charitatis* eminentiam duo prodigia, primis ejus initijs divinitùs ostensa. Nam ante omnia sub ipsam S. Francisci Paulani conceptionem, supra tecti verticem accensæ apparuerunt faces, quæ longè latèque lumen effunderent; & Judicium cælestis illius flammæ, Divinique ardoris portenderent, quo & accendi ipse primùm, dein etiam Dei domum, hoc est, Ecclesiam, aliquando accendere deberet. Deinde in ipsis nascentis Ordinis MINIMORUM cunabulis, quibus parandis & ornandis dum vacaret humillimus Fundator, emisit Deus è cæli Regiâ Angelum, qui ei jussu Sanctissimæ Trinitatis scutum deferret, cujus area cærulei erat coloris, ostentans in medio aureis litteris splendescens, augustum illud ac Divinum Nomen CHARITAS. Quod scutum cæleste totus ille Religiosissimus Ordo pro gnomicâ ac gentilitiâ tesserâ sibi appropriavit. Illud verò etiã prodigij simile præ cæteris videri potest, sed tamen inumeris experimentis firmatũ, neminem aliquando adijsse ad Franciscum Paulanum, qui non melior & cum Deo conjunctior rediret, & ardentior erga cælestia. Quis enim accedens ad ignem propiùs, potest eidem fræna imponere, ne calorem ab eo recipiat? At poterat noster S. Franciscus, servatâ proportione, suum facere illud Christi de seipso, adductum ab Origene: *qui juxta me est, juxta ignem est.* Ex hoc Charitatis fonte promanat cuncta ardentis flammæ activitas; inde resplendet gratiosæ lucis claritas. Quia, *qui diligunt te*, ô Deus, *sicut Sol in ortu suo splendent, ita rutilant!*

144. Quando ergo S. Francisco *Charitas* ita est congenita, sicut calor igni, & luci radius: quis in rutilantissimo & subtilissimo *Muscatulo* nostro reliqua omnia non expectet maxima, & sublimissima? Animos, oculosque vestros in exteriorem hominem S. Francisci convertite; & obstupescite, si rerum natura nusquam magis, quàm *in Minimis* & infimis eluceat *Tota*. Inter ea, quæ exteriùs sæcularium hominum oculos ambitiosè feriunt, numerantur Patriæ splendor, claritudo Natalium, nobilitas generis, illustris Majorum gloria, speciosus corporis habitus, & eloquentia suo fulgore contuentes perstringens; opes insuper ac dignitates, quibus collucent inter mortales viri à sæculo potentes. Nihil horum in S. Francisco resplenduisse contendo, neque si splenduisset, inde magnus evasisset. Quid enim? Natus est S. Franciscus *Paulæ*, oppido tenui in Calabria & exiguo. Sed verò, quia juxta S. Gregorium Nazianzenum, *Civitatem reverà splendidam & illustrem non facit ædificiorum copia, nec turrium ad cælos usque surrectio, sed virtus & pietas Incolarum*; manet quippe asinus in sua asinina stupiditate, tametsi in perampla & nobili civitate sit natus: hinc potuit *Paula*, minusculum oppidum, pro ma-

S. Hieron. in c. 1. Ephes.

S. Chrysost. hom. 27. in Genes.

Origenes hom. 5. in Ierem.

Patria & natales S. Francisci tenues, summè clarescunt.

Nazianzen. Orat. de Episcopis.

maxima & insigni Metropoli haberi, cui in promptu erat Parentũ S. Francisci, ipsiũsq; inprimis S. Viri, pietate & sanctitudine supra parentes cæteroquin probos collucentis, ostentare virtutes. Nec ex modico loci ambitu & incolarum paucitate, ædificiorúmque humilitate, splendor ejus quoquo modo detritus aut imminutus est: quando in summâ agnoscunt se hîc Sancti externos, ac extra solũ patrium peregrinantes; seu, ut loquitur Apostolus, *Peregrinos à sæculo*: omnem autem populariter dictam patriam, sedem miseriæ & calamitatum indigitant. Tantùm abest, ut inde aliquam claritatem emendicent; quin potiùs cum Philosopho reponant alteri, patriæ tenuitatem improperanti: *Non mihi patria, sed ego patriæ sum splendori.* Proinde etiam cùm ultrò damus, sanctum Franciscum humili genere natum, Patre *Iacobo Martotilla*, Matre *Vienna*, tenuibus & infimæ plebis pientissimis Personis, nequaquam ei tenebras affundimus; nisi quando obscuritas natalium maximam Sanctorum partem suâ caligine obtenebravit. Summum est nobilitatis fastigium, in Christo unum esse, & inter Dei filios computari: neque in cælestibus aliquis est gloriosior, quàm qui repudiato Patrum stemmate solâ elegit Christi Paternitate censeri, inquit Hilarius Arelatensis. (*Hilarius Arelat. in S. Honorati laudem.*) Erant hi Parentes steriles à naturâ; sed Divinâ benignitate redditi sunt fœcundi, & prole masculâ donati; & quidem voto concepto ad D. Franciscum Seraphicum Assisiatem, obtinendum filium hoc Francisci nomine appellatum iri. Illicò concepit Mater, & prolem masculam, illustrissimo prodigio in primo conditionis suæ momento cœlitus ornatam, Francisci nomine insignivit; post aliquot annos *MINIMAM* evasuram, quæ à *MINORUM* Patriarcha auspicaretur nomen & patrocinium. Infantulo autem, cùm è materno elapsus est utero, adnata erat carnea moles, quæ oculum non tantùm deformabat, sed tegebat omnino & obruebat. Hinc mœror, suspiria, gemitus, & lachrymæ pro infelici partu bonos affligebant parentes. Sed primus ad votum revocatus Plastes Franciscus Seraphicus Infantulo clienti carneam illam molem, novo miraculo, detersit atque abjecit. Queîs non obstantibus sat est dixisse, Franciscum de *Paulâ*, oppido *paululum* noto, quoad natales, *sicut Sol in ortu suo splendet*, fuisse clarissimum, quando supra domunculæ tectum, cùm conciperetur, excitata fuit divinitùs, ut diximus, *lux magna de cælo*; non minùs, ac S. Danielis Stylitæ conceptus geminis syderibus de cælo, S. Wilibrardi immensâ cælesti luce, B. Alberti Carmelitani micantissimo cereo, S. Caroli Borromæi amplissimâ luce, fuit illustratus, in præsagium diffundendæ per eum lucis in omnem Ecclesiam Sanctorum.

145. Sed neq; opes, quarum inter sæculares eximius reputatur splendor, eam lucem constituunt, quæ sit in exteriore S. Francisci homine exornanda. Sapienter enim antiqui Plutum, divitiarum Numẽ, damnabant tenebris; quia reverâ nihil adeò vero adversatur splendori, quàm opum congestio, quæ animæ tenebras offundit ob sollicitudinum multiplicitatem, quam invehit, & terram densámque innascentem superbiam; hæc enim, judice Augustino, individua divitiarum est comes; ejus verba sunt. *Omne pomũ, omne granum, omne frumentum, omne lignum habet suum vermem; alius est vermis mali, alius piri, alius fabæ, alius tritici. Vermis divitiarum, superbia.* Inde illa ad Timotheum comonitio: *Divitibus hujus sæculi præcipe, non sublimè sapere.* Hinc est, cur de divitiarum luce S. Franciscum deficiente omnino non laboremus: præsertim quia etiamsi afflueret, abjicienda fuisset ab eo, imitatione Sanctorum, quos nunquam auri & opum caducarum fulgore delectatos, Evangelicorum consiliorum sublimitas exaltavit. Actus spiritu Apostolicæ paupertatis Franciscus, tanquam verus Abrahæ, sub tabernaculorum umbrâ habitantis filius, non amat ab eo celebrari splendore, cujus asciscendi fuit negligentissimus. Fulgor insuper sæcula-

(*Opum, dignitatum & staturæ tenuitas, in S. Francisco maxima.*)

(*S. August. serm. de Verb. Dom.*)

(*1. Timoth. 6. v. 17.*)

larium dignitatū, ratione cujus aliqui dicūtur in Reipublicæ luce ac sole versari, dimittendus est in præsentia, utpote *minimus*, imò nullus; utpote qui & S. Francisco defuit: & licet non defuisset, tamē revera splendor est, qualis noctilucorū & pertenuis, & illicò dilabens. Præpostere scilicet, nec nisi ob lusciositatē stuporati mortales ad hujusmodi terrenarum dignitatum splendorē nictant; indéque, quisquis hominem celebrare tentat, arborem à folijs, non à fructibus, teste Chrysostomo, absurdissimè celebrat. Hæc est illa lux, quam misero sibi obtigisse expostulabat Job, dicens: *Quare misero data est lux?* Juxta D. Gregorij interpretationem, [In Scriptura sacra nonnunquam *lucis* appellatione prosperitas, *noctis* autem nomine hujus mundi adversitas designatur. Vnde & bene per Psalmistam dicitur: *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* Quia enim sancti Viri ita prosperitatem sæculi calcantes tolerant, per magnam mentis celsitudinem mundi sibi & adversa & prospera substernentes, dicunt: *sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* Proinde Franciscus sæcularibus dignitatibus *minimus*, earum contemptu heroico irradiavit *maximus.* Qualiscunque autem ex naturæ conditione consederit in Francisco corporeæ speciei gratia atq; lumen juventæ, offudit ei ipsemet multam caliginem per asperitates ultrò susceptas, ac voluntarias castigationes suiipsius: speciem corporis, eámque firmam ac vegetam habitudinem, unde effloreścit illa venustas & elegantia, quam Hippocrates *fulgorem adolescentiæ*, Job *lucem vultûs*, Ecclesiastes juxta chaldæam *solem & lunam* appellavit; noster Franciscus adeò studiosè vastavit, diminuit, exinanivit, decoloravit, ut hoc naturale amoris philtrum in splendores Sanctorum refunderet, & admirabili quadam religiosæ Perfectionis serenitate squalleret: cujus equidē natura nusquam magis, quàm in *minimis* tota consideratur.

S. Chrysostom. hom. de verb. Isaiæ vidi dominum.

S. Greg. l. 5. moral. c. 1.

Hippocrates l. 6. de morbis popul. Iob. c. 12.

146. Contuebimini fortè AA. nostrum Orosmaden tenuem & modicum in Paupertate Evangelicâ, quam Seraphici Francisci imitatione, tanquam præparationem ad omnes virtutes, & remotionem obicum ad quamcunque honestatem, ardentissimè deperijt. Sed verò etiam qui hanc diligunt, *sicut Sol in ortu suo splendet, ita rutilant:* quandoquidem Paupertas vel ab ipsis Ethnicis sub lucis nomine, divitiæ verò sub obscuritatis umbrâ exhibeantur; utpote qui Regiam falsi Numinis divitiarum Præsidis Plutonis, in altissimis tenebris collocârint: id enim est divitias densæ insimulate caliginis; ubi econtrario paupertas in luce est & omnino insigniter micat: imo *Paupertas* de Artemidori sententia, *lux quædam est, denudans externum hominem, exhibénsque conspicuum.* Omnino illustris est Paupertas, & ad virtutes præparat, quatenus removet omnia peccatorum instrumenta, quæ opibus continentur. Parum intercedit vitijs ac divitijs: & ideò nemo fuit parandarum virtutum studiosior, qui paupertatem non adamaverit, eámque, quantùm intra statûs sui limites potuit, non sit consectatus. Nitentissima sunt Christianorum exempla, quibus ex Christi æstimatione, juxta pium D. Bernardi effatum, *Paupertas facta est pretiosa.* Sed nulli pretiosior, quàm S. Francisco, qui amore Christianæ Perfectionis tam ardenter paupertatem est consectatus, quàm locupletum nemo divitias. Monstrabat hunc Sancti viri affectum nuditas cellæ, quam inhabitabat, in qua nihil apparebat præter unam tabulam & tegugulam, ut eâ pro cervicali uteretur, ubi cum Filio hominis, perfectionis Magistro, suum caput reclinaret. Cubiculi lectique nuditatem comitabatur vestis simplicitas; quam non tantùm in se suisque Religiosis Affeclis, sed etiam in consanguineis suis punctualiter æmulabatur; quos ad conspectum & colloquium suum nullatenus admitteret, si splendidiore habitu, quàm generi suo congruere putabat, accessissent. *Paupertas facta est pretiosa* & speciosa Francisco, quando frequentissimè solo pane, & quidem mendicatione comparato, pro usu pau-

Paupertatis modicitas in S.

Francisco pretiosissima.

S. Bernard. sermon. 1. vigiliæ Nat. Dom.

pauperum victitavit, & *pecunias religiosorum Cœtuum corruptelas* nuncupavit; quas neque contingere sustinuit, frequenter illud Sancti Nili ad magnam Diaconissam Ancyranam exprimens, non minùs ex pecuniarum usurpatione, quàm ex speciosorum corporum contactu succendi concupiscentiam. *Paupertas facta est pretiosa* Francisco, quando qualcunque neglexit opes, despexit auri irritamenta, & munera regum pinguissima repudiavit. Non adducam, quàm generosè Ludovici XI. Francorum Regis munificentissima donaria aliquoties missa respuerit: utpote quòd aurea & argentea vasa paupercuio Eremitæ minimè convenireot; sed vas luteum & fictile, scutella quoque lignea ejus pauperiati æquiùs congruerent. Quando illud in S. Francisco munerum contemptionem ex paupertatis amore, cujusmodi apud Deum esset, demonstravit, quòd Ferdinando Neapolitano, refertam auro crumenam submittenti, renunciari jusserit: *Munus ex aliena substantia non posse ulla religione ita obduci, quin fordeat, & puteat impensissimè; nolle se ullatenus pollui hac regij muneris admissione, quod esset pauperum sanguine illitum, imbutum, ac intimè perfusum.* Ergo ut hujusce rei certum ederet argumentum, unum è crumenâ extractum aureum in duo divisit frusta, unde copiosus effluxit sanguis; tantùm non clamans, exactionibus justo auctioribus pauperum exsugi sanguinem, & iniquas pecuniarum collectas eorum medullas eviscerare. O sanctam pertinaciam, qua hujusmodi largitates respuebat Franciscus ut non vilesceret religiosa generositas, solita admittendis muneribus obsolescere; cui munerum non capiatio tantùm, sed etiam admissio, exitium per cuniculos intentat, ac frequentissimè infert! Usque adeo Paupertatis natura nusquam magis, quàm in *Minimis*, tota elucescit!

S. Nilus l. de nihil possidendo.

147. Mortificatio corporis in S. Francisco horrescenda.

Aliam capesso experientiam, & ex *minimo* suipsius *amore maximum* colligo *odium*, quo in seipsum per jugem mortificationem desæviens Franciscus, novos diffundit radios sanctitatis, haud secus, ac *si Sol in ortu suo splenderet*. Sanè si caro lasciviens, de Philonis sententia, fundamentum est ignorantiæ, adeoque tenebrescit, ut animæ affundat caliginem; negari vice versâ non potest, quin caro subacta & macerata exquisitè splendeat, micétque luculenter: ut meritò pro fulgentissimâ S. Francisci luce habendum sit *odium*, quo insectatus est nitentissimam sui corpusculi virginitatem, negatâ lasciviendi facultate, & ejuratâ quarumcunque illicitarum voluptatum licentiâ. Non tantùm non protrivit corporis florem Franciscus, & integrum se scelerisque purum in universâ vitâ præstitit; sed cum Joanne, *nec erat manducans, neque bibens*; addit S. Bernardus *profectò neque vestiens*, imò *neque cubans*. Tam enim tenuis erat vitæ usus, ut in compendio exhorrescam referre rigorem, quo, dum sive in vigilijs divinas meditationes usque ad auroræ diluculum protrahendibus, sive in ferreis catenis copiosum sanguinem exulcerantibus, sive in pedum omnimodâ nuditate ad omnem tempestatis injuriam subrigescente, sive in protractis tenuissimis & despidissimis inedijs, sive cæteris horrendæ mortificationis inventionibus se confecit, priscorum Anachoretarum rigidissimam observanti aut superavit, aut certè coæquavit: & ita coæquavit, ut si peccator quispiam immanis fuisset, qui vitam vixerat nocentissimam; vel si corpus illi fuisset non ex nostrate compactum materiâ, sed ex aliâ ad omnium infestationum perpessiones sensu cassâ, cogitari vix possit, plura ultrò suscepturus sanctæ in suum corpusculum severitatis argumenta. Et ne cum viro Sancto deficeret contundendæ carnis exemplum, ordinavit Divina per Servum suum Providentia, ut eligerentur Homines factorum ejus religiosè æmuli, quibus ex sanctæ Regulæ constitutionibus perpetua quadragenarij victûs ratio, emisso de ea solenni voto, susciperetur per totam vitam extra gravem ægritudinem retinenda. Non carnibus, non ovis, non

Philo de gigant.

S. Bernardus serm. de Nat. S. Ioan. Bap.

caseo, aut butyro, non lacticinijs quibuscunque ad victum adhibitis, eis licet vesci; ut verissimè videantur imitari Brasilicam *Guainembam*, quam supra diximus, omnium avium *minimam*, nihil edentem, ac solo rore victitantem. Quod sanè asperum ac prædurum vitæ genus adeò initio non probârunt aliqui, ut eam verissimam esse mesanthyropiam, & compendiariam ad succidendum genus humanum viam suggererent, ausúmque proclamarent supra humanam imbecillitatem, & importabilem (nunc quidem) fragilitati mortalium sarcinam; nisi Apostolorum, & Apostolicorum hominũ perfrequens exemplum tam difficili Professioni subscripsisset Bullam confirmationis, à Sixto IV. graviter disputatam. Tanta fuit Viri sancti in corpus suúm animadversio, & durities! Quam utinam à longè delicatuli mortales attenderent, qui improbè suo corpusculo lenocinantur, & melioribus illud convivijs reficiunt, obruunt atque saginant; qui mero madent, & neque in molli lecto jugem crapulam aliquando evaporant; qui recalcitrantem carnem cum manifesto animæ suæ dispendio enutriunt atque fovent: meliùs utique & securiùs facturi, si corpus ut animi mancipium exciperent rigorosiùs, & varijs castigationibus duriùs affligerent. Intervenit quidem hîc sapientissimus inter Ethnicos morum Magister, & *Fateor*, inquit, *insitam esse nobis corporis charitatem; fateor hujus nos gerere tutelam: jam ergo nego indulgendum illi; serviendum nego.* Et si quis rationem hujus desiderat, è naturæ sinu depromptam *Ad maiora natus sum, quàm ut sim mancipium corporis mei.* Si hæc profanus & Ethnicus Orator, quid Christianus aut Religiosus? eritne sui corporis mancipium? Quin imò tanquam Dominus sibi imperet, ac corpus sibi subigat; in hoc multò certiùs futurus sui ipsius Rex aut Imperator, quàm magnus tot Regum ac Populorum Domitor Alexander, qui teste Seneca, *omnia haberet potiùs in potestate, quàm affectus.* Benedictus Deus, qui pro suâ semper pervigili, semper in

Seneca Ep. 14.

Seneca in Ep. ad Lucilium.

Ecclesiæ bonum excubante Providentiâ, adversùs *singularem ferum*, & cœnosissimum porcum (Lutherum dico) pecuinum Evangelistam, exacto post S. Viri obitum decennio, ex harâ Tartari paulò pòst emersurum, tantum & tam potens præmisit carnis contundendæ exemplum, simul ac incitamentum; ut confunderetur illud hominis monstrum, & vere porcinum monastici claustri excrementum, quod voluntate ac conatu in Ecclesiam sordes invecturum erat, quantas vix ullus priscorum Borboritatum tentârat; sacri Cœlibatûs conculcationē, iejuniorum omnium exilium, Religiosæ appoches proscriptionem, quarumcunque macerationum ablegationem; & è contrario carnis curam in desiderijs, esculentorum & poculentorum lautiriam, libidinationum, non secùs ac ciborum (vah scelus!) prætensam necessitatem, qua nulli fas sit exolvi, dum hujus cochleæ septo continetur. Itaque, calentibus adhuc factis, & tanti viri exemplis, Plebs Christiana adversùs carneam novi Joviniani prædicationem præmuniebatur, & validissimis rationibus adducebatur, carnem suam cum vitijs & concupiscentijs mortificare: ex tam illustribus exemplis perspiciens, Regnum Dei non esse escam & potum; & non in commessationibus ac ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in carnis mox vermes pasturæ fomento, sed in sancto suiipsius odio, carnisque coërcitione, studium esse collocandum Christianis. Ex quo nemo non videt, carnis mortificationem nusquam magis, quàm in *minimo* sui ipsius amore, totam atque maximam elucescere.

Abstrusior prorsus inter tot cælestes rutilantis Solis splendores ad considerandum ipsum *in Maximo Minimum*; quod nisi penetravero, in proponendis S. Francisci laudibus hactenus nec *minimum* quidpiam præstitisse videbor. Loquor de sublimissimis profundissimæ *Humilitatis* gradibus, quibus noster S. Franciscus Paulanus cæteros omnes Religiosorum Ordinum Protoparentes superâsse dignoscitur. Cer- 148.

148. Humilitas S. Francisci maximè illustrata.

ta-

tavit humilitate cum Seraphico meo Patre Francisco Assisiate, qui ex perfectissimæ humilitatis imitatione Filios suos asseclas, *Fratres Minores appellitari* voluit. *Regula*, inquit, *FF. Minorum hæc est, scilicet Domini nostri Jesu Christi sanctum Evangelium observare.* Ita is suas Constitutiones auspicatur. At verò sanctus Franciscus de Paulâ, non contentus comparatione *minoris* ad *parvum* & modicum, superlativè incedere voluit; ut cùm suos religiosissimos Imitatores dixisset *Minimos*, sese *Minimorum* omnium *Minimum* inscriberet, ac nuncuparet. Neque reverà aliter se gerebat erga illos, quàm si eorum omnium esset *minimus*. Ministrabat omnibus, de viâ fessis pedes abluebat quâ demissè: cúmque eorum nonnulli humano sensu rem æstimantes, tanti Patris obsequium refugerent, monerêntque, ne ob Superioritatis gradum ad tam vilia ministeria sese demitteret, per quæ suam authoritatem obsolefaceret; ille econtrariò contestabatur graviter, Religiosum Præpositum non in aliorum Dominum, sed in servum assumi: quod de Præfecto quocunque Ecclesiastico ab Origene est traditum, illud Isaiæ, *Ecce ego, mitte me*, ad religiosæ Familiæ Præfectum specialiter accommodans. Et ne aliter doceret, quàm viveret, ejus Regula, quæ inter matrices ordine est quinta, undecunque humilitatem spirat, & omnes superbiæ aditus diligentissimè intercludit. Superiores, ne turgerent continuatâ potentiâ, annuos duntaxat esse cavit; memor, longa imperia improvidis subjectionis oblivionem inducere: eosdémque, ut facerer ventis pondus, obstrinxit ad consulendos inferiores, tanquam opportunissimum fomentum & conservandæ humilitatis, & obtinendæ victoriæ. Idem primas partes laborum ac onerum Superioribus adscripsit, qui cæterorum forma & exemplar esse debent, non Domini. Insuper & publicorum graduum in Academijs additione prohibuit; & humili cantu, nudâ ac planâ modulatione, uti præscripsit. Voluit etiam Lectores humilita-

Origin. hom. 6. in Isai.

tis meminisse, ut missis curiosis & ad nihilum utilibus disputationibus ac disquisitionibus, nunquam simplicitatis tineis, suos discipulos erudirent in sanctitate & Justitiâ. Vestitus præterea humilitatem probavit, indicio vestium colore nativo ac simplici, quem nulla adulterârit externa effusio vanitatis. Monstrant hæc omnia Regulæ Minimorum, sive præcepta, sive consilia, quantus humilitatis amor B. Francisci sensum affecerit: cujus tota vita aliud revera non fuit, quàm textura actionũ, quas olim optimus virtutum Magister S. Basilius voluit conjunctas, in perfectissimo humilitatis professore. Accuratè tenebat noster Franciscus id, quod notatum est à S. Bonaventura, graviter insigente, quanti sit ad fastûs & superbiæ depulsionem, in usu rerum omnium externarum vilitatem adamare. Hoc consilio nihil apud B. Franciscum fuit, quod tumorem foueret, aut superbiam præ splendore & pretiositate aleret. In sermonis moderatione mirum, quantùm in tanta apud homines luce, ab omni elatione ac superbiâ abhorruit B. Franciscus: imò quia juxta Paulinum sapor mentis in sermone gustatur, ambigere non licet, quin fuerit Franciscus sensu humillimus, cujus omnia dicta sui vilipensionem & abjectionem sonarent sincerissimam, pariter & facta spirarent. Impetrari nunquam ab eo potuit, tametsi annitente Summo Pontifice Sixto IV. ut Sacerdotio se inaugurari admitteret: ac ne quidem Ordinibus Minoribus honestari voluit, eligens potiùs sistere in laicorum gradu, ut non esset, unde efferretur, in loco novissimo constitutus. Stupenda miracula, quibus à Deo liberalissimè illustrabatur, in adhibitos naturalium pharmacorum globulos, aut in præsentissimum Deiparæ auxilium, modestissimè referebat. Fuêre, qui *Sanctum* inclamârent: ipse verò, non secùs, ac à colubri sibilo & serpentis afflatu quàm celerrimè se proripiebat, negans eum titulum mortali homini, qui suas sordes liquidò perspiceret, esse deferendum. Nullum denique suiipsius abjiciendi ac despicien-

S. Basil. hom. de humilit.

Paulin. Ep. 13

di oblatum prætermissũ argumentum; tanto studio contemptionem capare solitus, quanto honorem & gloriam vulgus mortalium, semper de se demissè sentiens, nunquam supra ullum se efferens, nunquam de gradu infimo *ac minimo* quantùm ad suam existimationem dimotus. Ita certè sanctus Franciscus de Paulâ præseferebat in semetipso plurima O Replicatum o in Arithmetica toties quoties, oooo, nihil valet: si verò vel unicum numerum I. addas, hoc est, 1000. jam *ADDITO MINIMO MAXIMUM FIET*, juxta Menandrũ à Stobæo relatũ. *Nam si vel MODICUM MODICO coniunxeris, idq; frequenter feceris, statim FIET quoq; MAGNUM.* Omnia sua dona gratiæ, & virtutum S. Franciscus reputabat pro O. pro nihil: addito verò minimo I. humilitatis, evadebant in maximam quantitatem.

Stobæus serm. 19.

149. Delector ampliùs in hoc pulcherrimo Humilitatis illapsu, & cum Divo Bernardo *honoratam* suspicio *Humilitatem*, quam is in inauguratione Virgineæ Deiparæ, Ancillæ Domini munus sibi reservantis, summopere admiratur. *Quæ est hæc*, inquit, *tam sublimis Humilitas, quæ cedere non novit honoribus, insolescere gloriâ nescit? Mater Dei eligitur, & ancillam se nominat. Non mediocris reverà humilitatis insigne, nec oblatâ tantâ gloriâ oblivisci humilitatem: non magnum est esse humilem in abiectione, magna prorsus & rara virtus HUMILITAS HONORATA.* Nec minùs appositè in hanc rem alibi; *Magna & rara virtus profectò est, ut, magna licet operantem, magnum te nescias; & manifestam omnibus, tuam te solum latere sanctitatem.* Eiusmodi planè fuit S. Franciscus, qui inter tot divina opera ac miracula solum Dei honorem habebat propositum, nihil sibi inde decerpens, nec suæ gloriæ, sed divinis duntaxat commodis quàm studiosissimè velificans. Verè sublimis *Humilitas* Francisci, quæ cedere non novit honoribus, insolescere gloriâ nescit. Honores S. Francisco inter vivos agenti, quocunque appelleret, religiosè delati, omnem dicendi superant facultatem: nam non modò in conspectu plebeculæ insigniter est honestatus, sed etiam magnificatus in conspectu Regum & Pontificum; ita ut homo natalibus humillimus ab his sæculi Apicibus appeteretur, atque in eo comprobaretur illud Sapientis dictum allegoricum: *Stellio in manibus nititur, & moratur in ædibus regis.* Vidisses aliquoties ad Summorum Pontificum, præsertim Sixti IV. & Julij II. latus assidere Franciscum, & binis ternísve horis, perbenignis audientijs dignari. Vidisses eum Neapoli, non ut homuncionem, sed ut Pontificium Legatum longè honorificentissimè suscipi à Ferdinando Rege seniore, cum Liberis ei obviam procedente, nec in aliud hospitium, quàm regium Palatium introducente; ubi pro magno munere Rex habuit, virum pannosum videre, & familiariter affari; & quamvis ab eo stimulis verborum non semel esset transfixus, tulit tamen æquanimiter, illóque audito multa fecit, nec pauca demittenda dimisit. Vidisses Calabrum Eremitam à Ludovico XI. Francorum Rege, post summas renitentiæ difficultates, honorificentissimis legationibus in Galli. s deportari; ad gravissima æternæ salutis acquirendæ, & regni ritè administrandi consilia adhiberi. Vidisses eum apud Iberos clarescere, ex quo admonuit Ferdinandum, à domitis & pulsis Saracenis recuperato veteri Regum anteriorum cognomento Catholicum, ne Malacensis urbis obsidionem desperatione fractus solveret: ubi sancti Viri oraculo animatus Ferdinandus in gradu, quo commodè volebat discedere, hæsit; nec ampliùs diuturna fuit obsidio Nam nocte insequẽte panico acti terrore Mauri, clàm ex urbe se proripientes, Regi sine sanguine potiundam reliquerunt, non absq; summâ omnium admiratione, sed præsertim Regis: qui deferens sancti Viri precibus adeò insignem victoriam, Cœnobium magnificentissimum ea in urbe ipsius religiosæ Familiæ suis sumptibus exædificari jussit, titulo *Cœnobij à Victoria.* Vereor, ne justo angustio-

Humilitas S. Francisci inter honores maxima.


S. Bernardus hom. 4. super missus est.

S. Bernardus serm. 13. in Cant.

Prov. 30. v. 28.

ftiores limites beati Francisci honoribus, gloriæ & celeberrimæ famæ fixerim, cùm dixi, eum Italia, Gallia & universâ Iberiâ inclaruisse; quando illustre ejus nomen ad omnes Europæ gentes, ac etiam ulterius haud secus peruasit, ac *Sol in ortu suo splendescens*, claritatis radios super omnes terræ totius nationes dispergit. Et in tantis honorum splendoribus *minimum* sese conservavit *humilitatis Punctum* Franciscus de Paulà: ut resumere liceat illud Divi Bernardi proloquium: *Magna & rara virtus profectò est, ut magna licet operantem, magnum te nescias; & manifestam omnibus, tuam te solum latere sanctitatem. Non magnum est, esse humilem in abjectione; magna prorsus & rara virtus, Humilitas honorata.*

150. Abbreviatus panegyris S. Francisci Epilogus. Ohe, jam sat est? quando enim finis dicendi fuerit, ubi nunquam non suppetit vel radius suspiciendi, vel ratio admirandi? Itaque ne parergon convertatur in ergon, & ut finem denique inveniat oratio, deprecor humillimè silentium cum aliquâ tantorum splendorum ac luminũ injuriâ conjunctum. Tantùm ne fastidium Auditorio prolixitas creet, sciens ac volens refringo radios clarissimos, ex vivi ac defuncti Francisci corpore, imò etiam aliquoties depicto, promicantes: repono innumera primæ classis miracula, huic maximo Dei Amico adjudicata; mortem ejus sanctissimam in novum beatæ æternitatis ortum reclino; omnium reliquarum virtutum, decorum, gratiarum & pulchritudinum apparatum in suum fontem, nunquam deficientem, refundo; denique etiam per *minimum* foramen considerantí Solem, hebetantur oculi, nictant palpebræ: hinc sciens & volens etiam præcido densa pijssimorum hominum agmina, ad quoscælitum honoribus & titulis honestandos, non vitæ exquisitæ apud omnes fragrantia, non obitus undecunque pius, non miracula, non vitæ religiosissimæ rigor aut vigor, non publica fama cælestis beatitatis deficiat, sed sola Ecclesiastica vindicatio desideretur. Habent hi lectissimi *Minimi Francisci* Filij *Punctum*, quo glorientur, ad quod collineent, in quo subsistant: habent circumferentiam securam, qua contineantur *velut in fasciculo viventium*: habent superabundantem charitatem, qua ardeant; patriam cælestem, ad quam aspirent; mundi contemptum, quo sublimentur; corporis mortificationem, qua jugiter vivificentur; perpetui jejunij macerationem, qua illustriùs extenuentur: habent humilitatis honorem, quo mundo appareant decori: habent denique omnem à suo sanctissimo Fundatore claritatem, quam velut emanantes radij participant; ut illis affectuosissimo voto appropriem & acclamem præfixi thematis nervum: *Qui autem diligunt te*, ó mirabilis in Sanctis tuis Deus, *sicut Sol in ortu suo splendet, ita rutilent*! ita rutilent! ita rutilent! Amen.



IN

IN FESTO S. GEORGII MEGALO-MARTYRIS.

GUITGUIT CORUIPETA.

Der Goldenmütige Rappenfeind.

LEMMA.

--- *Magnum & memorabile Nomen.* Ovid. 10. Metamorph.

THEMA.

Ego sum vitis vera, & Pater meus Agricola est. Joan. 15. v. 1.

SYNOPSIS CONCIONIS. LXXV.

S. Georgij Megalomartyris Nomen, panegyricâ oratione, frequens ab impositione, laboriosum ab Etymologiâ, à victorijs gloriosum, à miraculis inclytum, à clientelâ eximium, à sanctitate speciosum, & ab omni claritate celebratur illustrissimum.

151. Nominis eiusdem communitas quantū præstare possit.



Agnoscunt Jurisperiti, ex Nominis communione affectum mutuum, & amicam propensionem ingenerari: sic enim in ff. Sempronius nepoti suo, eodem Sempronij nomine nuncupato, ait se plus tribuere propter honorem nominis sui, id est, quia eodem, quo ipse, nomine vocabatur, ut glossat Accursius: Lyconem item Astyanactem, Philosophum Peripateticum testamento edidisse ferunt, ut Lycon frater, ob nominis secum communitatem, præcipua quædam haberet, à quibus cæteros fratres volebat exclusos. Itaque etiam apud externos communitas Nominis conciliat benevolentiam. Non est autem minor vis conciliativa affectûs in nominibus Sanctorum; quæ alijs quoque sint collata, quàm sit in nominibus prophanis. Quod dabit facilè Tiofridus, summam in nominibus Sanctorum agnoscens omni ex parte efficaciam. Veneror Nomina Sanctorum omniū, tanquam imposita tantis Dei amicis æternâ beatitudine fruituris: è quibus dum hodie toties ingeminari, implorari, & honorari audio S. Georgium, dico *MAGNUM ET MEMORABILE NOMEN*; de quo tot tantique alij participant, ut primâ fronte videatur ex hoc nomine mutua quædam affectuum communio, ac propensio prosultare inter meos attentissimos Auditores. Quot enim, per cæli Militiam! quot in universâ Ecclesiâ militante (de triumphante taceo) Georgij, à *S. Georgio Megalo-Martyre*, nuncupa-

L. cum filius. ff. de Legatis.

Tiofridus in Epist. Sanct.

cupa-

cupati & honorati? Vt meritò hodie per assumptæ orationis affectũ videatur Nomenclationi insistendum, & D. Georgij Martyris insignibus encomijs ex sola nominis virtute esse allaborandum. Quod cùm interpretetur *Agricola*, non incongruè sibi accomodabunt Evangelici thematis sensum, *Ego sum vitis vera, & Pater meus Agricola est*, quotquot tanti Tutelaris Patroni, S. Georgij nomine insigniuntur. Juvabit autem ad propositum avicula quædam, *Guitguit* ab Indis appellata; quæ cùm sit modica corporis mole, tota viridis, & non nisi Trochili magnitudinem adæquans, ingentem tamen audaciam in tantillo corpusculo conclusit *Magnanimitas*: nam tantula avis ac pænè nulla, audet insequi fortiter, ac persequi integras corvorum acies; eosq; in tam tremulam compellit fugam, ut ad vocem *Guitguit* protinus dissipentur corvorum ordines, & trepidante confusione sese adversùs tenuem persecutorem vel tueantur in arundinetis, vel occulant in delubris: quâ de causâ Eusebius Nierenbergius hanc avem vocat *Corvipetam*. O quoties noster Megalo-Martyr, inclytum Cappadociæ Decus, *S. Georgius* ingentes & formidabiles solus stravit, confudit, dispersit, extinxit exercitus corvorum, hoc est, Ecclesiæ hostium! Nunquam toleravit *S. Georgius* corvos, nec sedit super corvinæ fuliginis equos, sed glaucos semper equitâsse visus est caballos. *Guitguit, bene bene, ô S. Georgi, secundùm nomen tuum, sic & laus tua in fines terræ*, ut meritò *magnum & memorabile nomen tuum* hac tota oratione sit celebrandum, disquisito præclarissimarum rerum apparatu, in nomine Domini.

Eusebius Nierenberg l. 10. hist. c. 6.

152. Nomen S. Georgij constanter & frequenter celebratum.

Ea est cujusq; Nationis sub Sole affectio, ut cujusdam Sancti Nomen frequentiùs ac numerosiùs suis imponat filijs, quod longè clariùs pronuntiatur cæteris, longè jucundiùs ingruit auribus, longè magnificentiùs à Popularibus acceptatur. Sic Hispani suum celebrant *Diego*, Galli suum *Denis* vel *Loys*, Itali suum *Marc Antonio*, Saxones suũ *Carl*; Suevi suum *Ioannem, Hänsle*; Francones suum *Fridericum, Frizen*; Helueti suum *Nicolaum, Clusen*; Austriaci suum *Leopoldum, Poldl*; Salisburgenses suum *Rupertum, Rüpel*; nostri Frisingenses suum *Corbinianum, Curbel*; frequenter denique Bavari suum *Georgium, Görgl*, seu quod Alpivicinis usurpatum est Oenicolis, *Iodel*. Nempe pro sanctitatis magnitudine etiam celebrantur nomina Sanctorum. Magnum & memorabile nomen sequitur magnam coram Deo sanctitatem: sic enim Deus eximios suos honorat Amicos, ut tantò illustriores nomine, famâ ac patrocinio illucescant militanti Ecclesiæ, quantò sublimiores heroicarum virtutum gradus exercuerunt, atque ad Evangelicæ Perfectionis apicem altiùs sunt enixi. Cùm ergo nomen Seraphici nostri Francisci passim inter omnes nationes celebretur frequentissimè in Baptismo, audiatur honoratissimè in Personis, subscribatur pulcherrimè in chartis; signum est manifestum, etiam Seraphicum Patrem Franciscum sanctitatis meritis apud Altissimum admodùm eminere. Et quamvis pari argumento possit inductio ad cæteros cæli Cives apparari, speciali tamen jure in nostrum gloriosum Megalo-Martyrem collimat consequentia. Quantus enim ubiq; clientum *Georgiorũ* numerus subscribit nomini hujus tanti Patroni? Ipsa quidem antiquitas est tam insidiosa rebus omnibus, ut paulatim etiam robustissima ædificia disperdat; & invictissimorum heroum memorias, vel ipsis metallis ac saxis scalpro impressas, denique evanidet. Sed & illud experientiâ compertum est, pertinacibus temporum injurijs plurimorum in Ecclesiâ florentissimorum Sanctorum nomina apud diversas Nationes fuisse omnino ferè extincta; apud quos & sanctissimæ vitæ exemplis, & præclarissimorum miraculorum gloriâ enituerunt. At verò gloriosissimus noster *Georgius* illud obtinuit meritis sui martyrij triumphis, ut jam per mille & quadringentos circiter annos in Ecclesia antiqua & nova, sine aliqua claritatis interpolatione continuaret *magnum & memorabile nomen*; cujus honori & solennitati tot erige-

larium dignitatū, ratione cujus aliqui dicitur in Republicæ luce ac sole versari, dimittendus est in præsentia, utpote *minimus*, imò nullus; utpote qui & S. Francisco defuit: & licet non defuisset, tamē revera splendor est, qualis noctilucorū & pertenuis, & illicò dilabens. Præposterè scilicet, nec nisi ob lusciositatē stuporati mortales ad hujusmodi terrenarum dignitatum splendorē nictant; indéque, quisquis hominem celebrare tentat, arborem à foliis, non à fructibus, teste Chrysostomo, absurdissimè celebrat. Hæc est illa lux, quam misero sibi obtigisse expostulabat Job, dicens; *Quare misero data est lux?* Juxta D. Gregorij interpretationem, [In Scriptura sacra nonnunquam *lucis* appellatione prosperitas, *noctis* autem nomine hujus mundi adversitas designatur. Vnde & bene per Psalmistam dicitur: *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* Quia enim sancti Viri ita prosperitatem sæculi calcantes tolerant, per magnam mentis celsitudinem mundi sibi & adversa & prospera substernentes, dicunt: *sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* Proinde Franciscus sæcularibus dignitatibus *minimus*, earum contemptu heroico irradiavit *maximus*. Qualiscunque autem ex naturæ conditione consederit in Francisco corporeæ speciei gratia atq; lumen juventæ, offudit ei ipsemet multam caliginem per asperitates ultrò susceptas, ac voluntarias castigationes suiipsius: speciem corporis, eámque firmam ac vegetam habitudinem, unde efflorescit illa venustas & elegantia, quam Hippocrates *fulgorem adolescentiæ*, Job *lucem vultûs*, Ecclesiastes juxta chaldæam *solem & lunam* appellavit; noster Franciscus adeò studiosè vastavit, diminuit, exinanivit, decoloravit, ut hoc naturale amoris philtrum in splendores Sanctorum refunderet, & admirabili quadam religiosæ Perfectionis serenitate squalleret: cujus equidē natura nusquam magis, quàm in *minimis* tota consideratur.

S. Chrysostom. hom. de verb. Isaiæ vidi dominum.

S. Greg. l. 5. moral. c. 1.

Hippocrates l. 6. de morbis popul. Job. c. 12.

146. Paupertatis modicitas in S.

Contuebimini fortè AA. nostrum Orosmaden tenuem & modicum in Paupertate Evangelicâ, quam Seraphici Francisci imitatione, tanquam præparationem ad omnes virtutes, & remotionem obicum ad quamcunque honestatem, ardentissimè deperijt. Sed verò etiam qui hanc diligunt, *sicut Sol in ortu suo splendet, ita rutilant*: quandoquidem Paupertas vel ab ipsis Ethnicis sub lucis nomine, divitiæ verò sub obscuritatis umbrâ exhibeantur; utpote qui Regiam falsi Numinis divitiarum Præsidis Plutonis, in altissimis tenebris collocârint: id enim est divitias densæ insimulare caliginis; ubi econtrario paupertas in luce est & omnino insigniter micat: imo *Paupertas* de Artemidori sententia, *lux quædam est, denudans externum hominem, exhibénsque conspicuum.* Omnino illustris est Paupertas, & ad virtutes præparat, quatenus removet omnia peccatorum instrumenta, quæ opibus continentur. Parum intercedit vitijs ac divitijs: & ideò nemo fuit parandarum virtutum studiosior, qui paupertatem non adamaverit, eámque, quantùm intra statûs sui limites potuit, non sit consectatus. Nitentissima sunt Christianorum exempla, quibus ex Christi æstimatione, juxta pium D. Bernardi effatum, *Paupertas facta est pretiosa.* Sed nulli pretiosior, quàm S. Francisco, qui amore Christianæ Perfectionis tam ardenter paupertatem est consectatus, quàm locupletum nemo divitias. Monstrabat hunc Sancti viri affectum nuditas cellæ, quam inhabitabat; in qua nihil apparebat præter unam tabulam & regugulam, ut eâ pro cervicali uteretur, ubi cum Filio hominis, perfectionis Magistro, suum caput reclinaret. Cubiculi lectique nuditatem comitabatur vestis simplicitas; quam non tantùm in se suisque Religiosis Asseclis, sed etiam in consanguineis suis punctualiter æmulabatur; quos ad conspectum & colloquium suum nullatenus admitteret, si splendidiore habitu, quàm generi suo congruere putabat, accessissent. *Paupertas facta est pretiosa & speciosa* Francisco, quando frequentissimè solo pane, & quidem mendicatione comparato, pro usu

Francisco pretiosissima.

S. Bernard. sermone de vigilia Nat. Dom.

pau-

pauperum victitavit, & *pecunias religiosorum Cœtuum corruptelas* nuncupavit; quas neque contingere sustinuit, frequenter illud Sancti Nili ad magnam Diaconissam Ancyranam exprimens, non minùs ex pecuniarum usurpatione, quàm ex speciosorum corporum contactu succendi concupiscentiam. *Paupertas facta est pretiosa* S. Francisco, quando qualcunque neglexit opes, despexit auri irritamenta, & munera regum pinguissima repudiavit. Non adducam, quàm generosè Ludovici XI. Francorum Regis munificentissima donaria aliquoties missa respuerit: utpote quòd aurea & argentea vasa pauperculo Eremitæ minimè convenirent; sed vas luteum & fictile, scutella quoque lignea ejus paupertati æquiùs congruerent. Quando illud in S. Francisco munerum contemptionem ex paupertatis amore, cujusmodi apud Deum esset, demonstravit, quòd Ferdinando Neapolitano, refertam auro crumenam submittenti, renunciari jusserit: *Munus ex aliena substantia non posse ulla religione ita obduci, quin sordeat, & puteat impensissimè; nolle se ullatenus pollui hac regij muneris admissione, quod esset pauperum sanguine illitum, imbutum, ac intimè perfusum.* Ergo ut hujusce rei certum ederet argumentum, unum è crumenâ extractum aureum in duo divisit frusta, unde copiosus effluxit sanguis; tantùm non clamans, exactionibus justo auctioribus pauperum exsugi sanguinem, & iniquas pecuniarum collectas eorum medullas evisceare. O sanctam pertinaciam, qua hujusmodi largitates respuebat Franciscus ut non vilesceret religiosa generositas, solita admittendis muneribus obsolescere; cui munerum non captatio tantùm, sed etiam admissio, exitium per cuniculos intentat, ac frequentissimè infert! Usque adeo Paupertatis natura nusquam magis, quàm in *Minimis*, tota elucescit!

S. Nilus l. de nihil possidendo.

147. Mortificatio corporis in S. Francisco horrescenda.

Aliam capesso experientiam, & ex *minimo* scrijpsius *amore maximum* colligo *odium*, quo in seipsum per jugem mortificationem desæviens Franciscus, novos diffundit radios sanctitatis, haud secus, ac *si Sol in ortu suo splendesceret.* Sanè si caro lasciviens, de Philonis sententia, fundamentum est ignorantiæ, adeoq; tenebrescit, ut animæ affundat caliginem; negari vice versâ non potest, quin caro subacta & macerata exquisitè splendeat, micétque luculenter: ut meritò pro fulgentissimâ S. Francisci luce habendum sit *odium*, quo insectatus est nitentissimam sui corpusculi virginitatem. negatâ lasciviendi facultate, & ejuratâ quarumcunque illicitarum voluptatum licentiâ. Non tantùm non protrivit corporis florem Franciscus, & integrum se scelerisque purum in universâ vitâ præstitit; sed cum Joanne, *nec erat manducans, neque bibens*; addit S. Bernardus *profectò neque vestiens*, imò *neque cubans.* Tam enim tenuis erat vitæ usus, ut in compendio exhorrescam referre rigorem, quo, dum sive in vigilijs divinas meditationes usque ad auroræ diluculum protrahentibus, sive in ferreis catenis copiosum sanguinem exulcerantibus, sive in pedum omnimodâ nuditate ad omnem tempestatis injuriam subrigescente, sive in protractis tenuissimis & despidissimis inedijs, sive cæteris horrendæ mortificationis inventionibus sese confecit, priscorum Anachoretarũ rigidissimam observantiam aut superavit, aut certè coæquavit: & ita coæquavit, ut si peccator quispiam omnis fuisset, qui vitam vixerat nocentissimam; vel si corpus illi fuisset non ex nostrate compactum materiâ, sed ex aliâ ad omnium infestationum perpessiones sensu cassâ, cogitari vix possit, plura ultrò suscepturus sanctæ in suum corpusculum severitatis argumenta. Et ne cum viro Sancto deficeret contundendæ carnis exemplum, ordinavit Divina per Servum suum Providentia, ut eligerentur Homines factorum ejus religiosè æmuli, quibus ex sanctæ Regulæ constitutionibus perpetua quadragenarij victûs ratio, emisso de ea solenni voto, susciperetur per totam vitam extra gravem ægritudinem retinenda. Non carnibus, non ovis, non

Philo de gigant.

S. Bernardus serm. de Nat. S. Ioan. Bap.

tavit humilitate cum Seraphico meo Patre Francisco Assisiate, qui ex perfectissimæ humilitatis imitatione Filios suos asseclas, *Fratres Minores appellitari* voluit. *Regula*, inquit, *FF. Minorum hæc est, scilicet Domini nostri Jesu Christi sanctum Evangelium observare.* Ita is suas Constitutiones auspicatur. At verò sanctus Franciscus de Paulâ, non contentus comparatione *minoris* ad *parvum* & modicum, superlativè incedere voluit; ut cùm suos religiosissimos Imitatores dixisset *Minimos*, sese *Minimorum* omnium *Minimum* insciberet, ac nuncuparet. Neque reverâ aliter se gerebat erga illos, quàm si eorum omnium esset *minimus*. Ministrabat omnibus, de viâ fessis pedes abluebat quã demissè: cúmque eorum nonnulli humano sensu rem æstimantes, tanti Patris obsequium refugerent, monerèntque, ne ob Superioritatis gradum ad tam vilia ministeria sese demitteret, per quæ suam authoritatem obsolefaceret; ille econtrariò contestabatur graviter, Religiosum Præpositum non in aliorum Dominum, sed in servum assumi: quod de Præfecto quocunque Ecclesiastico ab Origene est traditum, illud Isaiæ, *Ecce ego, mitte me*, ad religiosæ Familiæ Præfectum specialiter accommodans. Et ne aliter doceret, quàm viveret, ejus Regula, quæ inter matrices ordine est quinta, undecunque humilitatem spirat, & omnes superbiæ aditus diligentissimè intercludit. Superiores, ne turgerent continuatâ potentiâ, annuos duntaxat esse cavit; memor, longa imperia improvidis subjectionis oblivionem inducere: eosdémque, ut faceret ventis pondus, obstrinxit ad consulendos inferiores, tanquam opportunissimum fomentum & conservandæ humilitatis, & obtinendæ victoriæ. Idem primas partes laborum ac onerum Superioribus adscripsit, qui cæterorum forma & exemplar esse debent, non Domini. Insuper & publicorum graduum in Academiis aditione prohibuit; & humili cantu, nudâ ac planâ modulatione, uti præscripsit. Voluit etiam Lectores humilitatis meminisse, ut missis curiosis & ad nihilum utilibus disputationibus ac disquisitionibus, tanquam simplicitatis tineis, suos discipulos erudirent in sanctitate & Justitiâ. Vestitus præterea humilitatem probavit, indicto vestium colore nativo ac simplici, quem nulla adulterârit externa effusio vanitatis. Monstrant hæc omnia Regulæ Minimorum, sive præcepta, sive consilia, quantus humilitatis amor B. Francisci sensum affecerit: cujus tota vita aliud revera non fuit, quàm textura actionũ, quas olim optimus virtutum Magister S. Basilius voluit conjunctas, in perfectissimo humilitatis professore. Accuratè tenebat noster Franciscus id, quod notatum est à S. Bonaventura, graviter insigente, quanti sit ad fastûs & superbiæ depulsionem, in usu rerum omnium externarum vilitatem adamare. Hoc consilio nihil apud B. Franciscum fuit, quod tumorem foveret, aut superbiam præ splendore & pretiositate aleret. In sermonis moderatione mirum, quantùm in tanta apud homines luce, ab omni elatione ac superbiâ abhorruit B. Franciscus: imò quia juxta Paulinum sapor mentis in sermone gustatur, ambigere non licet, quin fuerit Franciscus sensu humillimus, cujus omnia dicta sui vilipensionem & abjectionem sonarent sincerissimam, pariter & facta spirarent. Impetrari nunquam ab eo potuit, tametsi annitente Summo Pontifice Sixto IV. ut Sacerdotio se inaugurari admitteret: ac ne quidem Ordinibus Minoribus honestari voluit, eligens potiùs sistere in laicorum gradu, ut non esset, unde efferretur, in loco novissimo constitutus. Stupenda miracula, quibus à Deo liberalissimè illustrabatur, in adhibitos naturalium pharmacorum globulos, aut in præsentissimum Deiparæ auxilium, modestissimè referebat. Fuêre, qui *Sanctum* inclamarent: ipse verò, non secùs, ac à colubri sibilo & serpentis afflatu quàm celerrimè se proripiebat, negans eum titulum mortali homini, qui suas sordes liquidò perspiceret, esse deferendum. Nullum denique suiipsius abjiciendi ac despicien-

Origin. hom. 6. in Isai.

S. Basil. hom. de humilit.

Paulin. Ep. 13

di oblatum prætermissũ argumentum; tanto studio contemptionem capiare solitus, quanto honorem & gloriam vulgus mortalium, semper de se demissè sentiens, nunquam supra ullum se efferens, nunquam de gradu infimo *ac minimo* quantùm ad suam existimationem dimotus. Ita certè sanctus Franciscus de Paulâ præseferebat in semetipso plurima O Replicatum o in Arithmetica toties quoties, oooo, nihil valet: si verò vel unicum numerum I. addas, hoc est, 1000. jam *ADDITO MINIMO MAXIMUM FIET*, juxta Menandrũ à Stobæo relatũ. *Nam si vel MODICUM MODICO coniunxeris, idq́ frequenter feceris, statim FIET quoq́ MAGNUM.* Omnia sua dona gratiæ, & virtutum S. Franciscus reputabat pro O, pro nihil: addito verò minimo I. humilitatis, evadebant in maximam quantitatem.

Stobæus serm. 29.

149. Delector ampliùs in hoc pulcherrimo Humilitatis illapsu, & cum Divo Bernardo *honoratam* suspicio *Humilitatem*, quam is in inauguratione Virgineæ Deiparæ, Ancillæ Domini munus sibi reservantis, summopere admiratur. *Quæ est hæc,* inquit, *tam sublimis Humilitas, quæ cedere non novit honoribus, insolescere gloriâ nescit? Mater Dei eligitur, & ancillam se nominat. Non mediocris reverà humilitatis insigne, nec oblatâ tantâ gloriâ oblivisci humilitatem: non magnum est esse humilem in abiectione, magna prorsus & rara virtus HUMILITAS HONORATA.* Nec minùs appositè in hanc rem alibi: *Magna & rara virtus profectò est, ut, magna licet operantem, magnum te nescias; & manifestam omnibus, tuam te solum latere sanctitatem.* Eiusmodi planè fuit S. Franciscus, qui inter tot divina opera ac miracula solum Dei honorem habebat propositum, nihil sibi inde decerpens, nec suæ gloriæ, sed divinis duntaxat commodis quàm studiosissimè velificans. Verè sublimis *Humilitas* Francisci, quæ cedere non novit honoribus, insolescere gloriâ nescit. Honores S. Francisco inter vivos agenti, quocunque appelleret, religiosè delati, omnem dicendi

Humilitas S. Francisci inter honores maxima.

S. Bernardus hom. 2. super missus est.

S. Bernardus serm. 13. in Cant.

superant facultatem: nam non modò in conspectu plebeculæ insigniter est honestatus, sed etiam magnificeatus in conspectu Regum & Pontificum; ita ut homo natalibus humillimus ab his sæculi Apicibus appeteretur, atque in eo comprobaretur illud Sapientis dictum allegoricum: *Stellio in manibus nititur, & moratur in ædibus regis.* Vidisses aliquoties ad Summorum Pontificum, præsertim Sixti IV. & Julij II. latus assidere Franciscum, & binis ternisve horis, perbenignis audientijs dignari. Vidisses eum Neapoli, non ut homuncionem, sed ut Pontificium Legatum longè honorificentissimè suscipi à Ferdinando Rege seniore, cum Liberis ei obviam procedente, nec in aliud hospitium, quàm regium Palatium introducente; ubi pro magno munere Rex habuit, virum pannosum videre, & familiariter affari; & quamvis ab eo stimulis verborum non semel esset transfixus, tulit tamen æquanimiter, illóque audito multa fecit, nec pauca demittenda dimisit. Vidisses Calabrum Eremitam à Ludovico XI. Francorum Rege, post summas renitentiæ difficultates, honorificentissimis legationibus in Gallias deportari; ad gravissima æternæ salutis acquirendæ, & regni ritè administrandi consilia adhiberi. Vidisses eum apud Iberos clarescere, ex quo admonuit Ferdinandum, à domitis & pulsis Saracenis recuperato veteri Regum anteriorum cognomento Catholicum, ne Malacensis urbis obsidionem desperatione fractus solveret: ubi sancti Viri oraculo animatus Ferdinandus in gradu, quo commodè volebat discedere, hæsit; nec ampliùs diuturna fuit obsidio Namnocte insequẽte panico acti terrore Mauri, elàm ex urbe se proripientes, Regi sine sanguine potiundam reliquerunt, non absq; summâ omnium admiratione, sed præsertim Regis: qui deferens sancti Viri precibus adeò insignem victoriam, Cœnobium magnificentissimum ea in urbe ipsius religiosæ Familiæ suis sumptibus exædificari jussit, titulo *Cœnoby à Victoria.* Vereor, ne justo angu-


Prov. 30. v. 28.

stie-

ſtiores limites beati Franciſci honoribus, gloriæ & celeberrimæ famæ fixerim, cùm dixi, eum Italia, Gallia & universâ Iberia inclaruiſſe; quando illuſtre ejus nomen ad omnes Europæ gentes, ac etiam ulteriùs haud ſecus pervaſit, ac *Sol in ortu ſuo ſplendeſcens*, claritatis radios ſuper omnes terræ totius nationes diſpergit. Et in tantis honorum ſplendoribus *minimum* ſeſe conſervavit *humilitatis Punctum* Franciſcus de Paulâ; ut reaſſumere liceat illud Divi Bernardi proloquium: *Magna & rara virtus profectò eſt, ut magna licet operantem, magnum te neſcias; & manifeſtam omnibus, tuam te ſolum latere ſanctitatem. Non magnum eſt, eſſe humilem in abjectione; magna prorſus & rara virtus, Humilitas honorata.*

150. Abbreviatus panegyris S. Franciſci Epilogus.

Ohe, jam ſat eſt? quando enim finis dicendi fuerit, ubi nunquam non ſuppetit vel radius ſuſpiciendi, vel ratio admirandi? Itaque ne parergon convertatur in ergon, & ut finem denique inveniat oratio, deprecor humillimè ſilentium cum aliquâ tantorum ſplendorum ac luminũ injuriâ conjunctum. Tantùm ne faſtidium Auditorio prolixitas creet, ſciens ac volens refringo radios clariſſimos, ex vivi ac defuncti Franciſci corpore, imò etiam aliquoties depicto, promicantes: repono innumera primæ claſſis miracula, huic maximo Dei Amico adjudicata; mortem ejus ſanctiſſimam in novum beatæ æternitatis ortum reclino; omnium reliquarum virtutum, decorum, gratiarum & pulchritudinum apparatum in ſuum fontem, nunquam deficientem, refundo; denique etiam per *minimum* foramen conſiderantí Solem, hebetantur oculi, nictant palpebræ: hinc ſciens & volens etiam præcido denſa piiſſimorum hominum agmina, ad quos ex-litum honoribus & titulis honeſtandos, non vitæ exquiſitæ apud omnes fragrantia, non obitus undecunque pius, non miracula, non vitæ religioſiſſimæ rigor aut vigor, non publica fama cæleſtis beatitatis deficiat, ſed ſola Eccleſiaſtica vindicatio deſideretur. Habent hi lectiſſimi *Minimi Franciſci* Filij *Punctum*, quo glorientur, ad quod colliment, in quo ſubſiſtant: habent circumferentiam ſecuram, qua contineantur *velut in faſciculo viventium*: habent ſuperabundantem charitatem, qua ardeant; patriam cæleſtem, ad quam aſpirent; mundi contemptum, quo ſublimentur; corporis mortificationem, qua jugiter vivificentur; perpetui jejunij macerationem, qua illuſtriùs extenuentur: habent humilitatis honorem, quo mundo appareant decori: habent denique omnem à ſuo ſanctiſſimo Fundatore claritatem, quam velut emanantes radij participant; ut illis affectuoſiſſimo voto apprecer & acclamem præfixi thematis nervum: *Qui autem diligunt te*, ó mirabilis in Sanctis tuis Deus, *ſicut Sol in ortu ſuo ſplendet, ita rutilent!* Ita rutilent! ita rutilent! Amen.



IN



IN FESTO S. GEORGII MEGALOMARTYRIS.

GUITGUIT CORUIPETA.

Der Höldenmütige Rappenfeind.

LEMMA.

--- *Magnum & memorabile Nomen.* Ovid. 10. Metamorph.

THEMA.

Ego sum vitis vera, & Pater meus Agricola est. Joan. 15. v. 1.

SYNOPSIS CONCIONIS. LXXV.

S. Georgij Megalomartyris Nomen, panegyricâ oratione, frequens ab impositione, laboriosum ab Etymologiâ, à victorijs gloriosum, à miraculis inclytum, à clientelâ eximium, à sanctitate speciosum, & ab omni claritate celebratur illustrissimum.

151. Nominis eiusdem communitas quantū præstare possit.



Agnoscunt Jurisperiti, ex Nominis communione affectum mutuum, & amicam propensionem ingenerari: sic enim in ff. Sempronius nepoti suo, eodem Sempronij nomine nuncupato, ait se plus tribuere propter honorem nominis sui, id est, quia eodem, quo ipse, nomine vocabatur, ut glossat Accursius: Lyconem, item Astyanactem, Philosophum Peripateticum testamento edidisse ferunt, ut Lycon frater, ob nominis secum communitatem, præcipua quædam haberet, à quibus cæteros fratres volebat exclusos. Itaque etiam apud externos communitas Nominis conciliat benevolentiam. Non est autem minor vis conciliativa affectûs in nominibus Sanctorum; quæ alijs quoque sint collata, quàm sit in nominibus prophanis. Quod dabit facilè Tiofridus, summam in nominibus Sanctorum agnoscens omni ex parte efficaciam. Veneror Nomina Sanctorum omniū, tanquam imposita tantis Dei amicis æternâ beatitudine fruituris: è quibus dum hodie toties ingeminari, implorari, & honorari audio S. GEORGIUM, dico *MAGNUM ET MEMORABILE NOMEN*; de quo tot tantique alij participant, ut primâ fronte videatur ex hoc nomine mutua quædam affectuum communio, ac propensiô prosultare inter meos attentissimos Auditores. Quot enim, per cæli Militiam! quot in universâ Ecclesiâ militante (de triumphante tacebo) Georgij, à *S. Georgio Megalo-Martyre*, nuncupa-

L. cum filius. ff de Legato.

Tiofridus in Epist. Sanct.

cupati & honorati? Vt meritò hodie per assumptæ orationis affectū videatur Nomenclationi insistendum, & D. Georgij Martyris insignibus encomijs ex sola nominis virtute esse allaborandum. Quod cùm interpretetur *Agricola*, non incongruè sibi accomodabunt Evangelici thematis sensum, *Ego sum vitis vera, & Pater meus Agricola est*, quotquot tanti Tutelaris Patroni, S. Georgij nomine insigniuntur. Juvabit autem ad propositum avicula quædam, *Guitguit* ab Indis appellata; quæ cùm sit modica corporis mole, tota viridis, & non nisi Trochili magnitudinem adæquans, ingentem tamen audaciam in tantillo corpusculo conclusit *Magnanimitas*: nam tantula avis ac pænè nulla, audet insequi fortiter, ac persequi integras corvorum acies; eosq; in tam tremulam compellit fugam, ut ad vocem *Guitguit* protinus dissipentur corvorum ordines, & trepidante confusione sese adversùs tenuem persecutorem vel tueantur in arundinetis, vel occulant in delubris: quâ de causâ Eusebius Nierenbergius hanc avem vocat *Coruipetam*. O quoties noster Megalo-Martyr, inclytum Cappadociæ Decus, *S. Georgius* ingentes & formidabiles solus stravit, confudit, dispersit, extinxit exercitus corvorum, hoc est, Ecclesiæ hostium! Nunquam toleravit *S. Georgius* corvos, nec sedit super corvinæ fuliginis equos, sed glaucos semper equitâsse visus est caballos. *Guitguit, bene bene, ô S. Georgi, secundùm nomen tuum, sic & laus tua in fines terræ*, ut meritò *magnum & memorabile nomen tuum* hac tota oratione sit celebrandum, disquisito præclarissimarum rerum apparatu, in nomine Domini.

Eusebius Nierenberg l. 10. hist. c. 6.

152. Ea est cujusq; Nationis sub Sole affectio, ut cujusdam Sancti Nomen frequentiùs ac numerosiùs suis imponat filijs, quod longè clariùs pronuntiatur cæteris, longè jucundiùs ingruit auribus, longè magnificentiùs à Popularibus acceptatur. Sic Hispani suum celebrant *Diego*, Galli suum *Denis* vel *Loys*, Itali suum *Marc Antonio*, Saxones suū *Carl*; Suevi suum *Ioannem, Hänsle*; Francones suum *Fridericum, Frizen*; Helueti suum *Nicolaum, Clusen*; Austriaci suum *Leopoldum, Poldl*; Salisburgenses suum *Rupertum, Rupel*; nostri Frisingenses suum *Corbinianum, Curbel*; frequenter denique Bavari suum *Georgium, Görgl*, seu quod Alpivicinis usurpatum est Oenicolis, *Iodel*. Nempe pro sanctitatis magnitudine etiam celebrantur nomina Sanctorum. Magnum & memorabile nomen sequitur magnam coram Deo sanctitatem: sic enim Deus eximios suos honorat Amicos, ut tantò illustriores nomine, famâ ac patrocinio illucescant militanti Ecclesiæ, quantò sublimiores heroicarum virtutum gradus exercuerunt, atque ad Evangelicæ Perfectionis apicem altiùs sunt enixi. Cùm ergo nomen Seraphici nostri Francisci passim inter omnes nationes celebretur frequentissimè in Baptismo, audiatur honoratissimè in Personis, subscribatur pulcherrimè in chartis; signum est manifestum, etiam Seraphicum Patrem Franciscum sanctitatis meritis apud Altissimum admodùm eminere. Et quamvis pari argumento possit inductio ad cæteros cæli Cives apparari, speciali tamen jure in nostrum gloriosum Megalo-Martyrem collimat consequentia. Quantus enim ubiq; clientum *Georgiorū* numerus subscribit nomini hujus tanti Patroni? Ipsa quidem antiquitas est tam insidiosa rebus omnibus, ut paulatim etiam robustissima ædificia disperdat; & invictissimorum heroum memorias, vel ipsis metallis ac saxis scalpro impressas, denique evanidet. Sed & illud experientiâ compertum est, pertinacibus temporum injurijs plurimorum in Ecclesiâ florentissimorum Sanctorum nomina apud diversas Nationes fuisse omnino ferè extincta; apud quos & sanctissimæ vitæ exemplis, & præclarissimorum miraculorum gloriâ enituerunt. At verò gloriosissimus noster *Georgius* illud obtinuit meritis sui martyrij triumphis, ut jam per mille & quadringentos circiter annos in Ecclesia antiqua & nova, sine aliqua claritatis interpolatione continuaret *magnum & memorabile nomen*; cujus honori & solennitati tot erige-

Nomen S. Georgij constanter & frequenter celebratum.

erigerentur Altaria, tot fundarentur Ecclesiæ, tot consecrarentur Canonicorum collegia, tot columnæ & obelisci consurgerent, tot Confraternitates convenirent, tot Clientes Georgiani inungerentur, tot inscriberentur codices, tot arma & vexilla legionum militarium rutilarent, tot denique religionis ac pietatis monumenta subsisterent. Floruit *magnum & memorabile nomen* S. GEORGII; floruit sanctitate & miraculis, floruit patrocinio & beneficijs, floruit protectione & victorijs, floruit virtute & armis; floruit in aulis & caulis, inter nobiles & ignobiles; florebit, & celebritatis suæ claritatem retinebit, quousque Sol in firmamento suæ lucis radios, ***nunquam MORITURUS, semper ORITURUS*** dispergет. Ita certè sicut inter publicas majores monetas *Georgiani taleri* censentur argento omnium optimi, & felicissimi; ita & *Sanctitas Georgiana* suam constantissimè retinet probam, & celebritatis excellentiam. ***Semper honos, laudésque tuæ, nomenq; manebunt.***

153. Maxima nominis claritas à virtute provenit. S. Chrysost. in 42. psal. Nempe sola virtus dat claritatem, & nominis perennitatem; in cælo enim illud scribit radijs solaribus. Audite Chrysostomum ad præsens loquentem. [Si, inquit, perpetuam memo-„riam desideras, ne nomen, ô homo, „ædificijs inscribas, sed trophæa rectè „factorũ erigas; quæ & in præsenti vita „nomen tibi conservant, & in futura „vita immortalem tibi requiem com-„parant. Si sis memoriæ cupidus, „ego te doceo veram viam & apertis-„simam: *Virtutis curam gere. Nihil* „*enim facit nomen adeò immortale, ut* „*natura virtutis.* Hoc ostendunt Mar-„tyres, ostendunt Apostolorum re-„liquiæ, ostendit memoria eorum, „qui rectè & ex virtute vixerunt. Et „verò quot Reges urbes condide-„runt, portus exstruxerunt, & nomi-„nibus suis inscriptis decesserunt; nec „tamen eis quidquam profuit, sed si-„lentio & oblivioni mandati sunt? „Piscator autem Petrus, qui nihil „fecit eorum, quoniam virtutem est „persecutus, & civitatem maximè re-„giam occupavit, etiam post mortem „resplendet Sole clariùs.] Ita planè; nihil facit nomẽ adeò im̃ortale, ut natura virtutis; nec unquã gloriosior auditur appellatio, quàm ubi copulata consistit CUM NOMINE VIRTUS. Quis nescit, *Camillum* Romæ alterum Conditorem; *Fabium* Romani populi Clypeum; *Marcellum* ejusdem Gladium; *Tullium* Patrem patriæ, aliósque ob virtutem in omnium memoriâ vivere? Ab humanitate dicti sunt *Æmilij*, à prudentia *Catones*, ab eloquentia *Theophrasti*: à morum innocentia *justi* ut Aristides, *pij* ut Antoninus, *casti* ut Alpbonsus. Quis non magni ducat cum *Palamede*, ob rerum omnium scientiam πανσοφ@; cum *Anaxagora* Claromenio νȣσ, id est, mens, ob eximiam ingenij vim; cum *Sophocle* μέλιτᾳ, id est, apis nuncupari ob sermonis suavitatem? Quis verò cum thermis suis curet *Diocletianum*, cum palatio *Neronem*, cum statuis *Iulianum*? Vnde meritò dissona videtur nuncupatio, si quis speciosa quidem, sed tamen veritati disformia, ac *NOMINA FALSA GERIT*. Sic *Heliogabalus* Imperator crudelis, nomen sibi *Antonini* adsciverat, quod tunc temporis non nisi supremæ virtutis ac felicissimi talenti Personis conferebatur; cùm econtra Heliogabalus flagitiosis suis actionibus Rempublicam Romanam passim turbaret. Hinc meritò à nonnemine Poëtarum increpatur.

Tunc etiam Augustæ Sedis penetralia fœdas,
Antoninorum NOMINA FALSA GERENS?

Et potest ad propositum in alio sensu servire Epitaphium, Francisco Mariæ *ROSATO* inscriptum à Christophoro Finotto, alludente ad nomen Rosati jam in funere tabescente deflorati. Finottus distich. 13.

Quid jacet in tumulo? Rerum sine imagine Nomen:
Namq; ROSA absque rosa, THVS sine thure iacet.

Oportet rem nomini convenire, nomen virtuti. Virtus dat claritatem, & nominis perennitatem; quantò magis eximia sanctitas, quam in *S. Georgio* tota semper suspexit & venerata est Ecclesia.

Jam

154. Georgij nomenclatura explicatur.

Jam verò ad Nominis S. Georgij Etymologiam ut progrediamur, consentaneè ad subjectam nomini notionem, quæ *Georgicorum* titulum indidit operi Maronis de Agricultura, nonnulli SS. Patrum Cappadocem nostrum repræsentant ut Agricolam. [*Georgius* Græcè, inquit Petrus Damiani, *terræ cultor* Latino sonat eloquio, qui nimirum juxta sui præsagium nominis, non modò suæ mentis agrum spiritualis exercitij disciplinis excoluit, sed & sanctæ exhortationis & piæ correptionis vomere, revera multorum corda proscidit; vitiorúmque vepribus erutis, fœcunda in eis virtutum arbusta plantavit.] Itaque de Petri Damiani sententia, *Georgius* Græcè, sonat Latinè *Agricolam*. Et sanè ubi nos legimus apud Joannem, *Ego sum vitis vera, & Pater meus Agricola est*; Græca expressa habent, *καὶ ὁ πατήρ μου ὁ γεωργός ἐστι.* Non minùs graphicè Georgium tanquam Agricolam his verbis Andreas Cretensis depingit. [Tunc (Diocletiano & Maxentio in Christi fidem grassantibus) velut stella quædam in die apparens, lætum pietatis fulgorem emittens, illustris hic, & omnium voce decantatus *Georgius* apparuit; qui & nomine & re fructuosus extitit. *Georgius*, inquam, qui & nomine ipso divinum factum, & facto gratiam nomini congruentem in seipso ostendit. Qui Issachar imitatus est, & Divinæ agriculturæ bonitatem, amore prosecutus fuit. Qui laboriosam culturam amavit, & ut scriptum legimus, ipse ab Altissimo Deo agricultura effectus est. Qui ut bonus Agricola à teneris unguiculis laboravit, & fructum centuplo copiosiorem suo tempore Domino reddidit. Qui aratro virtutis suavem pietatis sulcum rectâ viâ duxit; ob idque aptus regno cælorum probatus est. Qui cum lachrymis sementem jecit, & cum exultatione messem collegit; qui cum luctu semina sparsit, & gaudens manipulos reportavit. Qui fuit terra benè culta, quæ sæpè in se venientem Spiritûs sancti pluviam ebibit, & salutarem herbam pijs peperit, qui eum decerpunt cum fide. Hic fuit Divinarum cogitationum cultor, & ipsius Dei ager, in quo pietatis gratia exculta fuit, & miraculorum copia, quæ omnibus usui sit, excolitur. Solet enim appellatio ipsa, Dei gratiam & hominum virtutem indicare. Id quod in Abraham, in Sara, Isaac, Jacob, Moyse, & in alijs multis factum didicimus: *Talis fuit nomine & re GEORGIUS.*] Cadit ergo in *S. Georgium*, quod beatus Ambrosius de S. Agricola, quondam Vitalis Domino, postea martyrij collegâ, pronuntiavit [Martyri nomen *Agricola est, &c.* Agricola dictus est, qui bonos fructus spiritualis gratiæ seminaret, & sacri sanguinis effusione, meritorum suorum omnium, virtutúmque rigaret plantaria.] Imò ipsemet factus est excultissimus ager, qui liberalissimos cælestium gratiarum imbres, & Spiritûs sancti dona in se imbibit: ubi tam heroica, tam amorosa, támque constans Fidei in Jesum Christum professio germinavit, ut neque promissis honoribus & gratijs eliminari, neque vivæ calcis caloribus exarescere, neque gravissimæ petræ mole supprimi, nec ferreis catenis inflecti, nec aculeatâ rotâ discindi, nec ferreorum calceorum ardoribus exuri, nec bubulis nervis conteri, nec acutissimis novaculis lancinari, nec denique gladij percussione potuerit labefactari: *Talis fuit nomine & re GEORGIUS. Magnum & memorabile nomen!*

Petrus Dam. de templo Salomon. c. 19.

Andreas Cretensis l. 9. Ep. 9

S. Ambrosius l. de exhort. ad Virg.

155. Cur S. Georgius dicatur Megalo-Martyr.

Et quidem *Georgius Megalo-Martyr*, hoc est, magnanimitate insignis & præcipuus Jesu Christi Athleta: hoc nempe titulo *S. Georgius* tam in Occidente, quàm in Oriente eximiè honestatur. Sic enim in Liturgiâ Sancti Chrysostomi, quâ Græci frequenter utuntur, *S. Georgius* nominatur *Princeps Martyrum, & coryphæus inter Martyres*; utique non ordine temporis, in Sanctum Stephanum Protomartyrem recidentis; sed ordine præcellentiæ & dignitatis. Sanctus Basilius in Liturgiâ suâ interpellat Deum cum per aliorum Sanctorum merita, tum nominatim per

S. Chrys. hom. 21 in alia.

Sancti Georgij intercessionem, quam præ tantis ejus meritis, eximiâque apud Deum gratiâ, supponit eximiè valituram. In Missa Æthiopum & Chaldæorum *Sanctus Georgius* appellatur *stella honoris*, sive *stella præfulgida*: nimirum cùm omnes Sancti sint stellæ, per hanc caliginem Orbi illucescentes, *Sanctus Georgius* sit stella exquisitæ magnitudinis, & eximij fulgoris; ad eum fermè modum, quo Christus in Apocalypsi antonomasticè dicitur *stella splendida, & matutina*. Sed & præfationes variæ extant apud Sanctos Ambrosium & Gregorium, quibus præconium nostri Sancti Megalo-Martyris affectuosè resonat. Certè Vicellius Ambrosianam quandam de *Sancto Georgio* repræsentat præfationem, tali tono & textu. [Georgius fidelissimus miles CHRISTI, dum Christianismi professio tegeretur, solus inter Christicolas intrepidus DEI Filium JESUM confessus est: cui tantam constantiam gratia Divina concessit, ut & Tyrannicæ potestatis præcepta contemneret, & innumerabilium non formidaret tormenta pœnarum. O felix, & inclytus Præliator Domini! quem non solùm temporalis regni non persuasit blanda promissio; sed persecutore deluso, simulacrorum ejus portenta in abyssum dejecit, &c. Ob hoc Regina quoque Persarum, crudeli dictatâ sententiâ, nondum gratiam Baptismi consecuta, gloriosæ Passionis meruit palmam.] Hisce affinia sunt, quæ addit Nicephorus, *Sanctum Georgium* appellans *magni inter CHRISTI Certatores nominis, & agminis Martyrum Coryphæum*; qui supra naturæ captum, in optimo adolescentiæ flore, antequam primam produxisset lanuginem, perquàm acerbos sustinuit constantissimè cruciatus: namque post carcerem & vincula, ungulæ acutæ eum excepêre: mox calce ardenti est adustus, fidiculisque rursum distractus; mucronibus membratim dissectus, plurimisque alijs

Apocal. 22. v. 16.

Vicellius in Hagiolog.

Nicephorus l. 7. c. 13.

pœnarum ac tormentorum machinis attritus, generosam animi sui magnanimitatem, firmúmque mentis suæ robur satis declaravit. Verè magnus Martyr, admirandus Martyr, illustris & omnium voce decantatus Martyr *Sanctus Georgius*; qui vel ipso Apostolo videtur esse superior. Ait siquidem Paulus, se versatum esse *in mortibus frequenter*. Et alio loco: *quotidie morior propter vestram gloriam*. Quod utique de solis mortis periculis intelligit Apostolus, quæ frequenter ac quotidiè incurrebatu; nde verbis postremò adductis, præmittit immediatè: *ut quid & nos periclitamur omni hora?* Ar verò *Sanctus Georgius Megalo-Martyr* non solùm inferendæ mortis adivit pericula, sed etiam causas, quæ suâpte vi mortem possent pro DEO inferre, excepit magnanimiter, tametsi miraculo impeditas, ne mortem inferrent. Dicat nunc Cantacusenus *Sanctum Georgium* infinities Martyrem: quia hic locum habet sancti Zenonis ratiocinatio circa sanctum Arcadium, *Numerent martyria, qui possunt numerare supplicia?* Dicam ego, *numerent mortes, qui possunt numerare tormenta lethalia*: utpote quòd singula penè tormenta, quibus sanctus Georgius est excarnificatus, suapte naturâ, inferendæ neci fuerint paria ut proinde Cantacusenus, sicut *infinita supplicia*, id est, omnino multa, & quanta vix alius quispiam Martyrum subijt, ita *infinitas mortes* subijsse Beatum Georgium affirmaverit. *Numerent mortes, qui possunt numerare tormenta lethalia.*

2. Corinth. 11. v. 23.

1. Corinth. 15. v. 31.

S. Zeno serm. de S. Arcadio.

156. Jam verò etiam, si ad miracula transeamus, quæ reddunt operanti *magnum & memorabile nomen*, quantus eorum *Megalo-Martyris* apparatus! Sunt miracula juxta Augustinum *lingua DEI*, per quæ enuntiat, quid sibi probetur, conformiter illi oraculo: *quicunque glorificaverit me, glorificabo eum*. Quale miraculum superstitis fuit Georgij, quòd inter innumera supplicia illæsus semper

Miracula S. Georgii gloriosè exposita.

S. Augustini tract. 1. in Ioan.

1. Reg. 2. v. 30.

per-

permanserit, & non nisi gladio impacto spiritum DEO reddiderit? quòd plurimos ægros signo crucis reddiderit sanitati? quòd Alexandram defunctam Reginam suscitârit, & rursus alium mortuum revocarit ad vitam? quòd Glycerum hominem Ethnicum, miraculo circa ejus bovem patrato, converterit ad Christum, ac ad subeundum pro Deo martyrium persuaserit? Ero auribus vestris gratus, si referam ex Cantacuzeno pulcherrimam historiam. [Martyr *Georgius*, inquit, tormentis & quæstionibus excruciatus est ab impijs & idololatris, ut Christum abnegaret, & illorum Deos coleret adoraretque. „Hic verò maluit infinitas mortes, & „infinita tormenta pro nomine Christi sustinere, quàm fidem suam in „Christum abijcere. Multis igitur tormentis & supplicijs excruciatus Martyr, dicit Tyranno: *Euntes videamus Deos vestros.* Hic verò hoc audito „valdè gavisus est, existimans, eum „Dijs suis esse sacrificaturum. Omnibus verò simul profectis, & Tyranno quoque cum turbâ suâ hunc comitante, Martyr *Georgius* ad aram „accessit, & dixit voce magna: *In nomine Christi, ô Idola muta, veritatem „dicite: Quisnam Deus verus est?* Et „repentè idola, loquendi facultate donata, dixerunt: *Christus Filius Dei, „& huius Pater Deus.* Rursus adjecit „Martyr: *In nomine Christi, terræ illisa „conteramini.* Et ipso effectu verbum „hoc comitante omnia idola in terram „conciderunt, & confracta sunt. Hominum verò turba, hoc miraculo viso, magnâ & clarâ voce exclamârunt: „*Magna est fides Christianorum, & magnus est Deus GEORGII.*] Quid ergo mirum, si etiam *Georgij* sit *magnum & memorabile nomen.* Series miraculorum, sive in vitâ sive post mortem à S. Georgio editorum, omnem superat inductionis auxesin, & inducit omnem auxeseos admirationem: nam secundùm cruciatuū viventi hîc illatorum multitudinem exornatus est à Deo & multis, & omnino luculentis miraculis, quibus ab Oriente refulget in Occidentem, & inde per universam Ecclesiam gloriosas suorum miraculorum diffundit influentias. Quoties disparuerunt mortis & morborum pericula, apparente S. Georgio? quoties in turpissimam dilapsi sunt fugam, stragem, confusionem, cædem hostes Ecclesiæ, Mahumetani, Saraceni, Turcæ, Tartari, cæterique barbari, in terribiles acies profusi contra infirmos Christianorum exercitus; quando solus S. Georgius in auxiliū è cælo vocatus, super equum candidum cælestis Eques visibiliter nostra tutatus est castra, præivit aciem, extendit gladium, immisit terrorem, exanimavit potentiam, dejecit superbiam, contrivit tyrannidem, victoriam reportavit? Ad Ioannem Zemiscam pientissimum Græcorum Imperatorem, ad Fridericum III, ad S. Henricum, Augustissimos Cæsares, aliosque innumeros præstantissimos Ecclesiæ Principes & Heroës vos remitto, ut annunrient magnalia & mirabilia, quæ Deus in ipsorum castris contra juratissimos Ecclesiæ hostes est operatus per assistentiam S. GEORGII: *qui fuit magnus secundum nomen suum, maximus in salutem Electorum Dei, expugnare insurgentes hostes*, traductâ ab invictissimo Iosue ad nostrum Megalo Martyrem panegyri. Verè miracula sunt *lingua Dei*, quæ gloriam Sanctorum in Ecclesia Triumphante ac Militante enarrant, palámque reddunt virtutis & sanctitatis energiam. Eccli 46. v. 1.

157² Ex quo non miror ampliùs, si percipiam, à Fidelibus nomen sancti Georgij tam frequenter suscipi, & imponi in sacro Baptismatis fonte. Esse id genus honoris ac devotionis haudquaquam leve, monstrat primorum Christianorum praxis, quos ex affectu in SS. Apostolos, & in eorum honorem, nomina eorundem liberis suis indere solitos, testatur Theodoretus. Et idem de Antiochenis Sanctum Meletium frequentissimè celebrantibus, notat in ejus encomio S. Chrysostomus. Pari ratione, plerique Fideles, *magnum & memorabile nomen GEORGII*, in ejus venerationem libe-

Quàm multi S. Georgij nomine insigniantur eximii.

Theodoret. l. 8. contra Græcas.

tis suis imponere gestierunt. Quidam ex Ordine S. Augustini Discalceatorum eximius Concionator Anno 1676. in atrio ædium Frisingensium Viennæ, panegyrin benè exculcam de S. *Georgio*, militæ *Soli danti*, hoc est, *SOLDAT* comparato, plausibiliter dixit & typis impressit; in qua circa finem exaggerat, compertum esse per accuratas inquisitiones, in solis Provincijs Serenissimæ Archiducali Domui Austriacæ subjectis tantam inveniri virorum S. Georgij nomen portantium frequentiam, ut Augustissimus & Invictissimus noster Imperator Leopoldus, non difficili negotio, posset instruere exercitum armatum quater centenorum millium militum, bene robustorum, *Georgiorum*. Quid de nostra Catholicissima Bavaria dicam, ubi tot sunt erectæ ædes sacræ, altaria, statuæ & memoriæ S. Georgij? Videantur catalogi militarium copiarum, lustrentur tabulæ consodalium in varijs devotis Confraternitatibus, inspiciantur indices civium & tribuum mechanicorum; potissimi plerumque ibi oculis obversabuntur *Domini*, *vel Magistri Georgij*. Sed & fuêre ejus nominis, auspice beato Martyre, plerique insignes, sive sanctitate, sive doctrinâ & rerum gerendarum peritiâ, sive gloriâ bellicâ, in omni Ecclesia, Conditione, Statu, Religione *Georgiani*. Inter solos trecentos octodecim Patres Nicææ ad primam Synodum studio Constantini Magni Congregatos, quos S. Ambrosius cum vernaculis Abrahæ eundem numerum conficientibus componit, recensentur cum elogio plures Patres & Episcopi, S. Georgij nomine insignes. Ex quo colligo, jam tunc temporis in Ecclesiâ antiquissimâ floruisse S. Georgij *magnum & memorabile nomen*. Futurus essem plùs æquo prolixus, si vel sanctitate vel doctrinâ inclytos Georgios dilucidarem. Vnicam tamen, ne etiam mulieres in stadio Christiano sint bravij expertes, inter tot tantosq; *Georgios* producit puellam S. Gregorius Turonensis, nomine *Georgiam*: quæ ut Deo liberiùs vacaret, ruri commorata est, iejunijs & orationibus assiduè insistens. Cùm autem post excessum è vitâ Aruernam ad sepulturam deferretur, ad feretri levationem grex magnus columbarum super Virginis corpus advolavit, nec eam deseruit; sed consedit super ædis sacræ tectum, donec perficeretur tumulationis sacræ officium. Eo absoluto, ad cælos evolaverunt columbæ. Vnde non immeritò *Georgia* nuncupata est, quæ sic exercuit mentem spirituali culturâ, ut adepto virginitatis sexagesimi fructûs proventu, egrediens de sæculo cælestibus honoraretur exequijs. Significat autem Gregorius, sanctos Angelos specie columbarum funus ejus cohonestâsse. Et potuerunt etiam columbæ symbolum esse virgineæ puritatis, quâ hæc sancta Puella enituit. Optarem, ut hujus S. *Georgiæ* nomen æquè frequenter imponeretur puellis, ac S. Georgij viris; ut adeò turbæ maximæ ex utroque sexu collectæ, sanctus noster Megalo-Martyr ad cælum dux & coryphæus *præiret*, aut certè *præequitaret*.

Vide Theoph. Raynaudum in S. Georgio Cappadoce.

S. Greg. Turonensis de gloria Confess.

Aldrovandus in Oratib.

Nec sint vel ordine vel authoritate postremi homines, quibus Georgij nomen est inditum, rerum gerendarum peritiâ clarissimi, & gloriâ bellicâ celeberrimi. Quantus non erat *Georgius ab Ambasia*, Petri Ambasiani, Regum Caroli VII. & Ludovici XI. in Gallia Cubicularij filius, octo Fratrum Infulatorum minimus, acri judicio & prudentiâ incomparabilis, primùm promotus in Episcopum Montalbanensem, in Cardinalem denique ab Alexandro VI. accitus, moxque Legatus à Latere per universam Galliam constitutus: ubi summâ populorum benevolentiâ, publica propè omnia Galliæ negotia, per triginta annos, magnâ prudentiæ & dexteritatis laude administravit; Regibus semper in eum ita propensis, ut quibuscunque aliud, quàm *Georgio* visum esset, suggerentibus, solenne esset accinere illud: *sinite, faciat Georgius*. Qualis & quantus non erat in Hungariâ *Georgius Vtissenovix*, vulgò, *Cardinalis Monachus*, qui omnibus præ potentiâ apud Pontifices & Monarchas, & tantâ ingenij in rebus 158.

158. Georgij nomen Principibus & Heroibus magnanimis impositum.

rebus agendis sagacitate formidatus, in Bintio Castello, mandante Joanne Castaldo Cassani Marchione, Ferdinandi Archistratego, septuagenario major, inter persolvendum matutinum Divini Officij pensum, proditoriè est occisus Anno 1551? Quantus *Georgius Castriotus*, cognomento *Scanderbech* (quæ vox *Alexandrum Dominum* sonat) qui Anno 1467. Lyssi ad Dryllum amnem, sexagenario major, prudentiæ & fortitudinis laude, orbe universo clarissimus, decessit; cujus demortui ossa Turcæ, quibus in vitâ terrori, pavori & formidini fuit, captâ postea urbe Lysso, pro reliquijs diripuerunt, thecis aureis & argenteis ad omen victoriæ includentes? Quantus *Georgius de Herberstein* III. qui Anno 1461. Cæsari Friderico contra Albertum Fratrem suppetias tulit, Cives Viennenses eidem infensos compescuit, Turcas ex Styria, Cillio & Carniolâ gloriosus ejecit? Quantus Georgius Fronspergius, Cæsarum Caroli V. & Maximiliani I. invictissimus belli Dux generalis; qui de viginti gravissimis conflictibus victor evasit? Innumeros alios *Georgios*, sanctitate, doctrinâ, rerum gerendarum peritiâ, & gloriâ bellicâ clarissimos dum reverentiali silentio dissimulo; duo saltem occurrunt ex Serenissimâ Palatinorum Rheni ac Ducum Bavariæ Domo celeberrimi Georgij, qui agmen claudant: alter Spirensis Episcopus Anno 1513. creatus, rebelles subditos non tantùm admirabili clementiâ ac bonitate ad officium redegit, sed etiam dulci tranquillitate ac suavi ædificatione administravit; alter cognomento *divesGeorgius*, inter Bavaros immortalem memoriam reliquit in fortissimo & hactenus invictissimo Ingolstadiensi præsidio, quod ipse primus muris ampliatis, & turribus circumpositis munivit, fossis & aggeribus circumvallavit. *Magnum & memorabile nomen* S. GEORGII, quod ex suâ pronuntiatione generosum aliquid atque egregium, eximium & præcellens videtur importare. Quotquot hoc nomine estis insigniti, cavete, ne illud per antiphrasin impositum geratis, & ne *conveniant rebus nomina rarò suis*. Certè S. Hieronymus de pulchris nominibus agens cum Bonaso, id annotat. *An tibi*, inquit, *bellus videris, quòd fausto vocaris nomine? Quasi non & Lucus ideò dicatur, quòd minimè luceat; & PARCÆ, quòd nequaquam parcant; & EUMENIDES furiæ, quòd non sint benignæ; & vulgò Æthiopes vocentur argentei.* Ridet S. Chrysostomus inania in plerisque grandia nomina; & negat, eos idcirco esse, quod vocantur: *Quemadmodum & ego*, inquit, *non sum Ioannes, sed vocor Ioannes.* Quia nimirum *Ioannes* idem sonat, quod *Dei gratiam*; à quâ ille se præ humilitate longè constitutum significare voluit; quamvis reverâ, quod Proclus rectè dixit, *magni nominis mensuram impleverit.* Sic ergo timeo, ne multi vocentur Georgij, qui tamen non sint Georgij; quippe nullatenus agrum mentis suæ, generositate & virtutibus excolunt, nec spiritualis exercitij disciplinis, aut piæ animositatis vomere proscindunt, sed illud sibi appropriatum produnt ex Proverbiaste. *Per agrum hominis pigri transivi, & per vineam viri stulti: & ecce totum repleverunt urticæ, & operuerunt superficiem ejus spinæ, & maceria lapidum destructa erat.*

S. Hieron. Ep. ad Bonasum.

S. Chrysostom. hom. 52. in Act.

Proclus in Chrysost. laudatione.

Proverb. 24. v. 30.

159. Georgiani ordines & confraternitates florentissimæ


Poterant ex tanti Nominis splendore utique illustrari sublimissimæ mentes Principum, ut insignes erigerent Ordines ac Confraternitates sub titulo ac patrocinio sancti GEORGII Megalo-Martyris: quorum omnium fuit antiquissimus *Constantinianus*, quem ferunt à Constantino Magno institutum; cujus tessera fuit torquis aureus, è quo *S. Georgij* equestris solida effigies pendebat. Claruit Ordo Equitum *S. Georgij de Alfarxa*, Anno 1201. sub Petro II. Aragoniæ Rege, apud Alfaniam arcem, in littore maris Balearici, in Principatu Calatravæ. Claruit *S. Georgij* apud Genuenses Equitum Ordo, quo insigniuntur honorarij illius Reipublicæ cives bene meriti; & adhuc in prædicta Republica floret: cujus Equites tesserâ, quæ est *crux plana rubei coloris*, condeco-

Ascanius Tamburinus de iure Abbatum, to. 2. disp. 14. q. 5.

corantur. Paulus III. alium Ordinem *S. Georgij* erexit, cujus Equites, cruce aureâ & coronâ in circulo aureo insignitos, ad littora Adriatici Sinûs custodienda destinavit. Institutio clarissimi Ordinis militaris à prænobili subligaculo seu *Periscelide* nuncupati, ab Eduardo III. Anglorum Rege prodiens, *sanctum Georgium* venerabatur unicè Patronum. In Austria Fridericus Imperator III. Ordinem Equitum Austriacorum instituit sub *sancti Georgij* nuncupatione Anno Christi 1470. tanquam opportunum remedium, ad fines Christianorum adversùs Turcicum impetum firmandos. Novissimus Ordo militaris institutus ab Alexandro VI. & Maximiliano Imperatore, sub titulo *sancti Georgij*, ad debellandum contra rabiem Turcarum, eximios fecit progressus. Nec inter horum aliorúmque religiosorum, aut militarium Ordinum terminos tanti Nominis coërcetur gloria, quin etiam in varijs Confraternitatibus passim per urbes & oppida erectis, sed vel maximè per Principum Catholicorum aulas florentibus, inclarescat *magnum & memorabile nomen sancti Georgij* Megalo-Martyris, generalissimi Ecclesiæ Patroni, à quo omnes piè confœderati sub ejus tutelâ & protectione volunt audiri *Georgiani*. Capit incrementa pietatis Confraternitas aulica *S. Georgii* Martyris in nostra Episcopali Residentiaj Frisingensi, Anno 1605. à Reverendissimo & Serenissimo Ernesto Utriusque Bavariæ Duce, &c. Electore Coloniensi & Episcopo Frisingensi, &c. erecta: cui & Reverendissimi Domini Canonici Cathedrales, & ipsimet hactenus feliciissimè regentes Episcopi, cum omni venerabili Clero, Nobilitate, & maximâ plebis parte inseri atque adscribi gaudebant; ut sicut tanti nominis splendorem participando sibi videntur religiosè inclarescere, ita & sub tanti Patroni cælesti protectione contra omnes inimicorum insultus possint validi securique subsistere.

Guitguit, Secundùm nomen tuum, ô Georgi, sic & laus tua in fines terræ. Ita dixerunt, qui te non oderunt, sed amore & honore sunt tenerè prosecuti. *Ego sum vitis vera, & Pater meus Agricola est.* Solent Ampelides aviculæ (vulgo die Weingartvögelein) inter vites ac uvas maturas morari, & decidentes botros colligere, vel pro se, vel pro suis pullis nidulantibus; qui etiam, antequam avolent, ad gulæ delicias pinguescunt: unde facilè ab Agricolis capiuntur *Ampelides.* Secundùm gloriosissimum nomen tuum, ô sanctissime atque invictissime Christi Athleta *Georgi, Agricola* es; & vinea excultissima tibi custodienda ac protegenda est Ecclesia: nos autem tuo Nomini devotissimi simus Ampelides, tuis vitibus & fructibus adspirantes. Ergo cape nos, & accipe in tuos: sub tuo clypeo protege nos; in tuâ pharetrâ abscʼonde nos; ab hostium insidijs eripe nos; à corvorum infernalium unguibus libera nos; & inter tuos dilectissimos clientes suscipe nos! Amen.

Gesnerus l. 1 fol. 41.



IN



IN FESTO SS. APOSTOLORUM PHILIPPI ET JACOBI.

PLUVIALIS MACULOSA.

Der gesprangte Pulvier.

LEMMA.

Nihil omni ex parte beatum.

THEMA.

Non turbetur cor vestrum. Joan. 14. v. 1.

SYNOPSIS CONCIONIS LXXVI.

Cùm ex necessariâ inæqualium casuum emergentiâ mira resultet & Mundo Harmonia, & humano generi jucunditas; hinc eò semper collimandus est animus, ut in quocunque adversitatis impetu tranquillus & imperturbatus servetur.

160. Tranquillitas animi in adversis servanda.



Umanum cor fons est vitæ, *primum vivens*, *& ultimum moriens*, ex quo vita derivatur: & hunc fontem talem vult esse Christus, qualis visebatur olim Romæ; prout Cassiodorus scribit. *Currit Aqua virgo sub delectatione purissima; quæ ideò sic appellata creditur, quod nullis sordibus polluatur: nam cùm alia pluviarum nimietate, terrenâ commixtione violentur, hæc aërem perpetuò serenum purissimè labens unda mentitur.* Cùm sciret David in corde collocatum vitæ fontem, postulabat, ut huic redderetur similis, cùm dicebat: *Fiat cor meum immaculatum in tuis justificationibus, ut non confundar.* Virgineum appetit cor; sicut & in alio psalmo petit: *Cor mundum crea in me Deus.* Cor scilicet mundum & immaculatum instar virginalis fontis, ut nullis polluatur sordibus; inter procellas adversitatum, & laborum tempestates minimè violetur; semper serenum purissimè labens, nihil terrenum sentiat; referat cælestem aërem & auram Spiritûs sancti, sicque currat & vivat sub delectatione purissimè. Tale cor magno contigit Tobiæ, cùm lumen oculorum amisit: in hoc enim maximo infortunio quam serenus ac tranquillus manserit, Scriptura loquitur. *Nam cùm ab infantiâ suâ semper Deum timuerit, & mandata eius custodierit, non est contristatus contra Deum, quod plaga cæcitatis evenerit ei; sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ.* Sciebat Salvator, quantæ tribulationes, afflictiones, & procellæ miseriarum essent superventuræ hodiernis cæli & Ecclesiæ Principibus JACOBO & PHILIPPO; hinc eos jubet tranquillo esse animo: *NON TURBETUR COR VESTRUM*, neque formidet, nec cedat malis, sed constanter procedat contra adversantium insultus: si non *Iovialem* foveat animum, *Pluvialem* saltem induat imitationem. Nempe *Pluvialis* avis est, à naturâ sic condita, ut versùs *pluvias* & ventos suum dirigat volatum, tantoque canat læ-

Cassiodorus l. 7. Variar.

Psal. 118. v. 80.

Psal. 50. v. 12.

Tob. 2. v. 13.


Ascanius Tamburinus de iure Abbatum, to. 2. disp. 14. q. 5.

corantur. Paulus III. alium Ordinem *S. Georgij* erexit, cujus Equites, cruce aurea & coronâ in circulo aureo insignitos, ad littora Adriatici Sinûs custodienda destinavit. Institutio clarissimi Ordinis militaris à praenobili subligaculo seu *Periscelide* nuncupati, ab Eduardo III. Anglorum Rege prodiens, *sanctum Georgium* venerabatur unicè Patronum. In Austria Fridericus Imperator III. Ordinem Equitum Austriacorum instituit sub *sancti Georgij* nuncupatione Anno Christi 1470. tanquam opportunum remedium, ad fines Christianorum adversùs Turcicum impetum firmandos. Novissimus Ordo militaris institutus ab Alexandro VI. & Maximiliano Imperatore, sub titulo *sancti Georgij*, ad debellandum contra rabiem Turcarum, eximios fecit progressus. Nec inter horum aliorùmque religiosorum, aut militarium Ordinum terminos tanti Nominis coërcetur gloria, quin etiam in varijs Confraternitatibus passim per urbes & oppida erectis, sed vel maximè per Principum Catholicorum aulas florentibus, inclarescat *magnum & memorabile nomen sancti Georgij* Megalo-Martyris, generalissimi Ecclesiae Patroni, à quo omnes piè confoederati sub ejus tutelâ & protectione volunt audiri *Georgiani*. Capit incrementa pietatis Confraternitas aulica *S. Georgii* Martyris in nostra Episcopali Residentia Frisingensi, Anno 1605. à Reverendissimo & Serenissimo Ernesto Utriusque Bavariae Duce, &c. Electore Coloniensi & Episcopo Frisingensi, &c. erecta: cui & Reverendissimi Domini Canonici Cathedrales, & ipsimet hactenus felicissimè regentes Episcopi, cum omni venerabili Clero, Nobilitate, & maximâ plebis parte inseri atque adscribi gaudebant; ut sicut tanti nominis splendorem participando sibi videntur religiosè inclarescere, ita & sub tanti Patroni caelesti protectione contra omnes inimicorum insultus possint validi securique subsistere.

Guitguit, *Secundùm nomen tuum*, *ô Georgi*, *sic & laus tua in fines terrae.* Ita dixerunt, qui te non oderunt, sed amore & honore sunt tenerè prosecuti. *Ego sum vitis vera, & Pater meus Agricola est.* Solent Ampelides aviculae (vulgo die Weingartvögelein) inter vites ac uvas maturas morari, & decidentes botros colligere, vel pro se, vel pro suis pullis nidulantibus; qui etiam, antequam avolent, ad gulae delicias pinguescunt: unde facilè ab Agricolis capiuntur *Ampelides*. Secundùm gloriosissimum nomen tuum, ô sanctissime atque invictissime Christi Athleta *Georgi*, *Agricola* es; & vinea excultissima tibi custodienda ac protegenda est Ecclesia: nos autem tuo Nomini devotissimi simus Ampelides, tuis vitibus & fructibus adspirantes. Ergo cape nos, & accipe in tuos: sub tuo clypeo protege nos; in tuâ pharetrâ absconde nos; ab hostium insidijs eripe nos; à corvorum infernalium unguibus libera nos; & inter tuos dilectissimos clientes suscipe nos!

Gesoerus l. 1 fol. 41.

Amen.



IN

IN FESTO SS. APOSTOLORUM PHILIPPI ET JACOBI.

PLUVIALIS MACULOSA.

Der gesprangte Pulvier.

LEMMA.

Nihil omni ex parte beatum.

THEMA.

Non turbetur cor vestrum. Joan. 14. v. 1.

SYNOPSIS CONCIONIS LXXVI.

Cùm ex necessariâ inæqualium casuum emergentiâ mira resultet & Mundo Harmonia, & humano generi jucunditas; hinc eò semper collimandus est animus, ut in quocunque adversitatis impetu tranquillus & imperturbatus servetur.

360. Tranquillitas animi in adversis servanda.



Humanum cor fons est vitæ, *primum vivens, & ultimum moriens*, ex quo vita derivatur: & hunc fontem talem vult esse Christus, qualis visebatur olim Romæ; prout Cassiodorus scribit. (Cassiodorus l. 7. Variar.) *Currit Aqua virgo sub delectatione purissima; quæ ideò sic appellata creditur, quod nullis sordibus polluatur: nam cùm aliæ pluviarum nimietate, terrenâ commixtione violentur, hæc aërem perpetuò serenum purissimè labens unda mentitur.* Cùm sciret David in corde collocatum vitæ fontem, postulabat, ut huic redderetur similis, cùm dicebat: (Psal. 118. v. 80.) *Fiat cor meum immaculatum in tuis justificationibus, ut non confundar.* Virgineum appetit cor; sicut & in alio psalmo petit: (Psal. 50. v. 12.) *Cor mundum crea in me Deus.* Cor scilicet mundum & immaculatum instar virginalis fontis, ut nullis polluatur sordibus; inter procellas adversitatum, & laborum tempestates minimè violetur; semper serenum purissimè labens, nihil terrenum sentiat; referat cælestem aërem & auram Spiritûs sancti, sicque currat & vivat sub delectatione purissimè. Tale cor magno contigit Tobiæ, cùm lumen oculorum amisit: in hoc enim maximo infortunio quàm serenus ac tranquillus manserit, Scriptura loquitur. *Nam cùm ab infantiâ suâ semper Deum timuerit, & mandata ejus custodierit, non est contristatus contra Deum, quod plaga cæcitatis evenerit ei; sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ.* (Tob. 2. v. 13.) Sciebat Salvator, quantæ tribulationes, afflictiones, & procellæ miseriarum essent superventuræ hodiernis cæli & Ecclesiæ Principibus Jacobo & Philippo; hinc eos jubet tranquillo esse animo: *NON TURBETUR COR VESTRUM*, neque formidet, nec cedat malis, sed constanter procedat contra adversantium insultus: si non *Jovialem* foveat animum, *Pluvialem* saltem induat imitationem. Nempe *Pluvialis* avis est, à naturâ sic condita, ut versùs *pluvias* & ventos suum dirigat volatum, tantoque canat læ-

lætior, quantò impetuosior ei tempestas, aut aëris commotio observata fuerit. *Pluviali* inæqualia sunt omnia : inæquales pennæ; nam aliæ minoribus sunt majores : inæquales colores; nam subvulvis maculis sunt conspersi, ut propterea à Græcis dicatur *Pardalus* : inæquales pedum digiti; nam trinos duntaxat intendit ad ambulandum, cùm reliquæ aves quaternis gaudeant : inæqualis cantus; nam subinde fistulat ut homo, mox canit ut alauda : denique sicut intestinum unicum ventri rectà immersum habet, à Medicis *intestinum jejunum* nuncupatum; ita à sola aëris inæqualitate dicitur vivere, atque pinguescere. Itaque *non turbetur cor vestrum* ob varias contingentium inæqualitates; quia *NIHIL OMNI EX PARTE BEATUM*, nec decorum, nec sonorum, nec volupe, nec securum, nec denique serenum : *sunt* ubique *bona mixta malis*, *& mala mixta bonis*; contra quæ oportet eniti hominem viatorem, & cum proventu meritorum in gaudio pinguescere. *Non turbetur cor vestrum* ob emergentes inæqualitates; hæ enim tam necessariæ sunt in orbe terrarum, ut nulla possit major humano generi contingere perversitas & status mundi subversio, quàm sublatione inæqualitatum : prout sequenti discursu hodierni SS. Apostoli vestræ Expectationi lucu lentiùs declarabunt.

Gesnerus in Pluviali.

165. Cor hominis omni afflictione debet esse superius.

Ita est; *non turbetur cor vestrum*, sed suam retineat vel reparet serenitatem, si quid sinistrum vel inæquale obtingat : quia sicut *non est oblectamentum supra cordis gaudium*, ita nec dolor super cordis tristitiam & perturbationem. Turbari quis solet ad aspectum majoris, ancilla coram domina, famulus coram hero, coram principe vasallus : ad aspectum manûs in pariete mortis sententiam exarantis, turbatus est Balthasar, & meritò. *Excelso excelsior est alius, cujus majestas perturbat sublimes* : excelsus erat Herodes, & major natus infans turbavit Regem : *Turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo.* At verò cor hominis omni labore superius,

Eccles. 5. v. 7.

Matth. 2 v 3.

omni inæqualitate æquanimius turbari non debet, cùm laborandi aut patiendi occasio se dederit. Contra tempestates cum Pluviali volandum, & in medio turbine jucunditer canendum. Cùm Paulus seipsum & Apostolos cum laboribus, qui sunt & esse queunt, composuisset, mensuràmque cœpisset, experientiâ edoctus invenit se ac suos commilitones cunctis laboribus superiores, testando de seipsis : *in his omnibus superamus.* Superamus, facti majores omni penuriâ, contumeliâ, vinculis, tormentis, morte. Non decet, ut domina erubescat coram ancilla, aut herus coram servo, aut princeps coram vasallo. Non decet, ut turbentur Domini ac terræ Principes, quibus subditorum labores deserviunt ad præmium. Erubescant calamitas, ærumna, penuria, afflictio, dolor, tormenta, mors ipsa, quæ Apostolis famulantur; ostendant se esse inferiora ijs, qui superiores & majores sunt gratiâ. Magnus ille focus, quem in altitudinem accendere & ascendere jusserat Rex Nabuchodonosor, ut tres juvenes Hebræos exardescens devoraret flamma; tantus quantus ignis erat, turbatus est, & oblitus sui ministerij nihil profecit. Magnum mare, & spatiosum manibus; sed erubuit, & Martyres minimè submergere noverat; reverebatur eos, quos noverat majores se esse. Immania tormenta Tyrannorum; sed turbata sunt sæpiùs, nec poterant vim suam in invictissimos Christi Athletas exerere; quia sentiebant eos se longè superiores. Multis laboribus *Philippus* sublimior extitit, plurimis major etiam extitit *Jacobus*, in omnibus imperterriti; quin potiùs in eorum præsentiâ & tortores, & tormenta deterrerentur. Terribiles sunt leones, & nihilominus non terrebant illi Danielem, sed potiùs eos Daniel turbabat, timidos pavidósque reddebat. Impetuosi sunt ventorum ac turbinum illapsus, sed in ijs jucundatur ac hilariter canit Pluvialis. *Non turbetur cor vestrum*, *neque formidet* : si omnia inseliciter & adverse a-

Rom. 8. v. 37.

gan-

agantur, si tonent superi, si fremant inferi, si gens contra gentem surgat, si catenato ordine ærumnæ & miseriæ ingruant: ob hujusmodi *non formidet cor vestrum*; neque enim, si cælum ruat, *impavidum ferient ruinæ*; neque statim finis post afflictiones, quibus ordinariè succedunt consolationes.

162. Mundus totus ex dissimilibus constat, in quo vivimus.

Non turbetur cor vestrum, neque formidet, si res tuæ adversis subinde agantur motibus, & inter animorum atque affectuum dissonantias & motuum discordias humanæ conversationis alternent solatia. Pulchrum enim & jucundum est studium, ex inæqualibus lineis ordinatam symetriam conficere; ex inæqualibus personis ingeniosam comædiam exhibere; ex inæqualibus passibus iter proficuum conficere. Nondum sumus cælestis patriæ Incolæ, ubi longitudo & latitudo & profunditas civitatis illius æqualia sunt; ideóque *nihil omni ex parte beatum*. Pulcherrima hujus mundi harmonia ex adversis, diversis, dissimilibus & inæqualibus consurgit partibus. Enimverò ubi unquam symphonia ex altis & profundis, mediisque vocibus tam aptè contemporata fuit fidium omnium sonis, in maximâ licèt varietate, maximam tamen proportionum, quibus omnis harmonia unicè constat, unionem conservantibus; ut ejusmodi voluptatem redderet, quæ vel eminus comparari possit cum illâ, quæ in multorum hominum congregatione consurgit, proprijs quidem affectionibus, virtutibus, scientijs, artibus, intentionibus inter se differentium; communibus tamen studijs in unum quid combinatis ac compaginatis, non aliter conspirantium, quàm pulcherrimus hujus universi Ordo ex diversissimarum naturarum varietate coalescit. *Tota enim hujus mundi concordia ex discordantibus constat*, ait Stoicus. Et Romanus Orator inclytos illos sculptoriæ & fusoriæ artis magistros, Mironem, Polycletum, Lyssippum, Phidiam, atque sexcentos alios ubi ad

Seneca nat. quæst. l. 7. c. 27.

conspectum producit, ait: *omnes inter se dissimiles; sed ita tamen, ut neminem sui velis esse dissimilem.* Id ipsum videre erit in ejusmodi selectissimorum hominum conventu; diversæ animorum propensiones, nec ingenia unius modi; sed singuli ex se undique tam elaborati, ut pessimè consuleret, qui quò similiores inter se faceret, omnes cuperet ad unius normam effectos. Expressit hoc gratiosè in antiquis Philosophis Maximus Tyrius, cùm de ijs elegantem sermonem pertexeret. [Poterátne fingi, inquit, aut magis esse „diversus fortunæ tenor, vitæ stylus, „morum ratio, sapientiæ institutio; „quàm in Heraclito, Democrito, Py„thagora, Socrate, Patone illo divi„no, Aristotele, Chrysippo, Aristip„po, Diogene, Xenophonte, cæteris„que eorum similibus licuit depre„hendere? Intueri in ipsorum vitas, „ex libris suis eos loquentes audire, „aliud non est, quàm gravissimæ lau„datissimæque comædiæ assidere, va„rijs quidem personis distinctæ, sed „omnibus in repræsentandâ suâ par„te tam excellentibus, ut non majo„ri oblectationi fuerit, audire Regem „aliquem Agamemnonem, quàm ca„prarium aut bubulcum; armatum „quempiam Achillem, quàm man„suetum Telephum, pastoritio habitu „incedentem.] Quibus dictis exclamat: *O beatos histriones! ô beatos auditionum earum spectatores!* Quis ergò non placitè hujusmodi inæqualitates in se, vel in alijs experiatur, quando *tota hujus mundi concordia ex discordantibus constat?* Inter tot dissimilitudines molum, & affectuum inæqualitates, jucundissimum est, sui non esse dissimilem, nec sibi ipsi inæqualem.

Cicero l. 3. de orat.

Maximus Tyrius serm. 7.

Prosequor hoc argumentum, & vel ex alijs capitibus inæqualitatem contingentium mundo ac humano generi necessariam adstruo. Ex Divo Chrysostomo diffusè ac perpulchrè hoc thema pertractante, unius duntaxat urbis consideratio posset sufficere, in qua omnes planè æquali gradu ac sorte viverent. Tum 163.

163. Inæqualitas mundo & hominibus est necessaria.

S. Chrysostom. hom. 3. in 1. Corinth.

enim planè necesse foret, exulare inde quosvis opifices, & domesticos famulos & agricolas; vel certè quosvis hujuscemodi operosioribus muneribus destinari. Vtrinque autem ingentia omninò exorirentur incomoda. Quid enim infelicius, quàm omnibus propè commoditatibus, vitæ destitui, operariorum defectu? vel quid ærumnosius, quàm operariorum functiones quemque per se ipsum præstare cogi? Itaque perspicue non solùm utilis, sed etiam necessaria est inæqualitas in genere humano. Dicite mihi; an esset tam venusta hujusce mundi harmonia sine contrarijs motibus, quibus cælestes moventur inæqualiter sphæræ? an tempora tam gratiosa & salubria, si æqualibus brumis rigescerent? an stellæ tam speciosæ, si æquali lumine rutilarent? an picturæ tam formosæ, si æquali colore promicarent? an homines tam gratiosi, si æquali habitu corporis & membrorum incederent? an opificia tam accurata, si æqualibus inventionibus subsisterent? an pecora tam fœtosa, si æquali macie squallerent? an cathedræ tam ingeniosæ, si æquales sententias docerent? an urbes tam magnificæ, si æqualibus ædibus consurgerent? Vbique passim ex inæqualitate vel pulchritudo resultat, vel necessitas concluditur, vel inevitabilitas infertur. Et vos, qui inter inæquales motus, affectus ac casus versamini, ut quid esse vultis à communi hominum sorte alieni? *Non turbetur cor vestrum. Nihil* æqualiter inter homines & usquequaque perfectum, neque *omni ex parte beatum est.* In humanis actionibus & qualitatibus nunquam non aliquid desideratur, quod vel absit omnino, vel exteris perfectionis numeris non respondeat. Non eo ipso cælum ruit, si aliquid obsit vel desit. Cato, vir alioquin laudatissimus, Vticensibus displicebat, quòd buccam subinde inflaret, & utrâque maxillâ simul cibum manderet. Arguebatur Pompeius, quòd digito caput scalperet. Tiberius à Cæsare Augusto monebatur, ut ore, non digitis loqueretur, quibus inter dicendum dimi-cabat puerorum more. Carpebant Hortensium Romani, quòd delicatiùs vestiretur; Alcibiadem Athenienses, quòd collo obtorto, & linguâ blæsa uteretur; Lycurgum Lacedemonij, quòd cervicem inflecteret; Paniculum Thebani, quòd exspueret sæpiùs; Periclem Græci, quòd cepæ simile caput gestaret. Ita ubique

Si nisi non esset, perfectus quilibet esset:
Sed pauci visi, qui caruere nisi

Vides, quàm res humanæ ubique imparitate & inæqualitate agantur; ut nemo suis affectibus & apprehensionibus superioribus dignè turbetur ex contingentium turbatione.

Sed verò etiam alterâ ex parte, nisi subinde inæqualiter & adversè res nostræ sese haberent, num morum & virtutum, præsertim verò Religionis exercitium apud Christi Fideles ampliùs vigeret? num scholâ Christi tam gnaros aleret Athletas, tam perfectos numeraret Magistros? Rari & pauci sunt homines, qui mense Majò, cùm omnia vigent & florent, cum *Philippo* rogent, *ostende nobis Patrem & sufficit nobis.* Floreat lasciviens ætas, floreat inclytum nomen, floreat in administrando auctoritas, in agendo dexteritas; nemo *Philippus* est, nemo de Divino auxilio sollicitus, nemo de cælesti manifestatione curiosus: at verò ubi omnia vel plurima deficiunt, ubi ruunt & pereunt charissima ac rarissima quæque, ubi insurgunt persecutionum tempestates, infirmitatum paroxismi, infortuniorum impetus, & hujusmodi contingentium inæqualitates; tum primùm incipiunt mortales de DEO cogitare, ad Deum confugere & recurrere, cæleste auxilium implorare, & eum Moyse manus ad cælum extendere. Rectissimè dixit Cyrillus Alexandrinus: *Voluptas affulgens, præstigijs suis mentem fascinat.* Cùm omnia in mundo delicijs inundarent, opum abundantiâ & pacis pinguedine fruerentur, *Dominus* mirabili quadam curiositate *de cælo prospexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens, aut re-*

164 Virtutum profectus à Deo avertit, adversitas verò ad eum adducit.

S. Cyril. Alex. l. 1. c. de ador.

Psal. 13.

requirens Deum. Et quid invenit? quod objectum ejus oculos ferijt? *Omnes simul inutiles facti sunt*; quia *non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Hoc comprobatum est in Rege Antiocho, qui cùm prosperâ & floridâ uteretur fortunâ, nesciebat Deum: decidit in lectum æger & infirmus, turbato corde quærebat Deum, cùm omnia apud ipsum pessũ ibant; & non invênit, quia non noverat artem quærendi. Hanc noverat Rex Ezechias: quamvis enim florescente victoriâ, non ita fuisset ejus memor; vitâ tamen jam pereunte Deum quæsivit; *vertit se ad parietem & flevit*; reperit Deum, quia noverat artem quærendi. Cùm Ezechias floreret in regno, per totum vitæ decursum inter potestates & honorum sublimitates sedulus fuit cultor & investigator cælestis Numinis, nec *Voluptas affulgens præstigiis suis mentem fascinabat*; ideoque retinebat artem quærendi. Si quis etiam inter delicias, divitias & sæculi vanitates aliquando didicit cum *Philippo* dicere, *ostende nobis Patrem*, mentem scilicet ad Deum & ejus Providentiam elevando; is multò magis, cùm omnia deflorent & finistrè aguntur, noverit cum Ezechia in malâ adversâque fortunâ Deum quærere & investigare; noverit cum Philippo dicere: *& sufficit nobis.* Modò *Deus sit refugium nostrum & virtus; adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis, Non timebimus, NEC TURBABITUR COR NOSTRUM, dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris.* Adeoque vitium prosperitatis à Deo avertit, casus autem infelicitatis & inæqualium rerum contingentia nos ad Deum ducit: nobis Patrem ostendit, & omnem sufficientiam confert; ubi mundus & mundana omnia præstant insufficientiam.

36. Remedia moralia contra turbationem cordis. *Non turbetur cor vestrum*, propter fortunæ invidiam & perfidiam, singula singulis inæqualiter dispensantis: est enim *solatium miseris socios habere malorum*, & ab hac inæqualium eventuum occurrentiâ neminem esse indemnem. Pulcherrimè id inculcat sapientissimus Seneca ex Publio Mimo, qui, ut ait, *tragicis publicisq; vehementior ingeniis, quoties mimicas ineptias & verba ad summam caveam spectantia reliquit, inter multa alia, cothurno, non tantùm sipario fortiora, hoc ait,* Seneca l. de tranquill. animi. c. 11.

Cuivis potest accidere, quod cuiquam potest.

Hoc si quis in medullas demiserit, & omnia aliena mala, quorum ingens quotidie copia est, si aspexerit, tanquam illis liberum & ad se iter sit, multò antè se armabit, quàm petatur. Porro Seneca illustrissimè per inductionem procedit. „Quæ sunt divitiæ, „quas non egestas & fames & mendi„citas à tergo sequatur? Quæ digni„tas, cujus non prætextam, & augura„le, & lora patricia sordes comiten„tur, & exportatio, & notæ, & mil„le maculæ, & extrema contemptio? „Quod regnum est, cui non parata sit „ruina, & proculcatio, & dominus, „& carnifex? Nec magnis ista inter„vallis divisa, sed *horæ momentum in„terest inter solium & aliena genua.* Sci„to ergo, omnem conditionem versa„bilem esse; & quidquid in ullum in„currit, posse in te quoque incurrere. „Locuples es? nunquid ditior Pom„peio? cui cùm vetus cognatus, ho„spes novus, aperuisset Cæsaris do„mum, ut suam clauderet, defuit pa„nis & aqua. Cùm tot flumina possideret in suo orientia, & in suo cadentia, „mendicavit stillicidia. Fame ac siti „perijt in palatio cognati, dum illi hæ„res publicum funus esurienti locat. „Honoribus summis functus es? nun„quid aut tam magnis, aut tam inspe„ratis, aut tam universis, quàm Seia„nus? Quo die illum Senatus deduxerat, populus in frusta divisit. In „quem quidquid congeri poterat, Dij „hominésque contulerant; ex eo ni„hil superfuit, quod carnifex traheret. „Rex es? Non ad Crœsum te mittam, „qui rogum suum & ascendit jussus, & „extingui vidit, factus non regno tantùm, sed etiam morti suæ superstes. „Non ad Jugurtham, quem Populus

„Romanus intra annum, quàm timuerat, spectavit. Ptolomæum Africæ Regem, Armeniæ Mithridatem, „inter Cajanas custodias vidimus. Alter in exilium missus est, alter ut meliore fide mitteretur, optabat. *In tanta rerum sursum ac deorsum euntium versatione, si non quidquid fieri potest, pro futuro habes, das in te vires rebus adversis: quas infregit, quisquis prior vidit.*] Eximium hoc est inter tot inæqualium casuum impetus ad æquanimitatem remedium, quod toties urgent Antoninus & alij, monentes, cogitandum, nunc eadem accidere quæ priùs; ideóque non debere insolens videri, quod toties támque multis accidit. Præstantissimus est in commendandâ æquanimitate, & experientissimus Seneca; hinc etiam ex eodem præclarum suppetit subsidium pro anni tranquillitate in quocunque rerum eventu servandâ: is nempe Marciam honestissimam matronam, & gravibus afflictam ærumnis sic consolatur. [Vnde tanta nobis pertinacia in deploratione nostri, si id „non fit naturæ jussu? Quod nihil nobis mali antequam eveniat, proponimus, sed ut immunes ipsi, & alijs pacatius ingressi iter, alienis non admonemur casibus, illos esse communes. „Tot præter domum nostram ducuntur exequiæ; de morte non cogitamus. Tot acerba funera; nos togam „nostrorum infantium, nos militiam, „& paternæ hæreditatis successionem „animo agitamus. Tot divitum subita paupertas in oculos incidit; & nobis nunquam in mentem venit, nostras quoque opes æquè in lubrico „positas. Necesse est itaque magis corruamus, qui quasi ex inopinato ferimur. Quæ multò antè provisa sunt, „languidiùs incurrunt. Vis tu scire, te „ad omnes expositam ictus stare, & „alios quæ tela fixerunt, circa te vibrâsse? Velut murum aliquem, aut „obsessum multo hoste locum, & arduum ascensu, inermis adeas; expecta vulnus, & illa supernè volantia „cum sagittis pilisque saxa, puta in tuum vibrata caput. Quoties aut ad „latus, aut post tergum ceciderint, „exclama: *Non decipies me fortuna, „nec securam aut negligentem opprimes. „Scio quid pares, alium percussisti, me petisti.* Quis unquam res suas quasi perituras aspexerit? Quis unquam nostrûm de exilio, de egestate, de luctu cogitare ausus est? Quis non si „admoneatur, ut de suis cogitet, tanquàm dirum omen respuat, & in capita inimicorum, aut ipsis intempestivi monitoris abire ille jubeat? „Non putavi futurum. Quicquam tu „putas non futurum, quod multis scis „posse fieri, quod multis vides evenisse? Egregium versum audi, & dignum publico.

Senec. in consol. ad Marciam. c. 9.

Cuivis potest accidere, quod cuiquam potest.

„Ille amisit liberos; & tu amittere potes. Ille damnatus est; & tua innocentia sub ictu est. Hic nos error decipit, hic effæminat, dum patimur, „quæ nunquam pati nos posse prævidimus. *Aufert vim præsentibus malis, qui futura prospexit.*] Bellè hæc cadunt pro consolatione & æquanimitate cordis, præservandi à perturbatione, ex principijs Ethicis atque humanis argumentis morali prudentiâ sapientissimè à Romano Philosopho prolata. Sed verò intercurrit etiam *S. Iacobus* Apostolus, & ad hanc tranquillitatem serenitatémque nos provocat, ordiendo Epistolam suam hilari exhortatione: *Omne gaudium existimate, fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis.* Gloriosa Christi Anima omne gaudium ad se rapuit, cùm caro mœreret & doleret; ideóque facundissimo favo protulit illud, *oportuit hæc pati.* Cupit ergo Apostolus, ut omne gaudium in spiritu existimemus, cùm corpus in varias inciderit tentationes, & animus afflictionibus fuerit agitatus.

Iacob. 1. v. 2.

166. Paulisper à necessitate & decore inæqualitatum digressus, me reflecto ad hodierna Ecclesiæ lumina, & magnos cæli Principes *Philippum* atque *Iacobum.* Enimverò quàm pulchra eorum inæqualitas ex hodierna festivitate relucet, & quàm decora festivitas

SS. Philippi & Iacobi Martyria mysteriosè distincta.

tas ex eorum inæqualitate. En mira utriusque in Martyrio dissimilitudo. *IACOBUS* frater Domini, cognomento *Iustus*, Ierosolymorum Episcopus, orationi summè deditus, annos natus nonaginta sex, pro constantissima Christi Filij Dei prædicatione primùm lapidatus, mox in altissimum templi pinnaculum adductus, & denique præcipitatus in terram, pro inimicis deprecans, fullonis fuste percussus, septimo Neronis anno, ad cælos evolavit. Econtra verò Philippus, Christo familiarissimè adhibitus, cùm Scythiam pænè integram ad S. Evangelij lumen perduxisset, & postremò Hierapolim Phrygiæ venisset, pro Christi nomine Cruci affixus, ac lapidibus est obrutus: nam teste Metaphraste, *Philippus etiam in ligno sublimè pendens, cum ijs, qui erant in civitate, de ijs quæ erant eis futura utilia, toto die disserebat; & fiduciâ ad Dominum confirmans eorum animos, & pro eis supplicans, sacrosanctè cum sacris excessit colloquijs.* Sic ergo inæquale utriusque martyrium; nam Philippus in altam crucem ascendit, ut in ea moriatur; Iacobus Apostolus verò de Templi pinnaculo deturbatus in terram, martyrij palmâ coronatur: ille sublimis, hic humilis; ille in cruce, hic in terrâ; ille in aëre, hic super atrium. Sed verò audite mysticam hujus inæqualitatis harmoniam. Bene noverat *Iacobus* Hebræorum rabiem, qui invitabant Apostolum ad pinnaculum templi ascendendum, & ad retractandum, quæ de Christo prædicaverat: quòd si secus faceret, ignorare non poterat, se de pinnaculo deturbandum. Quid ergo Jacobus? Ascendit illuc, & sonorâ voce Christum prædicavit ex alto. Nempe nubes erat *S. Iacobus*, quia erat de numero Apostolorum, quorum non sine admiratione meminit Propheta: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant?* Nubes quidem calore ducuntur in altū, ut in pluviam resolvantur; nec resolutionem timent, dummodò possint terram sitientem irrigare. Videte Paulum, velut nubem resolvi: *Ego enim jam delibor, & tempus resolutionis meæ instat*: quin imò cupit dissolvi, & esse cum Christo. Suspicite nubem Iacobum, elevatum in sublime, & ibi Christi calore atque amore liquefactum. O quàm copiosam doctrinæ cælestis emittit pluviam? Non timet casum, non expavescit ruinam; optimè gnarus, tunc temporis magis abundare irrigationes, cùm nubes resolutæ in pluvias descendunt. Ruit igitur in præceps *Iacobus*, ut instar nubis terram Evangelicis fluentis abundantiùs irrigaret; terram nimirum sanctam, quam priùs Christus irrigaverat, & ex ejus rore tot flores ac fructus sanctarum animarum produxerat.

Metaphrast. in vita S. Philip.

Isa. 60. v. 8.

2. Tim. 4. v. 6.

167. Sed verò etiam in terrâ percussus *Iacobus* obiit: oportebat nempe, ut terra, quæ beneficijs injurias compensat, virtutis esset theatrum pro S. *Iacobo*, qui pro suis inimicis, agens jam animam, veniam postulavit. Beneficiis terra compensat injurias; nam aratro conscissa segetes germinat, ligonibus fossa vites producit, & vel pedibus conculcata calcantem servat ac sustinet. Itaque cùm Christus amore inimicorum tractus venisset in mundum, consentaneum erat, ut in communem terram decideret, & cujus ipse esset conditionis, explanaret. Et tametsi moriturus non esset in terra, sed penderet in aëre, quando pro se crucifigentibus & improperantibus deprecabatur; terram tamen suo jure, quod videtur in amatores inimicorum habere, non privabat, tum ut ipsos honoret, tum ut ab ipsis honorificetur: siquidem terram sibi proximam suo decorabat sanguine, qui non vindictam inimicorum, sed veniam postulabat à Patre. Quòd si sanguis Martyrum semen erat Christianorum, sanguis Christi diligentis inimicos semen erat Martyrum, qui pro suis persecutoribus & tortoribus oblaturi essent preces & vota. Ex hoc tam generoso semine prodijt *Stephanus*, qui prostratus in terrâ pro suis lapidatoribus exorabat: prodijt & noster *Iacobus*, qui conculcatus in terrâ, scissus & concisus vulneribus, instar fratris sui Christi pro interfectoribus veniam postulavit.

Cur S. Iacobus in terra, S. Philippus verò in cruce passus sit.

Ha-

Habetis, cur *S. Iacobus* è sublimi in terram prostratus, purpuratam induerit Martyrij prætextam: jam verò etiam, cur *S. Philippus* è terrâ sublatus in crucem non descenderit de cruce, cùm posset, sed in sublimi spiritum reddiderit Deo, causam aliam penetrate. Cùm jam esset in cruce positus noster *Philippus*, & certatim Christiani ad eius liberationem concurrerent, passus non est ullo modo se deponi; memor sui Magistri, qui non descendit de cruce cùm posset, tametsi ad descendendum incitaretur a Judæis: *Si* Matth. 27. v. 40. *filius Dei est, descendat nunc de Cruce, & credimus ei*: & cùm promitterent, fidem se habituros, non potuerunt obtinere, quod petebant. Mirum est, quòd propter hominum fidem descenderit de cælo Deus, & propter eandem virtutem de cruce descendere recusaverit: recusavit autem, quia se credituros fingebant. Et reverâ fictio erat, velle credere & suadere, ut Christus è Cruce descenderet ad ipsos; cùm potiùs econtra deberent gradum facere ad Christum, & cum ipso ascendere in crucem. Galat. 2. v. 19. Dicebat fideliter Apostolus: *Christo confixus sum Cruci.* Confixus etiam erat *Philippus*; nec Christianis permittebatur, ut inde tollerent Martyrem, ubi rex Martyrum pendebat. Simul verbo & exemplo ostendebat, Hebræorum esse vocem, ut Christus è Cruce *descenderet*; Apostolorum verò & omnium Christianorum esse officium, Christum sequi, & cum illo Crucem *ascendere. Beatus vir, cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit.* Psal. 83. v. 6. Hoc nempe interest inter populum & populum, ut carnalis ille quærat descensiones de cruce, & ab illa depositiones; spiritualis verò ascensiones amet, & ab hac non se deponi permittat, donec cælorum regnum, quod vim patitur, oppugnetur & expugnetur: prout à *Sancto Philippo* oppugnatum, & expugnatum est; qui, tanquam generosus miles cùm jam conscenderit muros, ex altitudine Crucis nec vi, nec precibus sese patitur ampliùs amoveri. *Pluvialem* uterque agebat, & contra persecutionum impetus hilari quadam generositate, ac imperturbato animo volitabat.

Concludo Inæqualitatis argumentum; & ubi vos adverto ex hisce inæqualibus motivis fuisse ad tranquillam inter adversos casus æquanimitatem permotos, in ea vos felices, ac bene solidatos, confirmatósque persistere adhortor: & si etiam opus fuerit, ut vel cum Philippo compelleremini ad crucem, vel cum Sancto Jacobo præcipitaremini ex alto, in quocunque humano casu *non turbetur cor vestrum.* Amen.



IN



IN FESTO SANCTI ANTONII THAUMATURGI PATAVINI.

POLYGLOTTA TOTIUS MELODIÆ REGINA.

Das wunderbarliche vierhundert Zünglein.

LEMMA.

Formas Deus aptus in omnes. Ovid. in Metam.

THEMA.

O lingua benedicta, quæ semper Deum benedixisti, & alios benedicere fecisti, nunc apparet, quanti meriti fuisti! Ex S.Antonino.3.par.hist.tit.24.c.3.parag.4.

SYNOPSIS CONCIONIS. LXXVII.

De incorruptâ S.Antonij Linguâ variæ adducuntur benedictiones, quibus insignitam Deus nobis omnibus reliquit in Pignus, ut pro omnibus efficaciter peroret.

168. Lingua S. Antonii incorrupta & benedicta.



Nthum fortè hodie expectabitis, Auditores, avem admirabilem, quæ si pascatur herbis adveniántque equi, ipsa avolat fugiens, sed equorum hinnitum apertissimè imitatur, atque injuriam acceptam incommodati sibi pabuli quasi derisione ulciscitur. (Plinius l. 10. c. 42.) Nunquid enim *Anthus* abbreviatus est *Antonius*, deridens equum & ascensorem ejus; hoc est, carnem & deliciosos sæculi asseclas. Non *Anthum* Divo nostro *Antonio* consecro, sed *Poliglottam*, admirabilis resonantiæ avem; de qua Jo: Eusebius Nierenbergius sequentia prodit: (Joan. Eusebius Nierenb. hist. nat. lib. 10. c. 77.) *Vidi, audivi, miratus sum aviculam Madritum allatam, totius melodiæ Reginam, cuiuscunq; vocis arbitram. Indi à concentu multiplici Cencontlatolli, seu quadringentas linguas vocant. Sturnum non superat: subtus albescit, superiore parte fusca, pullis & candentibus intermixtis pennis, maximè ad caudam & caput, quod imagine quadam coronæ argenteæ redimitur. In eaves ad blanditias auditûs, ad ostentum & miraculum naturæ servatur. Vincit omnes aves suavitate, & arbitrio gutturis; nullius non imitatur, nullius non superat. Philomelæ longissimè præstat. Fateor, diu me tenuisse. Contenta est quovis cibo; calidas amat regiones, temperatas tolerat.* Quid posset clarius & pene rantius in ornamentum *Poliglottæ* enuntiari; quàm, illam esse totius melodiæ reginam, eam vincere omnes aves suavitate & arbitrio gutturis, eam ad naturæ ostentum & miraculum servari, eam quadringentas linguas suo cantu imitari? Sed auscultate, Auditores, ad aliam Poliglottam,

non Indicam, sed Patavinam; non Cencontlatollicam, sed humanam; non corruptibilem, sed incorruptam: *Linguam*, inquam, *S. ANTONII Thaumaturgi Patavini*; quæ à Seraphico Doctore Bonavent. longè excellentissimû promerebatur encomiû. *O Lingua benedicta, quæ Deû semper benedixisti, & alios benedicere fecisti; nunc apparet, quanti meriti fuisti!* Facti speciem cùm innumeri referant Historici, authoritate & sanctitate eximij, ex S. Antonino Florentino Archi-Episcopo attexo succinctè. *Anno Dominicæ Incarnationis* 1263. *cùm gloriosus Dominus liberâsset civitatem Paduanam de manu cuiusdam perfidi Principis, Cytellini nomine (qui tyrannicè capsens, regens eam, depopulatus erat) meritis huius S. Antonij, in festo eiusdem Sancti, in octava: Patavini cives beneficij non immemores, Ecclesiam prægrandem ad eius honorem constituentes, corpus Sancti transferre statuerunt ad locum eminentiorem. Quod in Octava Dominicæ Resurrectionis agentes, educto de tumulo corpore sacro, cum magnâ reverentiâ, inventa est LINGUA eius in ore adeo recens, rubicunda & pulchra; quæ tamen per multos annos* (nempe triginta duos) *cum corpore sub terra iacuerat, acsi tunc decessisset. Quam venerabilis vir Bonaventura, Generalis tunc Minister Ordinis, & postea Cardinalis effectus, qui præsens Translationi erat, in manibus tenens, irrigatus profluvio lachrymarum, devotissimè his verbis affatus est:* O lingua benedicta, quæ Deum semper benedixisti, & alios benedicere fecisti; nunc apparet, quanti meriti fuisti! *& insigens ei devotissima oscula, iussit eam seorsum honorificè collocari.* Ergò si linguâ *Polyglotta* utar, si omnes Rhetorum tropos assumam, *si etiam linguis hominum loquar & Angelorum*, nullam partem earum laudum assequar, quæ debentur S. ANTONII *Benedictæ Linguæ*: quæ loquitur, cùm tacet; vivit, cùm obit; resurgit, cùm sepelitur; vitalem redire ad pulchritudinem videtur, cùm creditur in cineres resolvi. *Lingua benedicta*, benedicens, benedicenda, benedictura, tanquam *FORMAS DEUS APTUS IN OMNES*, omnium genio accommodatus, omnium necessitatibus appropriatus, omnium solatio dedicatus. Non respuire linguam meam, Auditores, de Benedicta *Lingua S. Antonij* magnificè loquentem magnalia Dei, in nomine JESU.

S. Antoninus citatus.

1. Corinth 13. v. 1.

Linguam symbolum esse Spiritûs sancti, demonstratur in diè Pentecostes, quando Spiritus sanctus in discipulos descendit: *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis*; hoc est, linguæ dissectæ & divisæ, instar flammarum ignitarum pyramidalium, & in acumen assurgentium ac desinentium. Idque in symbolum Spiritûs sancti à Patris Verbo procedentis [Quia, inquit sanctus Gregorius, habet lingua maximam cognationem cum verbo, & movetur lingua à verbo cordis, ad formandum & exprimendum sonum vocis. Quòd autem dispertitæ linguæ fuerint, indicat communicationem & donorum ipsius abundantiam; & dividentem singulis, prout vult. Quòd verò tanquam ignis fuisse dicantur, indicat fervorem, quem excitat in nobis Spiritus sanctus, cùm in animæ interiora ingreditur; item robur adversùs persecutiones. Mittebantur autem Apostoli tanquam prædicatores & magistri, ideóque vocis instrumentum illis apparuit.] In linguis igneis apparuit Spiritus, quia omnes, quos repleverit, ardentes pariter & loquentes facit. Linguas igneas Doctores habent, quia dum Deum amandum prædicant, corda audientium inflammant. Nam & otiosus est sermo Domini, si præbere non valet incendium amoris. Hoc doctrinæ incendium ab ipso veritatis ore conceperant, qui dicebant: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cùm loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?* Verum est illud Ciceronis de oratore præceptum: *Ardeat orator, si iudicem velit accendere.* Oportebat ergo, hoc igne ardere Apostolos, ut eo totum orbem frigore torpentē & gelidum inflammarent. *O Lingua benedicta* D. ANT. Thaum. de Paduâ, totius melodiæ Regina, selectissimû

169. Lingua S. Antonii in Dei laudes canora. Act. 2. v. 3.

S. Gregorius hom. 30. in Evang.

Luca 24. v. 32.

Cicero l. 3. de orat.

Spi,

Spiritûs sancti insttumentum, & Tuba Apostolica: quæ suavitate & arbitrio gutturis vicit omnium Poliglottarum organa, & linguas infantium fecit disertas, omniùmque musicorum & Oratorum ora confudit, dum unica, eâque ignea, & Spiritu sancto ardentissima, semper in Dei laudes ac penetrantissima præconia resonando diffundebatur. Poterat appropriare sibi illud S. Gregorij Nazianzeni de Lingua dicentis. *S. Nazianz. in car. de flent.*

Sum lyra supremi Regis, modulisq; canorus

Hunc cano, qui tremulo cuncta pavore quatit.

Noverat, totum id, quod Deo Optimo Maximo vel in suæ bonitatis contestationem, vel in Beneficiorum gratitudinem possumus rependere, esse laudem & gloriam: hinc non poterat unquam in trophæa Heroum tam ingeniosa esse ulla Poësis, nec in epithalamia Sponsorum ulla musica, nec in tes Principum magnificè gestas ulla facundia, nec in voces acclamantium ulla resonantia; quàm *Lingua Benedicta* S. ANTONII in laudes Dei, Deiparæ ac Sanctorum fuit accensa, & sine interpolatione extensa. Etiam cùm modico somno reficeretur, lingua Phantasiæ organo proxima meditabatur hymnos, repetebat psalmos; benedicebat Altissimum propter semetipsum, creaturas propter Deum, & Deum in creaturis. Quasi Angelus terrestris cum Divo Paulo satagebat Fideles efficere cælites & angelos, hortando & invitando: *Implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri JESU Christi, Deo & Patri.* *Ephes. 5. v. 18.* Canora Lingua erat lingua benedicta Sancti Antonij, quæ cordis jubilum modulatione vocis ita noverat explicare, ita consueverat ardenter variare, ut neque etiam in mortis articulo à cantu sese moderaretur. Enimverò sentiens corporis sui dissolutionem imminere, increscente paulatim ægritudine ad extrema festinans, susceptis Ecclesiæ Sacramentis, hymnum illum de beata Virgine: *O gloriosa Domina, Excelsa super sidera, &c.* *In eius vita, 17. Surius 13. Iun. to. 3.* vivacissimè canere cœpit. Deinde sublatos in cælum oculos, aliquamdiu confixos tenuit. Interrogatus, quidnam tam intensè aspiceret; respondit: *Video Dominum meum.* Et sic inter hymnos & melodias felicissimè obijt anno 1231. *O Lingua benedicta*, quia cælestis melodiæ ac divinarum laudum canora Regina!

170. Sed verò ne putetis, *D. ANTONII Linguam* fuisse lubricam, aut tepido languore morosam: ardens erat, & Spiritûs sancti caloribus ignita. Videbatur, quasi alter quidam Elias prodijsse in publicum, ascendisse cathedras, dixisse, movisse, tenuisse, ferijsse, & penetrasse Antonius. *Lingua S. Antonii ardens & penetrans in concionando.* *Et sermo eius ut facula ardebat*: *Eccli. 48. v. 1.* inflammatusq; igne Spiritûs sancti, ignitis sermonibus tepida, torpentia, & frigida Auditorum corda succendebat; saxea & ferrea pectora domabat, emolliebat, instar ceræ liquescere cogebat. Nullâ prorsus flectebatur personarum acceptione; nullâ adulatione molliebatur; non popularis transversum rapiebat favor & opinio: sed juxta Prophetæ vocem, quasi plaustrum triturans, habens rostra serrantia, montes comminuit, & colles quasi pulverem posuit. *Isaiæ 41.* Personas sublimes reprehensione dignas tantâ nonnunquam severitate objurgavit, ut plerique alij celebres concionatores illum audientes ad intrepidam illius constantiam formidarent; & suos vultus quâdam verecundiæ purpurâ non secùs obtegerent, ac Lapis Phrygius oleo & vino perfusus rubescit. Sanctum suum Patronum *Antonium Magnum*, qui & Duci Balacio, Ecclesiæ persecutori, crudelitatem cum comminatione Divinæ ultionis paulò pòst insecutæ, & Georgio Cappadoci Sedem Alexandrinam pulso Athanasio per vim invadenti, & aliis Tyrannis suam exprobravit malitiam; *S. Athan. in Ep. ad orthodoxos apud Baron. an. 342.* magnanimiter imitatus est noster

Antonius Paduanus, dum indifferenter pariter & ardenter contra vitia Magnatum detonuit, nec ullius expavit potentiam. Vidisses Ezelinum, sævissimum Italiæ persecutorem, ad orationem D. Antonij publicè hisce verbis auspicatam: Sæve ac crudelis Tyranne, quando jam humani sanguinis fundendi finem facies? per inductionem commemoratis illius rapinis, cædibus, civitatum direptionibus, ac imminentis supernæ vindictæ indicijs, dum satellites insolentis oratoris exterminium expectarent. Vidisses, inquam, tunc Ezelinum collo suo imponere cingulum, consterni, in genua procidere, ex lupo agnum effici, veniam peccatorum lachrymabiliter deprecari, subire pœnitentiam, spondere emendationem & satisfactionem. Ingens dicendi vis in *Antonio Romano oratore* fuerit, quâ strictas in se acinaces avertit, & jugulo imminentes gladios vaginæ reddidit. Verùm quæ ardens, quæ penetrans, quæ divina inerat *Antonio Paduano* facundia, subornatos lattones manu aurum offerentes, & sub cingulo ferrum occultantes flexit, repulit, subegit. Abire, inquit, quamprimum cum vestris impijs donis ad relapsum crudelissimum Ezelinum, ne vel ruente tecto, vel dehiscente terrâ, nos quoque exitio vestro involvamur. Sicque aperto nefariæ conditionis dolo, non solùm à suâ cervice, sed & ab omnium Veronensium, Ezelini immanissimi Tyranni ejúsque sequacium sicas avertit, compescuit, refrænavit.

Platus l. 2. de bono statu Relig. c. 6. Surius. VVadding.

171. Labores S. Antonij in prædicando Dei Verbo.

Circumibat per vicos, castra, urbes & agros, & vitæ semina ubique largissimè spargebat; atque interim *sermo eius ut facula ardebat*, illuminabat, accendebat. Cumque ob zelum illum animarum passim discurreret, nunquam sibi de quiete consulens, Dei nutu Ariminum pervenit: ubi cùm cerneret multos hæreticæ depravationis veneno infectos, totius oppidi populo mox convocato, fervent spiritu ad eos concionari cœpit, versutáque hæreticorum dogmata luculenter confutavit. Eas autem in Auditorum pectoribus efficax sermo & salutaris doctrina fixit operationes, ut excussis tetris erroribus plurimi ad Ecclesiæ Romanæ gremium sint ultrò reversi. Et quod difficillimum erat, ac propemodum desperatum; ipsum Bonivillum hæresiarcham contumacissimum, ac per continuos triginta annos errorum tenebris obcæcatum, ad sanitatem revocavit, ut usque ad mortem Ecclesiæ mandatis devotus persisteret. Testantur hodie ardentissimi ejus sermones, per typum posteritati traditi; quo animorum motu & morum metamorphosi, in fœda scelera & enormia flagitia detonuerit, ac fulminârit. Testantur ipsum pœnitentium lachrymæ, pectorum tunsiones, & sacræ Exomologeses, quibus audiendis sacri Mystæ non sufficiebant. Instituebantur tunc supplicationes pœnitentium, qui cruentis flagellis in lascivientem carnem dirissimè animadverterent; tam copiosâ & fundatâ imitatione, ut usque in hodiernum diem illæ flagellantium atque pœnitentium Processiones statis temporibus passim in Ecclesia renovarentur. *Sermo eius ut facula ardebat*: & longè differtissimorum Oratorum superabat prosopopæias; quando ad audiendum eum è vicinis urbibus, castris & pagis confluens innumera pænè hominum multitudo, salutem suam in illius doctrinâ collocabat. Surgebant intempestâ nocte homines alioquin ad multam lucem stertere consueti, ut concionaturum Antonium opperirentur; cúmque parietes aut plateæ non caperent, suggestum in campis frequenter conscendit; eâ quidem attentione auditus, ut in triginta vel eo ampliùs hominum millibus, vix murmur aut strepitus perciperetur. Erat vox ejus ut fulgur de cælo parens ab Oriente in Occidente; nam usque ad duo milliaria aliquãdo audiebatur. Erat linguæ pronuntiatio ut solidatum Regis palatiũ, sub quo nemo tangebatur

tur ingruentis tempestatis imbribus, quisquis sub aperto Jove ejus prædicationibus auscultando subsistere jussus est. O *Lingua benedicta*, quia Spiritûs S. ardens & penetrans eloquentia!

171. Lingua S. Antonij ad stuporem prodigiosa. *Poliglottam* audistis quadringentarum linguarum aviculam; quid si nunc obstupescatis *Linguam S. Antonij* quarumcunque Nationum auribus intellectam? Sive donum linguarum Viris Apostolicis à Spiritu sancto fuerit concessum, ut unâ linguâ loquentes à diversis gentibus intelligerentur; sive ut diversis linguis locuti, ab unoquoque in suâ nationali pronuntiatione perciperentur: possum illam assertionem honorificentissimam in nostrum Thaumaturgum reijcere, quam Illustrissimus Cardinalis de Monte in relatione factâ consistorialiter coram Gregorio XV. Pontifice de actis sancti Francisci Xaverij ex Societate Jesu Indiarum Apostoli protulit. *Contigit non rarò, ut eum concionantem diversarum nationum homines suâ quisque linguâ planè & politè loquentem audierit.* Si unicâ contenti esse velitis experientiâ, ne pluribus inducatur quoad impressionem Babylonicæ confusionis repræsentatio: ecce! testem profero omni exceptione majorem, Florentinorum Præsulem, à fronte panegyricæ orationis antesignatū, S. Antoninum de nostro Patavino Antonio sic proloquentem. [Cùm in Urbe orbis Dominâ, ex mandato Summi Pontificis Gregorij IX. peregrinis plurimis, qui venerant propter indulgentias, prædicaret, qui erant diversarum nationum & idiomatum, Græci, Latini, Francigenæ, Teutonici, Anglici, & alij diversarum linguarum; Spiritus S. Linguam ejus sic movit, ut omnes, qui ipsum audiebant, non sine omnium admiratione ipsum clarè intelligerent, & unusquisque audiebat linguam suam, in qua natus fuerat: & tunc tam ardua ac melliflua eructavit eloquia, ut omnes in stuporem adduxerit.] Quid? quòd etiam piscibus maris è profundo ad se in ordinem consistere vocatis, ubi aliquando obstinata & indurata hominum pectora in cautes & silices obriguerant, Verbum Dei efficacissimè prædicârit, eosque ad laudes sui Creatoris rememorandas invitârit. Superâsse videtur, aut certè restituisse fictitia Arionis inter Delphinos deliramenta. Miraculum grande! ad primam Viri sancti citationem comparuisse pisces, stetisse in lineari ordine gobios, thinnos, glaucos, rhombos, mustelas, thymallos, carpiones, lucios, syluros, delphinos, balænas, & cujusque speciei sortes auscultâsse dicenti, & acceptâ benedictione ad sua pascua marina remeâsse. Nempe facilè fuit huic *Linguæ benedictæ* eam virtutem inserere, quam omnibus Angelis in primo creationis instanti Deus comunicavit; ut scilicet rerū omniū species ac scientias, earùmque signa ac linguas spirituales haberent, quibus ipsi suos conceptus alijs enuntiare, & inter sese possent colloqui. Rectissimè S. Leo: *Nec dubium*, ait, *in illo omnium humanarum vocum exultante concentu, majestatem sancti Spiritûs fuisse præsentem.* (S. Leo serm. 1. de Pentec.) Quando hæc *Lingua benedicta* Saracenis prædicandi Evangelium imperterrito animo scintillabat martyrij suspiria: quando in conventu ad Forum Livij præsentibus Fratribus Dominicanis, post constantem sui idiotismi prætensionem, tandem Guardiani sui impulsu animatus, mysticarum scientiarum altitudinem, & cælestium mysteriorum arcana extemporali oratione, & angelicâ energiâ est inauspicata: quando publicum Prædicaturæ officium vocante Domino, sine adulationis sermone, sine increpationis formidine, auspicabatur eremi cultrix, & veritatis jaculis indifferenter magnos ac pusillos feriebat: quando Romæ à Summo Pontifice, & eminentissimo Cardinalium collegio, propter frequentissimas totius Scripturæ citationes & admirabiles divinarum sublimitatum explanationes, nuncupata est *Arca Testamenti*: quando incomparabili Zelo Fidei suos Fratres Religiosos Theologiam docuit, & velut vivax sinapis granum in tantam excrevit arborem, ut ramos doctrinæ suæ ad omnes orbis Christiani plagas exten-

(S. Antoninus citatus.)

tenderet; & *Volucres cœli*, hoc est, eximij totius Ordinis Minorum Doctores proinde ab eo tanquam primo Lectore, ex Seraphici Patris Francisci institutione ordinato, prima acceperunt sui incolatûs insignia: quando acerrimis argumentationibus hæreticorum impugnavit vafrities, & prodigiosis miraculis, præsertim circa Eucharisticam Christi præsentiam à mulo flexis poplitibus adoratam, confudit atque expugnavit errores: quando stupendis prodigijs diabolicas detexit fraudes, futuros prædixit eventus, occulta revelavit peccata, & ubique Magnalia Dei usque ad compunctionem spiritûs est locutus; tunc utique hæc *poliglotta* vicit omnes suavitate, & arbitrio gutturis; *nec dubium, in illo omnium humanarum vocum exultante concentu*, in illo ardentissimo cœlestium prodigiorum apparatu, in illo compunctorum & ad pœnitentiam reductorum vivicomburio, *Majestatem sancti Spiritûs fuisse præsentem. O Lingua benedicta*, quia cœlestium portentorum incomparabilis officina!

173. Lingua S. Antonii clarissimis encomiis insignitur, præsertim pignoris.

Videor mihi, videor hanc *benedictam Linguam*, indignis meis non contrectare manibus, sed irrigare lachrymis, & devotissimis oculis usque ad dulcissimos gemitus & suspiria contemplari! Vbi unicum restat encomium; quòd *si mihi sint linguæ centum, sint oráque centum*, ut cecinit Virgilius, si cuncta corporis mei membra vertantur in linguas, ut ait S. Hieronymus; nunquam assequar sufficienter usque ad illam condignitatem, quæ rei contentæ amplitudine extenditur: assequar tamen usque ad illam experientiam, quæ vos omnes faciat in gratiosissimæ veritatis assensum conclamare. Facerem grave aliquid, si hanc Linguam vel reconderem in Arcam fœderis, vel contingerem virgâ Aaronis, vel gladio Davidis dissecarem, vel in sedem Dei reponerem, vel clave cœli custodirem, vel areolâ aromatum delibarem, vel Rationali judicij exornarem: ubique enim decor, salus, vita, incorruptio. Hæc *Lingua benedicta fuit Arca fœderis*, ex incomputribilibus lignis Sethim compacta; utpote ex quâ divina edebantur oracula, & cœlestium mysteriorum arcana promulgabantur. Fuit *Aaronis virga*, avulsa ab arbore, & refrondescens sine radice; percutiens silices, & proliciens aquas; percutiens corda, & excutiens lachrymas; *illa*, inquit Chrysostomus, *divisit fluvios, hæc fregit iniquitatem terræ*. Fuit *gladius Davidis*, frangens cervicem Tartarei Goliathi, & repositus ad venustatis ornamentum in Ecclesiæ Tabernaculo. Fuit *Sedes Dei*, enarrans gloriam ejus, solida persistens quasi ex ære fusa, & tot præconijs quot stellis in sui Conditoris laudes diffusa. Fuit *clavis cœli*, verbo sistens & aperiens cataractas lachrymarum, & adhuc virens in spem æternitatis. Fuit *Areola aromatum*, conservans à putredine cadavera, & propter doctrinam Scripturarum ab omni corruptionis labe exempta. Fuit *Rationale judicij* quadrangulum, quadripartitâ Evangelicorum doctrinâ ac veritate figuratum. Fuit *Tuba Evangelij*, & rugitus Leonis nostri de tribu Juda, ad nullius paventis occursum; prout Hieronymus de S. Paulo ad Pamachium scribit. Hæc omnia quidem venusta sunt, & illustria *benedictæ Linguæ* encomia profundissimis mysterijs insignita: at verò addo supremam pulcherrimis hisce titulis coronidem, & religiosè pronuntio, hanc *Linguam benedictam* esse *Pignus patrocinij*, quod ad consolationem totius Christiani orbis reliquit S. Antonius. Et ut magis perspicuè intelligatis hujus sacratissimi functionem pignoris, iisdem utor verbis, quibus S. Ambrosius Mediolanensis Præsul S. Nazarij Martyris gloriosissimi Natalem ac Reliquias condecoravit: verbis utor hujus Magni Doctoris, & propria duntaxat nomina in rem nostram converto. *Totus*, inquit, *exultet orbis: nam licèt* S. ANTONIVS *sit privilegio sepulchri* Patavinus, *conditione incunabili* Vlyssiponensis, *sorte educationis* Conimbricensis; *omnium tamen est communione suffragij: non enim clauditur locis, quod diffunditur meritis. OMNIUS LIN-*

Virg. 4. Georg.

S. Hieron. ad Eustoch.

S. Hieron. ad Pamach. Ep. 61.

S. Ambros. orat. de S. Nazario.

GUA

QUA ILLA DATA EST IN PIGNUS, ut pro omnibus Deum oret, atque omnibus patrocinetur: adeò ut de nullo ægro ita conclamatum, de nullo humano auxilio in quocunque rerum discrimine fit ita desperatum, de causâ etiam evictâ clienti abjudicatum; quin *Lingua* ejus *benedicta pro omnibus Deum oret*, efficacissime exoret, patrocinetur, restituátque sanitati ægros, incolumitati periclitantes, vitæ damnatos, lumini cæcos, exultationi desolatos, contritos integritati. *In uno Zacharia*, inquit D. Ambrosius, *totus ad Deum populus loquebatur*. In unâ Linguâ sancti Antonij tota Lisabona, Lusitaniæ Metropolis, tota Conimbrica, tota Portugallia, tota Italia, totus Christianus Orbis ad Deum loquitur, sine dubio exaudiendus, ac suâ petitione beandus. *O Lingua benedicta*, quia nostris supplicationibus oppignorata!

174. Novendialis devotio quàm sit mysteriosa. In hac communi *benedicta Lingua* oppignoratione dum vos adverto cordialiter occupatos, *novendialem* assumo *devotionem*, quâ aram S. Antonij Thaumaturgi fatigatis confitendo, communicando, preces in necessitatibus fundendo, & Divi impetratâ beneficia recipiendo. Paradoxa nonnullis & heteroclita judicatur esse devotio, *novem ferias tertias* impendere devotioni Antonianæ, & tanti Pignoris patrocinium implorare. Tametsi enim Sanctus Augustinus censeat Christianos prohibendos esse consuetudine *novendiali* circa defunctos; *quia*, inquit, *numerus ille magis est in Gentilium consuetudine*; m.gisq; probet septenarium, qui in plerisque Scripturis celebratur: tamen neque D. Augustinus eo loco agebat universaliter de usurpatione novenarij à rebus sacris arcenda, ne consentiamus cum Gentilibus: neq; etiamsi Gentiles eû in altarium ac templorum circuitione usurpâssent, argumentum idoneum suppeditaretur ad reijciendum novenarium: nam Ethnici plerumque non *novies*, sed *ter* duntaxat circumdabant altare. Certè Maro in Georgicis hujus moris meminit: *Terque novas circum felix eat hostia fruges*. Saracenos Ethnicos eodem ternò circuitu usos in sacrificio, sic tradit Nilus. [Si quando eis ad sacrificium tale corpus (*pueri speciosi*) defuerit, camelum colore album & minimè vitiosum in genua inclinantes, ter circumeunt, jacentem cum tota populi multitudine in orbem obeuntes. Præit verò & circuitionem & canticum, quod ab eis in Astrum factum est, aut ex Regibus quispiam, aut ex Sacerdotibus, qui sunt senectute venerabiles: qui post tertiam circuitionem, cùm nondum canticum finierit populus, & extremam hymni partem adhuc in lingua habeat, stricto ense validè percutit eundem.] *Ter* igitur circuitant hi Ethnici. Aliquando autem *septies*, ut habet Plutarchus in Iside. *Novendialia* sacra apud Ethnicos ob lapidum pluviam instituta, sæpè invenire est apud Livium, præter novendialia sacra defunctorum: & constat ex superstitione Thesmophoriorum, de qua sic Ovidius.

S. Augustinus q. 172. in Genes.

Virg. 1. Georg.

Nilus de Morte ... apud Surium 14. Ian.

Festa piæ Cereris celebrabant annua Matres,
Illa quibus niveâ velata corpora veste,
Primitias frugum dant spicea serta suarum,
Pérque novem *noctes numerant*, &c.

Iacobus Nicolaus Lucensis l. 5. miscell. c. 19.

Ovid. 10 Metamorph.

Quidquid autem sit de usu Ethnicorum, *Novenarium* in cultu religioso, superstitione vacare posse, & illimem esse, fusè confirmat Joannes Roberti. Plura sanè mysteria sub numero *Novenario* contenta, exercenda Religionis sunt incitamenta: sic enim homo cum omnibus potentijs suis, tribus corporeis suis, sensitiva, vitali & nutritiva; tribus animasticis, intellectiva, volitiva & memorativa; & tribus Theologicis, fide, spe ac charitate, ad suscipienda superna beneficia elevatur: sic homo monetur illius hæreditatis, quâ novem Angelorum choris finaliter sociandus allicitur; sic rememoratur eductio Israëlis de Ægypto, & progeneratio hominis ex utero materno, ubi novem mensibus delituit: in morte Christi *tenebræ factæ sunt super universam*

Ioan. Roberti in 99 Hubertinis q. 4. a. 4. pag. 475.

Matth. 27. v. 45.

sam terram, usque ad horam nonam, sic & vitæ humanæ tenebrositas infra *novenarij* terminos continetur; quo numero completo, homo dissolvitur, & futuræ vitæ succedit initiũ. Perfectionis est, & climactericus numerus novenarius, in se comprehendens totam naturæ discretionem; ultra quem non datur numerus, sed tantùm repetitio priorum novem numerorum. Numerus est gratitudinis, quam Dominus in illis mundatis à lepra requirit: *ecce decem mundati sunt, & novem ubi sunt?* Novem sunt ordines Angelorum, ex ternario ter ducto resultantes, ad denotandam perfectam Trinitatis notitiam; figurati etiam in novem Musis Apollini sapientiæ Numini consecratis, ac fonti Heliconi, cujus gustus influebat ad sapientiæ haustum deputatis: nam revera novem Angelorum ordines fonte æternæ Sapientiæ usque ad hilaritatem potantur, & vero Apollini, Justitiæ Soli Christo, qui est æterni Patris sapientia, principaliter famulantur. Sed & Ecclesiasticus novem recenset beatitudines, ab omni permixti mali suspicione alienas: *novem insuspicabilia cordis magnificavi.* Ecclesia novem hebdomadibus intermittit Alleluja canere, à Dominica Septuagesimæ usque ad Sabbarum Resurrectionis Dominicæ; tempus pœnitentiæ, & renovando spiritu accomodatissimum. Insuper juxta communem Pharmaceutriæ regulam, *numero Deus impare gaudet*; proximo quidem ternario, in se usque ad novenarium reducto.

Luca 17. v. 17.

Eccli. 25. v. 9.

375. Cur S. Antonius in specie novem ferijs tertijs honoretur.

Quidquid sit de tot tantisque novenarij numeri mysterijs, ad Religionis actus qualificatis; videmus sanè plerisque locis, *novendialem* ad Sanctum quendam supplicationem apud ejus aram, ad salutem & consolationem conducere. Sic in actis sancti Valerij Cæsar-Augustani Antistitis proditur Anno 1605. quendam Gallum, cui nomen Antonius, cùm vovisset novendialem supplicationem ad tumulum S. Valerij, quarto die incolumem evasisse ab ægritudine, præ qua movere se loco nequibat. Idque audientem Gallum alterum, domo Tolosatem, Anno 1611. eodem adverso se curâsse, & novenâ exactâ, planè esse restitutum sanitati. Idem plerisque locis frequentatis populorum religione, sæpè deprehenditur. Itaque nemo devotionem novendialem, quâ diè Martis solent ad D. Antonij aras sua vota precibus, Responsorijs, oblatis muneribus, Exomologesibus, sacrisque Synaxibus exsolvere, dicat esse heteroclitam aut paradoxam: nam præterquã quòd ex dictis novenarius numerus Religionis virtuti sit admodum ad exercendos suos actus consuetus & familiaris; potuit hujusmodi *Novena* ad novem *Martios dies* congruè institui vel propter celebratam eo die ab Ecclesiâ memoriam sanctorum Angelorum, quorum cultui, puritati, perfectioni & gratiæ Sanctus fuit admodum studiosè assimilatus; vel quòd celebretur memoria tanti Pignoris in sepulchrum Paduanum honorificentissimè depositi, quinto post sanctissimum obitum die, in Feriam tertiam hebdomadæ devoluto. Quàm acceptabilis corde sit hæc novendialis devotio in diem Martis frequentata; *Thaumaturgus Antonius* ipsemet cum præsentissimis suis opitulationibus, tum frequentibus apparitionibus & commonitionibus nocturnis ostendit. Duplicatum contigit Anno 1617. Bononiæ in Italia miraculum; dum matrona honestissima viginti duobus annis in conjugali sterilitate afflicta, ad aram D. Antonij confugit, & pro desideratâ fœcundatione cordintimè supplicavit: monita paulò pòst à Sancto in somnis ad devotionem novendialem peragendam, dum huic exercitio piè insisteret, post aliquot septimanas à maritali consortio fœcundatur: at verò intumescente utero, à marito incultæ humanitatis viro, in clamorosam adulterij suspicionem durè excepta trahebatur. Auxit odia effusus denique fœtus, horrendè monstrosus; quem mater miserrima involucris obligatum ad S. Antonij altare dum reponit, post preces calidissimis lachrymis conditas, speciosissimum infantem

Theoph. Raynaudus in Heteroclit. spiritual. fol. 110.

tem de altari recipit, & tanto munere donata suo marito ad amabilem cohabitationem reconciliatur. O *Lingua benedicta*, quia plùs quàm nonagesies novies beneficа & gratiosa!
176. gesies novies beneficа & gratiosa!

Linguæ S. Antonij peroranti omnia sunt possibilia.

Ad sacratissimum Pignus nunc revertor, quod paulisper in centro relinqui, ut novenali religione & votis novies repetitis circumeundo venerater. *Omnibus hac LINGUA BENEDICTA data est in Pignus, ut pro omnibus Deum oret.* Refert Diodorus Siculus, in quadam Insula Oceani versùs Meridiem homines habitâsse, divisam habentes linguam, & ex parte inferiore scissam, ut duplex à radice esse videretur: imitatos verò avium diversarum cantum, & cum duobus hominibus locutos, sic ut uni responderent, ab alio responsa exposcerent. Non duabus vel tribus, sed quadringentis, sed millibus vocibus loquentem *Linguam S. Antony* audit Ecclesia afflictorum; loquentem rosas & flores; loquentem favos & mella; loquentem gemmas & margaritas; loquentem mirabilia & magnalia Altissimi; loquentem dona, beneficia & miracula stupenda. Brevi compendio adduco celebratissimæ doctrinæ & pietatis virum Robertum à Licio, Episcopum Aquinatensem, qui penetrantissimâ energiâ hoc Patrocinij Pignus taliter insignit. *Cuncti ferè mortales, qui baptismali charactere sunt insigniti, Beatum ANTONIUM Paduanum devotione ardentissimâ colunt ac venerantur, nec ipse Patrocinium suum invocantibus negat. Nullus à fonte sua dulcedinis abscedit: omnibus ipsum invocantibus præsto est* Quia omnibus lingua illa benedicta data est in pignus, ut pro omnibus oret. Et ne quidquam desideretur quoad specificam inductionem; addit Robertus disquisitas species beneficiorum. *Liberantur ejus interventu à naufragio sæpissime navigantes; à periculis gravissimis mulieres parturientes; ab infirmitatibus varijs illas patientes; ab opprobrio sterilitatis uxores, propterea quandoque viris odiosæ; à periculis fluminum, latronum, aliorúmque discrimi-*

Diodorus Siculus l. 2. c. ult.

Robertus à Licio in serm. de S. Antonio.

num peregrinantes: propterea toto orbe SANCTUS hic à cunctis Fidelibus fidelissimus Advocatus exposcitur. Quia omnibus lingua illa data est in pignus, ut pro omnibus oret. Hâc linguâ orante, *quovis affecti morbo*, ut Auctor vitæ ejus commemorat, vel ad contactum fimbriæ, vel mortui sandapilæ convalescunt: *quovis affecti morbo* dum ad imaginem vel altare ejus refugiunt pro patrocinio, & novendialibus exercitijs ejus implorant auxilium, salutarem consequuntur effectum; cæci vident, surdi audiunt, claudi ambulant, leprosi mundantur; omne genus ægritudinum tollitur ab eo, cui omnis Hippocratis industria, & Æsculapij aut Melampi experientia concedat, necesse est. Perdidero scopum meum, & à navigationis portu longiùs aberrabo, si oratorum more amplificare velim miracula stupenda, & ex omnibus classibus, velut *poma nova & vetera*, collata, suisque exornare figuris ac sententijs insignire. Omnia fecit Deus SANCTO suo possibilia: qua potentiâ is fretus imperat elementis, ne sæviant; imperat dæmonijs, ut exeant; imperat periculis, ut desinant; imperat erroribus, ut fugiant; imperat insidijs, ne noceant; imperat afflictionibus, ut evanescant; imperat morti, ne succidat; imper t morbis, ne deijciant; imperat carceribus, ut pateant; vinculis, ut decidant; calamitatibus, ut dulcescant; denique desperatissimis causis, ut salvæ & incolumes subsistant. Novi virum magnæ authoritatis, qui dum propter varia clam perpetrata delicta non tantùm laboraret periculis, famâ, gratiâ, & fortunis; sed etiam res in foro contentioso ageretur, ut reus per condemnatoriam sententiam suis officijs & dignitatibus eijceretur; post voto promissam novendialem devotionem ad *S. Antonium*, non tantùm evasit incolumis, sed obstupescentibus cunctis refloruit, longè magis ad officia sublimatus post iniquitatem tam sanctè palliatam. *O Lingua benedicta*, quia omnibus data in pignus salutis & consolationis!

Surius in ejus vita.

177.

S. Antonius res & animas perditas suis auxilijs reparat.

Pepinus orat. de Sanctis.

Et ne perdam quidpiam de rebus inventis, Guilielmi Pepini Dominicani Doctoris Parisiensis luculentum suffragatur testimonium. *Habet hic SANCTUS privilegium à Domino circa res perditas; quæ sæpè suis meritis recuperantur: & hoc idem ipse frequenter expertus sum.* Cur autem hæc specialis prærogativa competat S. Antonio, cùm alijs Sanctis specialis titulus aliarum gratiarum tribuatur? Menagius author originum linguæ Gallicæ nominatim observat, *sanctum Antonium Patavinum* pro recuperatione deperditorum interpellari; quia, ut notat ex Coquillæo, mobilia deperdita, quorum ignoratur dominus, olim Gallis dicebantur *Epaves*. Et quia urbs Patavina olim Gallis dicebatur *Pava*, & *S. Antonius* Ord. Min. ab ea urbe cognomentum traxit, inde existimatus est favere ijs recuperandis, quæ vulgò *Epaves* appellabantur. Non præsto solidam hanc originationem: magis placet ratio à devotissimo Pelbarto Temeswario sic assignata. *Sicut in vita mirificavit eum, dando ei gratiam recuperandi animas perditas; sic existenti in cælo, dedit gratiam mirabiliter per ejus merita recuperandi hominibus res perditas.* Placet ratio: sed exinde ad id me reflecto, quod est nobilius, à caducis & transitorijs ad pretiosas & immortales animas, quas innumeras adhuc hodie ad Deum convertit, & perditas reparat *S. Antonius*. Pulcherrimè S. Chrysostomus ait, *Est cum anima conferendus ne totus quidem mundus; quamobrem etiamsi divitias innumerabiles dederis pauperibus, nihil tale efficies, quale is, qui convertit animam.* Et ecce erectas confraternitates, continuas novenas, frequentissimas exomologeses, devotissimas synaxes, quæ cum ingenti animarum emolumento, & florentissimo exercitio indies multiplicantur. Quot pressi angustijs & ærumnis in desperatissimis casibus ad *S. Antonium* pro medelâ refugiunt; quam non obtinent, nisi perfectâ ad Deum conversione? Refert Plinius, quòd cor hominis venenati nunquam comburitur; quin imò si novem annis in igne teneatur, convertitur in lapidem pretiosum, qui contra venena, ignes & fulgura summè valet, & pugnanti contra hostes victoriam semper conciliet. Refert etiam Ovidius, in lacu Trinotico Africæ, ubi Pallas sapientiæ Dea primò visa est, tale contingere prodigium; quòd scilicet, si quis ibi novem vicibus balneatur, sumptis alis in avem mirabiliter transformetur. Corda peccatorum veneno infecta, si fuerint per *novendiales* devotiones ad S. Antonium divinæ charitatis igne succensa, transmutantur in pretiosissimam gemmam; quæ fit præsentissimum remedium contra vitiorum venena, contra infernalium tormentorum fulmina, contra tentationum prælia, contra periculorum insultus, contra dæmonum insidias, contra hujus mundi inquinamenta.

Menagius V. Acariaster.

Coquillæus in Instit. c. de Iuribus in com.

Pelbartus in ser. 1. de Sancto.

S. Chrysostom. hom. 3. in Ep. 1. Corinth.

Plinius.

Ovid. de transformatio. fabula. 26.

Dicam, quod res est, & finiam: per novendialem Baptismum Pœnitentiæ ad honorem S. Antonij susceptum, mutantur in avem spiritualem ad cælestia evolantem; imitantur Poliglottam, totius melodiæ reginam; & propter divinarum laudum canoram resonantiam, propter ardentissimas concionum penetrantias, prodigiosas & stupore plenas locutiones ad diversas nationes ac bruta aquatilia formatas, propter dulcissimam & saluberrimam oppignorationem, inexplicabili gaudio magnificant Deum in Sanctis suis, & linguis canunt novis: *O Lingua benedicta, quæ Deum semper benedixisti, & alios benedicere fecisti, NUNC constat, quanti meriti fuisti apud DEUM!*

Amen.

IN

IN NATIVITATE SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ PRÆCURSORIS DOMINI.

CICADA VOCALIS.

Der tirrende Heuschröck.

LEMMA.

Mihi Cithara pectus, & à pectore voces.

THEMA.

Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Isa. 40. v. 3.

SYNOPSIS CONCIONIS LXXVIII.

S. Joannes Baptista sub vocalis Cicadæ symbolo, aut rectiùs cymbalo, cælum & terram voce clamoris sui lætificat, & vel post mortem clamat vitâ, clamat moribus, clamat imitatoribus & concionatoribus.

178. S. Joannis Baptistæ cum cicadâ symbolizatio.



Ox laudis tantò purior resonat, tantóque intonat penetrantior, quantò ex ferventiori ac pulchriori mente procedit: unde trium Puerorum laus & hymnus, quo Deum in ardentis flammæ camino benedixerunt, magnis commendatur præconijs; utpote quòd in pueris puritatem cordis prætenderit, in camino verò affectum & fervorem devotionis. *Ambulabant in medio flammæ, laudantes & benedicentes Deum.* (Daniel. 3. v. 24.) Video hodie Nativitatem gaudiosam S. JOANNIS BAPTISTÆ celebrari inter festivos ignes, passim in plateis erectos; video exultantium, & salientium alternas choreas; audio clamantium, & concinentium circulos; civitatem totam in lætitiæ hilaritates effusam adverto, ut totus Joannes inter publica gaudia, laudum voces, ignium focos, chorearum tripudia, & vicinorum convivia, nasci mundo, renasci memoriæ, exultare in utero, & exilire in deserto, prodigiosè comperiatur. Dicit in ortu suo JOANNES, quia sum Stella matutina, prænuntians Solem, non cedo purpuranti ac PRÆVIÆ SOLIS Auroræ; & quia sum Præcursor Domini, non cedo pronuntianti Angelo, nec exultanti Familiæ: & quia sum *Vox clamantis in deserto*, non cedo concinenti volatilium plausui; imò *NEC ÆSTIVIS CANTU CONCEDO CICADIS*. Cicadam igitur magno Infanti in ornithologicæ observantiæ tesseram consecro. Quid enim *Voci clamantis* dignius Cicadâ? Insecti hæc genus canorum, aculeatum quiddam habens in pectore, quo rorem lambit, non nisi calidissimis æstivis mensibus apparens: unde & *Cicadam* nonnulli dictam volunt, *quasi citò cadentem*, hoc est, evanescentem. Plinius author est, (Plinius 11. c. 26. & 27.) *Cicadam* ex omnibus, quæ vivunt, sine ore esse, & pro eo aculeatum quiddam in pectore habere, linguæ simile, quo rorem lambit; & pectus ipsum

 fistu-

fistulosum, quo vocem emittit. Sic Cicadæ *CITHARA PECTUS*; & eidem resonant *A PECTORE VOCES*. De cætero in ventre nihil est. Excitatæ cùm subvolant, humorem reddunt, quod solum argumentum est, rore eadem ali. Proinde sicut rore alitur Cicada; ita etiam *CANIT EBRIA RORE*. Pennarum illis natura, quæ apibus, sed pro corpore amplior. Cicadarum autem duo sunt genera: minores, quæ primæ proveniunt, & novissimæ pereunt; majores, quæ canunt, vocantur *Acheta*. Perbellè omnia in S. Joannem Baptistam collimant; qui rigidissimo vivendi genere satur, locustis & melle sylvestri pascebatur. Et quis ignorat, mel esse cæli sudorem, siderum salivam, purgantis se aëris succum, qui cum rore sublucanis temporibus cadat? Verè *Cicada* erat Joannes, quia *citò cadens*; cùm propter enuntiatam veritatem, capitis diminutiónem in adulteri regis aulâ sustinuit. Et *CONTICUIT TANDEM*, *factoque hoc fine quievit*. *Cicada æstiva*, quæ inter solstitiales rogos Divinis resonat laudibus, & inter ardentes amoris ignes lætabunda exultat. *Cicada vocalis*, intra tenuissimos exhausti corpusculi spiritus, fistuloso pectore, ad Jordanis fluenta *fritinnans*; & ita *fritinnans*, ut finitimi Populi, & Insulæ maris audirentà longè, quid *Vox clamantis in deserto* præciperet? nempe, *Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri*. Erat hæc olim prophetia Isaiæ, relata ad reditum è captivitate Babylonica; quasi diceret, Videor mihi Cyri præconem audire: liberos vos, ô Hebræi, facit Cyrus: alacres in patriam redite: vosque, ô Gentes, per quas transituri sunt, complanate eis vias, & colles vallésque implete, ut facilem & commodum inveniant transitum. Sed verò omnes Evangelistæ, ipsaque Ecclesia, hunc locum de S. Joanne Baptista ita communiter intelligunt, ita propriam ejus de se ipso confessionem accipiunt, ut haud ampliùs attonito supersit silentio locus, quin hodie omnes musculi, fibulæ & nervi panegyrico præconio

Æneid. l. 9. 716.

spirent, & respirent *Vocem clamantis in deserto*. Tu meis, ô magne & succinctæ Orator, assiste conatibus; ut tantæ penetrantiâ vocis auscultabunda Auditorum, tibi devotissimorum, exultent præcordia,

Et mecum rancis (tua dum vestigia lustro)
Sole sub ardenti resonent arbusta CICADIS!

Virg. Eclog. 2.

179. Clemens Alexandrinus initio statim illius orationis, quâ Gentes hortatur ad pietatem, meminit cujusdam memorabilis portenti, quod *Vocalis Cicada* in contentioso excellentissimorum Citharædorum certamine præstitit. Nempe ostenditur apud Locros Eunomis Citharædi statua, quæ insidentem citharæ Cicadam spectandam exhibet. Scribit enim Timæus, aliquando in Pythiorum certamine illum cum Aristone Rhegino venisse in contentionem, uter præmium sortiretur in prævalente citharisationis excellentiâ? Aristonem autem fusis precibus Delphorum cives rogâsse, ut sibi adessent; majores enim suos ipsi Deo Apollini consecratos, & à Delphis Rhegium fuisse pro coloniâ missos: Eunomum autem dixisse illis, nunquam de Musica ab eorum primordio certamina extitisse; cùm quidem apud eos cicadæ, cunctorum animalium cantu suavissimæ, omninò sonum non haberent. Nihilominus Aristonem spe victoriæ ad laudem assequendam strenuum; Eunomum tamen victorem declaratum, statuam memoratam in patriâ collocâsse. Cùm enim inter certandam chorda una fracta defuisset, Cicada, cui *Cithara pectus*, resonant & *à pectore voces*, supervolans adfuit, quæ à sylvis, & relictis nemoribus sese ad musici instrumenti concentum adaptaret, & supplementum *vocis* subinferret. Et ne tanti miraculi memoria temporis vetustate deleretur, citharam Apollini cum insidente æneâ cicadâ consecravit Eunomus. Dimitto gentili antiquitati mnemosynon citharizantium. Et quia Plutarcho teste, *Musicen docet Amor*; ac juxta S. Augustinum, *cantare amantis est*: hinc in gra-

Utriusque S. Joannis, Baptistæ & Evangelistæ concertatio virtuosa.

Clemens Alexandrinus Orat. ad gen. Alexandrinus lib. 134. ex Strabone l. 6.

Plutarchus. S. Augustin. serm. 25. de Tempore.

gratiam Cicadæ tam occasionaliter supplentis defectum Citharædi, amorevolum carmen Joannis Pindari interneсto;

Ioan Pindarus l. 1. Eridani.

Cantando luces peragit sub fronde Cicada,
Et mulcet sylvas carmine læta suo.
At tenebras sub rore levi, sub deside somno
Transigit, & noctes, nocte iuvante, suas.
Cantando moritur, sentit nec tædia mortis;
Quin cantu vitam ducit & exequias.
O felix ortu, interitu felicior! At me
Et nox nigra gravat; vexat & atra dies.
Ante fores jaceo gelida sub frigora brumæ;
Nec pudet ætatis, Pieridúmq; senem.
Ante fores, sub Sole Leo dum fervet, & ignis
Vstilat Icarius, conqueror usque senex.
Vror amans, tabesco senex; lux omnis amara,
Nox inimica mihi est; noxq; diésq; nocet.
Sors juvenum miseranda, senum deflenda! Cicadæ
Sors felix. O jam discite quid sit Amor!

Aliud hodie noster *S. Ioannes Baptista*, cum suo Collega *S Ioanne Evangelista* singulare videtur inire certamen. Vterque enim *citharædus* est, sicut uterque *Ioannes*: Evangelista super pectus Domini in cœna, Baptista super caput ejus in Jordane: uterque lætus & exultabundus, quia ex nomine gratiosus; ille in utero materno, hic in virgineo consortio; uterque *altè* intonat; ille de dignitate, hic de Verbi Incarnati æternitate: consonat uterque cum Christo; ille in sylvestrium ferarum consortio, hic in Apostolorum collegio: spirabat uterque amorem; ille in commendatione Messiæ, hic in virtute Eliæ: uterque virginitate pollet; ille in asperi cameli pellicio, hic in Deiparæ Virginis contubernio: uterque Christum annuntiat digito; ille dum demonstrat, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*! hic verò, dum scribit, *quæ vidimus, & manus nostræ contrectaverunt, annuntiamus vobis*. Interim dum uterque *Ioannes* in dulcisono certamine vocem intendit; *Evangelista* quidem suas cantilenas perficit, scribens Evangelium de Verbo vitæ, & Epistolas Canonicas reddens jucundas multiplicatæ *charitatis* vocabulo; sed & longissime perennat tonum, *quia sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te*! At verò *Baptistæ* chorda vitæ, & vitta coccinea martyrio frangitur in aulâ Herodis: hinc quædam resonantiæ abbreviatio;

Trita fides rauco cœpit cùm stridere bombo,
Legitimum harmoniæ & vitiare melos,

Casu tamen inopinato, cùm Joannes Baptista frangitur ense,

Tum citharæ argutans suavis sese intulit ales,
Quæ fracti impleret voce Cicada fidem.
Quæ allecta, soni ad legem descendit ab altis,
Saltibus, ut victo garrula ferret opem.

Sic certè ruptam supplet chordam, defectúmque restaurat, ut dum alia desiderantur, saltem supersit per Cicadam *Vox clamantis*. Exinde apposite resolvendum problema, in gratiam thematis & hodiernæ solennitatis resultans, an S. Joannes Baptista majorem promereatur gloriam *ex munere vociferandi*, quàm S. Joannes Evangelista *ex munere scribendi*? Deferam cuivis suum honorem, & Baptistæ *vociferanti*, & Evangelistæ *scribenti*, dicendo quod res est.

Magnam & illustrem promerentur laudem, qui scriptorio calamo Dei Ecclesiam erudiunt, vineam Domini excolunt, hæreticos confodiunt, errones in viam reducunt, & scripta sua Spiritûs sancti argumenta, publici juris efficiunt. Scripsit *S. Ioannes Evangelista* varios Canonicos tractatus, Divinis mysteriis suavissimè conditos: maxi-

180. Scriptionis laus in S. Ioannem Evangelistam redundans.

maximè verò in sua Apocalypsi mirabilem quandam descripsit musicam, quam cecinerunt Deo illa quatuor Animalia & viginti quatuor Seniores, qui adhibuerunt citharas suas ad cantum. *Quatuor animalia*, inquit, *& viginti quatuor Seniores, ceciderunt coram Agno, habentes singuli CITHARAS, & cantabant canticum novum.* Et alio loco posteriore observat, dicens: *Et vidi eos, qui vicerunt bestiam, habentes CITHARAS Dei, & cantantes canticum Moysi servi Dei.* Digna Joanne visio, quæ cuivis rememoranti dubium ingerat, cur Deus in suâ illâ gloriâ magis oblectetur *musicâ cithararum*, quàm aliorum instrumentorum, quorum fidibus illi Beatorum chori æquè suavem potuissent conficere harmoniam? Non moror in varijs rationibus disquirendis, quando D. Augustinus peraccommodam præsentis ænigmatis adfert solutionem, dicens: cætera instrumenta suum habere vel à manu, vel ab ore sonum, cùm citbara suam accipiat à penna harmoniam; penna citharæ plectrum est, quo fides ejus pulsentur. Quòd ergo Deus tam vehementer oblectetur instrumento, cui plectrum est penna, illud videtur importare; gratam quidem esse Deo vocem concionantis populo è suggestu, at verò magis eum oblectari pennæ operâ, quâ conscribuntur & libris comprehenduntur conducentia ad Ecclesiæ instructionem. Subscribo huic Augustinianæ resolutioni, tantò quidem promptiùs, quantò manifestiùs gravissimi alij Authores ad præsentem cantilenam calamis colludunt. Joannes Trithemius, religione & doctrinâ insignis, dum egregiè laudat industriosa Monachorum exercitia, qui plurimùm insudabant conscribendis libris ad procurandam animarum salutem opportunis, sic post alia loquitur considerabili censurâ. *Maior est Scriptoris pietas, officio prædicantis; quia illius cum tempore perit monitio, istius perseverat in annos multos annuntiatio. Prædicator loquitur duntaxat præsentibus, Scriptor prædicat etiam futuris. Illius sermo semel auditus in nihilum redigitur, istius lectio millies repetita nunquam minuitur. Cùm prædicator deficit, cessat officium; Scriptor etiam mortuus in moribus facit officium.* Tantam promeretur laudem, qui labore insatiabili aliorum ingeniosos partus nutrit, & calamo velociter scribente in chartis ac voluminum membranis depingit. Quid ergò de ijs dicetur præconij, qui primi Authores & Parentes, obstetricante sapientiâ, genuerunt libros & Scripturas, in amplissimam posteritatem duraturas? Perpendit id Abbas Trithemius penetrantissimo stylo, & rei condignitatem exaggerat ex necessitate. *Scriptores*, inquit, *si de Ecclesiâ tollas, vacillat fides, charitas friget, spes occidit, jus perit, confunditur lex, in oblivionem transit Evangelium.* Et iterùm alio loco. *Parum valet officium prædicantis, si Scriptoris ministerio non iuvetur. Quid enim prædicabit, si Scriptor, quod legat, non scripserit? Ex pietate igitur Scriptoris, utilis efficitur sermo Prædicantis; nisi enim ille scriberet, iste quod prædicaret, non haberet.* Non minore virtute in Scriptorum laudes concitatur Cassiodorus, ex quo pauca quædam depromo: *Felix intentio, laudanda sedulitas, manu hominibus prædicare, digitis linguas aperire, salutem mortalibus tacitam dare, & contra diaboli surreptiones illicitas calamo atramentoq́; pugnare; tot enim vulnera diabolus accipit, quot antiquarius Domini verba describit: uno itaq́; loco situs, operis sui disseminatione per diversas Provincias vadit. In locis sanctis legitur labor ipsius. Audiunt populi, unde se à pravâ voluntate convertant, & Domino purâ mente deserviant. Operatur absens de opere suo. Verba cælestia multiplicat homo; & quadam significatione comprobabili, si fas est dicere, tribus digitis scribitur, quod virtus S. Trinitatis effatur. O spectaculum benè considerantibus gloriosum: arundine currente verba cælestia describuntur, ut unde diabolus caput Domini in passione fecit percuti, inde eius calliditas possit extingui. Accedit etiam laudibus eorum, quod factum Domini aliquo modo videatur imitari,* qui

Apocal. 5. v. 8.

Apocal. 15. v. 3.

Trithem. l. de Scriptorum laudib. c. 6.

Idem cit. lib. c. 4.

cap. 8.

Cassiod. ex l. divinal. c. 30.

qui Legem suam (licet figuraliter sit dictum) Omnipotentis digiti operatione conscripsit. Hactenus Cassianus. Nec desiderari debet, quod celeberrimus Parisiensium Cancellarius toto libro disputat de laude scriptorum, hoc est, *Exscriptorum*, sive amanuensium, qui alienos libros describentes, perpetuam faciunt disciplinarum transmissionem. Ex eo unicam describo mantissam: *Scriptor Ecclesiam ditat, Scriptor Ecclesiam armat, Scriptor Ecclesiam custodit, Scriptor Ecclesiam honorat, Scriptor posteris sal sapientiæ administrat, Scriptor largitur, miseretur & commodat.* Et quale est describendi opus, si vel cum excogitandi difficultate, vel cum inveniendi industriâ, vel cum conquirendi labore, vel cum dirigendi molestiâ, vel cum formandi assiduitate comparetur? Exinde nemini non constat, quantùm dilecto Christi *Beniamino* obstricti simus, qui in Evangelio, in Epistolis, in Apocalypsi nos docet perpetuus Orator: quantùm illi debeamus, qui ubique ad amorem Dei, & mutuam dilectionem vehementer nos exhortatur; qui in Apocalypsi præmia bonorum, ac malorum supplicia luculenter indicat, & quænam his pœna, quænam illis constituta gloria, etiam mortuus & elinguis clamat.

Gerso l. de laud. script. to. 3.

181. Hæc dum laboriosè pronuntio, nemo me concipiat velle, quasi *Discipulus, quem diligebat Iesus*, non fuerit excellentissimus celeberrimusq; Ecclesiastes: quis enim tam sit rudis & incultus, qui hoc ignoret? Sic nec inficiabitur aliquis, Præcursorē Domini, quædam scripto futuris sæculis transmisisse; utpote qui & discipulos habuit, quos utique suis disciplinis & scriptis informavit: ut æquè in ipsius scripta, tametsi ab Ecclesiâ pro canonicis non fuerint assumpta, saltem illud Petri Blesensis accommodari olim potuisset. [*Nostra etiam scripta, quæ se diffundunt & publicant circumquaq; nec inundatio, nec incendium, nec ruina, nec multiplex sæculorum excursus poterit abolere. Sola scripta sunt, quæ mortales quadam fama immortalitate perpetuant, & actibus veterum, quod traducunt ad posteros, nullam permittunt obrepere vetustatem.*] Itaq; sicut non admodum laudibus Evangelistæ accedit, quòd fuerit Ecclesiastes, ita nec laudihus Baptistæ multùm accrescit, quòd fuerit Scripturista: & vicissim sicut scriptorij calami gloriâ Baptistam anteverrit Evangelista, ita vocis magnitudine Evangelistam superavit Baptista. Ad cujus laudē maximè vertit, quòd fuerit tuba Christi, terror peccatorum, virtutum schola, magisterium vitæ, sanctitatis forma, norma justitiæ, virginitatis speculum, pudicitiæ titulus, castitatis exemplum, pœnitentiæ via, peccatorum venia, fidei disciplina, major homine, par Angelis, Legis summa, Evangelij sanctio, silentium Prophetarum, lucerna mundi, præco Judicis, Præcursor Christi, metator Domini, Dei testis, totius medius Trinitatis, vox Apostolorum; dicam omnia, *Vox clamantis in deserto*; & prout conformiter à Tertulliano contra Marcionem vocatur, *vociferator in solitudine, & præparator viarum Dominicarum per denuntiationem & laudationem pœnitentiæ.* Vox manifestans verbum mentis occultum; Joannes patefaciens Verbum Dei in carne latens. Vox antevertens loquentis conceptum, & audientis intellectū; Joannes præcedens Christi notitiam & fidem in mentibus Judæorum. Vox imperfecta & inarticulata præconis, silentium indicentis per *ess ess*; v. g. Joannes silere jubens Prophetas, & populo indicens attentionem, ut Christus in Lege promissus & nunc reipsâ missus loquatur. Vox Christum venturum prænuntians, natum demonstrans, & Salvatorem prædicans. Vox loquens in utero, antequam nascatur; loquens in nativitate, antequam maturescat; loquens in deserto, antequam percipiatur; loquens in palatio, antequam exaudiatur; loquens in carcere, antequam abrumpatur: & quid dico loquens, si etiam post mortem *Vox sanguinis* eius non cessat clamare ad Deum pro misericordiâ & sanctitate. Vultis concipere, qualis vox sit Joannes, dicam vobis ex Psalmista: *Vox Domini in virtute.* Generosus equorum genius mirum in modum à voce hu-

S. Io. Bapt. summè gloriosum est, quòd sit vox clamantis.

Blesensis Ep. 77.

Petrus Chrysol. serm. 127.

Tertul. l. 4. cont. Marcion. c. 11.

Psal. 28 v. 4.

humana excitatur ad cursum & prælium. Habet & hoc Divina vox, ut excitet, & alacres reddat homines ad percurrendam Domini viam, & ejus militiam gerendam. Propterea Joannes instar divinæ Vocis venit in mundum, ut incitaret ad cursum eos, qui in stadio currunt, ut meliùs percipiendo vocem, capiant bravium; ut provocaret ad prælium eos, qui domi forisque bella secum gerunt, ac decertant contra Principes & mundi Potestates; ideóque *vox Domini in virtute*, *vociferator in solitudine*. Videtur Evangelista Joannes ob tantæ *vocis* mysterium, palmam problematis concedere Joanni Baptistæ in nam propter hanc excellentiam Baptistæ, & tanti nominis reverentiam, non se Apostolum, sed discipulum; non gratiam, sed Christo gratum se nominat in sui scriptione Evangelij, discipulum scilicet, *quem diligebat IESUS.* Cùm autem loquitur de Baptista, *fuit homo missus à Deo*, inquit, *cui nomen erat Ioannes*; ut ostendat, ac definiat magnum Divini Præcursoris Apostolatum & gratiam: ipse verò cùm esset tantus Apostolus, & cælesti Joannis nomine dignus, præ humilitate suâ & reverentia Baptistæ *cui nomen erat Ioannes*, non sibi usurpavit in Evangelio hoc nomen, sed novas phrases invenit, nominando se *discipulum, quem diligebat IESUS, qui & recubuit super pectus eius*: sicque adeò pro suâ virgineâ modestiâ circa punctum problematis vociferanti Eremicolæ palmam concessit.

Ioan. 1. v. 6.

Ioan. 21. v. 7

182. S. Ioannes etiam in moribus est vox clamantis & vitâ.

Fuit apud Athenienses nobilitatis insigne *Cicada*; aureas enim cicadas innodabant crinibus, non ut fritinnarent, sed ut nobilitatem significarent. Hæc enim nota indigenas & ingenuos ab advenis & servis distinguebat: cujus rei causam nonnulli adferunt, quòd Cicadæ inter alia animalia indigenæ præcipuè videantur; utpote quæ in ea regione, in qua nascuntur, vivant & expirent, sedemque firmam habeant, cùm reliqua ferè omnia aliò migrent: in quacunque autem civitate & municipio nobiliores eos agnoscimus, quorum majores pluribus ante annis in suâ patriâ tanquam PATRITII claruerunt. Ridebat id verò Antisthenes, eò quòd hoc illis esset cum cochleis & testudinibus commune; quippe qui aliunde non commigrâssent, nec unquam patrium mutâssent solum. Dum hactenus *vocalem* observastis, *Quæ fractam impleret voce Cicada fidem*; nunc auream, nunc nobilem, nunc generosam percipite Cicadam, quæ huic panegyri innodata eam comptulam reddat & cincinnatam, ut *Vocem Domini in virtute*, & vitam Joannis in veritate loquentem auscultabundis profundat. Cùm enim S. Joannes vox sit, tota ejus vita sermo erit. Vnde & Hugo Cardinalis ait: *Vita Ioannis tota nobis loquitur, tota nobis sermo est*. Sed illud mirabile, quod addit: *ante conceptionem eius, nobis loquitur eius annuntiatio; post mortem eius, virtutum ipsius opinio.* Antequam esset Baptista, loquebatur in Annuntiatione per Angelum; postquam inter vivos esse desijt, adhuc non tacet, sed virtutum suarum clamat opinione. Oportebat nempe, ut ita fieret; &, siquidem JEsus *Christus heri & hodie*, ac propterea semper fuit, & erit Verbum Divinum, nusquam suâ voce privaretur. Privari autem non poterat, antequam Joannes existeret, vel dum viveret, aut moreretur, quandoquidem nobis ante conceptionem ejus loquatur annuntiatio, tota ejus vita sit sermo, & post mortem virtutum ejus opinio vocalis existat. Vox quæ aërem verberat, in ventum abit: at verò *vox Domini virtutum Ioannes est*, & non in verberatione aëris; ac proinde semper erit, & manebit in robore ac virtute suâ. Cui non præjudicat, nec præjudicare potest illud Senecæ paradigma: *Habet vocem homo: sed quanto clariorem canes, acutiorem aquilæ, graviorem tauri, dulciorem molliorémq; lusciniæ.* Nec clarior, nec acutior, nec gravior, nec dulcior, quàm *vox Domini in virtute.* Vox clara, *vox Domini super aquas* Vox acuta, *vox Domini intercidentis*

Laërtius l. 6. Pierius l. 26. Alciat. emb. 116.

Hugo ser. 31.

Seneca Ep. 76

Psal. 28. v. 4. & seq.

dentis flammam ignis. Vox gravis, *vox Domini in magnificentia.* Vox dulcis & suavis, *vox Domini præparantis cervos.* Vox generosa, *vox confringentis cedros.* Vox refracta & repercussa, *vox concutientis desertum.* Hæ quidem omnes & singulæ vocis resonantiæ Supremi Numinis indicant virtutem ac potestatẽ: ad Dei namq; vocem contremiscit terra, concutitur mare, dissiliunt arbores, agitantur nubes, ignita cadunt fulmina, feræ in spelæis latitant, deserta concutiuntur, homines in genua procidũt, omnes denique creaturæ Authoris sui vim persentiscunt: ubi interim solus Deus immobilis, & inconcussus sedet; & regnabit in quieto pacatóque solio, sibi subjecta omnia despectans. Indicant, inquam, Dei virtutem ac potestatẽ hæ vocis resonantiæ: sed vero noster S. Baptista, dum *vitâ suâ loquitur*, omnium vocum symbolicâ interpretatione in sese exprimit significationem.

Psal. 28. v. 4. & seq.

185. Audite vocem, signate mysterium. *S. Ioan. Baptista* fuit *vox Domini super aquas* Jordanis, baptizans in nomine vẽturi Messiæ, & prædicans baptismum pœnitentiæ. Patuit olim virtus Dei educentis Israëlem per mare rubrum, divisum in parietes, ad instar rubini erectos: patuit in Jordane, parante Levitis Arcam transferentibus siccum iter: at verò nunc *vox Domini super aquas* Jordanis, dum à Joanne funditur lympha, baptizatur Messias, dignificatur Elementum, & auditur vox cælestis sub manu *clamantis*: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Fuit Joannes *vox Domini intercidentis flammam ignis.* Fumabat olim totus mons Sinai, & flammis emicantibus coruscabat; eò quòd descendisset Dominus super eum in igne, & ascenderet fumus ex eo quasi de fornace, erátque omnis mons terribilis: sonitus autẽ buccinæ paulatim crescebat in maius, & prolixiùs tendebatur. Nunc verò dum exarsit ira in Synagoga propter exinanitionem Legis, antiquæ & subinductionem Legis novæ sub promisso Messia; Joannes plenus zelo castigat turbas: *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à venturâ irâ?* & pari fervore nostra Cicada CANTAT AB ÆSTU, & peccatorum reliquias corripiens, Pharisæis comminatur flammas inferni, ceu arboribus infructuosis ad ignem deputatis. Fuit *vox Domini in magnificentia.* Magnificentia Dei in nubibus, depluentibus manna; in ventis australibus, afferentibus coturnices; in durissimis petris, elicientibus aquas; in difficillimis prælijs, consignantibus triumphos: at verò magnificentia Ioannis, dum *SOLE SUB ARDENTI resonant arbusta Cicadis*, resplẽdet ex laude & doxologia, quando patrem suum Zachariam, sublato linguæ vinculo, nascens commovit ad canendum: *Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitavit & fecit redemptionem plebis suæ*: quando etiam B. Virginem, in suâ genitrice salutando ut Matrem Domini, commovit ad canticum illud magnificentissimum: *Magnificat anima mea Dominum.* Fuit insuper *vox Domini præparantis cervos.* Toto tempore commorationis in deserto Deus Hebræos varijs monitis, documentis & præceptis præparabat, velut hinnulos, ut sibi agiles servirent, & superatis montibus ac fluminibus Chanaanitidem possiderent: at verò Joannes evibravit *CARMEN AB ALIS*, dum Apostolicos viros præparavit ad pariendum Evangelium, & portandũ per universum orbem, cervinâ velocitate: *Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.* Fuit *vox confringentis cedros*; quando Deus superbos & potentes, suâ magnitudine, robore, sublimitate terribiles Reges & populos circa Libanum habitantes prostravit: at verò Ioannes militibus ad omnem prædam & injuriam laxatis, ne quempiam confringerent, prohibuit: *Neminem concutiatis, neq; calumniam faciatis; & contenti estote stipendijs vestris.* Fuit *vox Domini concutientis desertum*: populus enim audiens, se condemnatum esse à Deo ad moriendum in deserto, atque ad trahendam ibi vitam miserè per quadraginta annos, solutus est in lachrymas & lamenta, & temerè in Amalecitas pugnans victus est: at verò Ioan-

S. Ioannes multiplex vox Domini, in exercitio virtutum.

Matth. 3. v. 17.

Luc. 3. v. 7.

Luc. 1. v. 68.

Luc. 1. v. 46

Luc. 3. v. 14

Ioannes concussit suâ voce desertum, hoc est, corda hominum ab omni virtute, Lege Dei & timore deserta: erant enim tunc homines percutientes pectora sua, quando audiebant eum toto corporis habitu, oculis, manu, veste pelliceâ cameli, locustarum sylvestrium alimento, & rigorosissimæ vitæ sanctimoniâ clamantem: *Pænitentiam agite; appropinquavit enim regnum Dei.* Fuit denique *vox Domini revelantis condensa*; quando muros Ierichuntinos dejecit per buccinarum clangorem, & profunda Iordanis vada aperuit transeunti populo: at verò Ioannes revelavit condensata Herodis flagitia, improperans adulteroRegi, *Non licet tibi habere* Herodiadem, fratris tui uxorem. Verè tunc Cicadam alâ corripuit; juxta vulgatum proverbium. Hoc enim Animalculi genus naturâ garrulum alâ si corripueris, clariùs obstrepet: ita si malitioso præbeas occasionem odij, non modò non tacebit, sed & importuniùs efficiet, & omnem bilem evomet; prout in martyrij agone persensit Ioannes Vt meritò ex tantâ voeum consonantiâ illi Hugonis censuræ subscribam: *Vita Joannis tota nobis loquitur, tota nobis sermo est*; tota clamat virtutum omnium validissimum consensum.

Loco citato.

Alciat. Emb. 163.

184. **S. Ioannis vox adhuc hodie auditur à pœnitentibus pro regno cælorum.**

Ad hanc *vocem clamantis* tam potenter elapsam, tam profundè penetrantem, tam acutè ferientem, optarem ut Auditores mei attentissimi quidpiam paterentur inopinatum; & in tam sinuosos ac solidos scopulos sese subrigerent, qui vocis echonem redderent, & toti in voces virtutum resonarent, toti voces, totique tubæ Dei gloriam celebrarent. Demonstretur in opere, quod S. Ambrosius verificavit in sermone: *Etiam hodie clamat Ioannes exemplo, & verbo; & vocis suæ tonitruo deserta nostrorum concutit peccatorum.* *NON SILET Cicada DUM ARDET.* Et vox clamoris Ioannis resonat in omnibus ijs, qui sive inter squallidos sylvarum recessus cum Eremitis, sive inter conclusos Asceteriorum cancellos cum Religiosis, sive inter periculosos Curiarum apparatus cum Aulicis, sive inter difficiles familiarum nexus cum Conjugibus, sive inter ambiguos deliberationis anfractus cum Solutis, sive inter molestos sæculi dolos cum Officiosis, ex tanti Præcursoris consilio dignos pœnitentiæ fructus operantur; & de assecuranda salute solliciti, vim suis affectibus, vim carni, vim animo, vim Deo & cælo inferunt. Non ab Orbe & Vrbe conditâ, non à mundi diluvio, nec ab exitu de terrâ Ægypti, sed à *diebus Ioannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur.* Magna gloria, magnum hoc ornamentum Ioannis est, ut rerum præclarè gestarum pro Deo ac regno cælesti computus desumatur à diebus Ioannis Baptistæ. Homines ab orbe & urbe conditâ, à diluvio mundi, à populi in libertatem assertione numerare cœperunt: at Ille, qui numerat in cælo sidera, & novit in litore maris arenarum multitudinem, à diebus Ioannis Baptistæ computum instituit, ut inde recenseamus viros ac fæminas, computemus virtutem ac vim, quâ regnum cælorum occupârunt. Profusa laudatio, à Christo in suum Præcursorem reflexa: *A diebus Joannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur; & violenti rapiunt illud.* Ioannes primus cœpit prædicare regnum cælorum; & ejus prædicatio tam fuit efficax, tam conjuncta eum sanctæ & Angelicæ vitæ exemplo, ut multi ab eo baptizati pœnitentiam agerent, vitam mutarent, & ad cælum magno studio contenderent: quod studium succedentes Ioanni per Christum Apostoli, & deinceps Apostolici viri promovebant, promovent, & promovebunt. Exinde igitur, sicut merx aliqua rara, v. g. vinū Rhenanum aut Toccaicum, cùm ab œnopolis avidè emitur, rapi dicitur: sic magnâ multitudine, studio, aviditate, conatu & impetu, alio alium prævertere satagente, ad obtinendum regnum cælorum, imò rapiendum homines à Ioanne excitati concurrunt. Et quidem non naturali propagine, nec naturæ pondere aut virtute (ut volebant Iudæi, in pro-

S. Ambr. ser. 9 de S. Joan.

Matt. 11, 12.

in promissionem Abrahæ rejecti) sed supernaturali vi gratiæ, omnem naturam exuperante, hoc Regnum jam ab omni natione sub cælo ambitur, invaditur, expugnatur. Jam peccatores; jam publicani, jam meretrices & gentiles, ipsis Pharisæis & Judæis, qui sibi solis quasi filijs Abrahæ hoc hæreditarium putabant, fervore spiritûs & pœnitentiæ illud præripiunt, eripiunt; & quasi vi auferunt. Nunc regnum cælorum, quod Angelicis Spiritibus ab æterno Patre in dignam possessionē tradebatur, à terrenis hominibus, qui suis vitijs vim inferunt per pœnitentiam, paupertatem, continentiam, mortificationem, ac difficillimarum virtutum exercitium, invaditur; uti olim à gigantibus invasum fuisse, fabulantur Poëtæ: quando per Joannem, & magis per Christum fit, *ut qui homo natus est, Angelus esse desideret, & terrenum animal cœleste quærat habitaculum*, ait S. Hieronymus. Quod non minùs violentum videri debet, quàm si pisces relicto naturali maris elemento in terrâ, & vicissim crassi boves in mari cuperent habitare. Non possum in tam condensatâ comprimentium turbâ ita coangustari, quin paulisper excurram, & inferam præclarum Sancti Ambrosij locum, clamorosè de hâc violentiâ tractantis. [Vim, inquit, facimus Domino, non compellendo, sed flendo; non provocando injurijs, sed lachrymis exorando; non blasphemando per superbiam, sed per humilitatem mœrendo. O beata violentia, quæ non indignatione percutitur, sed misericordiâ condonatur! Beata, inquam violentia, quæ vim patienti bonitatem elicit, & utilitatem tribuit inferenti. Mala res admittitur, & de injuriâ nemo causatur: vis admittitur, & religio propagatur. Quisquis enim violentior Christo fuerit, religiosior habebitur à Christo.] Prosequitur Ambrosius similibus motivis hunc locum; quem tantò potentiùs produxi, quantò solidiùs constat, quòd *Etiam hodie clamat Joannes exemplo, & verbo, & vocis suæ tonitruo deserta nostrorum concutit peccatorum.*

S. Hieronym. super Matth.

S. Ambrosius s. 5 in Lucam. & serm. 3.

Clamet, utinam! etiam hodie Joannes exemplo & verbo in Concionatoribus, ut vocis suæ tonitruo deserta contumacium concutiant peccatorum: clamet, & fritinnet; nec sit quasi cicada fæmella. De qua lepidè quærit Simocatta apud Nierenbergium, cur Cicada fæmina sit muta facta? & respondet, id fieri, quasi per modestiam pudeat loquacitatis. *Non vides*, inquit; *compositè hinc istam cicadam insidentem ramo, nimis taciturnam, tanquam si Pythagoræ institutis dogmatibus*? Frigidâ naturâ sunt cicadæ, & ideo circa æstivam auroram incipiunt canere, & sole recedente ab hac suavi minuritione desinunt, temporéque meridiei sunt vocaliores. Cicada igitur fæmina humore multùm superat masculum, & natura ei silentium indixit, intendens humiditatem. Ideo garrula cicada non est fæmina, sed Theano veluti quæpiam secreta reticens, Homero quasi qui sermonem viris cutæ esse præcipit, obedit ac temperat. Advertit insuper Solinus, quòd apud Rhegienses civitatem Italiæ cicadæ sunt mutæ, cùm tamen apud Locrenses, licèt vicinæ, plusquam alibi sint sonoræ. Solebat autem tunc gentilitas allegare, quòd cùm Hercules ibidem dormiret, & cicadæ obmurmurarent, jussit eas amplius non strepere; & sic contigit, ipsas ex tunc ibi mutas esse. Cicadæ masculi est fritinnire, minurare, strepere, obmurmurare, canere, *vocem esse*: Concionatoris cordati est, increpare, arguere, obsecrare, instare, clamare opportunè, importune, *vocem* esse clamantis. *Mulieres in Ecclesijs taceant, non enim permittitur eis loqui*, aut docere, aut prædicare. Viri sint cicadæ vocales, & obstreperi cōcionatores: qui *Sole sub ardenti* & spiritu fervente, arguant publicè delinquētes, increpent manifestè pertinaces, obsecrent magnificè potentes; clament cū S. Joan. Baptista, *non licet, non licet*. Erat 185.

Concionatores non sint muti, sed vocales.

Nierenb. hist. natural. l. 7. c. 44.

Barthorius in reduct. moral. l. 7. c. 18.

1. Cor. 14. v. 3

Joannes ab utero Matris vir. Elisabeth quippe *magnum virum genuit*, cui similes esse debent homines in prælijs cælestibus & terrenis: ac proinde Philo libro, quòd omnis probus sit liber, inquit: *Imperatores nullam cohortationem habent efficaciorem in prælijs, quàm ESTOTE VIRI.* Nec Spiritus sanctus potentiorem inspirat motum Divini Verbi præconi, quàm *esto vir*, *esto vox*; clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo scelera eorum. Vbi res agitur de honore, de animarum salute, de publicis scandalis, de communi tranquillitate, de Religionis emolumento, esto vox; nec timeas potentum minas, aut insidias: esto vir, perfringe clamore, prædica instar Joannis verbo & vitâ, ore & more; ob nullius expavesce occursum, & cùm sis vox clamantis, *nec æstivis concede cicadis.* Amen.

* *
*



IN FESTO SS. CÆLI PRINCIPUM ET APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

PETROCOSSYPHOS CÆRULEUS.

Die himmelblawe Stein-Amsel.

LEMMA.

Accipiens sonitum saxi de vertice. Virg. Æneid. 2.

THEMA.

Super ea volucres cæli habitabunt: de medio Petrarum dabunt voces. Psal. 103. v. 12.

SYNOPSIS CONCIONIS. LXXIX.

Ex Petrocossyphi colore, volatu, indole, cantu, vigilia, nidificatione ac alarum expansione, copiosè adstruitur incomparabilis S. PETRI Apostoli sublimitas, super quam Christus suam Ecclesiam solidavit.

186. SS. Patres & Doctores sunt volucres cæli.



Olymorum regius Vates, dum in considerationem rapitur hujus tam magnifici operis, quod supremus Architectus suâ inexhaustâ virtute ex nihilo procreavit, in cælestia & elementaria corpora distinxit, tot elegantissimis simplicium, compositorum, & viventium speciebus exornavit; etiam perstringit sollicitam curã & perennem administrationem, quâ Deus parat Avibus arbores, & cervis aliisque animalibus montes in perfugium, iisque opportuno tempore præparat escam suam. Sed verò etiam jucunditatem nemorosorum montium, saxorum sublimium vertices, viventium aquarum lepôres, viridantium pratorum choros, & concinentiũ Volatilium theatra exhibet Psaltes: *super ea*, inquit, *volucres cæli habitabunt*; *de medio Petrarum dabunt voces.* Sive de aquaticis, sive de ramicolis, sive rupivagis

vagis

vagis Avibus intelligant Interpretes, de oscinibus certè ipse textus testatur; cum quibus & ego altiora peto

Greveus serm. 119. mysteria, atque elegantiora. Greveus per hosce cæli volucres intelligit Angelos: hi enim dulces concentus personant, cogitationes sanctas & affectiones suis inspirando, atque sublimia secreta revelando de medio duorum

S. Hieron. sup. Psal. Testamentorum, tanquam petrarum. S. Hieronymus intelligit spirituales in Ecclesia Viros, *qui excelsiorem ad intelligendum meruerunt sensum.* Cui D.

S. Augustin. Conc. 3. in Psal. 103. Augustinus apposite consentiens, *nihil*, inquit, *suavius tali voce Alitum. Illæ sonant, & petræ resonant. Sonant illi, disputant spirituales. Resonant petræ testimonia, respondent Scripturæ. Ecce inde volatilia de medio petrarum dant vocem suam; habitant enim in montibus.* Miram hanc doctrinæ consonantiam inter SS. Patres in Ecclesia, quis non admiretur? cùm maximè diversis in Provincijs, ac terræ plagis floruerint: in Asia quidem SS. Basilius, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus, Ephrem, & alij: in Africa SS. Augustinus, Cyprianus, Athanasius, Tertullianus: in Europa SS. Leo, & Gregorius: Constantinopoli S. Chrysostomus: Mediolani S. Ambrosius: in Gallia SS. Irenæus, & Hilarius: in Hispania S. Isidorus; aliique innumeri in illis, & reliquis orbis Provincijs. *Resonant petræ testimonia, respondent Scripturæ.* Vultis scire, de quo Petrarum medio dent vocem suam hi cæli Volucres? Petra erat Christus. *Petrus* erat petra, super quam ædificata est Ecclesia; petra erat *Paulus*, & reliqui *Apostoli*: de medio ergò Christi, & SS. Ecclesiæ Principum PETRI ac PAULI, cæterorumque Apostolorum, dabant voces suas Patres & Doctores; dum ex eis sumpserunt divinæ Sapientiæ aquas salientes in vitam æternam, & in foraminibus petrarum posuerunt cubicula Scripturarum. Interim dum volucres cæli de medio petrarum dant suas voces, *Accipiens sonitum SAXI DE VERTICE*, unam hodie Apostolorum vertici PETRO dedico Aviculam, *Petrocossyphon* cæruleum, canorum, elegantissimum; & dum laudes D. *Pauli* in crastinum refundo festum, ita hodie in D. *Petri* præclaris laudibus exprimendis mea occupabitur oratio, ut videatur cum Petrocossypho *saxi de vertice* dare vocem, sonitúmque sublimitatis, super quam Christus Ecclesiam suam fundavit. Ne credatis, me Petri gladio usurum ad amputandas Malcho auriculas: non amputabo vobis aures, sed reficiam, sed reserabo in sublimes *Petri* excellentias; quas benè & gloriosè excipite in nomine Salvatoris.

Quidquid in *Petrocossypho* observant Ornithologi, sublime est: sublimis color, quia cæruleus; sublimis nidus, quia inaccessus; sublimis cantus, quia incomparabilis; sublimis industria, quia admirabilis; sublimis volatus, quia pernicissimus. Placet primus à colore conspectus, in nostra alite ita cæruleus, ut ex omni corporis parte sereno cælo sit æqualis; nisi quòd in alis & dorso cæruleis, paulisper umbrosior appareat. Si scitis ex Alciato; exornat Color 187. *S. Petro cur cæruleus color proprius? Gesnerus in Cæruleo. Alciatus Emb. 117.*

Cæruleus nautas, & qui cælestia vates
Attoniti nimiâ Religione petunt.

Semper mare, quod à cælo colorem suum accipit, propriè dicimus esse cæruleum: quomodo etiam Cicero ad maris colorem respiciens, Neptuni oculos esse cæruleos asseveravit. Nec minor est illa apud Virgilium invocatio; *Cic. l. 1. de Nat. Deor. Virgil. 12. Æneid.*

Fontésque fluviósque voco, quæque ætheris alti
Relligio, & quæ cæruleo sunt Numina Ponto.

Jam non anxiè disquiram Pictorum solertiam, cur *S. Petro* glauca vestimenta assignent, & cæruleâ tunicâ eundem amiciant? Nempe *PETRUS piscator erat; cibum manu & arte quærebat*: in stagno Genesareth, propè quod etiam nativum solum incoluit, navigando & piscando cæruleum tandem contraxit amictum. *Cæruleus nautas.* Exinde vocatus è mari à Christo Servatore, evasit in Piscatorem hominum, in discipulum Divini Magistri; in Apostolum supremi Verbi, in Do-

ctorem & Prophetam æternæ sapientiæ; hinc novo titulo hyacinthinam aut saphirinam glaucitatem prætendit, utpote *qui cælestia vates attonitus nimiâ Relligione petit*. Exinde totus cælestis evasit *S. Petrus*; qui velut Sol in Oriente nascitur, ut inde per totum orbem currat, ac radios solares irradiantis suæ sapientiæ diffundat: quæ tunc maximè resplenduit, cùm absconditum in Christo Sacramentum declaravit, & confessus est ad illam seriam, sed sinceram ac amicabilem

Matth. 16. v. 13. interrogationem: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Respondit Petrus: *Tu es Christus filius Dei vivi.* Cùm autem Christus magis vellet perficere Petrum, qui solis instar lucebat, & Joannem ac Jacobum; quorum animi alter instar ignis ardebat, propter animi fervorem ac robur; instar verò nivis alter emicabat, propter virginitatis excellentiam, assumuntur præ cæteris

Matth. 17. v. 2. in montem. Ubi Petri erat contemplari Solem: *Resplenduit facies ejus sicut Sol*. Joannis candidas considerare vestes: *vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix*. Jacobi verò igneam spectare nubem: *Ecce nubes lucida obumbravit eos*. Ut planè ex hoc Thaborino conspectu ad perfectam *cæruleiCæli* colorationem vix aliquid possit desiderari. Sed verò etiam relucere debet, qui splendor virtutis, *quæq; Ætheris altireligio*. Hugo de S. Victore

Hugo l. 4. Miscell. tit. 98. monet. *Tria notemus in Cruce Christiana, Nobilitatem, Sapientiam & Religionem: unde titulus literis Latinis, Græcis, & Hebraicis inscribitur. In Latino notatur Nobilitas, quâ præcedebant Romani: in Græco sapientia, quam ipsi requirunt: in Hebraico Religio, ex qua Iudæi, qui signa petunt, procedunt.* Nobilitatem & Sapientiam Paulus invenit in cruce, in qua solummodo gloriabatur: nam Jesum noverat solum, *& hunc crucifixum*. Petrus verò in cruce quærit & invenit Religionem, cujus symbolum ipse vult esse in cruce, dum inverso ordine in eâ moritur. Nempe Religio Christiana, quæ à Petro annuntiatur, inverso ordine ab eo didicit procedere; dum reliquæ omnes rectò celebrantur. Nam Religio Martis, Jovis aut Plutonis potentiam, vindictam & divitias quærit: Religio Christiana invertit potentiam in humilitatem, vindictam in reconciliationem, pro divitijs diligit paupertatem. Hic ordo, hæc forma nostra vivendi; quam vitâ & scriptis, suisque doctrinis manifestavit Petrus, secundùm exemplar, quod ei à Christo monstratum est. Inde *cæruleus color Petro* proprius, quippe cælestis atque religiosus.

Si *Petrocossyphos* vel semel è suo avolavit nido, tantæ pernicitatis est ales; ut nullâ ampliùs arte circumveniri; nullâ insidiarum inventione possit Aucupibus in prædam trahi. Ut capiatur; in nido pullus deprehendi debet, proinde delicatè educari, in arte musicâ instrui, ac tandem caro pretio vendi. Auceps, ut capiat pullum, periculis manifestis redditur obnoxius: nam & præruptissima petrarum, vel ipsis dammis inaccessa, superare debet, harpagatis perticis innixus; & oculos ita cautè munire, ne parentes pro suis pullis pugnantes, involando fenestras capitis perstringant. Tanta est velocitas volantis. *Vidisti virum velocem in opere suo? coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles.* Nempe velocitas tem citò perficit, æquè ac fortiter; facit enim, ut res existat, antequam ab æmulis sentiatur & impediri possit: hinc reges cùm magna & multa expediant, non tardis, non lentis, non segnibus, sed festinis, sed expeditis, sed strenuis & celeribus, sed industriosis ac velocibus Ministris utantur, necesse est. Est celeritas laudanda, non tam in consilio, quàm in consilij executione: nam ut ait Aristoteles, *Celeriter deliberata peragenda sunt, deliberandum autem tardè*. Sic M. Agrippa rebus gerendis admotus fuit à Cæsare Augusto, quia, ut ait Velleius, *vir fuit labore, vigiliâ, periculo invictus, & per omnia extra dilationes positus, consultísque facta conjungens*. Non deteriori censurâ dignus est *Petrus*: quis enim ignorat, quòd fuerit *per omnia extra dilationes positus.* Laverat aliquando retia sua in lacu

188. S. Petrus in agendis strenuus & velox.

Gesnerus in Ornith.

Prov. 22. v. 29.

Arist. 6. Eth. c. 9.

Velleius in Agrippa.

Ge-

Genesareno; audit vocem Salvatoris in litore obambulantis, & suaviter invitantis: *venite post me.* Petrus *per omnia extra dilationes positus*, statim secutus est Dominum; & quidem relictis retibus suis. Viderat aliquando Dominum super aquas ambulantem, viderat in litore stantem: clamat Petrus, *Domine jube me venire ad te super aquas*; nec moram trahens, & *per omnia extra dilationes positus*, ambulavit super aquas, cucurrit, volavit ad Magistrum. Agebatur in horto circa dignissimam personam Magistri, ab hostibus capiendi, & crudelissimè tractandi; ex præsentibus terrore perculsis, nemo satagebat Dominum defendere: solus Petrus *per omnia extra dilationes positus*, suam produxit machæram, & Malcho amputavit auriculam dextram. Erat Petrus Jerosolymis ab Herode captus, vinculis alligatus, carceri inclusus, custodiâ munitus, & somno nocturno compositus; venit Angelus, & percusso ejus latere dixit, *surge velociter*: ille verò *per omnia extra dilationes positus* surrexit, & eum secutus subitò exivit, nemine advertente. (Act. 12. v. 7.) Erant peragrandæ amplissimæ Provinciæ; nunc Asia erudienda, nunc Cappadocia baptizanda, nunc Bithynia evangelizanda, nunc Pontus imbuendus, nunc illustranda Italia, nunc amplissima Regna & Vrbes Jesu Christi Evangelio donanda; alis, remis, & pedibus erat properandum: Petrus *per omnia extra dilationes positus*, missionibus suis Apostolicis cum ingenti animarum conversarum proventu est functus. Tanta erat Petro in omnibus agendis strenuitas, & velocitas, ut in laboribus pro Ecclesiâ Dei exantlatis, & rebus maximis maturo consilio feliciter peractis, videatur adæquâsse illud Davidis de Saule & Jonathâ defunctis sententiam, quòd fuerint *aquilis velociores, leonibus fortiores*; (2. Reg. 1. v. 23.) aut illud de Asaële, inter triginta suos triarios & fortissimos heroës accersito, quia *velocissimus fuit quasi unus de capreis.* (2. Reg. 2. v. 18.) Ita erat strenuæ velocitati assuetus Petrus, ita *per omnia extra dilationes positus*, ut velocissimè ad suum terminum sese properare profiteatur in Epistolis: *Iustum arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione, certus quòd velox est depositio tabernaculi mei, secundùm quod & Dominus noster Iesus Christus indicavit mihi.* (2. Petri 1. v. 13.) Velociter appropera tempus, quo brevi moriar & crucifigar, ac è morte & cruce evolem in cælum ad meum Jesum, quem desidero, ac totâ dilectione prosequor.

189. Hominem non esse animal terrenum, sed cæleste, cui Deus os sublime dedit, vel ex eo liquet, quòd cùm nullum reptile aut quadrupes humanum assequatur sermonem, plurimæ tamen aves facili disciplinâ addiscant: (D. Petrus primus confessus est Deitatem Christi.) nam ut gallum Mycilli verba facientem prætercam, satis usu atque experimento constat, lusciniam, sturnum, solitarium passerculum, turdum, merulam, picam, psittacum, corvum, corniculam, & omnes propemodum corvini generis volucres, ad verba humana pronuntianda esse admodum dociles. Hinc corvum Ornithologi inter Astrologos, Psittacum in Elysio nemore collocârunt Poëtæ, velut Deorum Heroûmque contubernio dignos: (Bonifac. in hist. Ludic. l. 13. c. 7.) Columbam verò Aphrodisiam, Pavonem Junonium, Aquilam Jovialem, Phœnicem solarem, Cygnúmque Apollineum in eisdem Beatorum campis posuerunt Vates, in gratiam Numinum, quibus dicati sunt. Ego *Petrocossyphon* his omnibus augustiori dignor habitaculo, dum supra sublimissimam Ecclesiæ Columnam collocatur: tam enim est in suo cantu deliciosus, tam in loquendi docilitate facilis, tam in pronuntiandi subtilitate vocalis, tam in arte musica canorus, ut Elysiam quandam videatur imitari elegantiam. Quis loquebatur potentiùs? quis interpretabatur distinctiùs? quis disputabat subtiliùs? quis commentabatur articulatiùs? quis penetrabat profundiùs? quis elevabat vocem sublimiùs, quàm Petrus, cælorum Lingua, vox Ecclesiæ, & omnium Apostolorum Judex? Non reassumam ejus energicas conciones,

quas

quas velut potestatem habens declamabat ad gentes, Judæos & Fideles: dimitto illa divina oracula, ac Fidei morúmque decisiones, quæ in primis Oecumenicis Concilijs tanquam Præses cum potestatis plenitudine à Christo constitutus edebat: Epistolas ejus canonicas, Divinâ Sapientiâ & stylo exquisito gemmatas, ad ordinarias repono glossas: summam in dicendo authoritatem ad summos Ecclesiæ Pontifices propagatam, venerabundus suspicio. Hæc omnia, inquam, canoræ, sonoræ & decoræ Linguæ miracula reverentiali præteritionis pede dimitto, quando *D. Petrus* omnium Apostolorum Primus, & nulli Prophetarum posterior, assentiente S. Leone, *per revelationem summi Patris, corporea superans & humana transcendens, vidit mentis oculis Filium Dei vivi, & confessus est gloriam Deitatis.* Erat nempe proposita quæstio, non tam solutione difficilis, quàm mysterio sublimis: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Non deerant in illo Apostolico Collegio Oedipi, qui simpliciter recenserent communem plebis opinionem; de Joanne Baptista, Elia, Jeremia, aut alio Prophetarum enuntiantis. Necdum satisfecerant interroganti. Vrget Magister: *Vos autem quem me esse dicitis?* Hic lapis, hic saltus. Erant adhuc admodum rudes Apostoli, & in Scripturis tenuiter eruditi, nec poterant de æterna generatione Verbi Incarnati quidpiam rectè concipere, aut distinctè explicare. Ergò tacuerunt omnes, & tacitè compromiserunt in *Petrum*, tanquam à Deo magis illuminatum, ut, quidquid is sentiret respondendo, in illud unanimiter singuli consentirent. Vnde *Petrus* prior responsum præripit, & pro omnibus respondendo, distinctè, clarè, sublimiter, ac palàm profitetur: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Verè corporea superans, & humana transcendens enuntiatio! *Tu es Christus*, verus Messias, ante tot sæcula Patribus in Lege promissus, à Prophetis ac Patriarchis avidissimè desideratus, & à Gentibus expectatus! *Tu es Christus*, hoc est, *unctus à Deo*, unctione gratiæ Vnionis hypostaticæ cum Verbo, ac hoc ipso consecratus summus orbis Doctor, Pontifex, Propheta & Rex. Et quidem, *Tu es Filius Dei*, non per gratiam & adoptionem, ut sunt omnes Sancti; sed per naturam & Deitatem, tibi à Patre æternâ generatione communicatam. Insuper, *es Filius Dei Vivi*, ita formaliter divinam vitam, increatam & beatam viventis, ut causaliter omnibus rebus à se creatis suam vim & vigorem, ac viventibus animam & vitam inspiret; utpote à quo velut à fonte & sole vitali, omnis lux & vita omnium Angelorum, hominum, animalium, plantarum promanat. Accepit Petrus dignum tantâ confessione stipendium; dum *BEATUS* exinde fuit à Christo canonicè declaratus, utpote non à carne & sanguine, sed à Patre cœlesti tunc illustratus, quando *corporea superans & humana transcendens, vidit mentis oculis Filium Dei vivi, & confessus est gloriam Deitatis.*

S. Leo serm. de Transfig.

Matth. 16. v. 14. Luca 9. v. 19. Marci 8. v. 28.

190. S. Petrus sæpius excitatus etiam alios excitat.

Illud refert de *Petrocossypho* Gesnerus, quòd, si profundâ nocte excitetur à somno, recentissimè incipiat canere; præsertim si ab alliciente fistulâ ad imitationem invitetur; eúmque adeò studiosè præcinentis melodiam exprimere, acsi pro implendo præcipientis mandato sese intenderet. O noctes Atticas! ô noctes Erebi tenebris obscuriores! Fuit Petrus aliquoties excitatus in nocte; vel dum dormiret, orante & sanguinem sudante Magistro; vel dum negaret, provocante ancillâ in atrio Pontificis; vel dum quiesceret inter cataphractos milites in custodiâ. Excitatus à somno extollebat vocem suam Petrus in horto, & quod priùs expresserat promissione, nunc correptus ingeminat fidelitate: *si oportuerit me mori tecum, non te negabo; paratus sum tecum in carcerem, & in mortem ire.* Deprimebat vocem Petrus in atrio Pontificis usque ad *Passum*, quando aliquid humanum *passus* in perfidâ negatione sui Magistri, arte quâdam & imitatione hydraulicâ, aut certè *tremulante* suspirio, cœpit *amarè*

fle-

flere. Rursus numerabat alacriter *notas* sui Servatoris in carcere; *notas*, inquam, cruciatuum & passionum; *notas* vulnerum & cicatricum; quas *altâ* voce prædicabat populis, *tenero* affectu exprimebat in pectore; haud alio interposito textu, quàm illo exhortatorio: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Ita moderabatur Petrus vocem, ut distinctè & penetranter intelligeretur ab omnibus, & ad Magistri sui mandatum invalesceret. Sed verò nunquam ita fortiter fuit Petrus excitatus à *Galli cantu*, quàm ipsemet excitavit Gentilitatem letali depressam somno errorum, & falsitatum. *Hæc civitas*, inquit Sanctus Leo, *ignorans suæ provectionis auctorem, cùm penè omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus; & magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem.* Caput gentium Romana erat Civitas; & cùm illa careret oculis, tota gentium universitas laborabat cæcitate. Fecit ergò Deus duo Lumina magna, deditque oculos Romæ, quæ cæca erat vel ab ipsâ nativitate suâ; dedit *Petrum* & *Paulum*; & post eorum adventum, prædicationem ac passionem, dicere lubet cum sancto Augustino: *Habet caput gentium duo luminaria, ab illo lumine accensa, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Sed verò dum *Petrus* fungitur officio oculi, non vult esse clausus ad somnum Erebrosum gentilitatis, sed apertus ad vigiliam & lumen veritatis. Ergo amplissimas Provincias facit inquietas, easque ab insaniâ revocat ad sanitatem rationis, à superstitione ad veræ Religionis gratiam, ab errorum falsitate ad veritatis salutem. Revocat, inquam, & excitat à somno perditionis ad vigilias æternæ felicitatis: excitat ardentissimis suis prædicationibus: excitat docendo, & movendo; excitat illustrissimis sanctitatis exemplis; excitat frequentissimis miraculis; excitat sudore & labore; excitat rogando, & consolando; excitat calamo, & scripturis. Jam primam suam epistolam expediverat Romæ anno Christi quadragesimo quinto, Claudij Imperatoris tertio, à conversione sancti Pauli decimo; eámque non solùm scripserat ad Christianos è Judæis ad Christum conversos, sed etiam conversos è gentilibus, qui dispersi erant per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam & Bithyniam; eosque in fide ac moribus, & saluberrimis institutis instruxit. Deinde ijsdem nonnihil de quadam lethargia periclitantibus ob prava Gnosticorum & Hæreticorum dogmata, vigilantissimi Pastoris munere ritè fungitur, excitantis oves in periculo subversionis; alteramque ipsis scribit Epistolam, inquiens: *Hanc ecce vobis, charissimi, secundam scribo epistolam, in quibus vestram excito in commonitione sinceram mentem.* Excito scilicet quasi à somno torporis, teporis & oblivionis; exstimulo in commonitione, in recordatione, in renovatione, ad memoriam pertinentium ad vestram salutem. Sic nempe aliquoties excitatus Petrus à somno, noverat & alijs dormientibus aut sopiris dare impulsum, ut perculsi arriperent operationes lucis, & ad imitationem sanctitatis essent intenti.

1. Pet. 2. v. 21.

S. Leo in nat. Apost.

S. Aug. serm. 6. de Temp.

2. Pet. 3. v. 1.

191. Ad nidi sublimitatem transeo: nec enim solius est aquilæ, *ponere in altis nidum suum*; quando etiam *Petrocossyphus* supremos Alpium vertices, & inaccessa petrarum culmina incolit, ut ibi subjectas regiones despiciens, stabiliter firmiterque nidificet, & cælestis auræ influentiâ jugi intussusceptione fruatur. *Munimenta saxorum sublimitas ejus.* O ardua nidificatio *Petri* super Capitolinam rupem Arcis Vaticanæ! O suprema potestas *Petri*, stabilita supra Christum! *Accipiens PETRUS sonitum saxi de vertice*, oraculo Christi prolatum, quòd ipse constitutus esset universalis Ecclesiæ Pastor, traditâ ad hoc clavium potestate absolutâ ad solvendum ac ligandum in cælo & in terrâ; imò quòd Petri suprema authoritas non tantùm sit firmata supra Petram Christum, sed quòd ipsemer

S. Petri multiplex sublimitas & authoritas adstruitur.

Isa. 33. v. 16.

Matth. 16. v. 18.

semet esset Petra solidata, supra quam Christus tam fortiter suam ædificaret Ecclesiam, ut portæ inferi nunquam forent prævaliturae adversùs eam. Non poterat quidquam ad hanc sui Primatûs immobilem amplitudinem, vel sibi, vel suis successoribus desiderare *Petrus*, quod non eminentiâ Apostolici culminis contineretur. Inducit S. Leo in quodam sermone Christum committentem Ecclesiam Petro, quasi diceret: *Cùm ego* (Christus) *sim inviolabilit petra, & c. tamen tu quoque petrà es, quia meâ virtute solidaris, ut, quæ mihi potestate sunt propria, sint mihi tecum participatione communia.* Ex hac participatione, ac jugi Divinæ authoritatis influentiâ, *Petrus* est igitur Caput, Superior, Judex & Rector omnium Apostolorum; ita ut etiam *Paulus*, Vas electionis & Doctor gentium, teste Theodoro, ad magnum *Petrum* cucurrerit, ut iis, qui Antiochiæ de legalibus institutis contendebant, ab ipso tanquam supremo controversiarum Judice afferret solutionem. Refert etiam S. Evodius, S. Petri Successor in Sede Antiochena, quòd *Christus* ex mulieribus solam baptizaverit Virginem Matrem suam, ex viris solum Petrum; Petrus verò baptizârit Andream, Jacobum, & Joannē, & hi cæteros.

S. Leo serm. 3. de assumpt. sui Pontificat. — Theodoret. Ep. ad Leon. — S. Evodius in ep. τὸ φῶς

192. Eximia op. a à S. Petro & suis ministeriis præstita in Ecclesia.

Exinde omnis ordo hierarchicus, puta, omnium Episcoporum, Sacerdotum, cæterorúmq; Ecclesiæ Ministrorū ordinatio æquè ac jurisdictio, legitimâ successione descendit; ut Christus à beatissimo Petro, Apostolorum omnium summo ac primo capite, dona sua velut in corp⁹ omne diffunderet. Exinde Christus *Petro*, ejusq; in Sede Vaticana successoribus contulit assistentiam Spiritûs S. ad regendam Ecclesiam, & ad docendam veram fidem, ut in ea errare à vero haud possit; sicque quod ille hæreseos damnat, tota Ecclesia pariter pro hæretico reprobet ac abijciat. Exinde *Petrus* Christi personam repræsentat & authoritatem, non minùs, ac Prorex sui Regis exhibet majestatem; imò magis: nam *Petrus* in vitâ, zelo, propagatione fidei, morte & martyrio Christo longè fuit persimilior ac conjunctior, quàm Prorex Regi. Exinde perennat Monarchicum totius Ecclesiæ regimen sub uno visibili capite, Christi & Petri Successore, Patre, Pastore, Judice, Rectore & Pontifice; longè quidem constantiùs, quàm ulla vel Græcorum vel Persarum monarchia duravit. Exinde juxta sancti Prosperi carmen,

S. Prosper carm. de ingratis.

> *Sedes Roma PETRI, quæ pastoralis honoris*
> *Facta caput mundi, quidquid non possidet armis,*
> *Religione tenet.*

Vt adeò jus & imperium Petri, non tantùm ad omnes Fideles per universum orbem dispersos, sed etiam ad infideles, ad Anthropophagos, Indos & Barbaros, sine lege & rege, ac sine Deo viventes, se extendat, eósque sub pastorali curâ eatenus comprehendat, quatenus Christo & Ecclesiæ aggregari debent: acclamante S. Cyrillo, *Petro omnes jure divino caput inclinant, & Primates mundi tanquam ipsi Domino Jesu obediunt.* Exinde non tantùm jus & imperium in terrigenas, sed etiam in superos & inferos competit *Petro*: nam Claves accepit regni cælorum, ut reservet & dimittat peccata, conferat suffragia meritorum Christi & Sanctorum, aperiat cælos, claudátque infernum, & plenariam exerceat Indulgentiarum facultatem. Exinde S. *Petri* potestas & dignitas longissimè superat potestatem Abrahæ, Moysis, Aaronis, Melchisedech, ac veterum omnium Pontificum, Patriarcharum, Prophetarum, à quibus fuit adumbrata ac præfigurata: sed & tam solidè ac originariè in posteros est transplantata, ut cæteris Patriarchis deficientibus, inconcussa perduret ultra 1600. annos, ac perduratura sit usq; ad mundi finē; quia *porta inferi non prævalebunt adversùs eam.* Exinde *Petrus* per discipulos à se missos in universo orbe fundavit Ecclesias. Debet enim Sicilia *Petro* Pancratium, Marcianum & Peryllum: debent Capua Priscum, Neapolis Aspren, Tarracina Epaphroditum: debent

S. Cyrillus in thesauro.

bent Oequicolæ populi Marcum, Fesuli Romulum, Luca Paulinum, Ravenna Apollinarem, Verona Euprepium, Padua Prosdocimum, Paphia Syrum, Aquilcia Hermagoram. Debent *Petro* in gratijs & beneficijs referre, Lemovicenses, Burdigalenses, & Tholosani Martialem; Tungrenses, Colonienses & Trevirenses Maternum; Rhemenses Sixtum; Arelatenses Trophimum; Senonenses Sabinianum; Cenomanenses Julianum; Viennenses & Moguntini Crescentem; Catalaunienses Menimium; Bituricenses Vrsinum; Arvernenses Austremonium; Santonenses Eutropium; Germani Eucharium, Egistum & Marcianum; Hispani Torquatum, Ctesiphontem, Secundum, Indalesium, Cæcilium, & Hesychium; Carthaginenses Crescentem; Alexandrini Marcum; Thebani Rufum. Debet Orbis terrarum *D. Petro* conversionem gentium per delegationes suorum Missionariorum; quas vel hodie Romana Sedes ordinario jure prosequitur. O solidata Romanæ Sedis sublimitas! ô incomparabilis D. Petri authoritas! *ut quæ Christo sunt potestate propria, sint Petro participatione communia.*

191. S. Petri crucifixio expenditur. Quod reliquum est *Petrocossypho*, circa æstivas decrescentias, dum omne volucrum genus indicto silentio vernalium deliciarum evanescentiam meditatur, mirabile quid considerandum exhibet *Cærulei* indoles: nam post æstivale solstitium, obmutescentibus cæteris, *Petrocossyphos* pedibus atque alis in modum crucis protensis erectus frequenter solet consistere, ac novos meditari carminum modos; quos tantâ alacritate paulatim exprimit, ut jucundum præbeat suæ docilitatis & industriæ spectaculum. Video *Petrum* Romæ in Monte Aureo expansis brachijs transversè erigi in trabali Crucis ignominia; tali quidem tempore, quo ad collectionem manipulorum properat messis. Certatim de segete sibi propositâ messores Apostolici colligebant manipulos: sed in certamine prævivit cæteris *Petrus*, lætatus coram Deo, *sicut qui lætantur in messe*; cujus manipulus major, & altior cæteris assurgens colitur. Major manipulus majori indiget vinculo; & vinculum majus rectè applicatur ad magnum manipulum. Charitas Dei est vinculum perfectionis, & Petri charitas erga Christum nulli inferior, omnibus superior & major. Vt ita constaret Apostolis, coram omnibus *Petrū* interrogat: *Simon Ioannis diligis me plus his?* Ioan 21. v. 15. Pro vinculi magnitudine erat messoris manipulus magnus & copiosus; ac propterea sicut in choro Apostolico est primus, ita præcedit tempore æstatis & messis. Qualis Apostolus, talis & messis: spicæ plenæ inclinant verticem, more Petri & exemplo Christi, qui cadens in terram instar grani frumenti, copiosum fructum tulit, inclinato capite moriens in cruce, sub Nerone dirissimo Imperatore. Et ne vobis videatur inversa *Petri* sublimitas, dum inverso ordine pendet expansus cruci; dum econtra *S. Paulus* gladio cæsus eodem die occumbit. Humano quidem consilio attento, *Petrus* idcirco servili & turpissimo necis genere cecidisse videtur, quia habebatur persona vilis: nam crux erat supplicium infimæ sortis hominum, quo in cives abstinebatur; ut meritò Tullius in Verrem conclamet, quòd civem Romanum egisset in crucem: ac proinde ex hoc usu discriminandi in supplicij irrogatione nobiles à plebeis, *S. Paulus* tanquam civis Romanus ense impacto cecidit, sanctus verò *Petrus* clavifixione in cruce. At Dei consilium aliud fuisse videtur: nimirum ut B. *Petrus* insinuaretur esse Caput Ecclesiæ, in quo ipsa ex Christi oraculo erat ædificanda: Beatus verò *Paulus* significaretur *capitis minor*; adeòque deesse ipsi, quantumvis in Ecclesia magno, decus capitis, ita ut juxta Romanam phrasin physicè ac mysticè dici possit *capitis minor*. Et compensavit eo pacto Deus profundam humilitatem *S. Petri* in optanda & postulanda clavifixione capite deorsum, Theoph. Raynaud. in Pontificijs fol. 159.

ne suo æquaretur Magistro, dum generi mortis vilissimo superpondium vilitatis sibi ascivit: nam tantam hanc sui depressionem in Apostolo, Deus pro more suo, expressione extantis supra omnes mortales apices dignitatis, eo mortis genere delineatæ compensavit. Hoc itaque crucis ordine *Petrus* priorum non oblitus, novos meditatur modos, quibus æternâ felicitate fruatur. Quin imò Romæ, ubi Martyr occubuit *Petrus*, ibi & victor resurrexit; ac supplantato Nerone, Imperatoribus ac idololatriâ. Urbem Orbémq; Triumphator occupat; e Vaticano Romam, Fidem, & Ecclesiam Romanam, quasi omnium Ecclesiarum Matrem, Magistram & Dominam dirigit, tuetur ac propugnat: & quidem tam sanctè, tam constanter & invincibiliter, ut hucusque hæresis & perfidia eam convellere non potuerint, nec unquam sint convulsuræ, nec portæ inferi contra eam prævalituræ. Præclarè Sanctus Augustinus de crucifixione PETRI ait: *Ille negator & amator, præsumendo elatus, negando prostratus, flendo purgatus, confitendo probatus, patiendo coronatus, hunc invenit exitum, ut pro ejus nomine perfectâ dilectione moreretur, cum quo se moriturum perversâ festinatione promiserat: facit ejus resurrectione firmatus, quod temerè pollicebatur infirmus: jam non metuit vitæ hujus interitum, quia resurgente Domino vitæ alterius præcessit exemplum.*

S. August. in tract. 123. in Joan.

Hæ sunt sublimitates Petrocossyphi, in cæruleo colore, in pernicissimo volatu, in canendi & loquendi industriosâ indole, in abrupto sono, in inaccesso nido, in alarum expansione à longè consideratæ. *De medio petrarum dabunt voces* Petrocossyphi: ego verò *accipiens sonitum saxi de vertice*, dum PETRUM in cælo & in terrâ ita sublimatum suspicio, ut & æterni Patris per acceptas claves sit Consiliarius, & Verbi Divini Præsidens in Ecclesia Sanctorum, & Spiritûs sancti Cancellarius in Cathedra veritatis; ex hac miseriarum profunditate, quasi tuba exalto vocem meam, cum Prælatis Ecclesiæ & omni Fidelium cœtu supplicans. Intuere nos ex alto Sancte PETRE, qui in templum Solymitanum ascendens cæcum in via sedentem te intueri jussisti; & tuas oviculas pastorali solicitudine protege, easque per vitæ hujus turbines in viam æternæ salutis dirige: ut superato peregrinationis nostræ exilio, tecum ponamus in altis nidum requietionis nostræ; teque aperiente, cærulea ostia penetrando, ingrediamur consortia Beatorum.

A M E N.



IN

IN COMMEMORATIONE S. PAULI APOSTOLI, DOCTORIS GENTIUM.

CARDUELIS VINCTUS.

Der angefeßlete Stiglhitz.

LEMMA.

Hæc mihi sola placet. Ovid.l.1.de Arte.

THEMA.

Ego Paulus vinctus Christi Iesu. Ephes. 3.v.1.

SYNOPSIS CONCIONIS. LXXX.

Religiosissimum spectaculum exhibetur PAULUS alligatus vinculis libertatis Christi, quæ sicut deliciosa evaserunt portanti, fortia diligenti, & gloriosa superanti, ita nobili illustratione digna, S. Chrysostomi ornamentis deaurantur.

194. S. Chrys. eximiæ censuræ de vinculis S. Pauli.



NEsclo, quid optionis circa S. PAULUM, Vas electionis & Doctorem gentium, sibi statuerit frequenter S Joannes Chrysostomus, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Archi-Præsul vigilantissimus! Nam præterquam quòd tria singularia in hac mortali vitâ desideret vidisse, nempe *Christum* in carne conversantem, *Romam* in suis victorijs triumphantem, & *Paulum* Gentibus prædicantem; varijs tamen locis, si ei daretur optio, unicè ad Paulum vinctum & vinculatum sese convertit. Nunc in aliqua Homilia super Colossensium Epistolam ait: [Si quis mihi daret optionem, mallémne videre Paulum è cælo descendentem, & vocem emittentem, an ex carcere: mallem ex carcere.] Alio loco ad vincula & catenas S. Pauli conversus, miras optiones præsefert: *Quòd si quis mihi vel universi cæli vel huius catenæ copiam & optionem largitus esset, catenam ego hanc planè elegissem.* Addit incredibilem aliam conditionem: *Si mihi cum Angelis & ijs, qui prope thronum Dei sunt, standum fuisset sursum, aut cum Paulo vincto deorsum; carcerem utique præoptassem. Nihil hac catenâ beatius! HÆC* tam arctè constringens *CATENA MIHI SOLA PLACET.* Et ut suam censuram plenè exponat: *Non ita beatum dico Paulum, quod in Paradisum raptus, atq; quòd vincula sustinuit.* Et quia ipsemet Paulus vinculorum suorum toties honorificam reassumit mentionem, potiùs quàm rerum omnium per universum orbem à se præclarissimè gestarum in S. Evangelij prædicatione, in Gentium conversione, in miraculorum patratione, seipsum proclamando, *Ego Paulus VINCTUS* Jesu *Christi*: hinc etiam D. Chrysostomus relatus id penetrantissimè advertit. *Rursus vincula in medium adducit, quæ vehementer amo, quæ cor meum excitant & semper incutiunt desiderium videndi Paulum vinctum, &*

S. Chrys. hom. 10 sup. Coloss.

Idem hom. 8. super Ephes.

Idem ibi

in

in vinculis scribentem, & prædicantem, & baptizantem, & instituentem. Ah! ah! quis mihi, quis Chrysostomo tribuat, ut cum Apostolo gloriari possim in vinculis meis, & imposterum appellari *Vinctus IESU Christi.* Qui ideò repletus est gaudio; *quòd vincula eius manifesta fierent in Christo, in omni prætorio, & cæteris omnibus.* Addit pondus encomio: *Magna hæc dignitas, & regno quovis aut consulatu maior! Qui diligit ardetq; pro Christo, eligit potiùs vincula ferre, quàm cælos inhabitare: non enim caput ita splendidum reddit imposita corona, conspicua margaritis, ut catena, quæ propter Christum fertur.*

Claud. Paradin. in symb. Quod Philippus Burgundiorum Dux, cognomento *Bonus*, suo aureo velleri, viginti quatuor intemeratæ fidei Heroibus appenso subscripsit: id potiori jure vinculis D. Pauli suppono: *Pretium non vile laborum.* Quid enim Paulus? *Ego Paulus vinctus IESU Christi.* Deberem cum D. Chrysostomo hirundinem Paulo in symbolum dedicare, si eundem dicentem per omnia sequerer. Nam de utroque cæli Principe gloriosè loquens, etiam cæli volucres in comparationem adducit.

Idem orat. Encomiast. in Principes Apostolorum. *Paulus quidem*, inquit, *indefessa Ecclesiæ hirundo; Petrus verò orbi terrarum continuus, quemadmodum luscinia assiduè canens.* Sed verò avolent hodie liberæ hirundines & lusciniæ; quando potiùs juvat vincto Paulo in symbolum assignare *vinctum Carduelem*: vix non dixi, vinctum Cardinalem; tam enim est hæc avicula propter rubicundum capitegium Cardinalitiâ prærogativâ insignis. Quia igitur cum S. Chrysostomo *Paulum* videre vinctum desideratis: ecce! hunc vobis hodiernâ panegyri proponam ita honorabilem, ita gloriosum & decorum, ut vinculorum ejus excellentia vobis omnibus videatur ad cælestem libertatem insigniter dissolvi, & nobiliter illustrari. Vos interim estote vincti in silentio, & auscultate in consolatione.

195. *Sauli conversio in Iudaismo.* Bruta illa animantia & volatilia, quæ vel non cicuravit natura, vel non sibi appropriavit dominus, vel occasio in libertatem vindicavit, dicuntur à Legibus cedere in *ius primò occupantis*: imò Juris Institutiones notabiliter admittunt, perinde esse, sive in proprio, sive in alieno fundo hujusmodi feram vel avem cæperis. *L. 1. & 3. ff. de acquirend. rerum domin. Instit. de rerum divis.* Mirè delectatur carduis & tribulis noster Carduelis; exinde tenera grana pro suo pastu selegit; lætus in ijs vagatur, totúsque in plausus & risus sese intendit: qui scilicet carduus ET CUM ACULEIS PLACET. Vt non ineptè germanus Poëta cauit in illo suo Avium concentu.

Merckt auff wie lockt so zierlich mit
Der schöne Stigelhitz:
Sticht Distel auff / vnd sticht sich nit:
Fürwar / ein grosse Witz.

Proinde Cardueles, *à carduis* dictæ, amœnissimæ aviculæ, dum libero aëre fruuntur, suavissimè modulari, salire, gestire consueverunt: at verò ubi captæ fuerint, plerunque alligantur cruculæ, ut laborioso rostro situlas attrahant, atque ex ijs alternatim vel lympham hauriant, vel canabis grana. Laudat hanc industriam Plinius, & ait: *Minimæ avium cardueles imperata faciunt; nec voce tantùm, sed pedibus, & ore pro manibus.* *Plinius l. 10. c. 42.* Interim dum ita vinctæ Cardueles cruculæ alligantur, etiam omnis earum libertas, lætitia, cantus & tripudium vinciuntur. Carduele inquietior erat Saulus, nobili Judæorum prosapiâ de tribu Beniamin, Tarsi in Cilicia natus: & quia religione erat Pharisæus, sectâ apud Judæos nobilissimâ ac præstantissimâ; hinc insigniter ejus magnanima & heroica indoles elucet in tribulis, carduis & urticis, dum ardenti zelo pugnavit pro Judaismo; quo errans licèt, purantsque se obsequium præstare Deo, ipse adhuc adolescens ducem se præbuit Judæis ad persequendum & extirpandum Christianos. *Saulus devastabat Ecclesias*, inquit Lucas in Actis Apostolorum, *per domos intrans, & trahens viros ac mulieres, tradebat in custodiam.* *Act. 8. v. 3.* Et prout ipsemet ad Galatas fatetur: *Supra modum persequebar Ecclesiam Dei, & expugnabam illam, &* *Gal. 1. v. 13.*

pro-

proficiebam in Iudaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, abundantiùs æmulator existens paternarum mearum traditionum. Appellant Germani Carduelem, ein Stiglitz/ vel Distel-Vögelein; tum a cantu, tum a proprietate. Stiglitz/ quasi supra modum ardens; Distel-Vögelein/ quasi in carduis scintillans. An non Carclueli similis Saulus, dum supra modum se fatetur ardentem persecutorem Ecclesiæ, & abundantiùs æmulatorem paternarum traditionum? dum lupo rapacior, manè comedit prædam, & vespere dividit spolia. Verè advertit S. Augustinus: *Animas virtutis capaces ac fertiles sæpè præmittere vitia, quibus hoc ipsum indicent, cui virtuti sint potissimùm accommodatæ, si fuerint præceptis exculta.* Sic quia Moyses occidit Ægyptium, vitiosæ quidem, sed magnæ fertilitatis edebat indicia: sic & Saulus dum supra modum persequitur Christianos, sylvestris quidem sævitiæ committit vitium, sed vero etiam magnæ fertilitatis præbet argumentum. Quis enim postmodum in propagando per totum orbem Evangelio ardores & animos Pauli æquavit? quis in laboribus pluribus? quis in carceribus abundantiùs? qui in crucibus & plagis majoribus? quis in periculis tam imperterritus? quis in arduis tam magnanimus? quis tanta non dicam moliri, sed etiam cogitare ausus fuit, quanta molitus est, fecit & perfecit Paulus?

S. Augustinus l. contra Faustum c. 70.

196. Hactenus Saulus erat propriæ libertatis, fera sylvestris, & nondum cicurata; ideóque *primò occupantis.* Vidit cælestis animarum Auceps Christus hunc Carduelem in campo Damasceno, dum inter carduos & tribulos animi exultaret, *adhuc spirans minarum & cædis in discipulos Domini.* Tum ecce! vocationis suæ retia extendit, & stupendæ Prædestinationis gluten paravit Auceps; quando subitò *circumfulsit Saulum lux de cælo*, ut apertis oculis nil videret, sed duntaxat audiret vocem inclamantis: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Mox captum se cognoscit & fatetur Carduelis, plenúsque obstupescentiâ; *Quis es Domine?* clamat, qui tam potenter me vocas, trahis, capis & constringis? Prodit nomen Auceps cælestis: *Ego sum Iesus, quem tu persequeris*; contra quem iratum carduos & minarum tribulos exacuas, ut irrita reddas meæ potentiæ incitamenta. Venatorio captus laqueo, meæ te committas curæ & benevolentiæ; alioquin si rursus evadere coneris, *durum tibi est contra stimulum calcitrare.* Ne reniâris: ego enim te alligabo vinculis meis, ut non possis ire, volare vel facere ultra voluntatem meam. O altitudo sapientiæ & scientiæ Dei! Quàm valida fuit hæc Christi cum Paulo contentio? quàm potens vocatio? quam efficax gratia, quæ in momento hostile cor Pauli sibi subditum, amicum & obsequens effecit! quæ Saulum in Paulum, lupum in agnum, persecutorem in prædicatorem, Iudæum in Apostolum, vas contumeliæ in organum honoris & vas electionis convertit! Tanti Deus facit salutem hominum peccatorum, ut propter nostram salutem è cælis descenderet, & in singulare certamen à criminum reis provocatus prodiret, certaret, & superaret. Non est dedignatus in campum prodire cum Matthæo & Zachæo, ut caperet Cuculum aut Parum; & quod ampliùs est, cum fæminis peccatricibus Chananæa, Samaritana & Magdalena, ut earum animas salvas faceret, & hasce pavones vanitatis aut superbiæ gloriâ deplumaret. Hic igitur sermo fide & omni æstimatione dignus, quòd Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus vult esse Saulus; & tanquam cum primo omnium peccatorum pugnaturus, è cælis rediit Christus in mundum, ut devicto triumpharet Saulo, ac de captâ prædâ exultaret in campo Damasceno. Simon de Cassia appositum exponit conceptum super locum S. Joannis de conversione mulieris Samaritanæ; quæ deinde causa fuit, ut multi exirent de civitate, & crederent in Jesum. *De civitate autem illâ multi*

Sui liberta-tis & conversio.

Act. 9. v. 1.

Simon de Cassia sup. Ioan. 4. v. 39.

Samaritanorum crediderunt in eum, propter verbum mulieris, testimonium perhibentis. Vbi excellenter citatus Simon de Cassia commentatur. *Supra fontem VELUT AUCEPS Dominus sedebat, Aves rationales aucupaturus in retibus verbi sui, in quibus UNA PRÆCAPTA INDEX AD CAPIENDAS alias facta est.* Est enim subinde mos iste Divinæ vocationi familiaris, ut converso uno insigni peccatore multi alij ejus exemplo ad Deum redeant. Moyses Ægyptius latro spirabat sanguinem,& cædes hominum: & tamen postquam is per Divinam vocationem ex famoso latrone factus est insignis Anachoreta, plurimos alios latrones ad fidem convertit, & secum ad suum monasterium pro agenda pœnitentia duxit. Vna Carduelis ab Aucupe *CAPTA CAPTAT* etiam ac allicit alias aviculas, ut advolent ad canentem in vinculis detentam, ac pari sorte in aucupis occupationem concidant. Et Paulus postquam vocatus est à Christo, innumerabilem & infinitam multitudinem peccatorum post se allicit & convertit, ut ad pœnitentiam conversi pareant Deo vocanti, & tantis Christi vinculis constricti clament: *Domine, quid me vis facere?*

197. Divinæ vocationis admiranda vis in Paulum exserta. Itaq; tam gloriosæ vocationi acquievit Paulus, ac velut Carduelis se captũ cognoscens, ultrò sese obtulit in manus primò occupantis, & in jurisdictionem possidentis: *Domine quid me vis facere?* Ecce? *minimæ avium cardueles imperata faciunt; nec voce tantum, sed pedibus, & ore pro manibus.* Si oportuerit me subire pro tui nominis gloriâ, pro Evangelij & gentium causâ, labores innumeros generosè exantlandos; si periculis intrepidum occurrere; si ludibria & ærumnas impavidum decoquere; si plagas & verbera alacrem sustinere; si colaphis delicatum erubescere; si fame, siti & nuditate fatigatum exulare; si blasphemiarum & maledictionũ grandines erectum suscipere; si denique acerbissimæ mortis adinventionescondemnatum amplectituus sum, tuo juri, tuæq; cedo occupationi. *Domine, quid me vis facere?* Ne quæras, Saule, quid tecũ meditetur Dominus? carduelis est *imperata facere; nec voce tantum, sed pedibus, & ore pro manibus,* nempe determinavit secum Altissimus in tam auspicatæ prædæ occupatione: *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filijs Israël. Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Admirentur cum Philosophis SS. PP. exiguum pisciculum *Echineida*, vastissimas onerariarum navium moles, validissimis etiam ventorum turbinibus agitatas, nullo alio prorsus labore, quâ adhærendo remorari, ac immobiles reddere: ego potiùs obstupescam, & extasi confixus hærebo in D. Pauli potentissimâ vocatione, quâ homo concupiscentiæ turbinibus agitatus, in ipso ruente præcipitio sistatur immobilis. Amores & æstus flagrantes inhibere, imò in contrarium reflectere, quantæ potestatis? ad Christum, quem pessimè oderat, trahere, Christo unire & vincire, quantæ gratiæ? *Domine, quid me vis facere?* Quis pœnitens veniam & gratiam non speret, cùm Saulum blasphemum & Christi persecutorem, ab eo in gratiam, intimámq; amicitiam videat receptum? Quis in omni internâ vel externâ inspiratione Dei, qua de cœno ad cælum, à furore ad amorem, à perditione ad salutem, ex abysso miseriarum ad paradisum voluptatis provocatur, non protinùs respondeat promptus: *Domine, quid me vis facere?*

Interim quod Carduelι aut Linariæ contingit, dum Asionis aut Falconis impetuosas evadunt insidias: nam tunc prædonum unguibus ereptæ, in altum evolant, jucundissimè canunt ac clamant, ridéntque diu ac multùm frustratas invadentis accipitris ingluvies. Idipsum post conversionem suam Paulus demonstrat: nam cùm cognosceret pericula, quibus inundabat; infernalis accipitris ungues, in ejus interitum exacuatos; erroris insuper caliginem, in qua palpitabat intellectu; & quod his omnibus deterrimum est, propriæ malitiæ absurditatem, qua coram Deo sordebat: hæc autem omnia mala sese evasisse 198. Superabundantia Divinæ gratiæ in Paulo.

per-

per potentissimam Dei vocationem, qua extra omne salutis periculum positus,& in spiritûs sui perfectam libertatem vindicatus fuit: & cùm insuper expenderet, quanta & quàm numerosa Dei beneficia in ipsum; velut ex indeficiente Amalthææ cornu essent profusa; non potuit Paulus non in altum evolare mentis tripudium, suam tenuitatem Divinæ magnificentiæ opponere, pericula securitati, tenebras illuminationi, captivationem libertati, infirmitatem virtuti, beneficia gratitudini, tandémque exultare & profiteri: *Gratia Dei sum id, quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit; sed abundantiùs illis omnibus laboravi: non ego autem; sed Gratia Dei mecum.* Multùm quidem libero meo conatu laboravi pro Deo, pro Ecclesiâ & meipso, non tamen ita laboravi, ut laboris hujus decus & laudem mihi tribuam vel arrogem; sed Gratia Dei est, quæ ad omnem bonam, honestam, fructuosam, felicem aut heroicam operationem me excitavit, adjuvit, roboravit: cui proinde primam ac potissimam laboris, vocationis & salvationis meæ laudem confiteor; & palàm profiteor, non tam me, quàm gratiam Dei, quæ mecum est, laboràsse, ac opus ipsum confecisse. Intervenit hîc sanctus Bernardus, & pro occurrentis confessionis explicatione superaddit: *Paulus inquit, non ego, sed Gratia Dei mecum, præsumens se non solùm operis esse ministrum per effectum, sed & operantis quodammodo socium per consensum.* Toties hanc Divinæ gratiæ superabundantiam profitetur Paulus, ut per omnes Epistolas suas nihil ita sibi cordi duxerit, quàm gratitudinem, & gratiarum acceptarum professionem. Quàm candidè & cordatè dilecto suo scribit Timotheo? *Gratias ago ei, qui me confortavit, Christo IESU Domino nostro, quia fidelem me existimavit, ponens in ministerio; qui priùs blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus. Sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Superabundavit autem gratia Domini nostri cum fide & dilectione, quæ est in Christo IESU.* Quasi diceret. Magna & contumax fuit mea incredulitas, blasphemiæ enormes, persecutio crudelis, conatus improbi, zelus insanus, vindicta probrosa, superstitio scandalosa, & mala cætera meæ depravationi proportionata. Sed *superabundavit* DEI Gratia in me, & longè præstantior fuit ejus operatio, dum me ex Saulo Paulum, ex persecutore Prædicatorem, ex blasphemo Apostolum effecit; & præterea post commissum mihi Evangelium, omnia sua dona & charismata Spiritussanctus in me contulit, ut gentibus loquerer in proprijs linguis, suscitarem mortuos, ægros restituerem, abscondita cordium cognoscerem, futura præviderem, mysteria discernerem, Scripturas interpretarer, corda præsidum convincerem, ex scelesto tam cælestis evaderem, ut etiam pro quodam Numine me colerent, dummodò toleràssem. Dimitto reconciliationis sacratissimum fœdus, justificationis divinissimum decorem, illuminationis purissimum splendorem; totiúsque in DEI abripior clementiam, qua me tantum peccatorem in gratiam recepir, quæ *Superabundavit* in me.

1. Corinth. 15. v. 10.

S. Bernard. l. de grat. & lib. arbit.

1. Timoth. 1. v. 12.13.14.

199. Tali ordine ac rerum serie eicuratur Carduelis, ut vel pro jubentis arbitrio, vel pro necessitatis impulsu *imperata faciat, nec voce tantùm, sed pedibus, & ore pro manibus*, dum alligatur cruculæ, ut more ancillantis situlas trahendo elevet, sibique pastum opportunum assumat. Proinde se agnoscens captum ac comprehensum a Divinæ gratiæ superabundantiâ, totum se planè commisit Paulus vinculis Christi JESU Salvatoris sui, ut imperata ejus faceret ore ac opere. Habet CHRISTUS vincula, quibus hostes suos vinciat; parat vincula, quibus amicos & servos constringat. Sic Draconem serpentem antiquum in Apocalypsi vinculis infernalibus ligavit per mille annos, hoc est, per totum tempus, quod intercurret à tempore vitæ Christi usque

Paulus vinctus Iesu in spiritu.

Apoc. 20.

ad finem mundi: tunc enim solvetur modico tẽpore, per tres videlicet annos cum dimidio, dum Antichristi persecutio & potestas vigebit. Nihil nobis cum vinculis vindictæ: habet Christus vincula sua, quibus servos & amicos suos vinciat in vinculis charitatis; quia cùm ipsemet sit charitas, vinciendo amicos exornat, & liberos reddit impediendo, ne ab hoste retrahantur. Sensit hæc vincula Paulus, dum sese *vinctum IESU Christi* pronuntiavit. *Ego Paulus vinctus IESU Christi*: ego ille captivus & ligatus; *ego vinctus in Domino*, alligatus Domino, ligatus propter Dominum & ejus Evangelium. Scripta est hæc epistola, in qua se gloriatur vinctum IESU Christi, in carcere Romano; & missa per Tychicum Diaconum, Anno Christi 59. Sed Paulus jam longè magis spiritu quàm corpore erat vinctus Christi IESU, & ab eo per omnia pericula cum alacritate & gaudio trahebatur, *sicut avicula alligata filo*. Sic Mileti existens Anno Christi 58. evocatis ad se majoribus natu Ecclesiæ Ephesinæ, inter alia inquit: *Ecce alligatus ego spiritu, vado in Ierusalem*. Pergo Jerosolymam, impellente me Spiritu sancto, cui quasi alligatus & devinctus sum; ipse enim me ita possidet, ut non tam agere, quàm ab eo agi videar: hoc desiderium, hic ardor pergendi ita validè me impellit, ut ei alligatus, eòque ferri videar: sicut nubes ita aguntur vento quaquaversum, ut ei alligatæ videantur; juxta illud Oseæ: *Ligavit eum spiritus in alis suis*. Impulit ergo Spiritus sanctus Paulum in Jerusalem, tum ut ante migrationem salutaret B. Virginem, eique tam suos fideles & Ecclesias, quàm instantes agones cum Judæis & Nerone commendaret: tum ut ibi vinctus & captivus mitteretur Romam, & cum sancto Petro Romanam Ecclesiam fundaret ac stabiliret. Itaque *alligatus ego spiritu, vado in Ierusalem*; nec secus Spiritu sancto, ac sacro vinculo, ligatus in animo meo & abreptus: licet idem Spiritus sanctus in omnibus civitatibus per ora prophetantium Fidelium protestetur, vincula & persecutiones mihi parari; quanquam nullius ex dictis rationem faciam, nihili ducam, non curem, non pertimescam. Ita certè vinculis Divinæ charitatis alligatus Paulus, ad confusionem & injurias, quas ob prædicandi studium sustinebat, magis quàm ad honorum oblectamenta properabat; mortem potiùs, quàm vitam appetens; paupertatem, quàm opulentiam; & multò magis laborem desiderans, quàm alij requiem post laborem; ac mœrorem magis eligens, quàm alij voluptatem; studiosiùs pro inimicis orans, quàm alij adversùs inimicos. Converterat enim orbem terrarum, quam nos pervertimus. Et si vobis hæc grandia vel incredibilia videantur, suscipite Chrysostomum, qui tanto erga S. Pauli heroicos actus ac sapientiam divinissimam afficiebatur animo, ut & Epistolas ejus nunquã ipse sineret è manibus elabi, & laicos omnes, etiam opifices ac mercatores, ad eundem legendum hortaretur. Is igitur prædictarum antithesium causam subdit. [Quia non tantùm urbes, gentes, exercitus, provincias, pecunias, potestates, velut arenam vilia reputavit; sed & præ Christi dulcedine, non Angelorum, non Archangelorum admiratus est dignitatem, nec quidquam simile concupivit. Quod enim majus erat omnibus, Christi amore fruebatur: cum hoc beatiorem se cunctis putabat, sine hoc autem neque Dominationum, neque Principatuum socius esse cupiebat; sed cum hac dilectione magis esse extremus optabat, imò etiam ex numero punitorum, quàm sine hac inter summos & honore sublimes. Perfrui enim charitate Christi, hoc illi vita, hoc mundus, hoc Angeli, hoc præsentia, hoc futura, hoc regnum, hoc promissio, hoc bona videbantur innumera: præter hæc verò nihil in tristium parte ponebat. Horum enim, quæ hîc habentur, nihil asperum, nihil etiam suave reputabat. Sic despiciebat universa, quæ cernimus, ut solet herba jam putrefacta contemni.] Tanto erat D. Paulus alligatus spiritu cum

Ephes. 4. v. 1.

Act. 20. v. 22.

Osea 4. v. 19.

Cornelius à lapide in proœmio sup. Ep. S. Pauli c. 3.

S. Chrysost. hom. 2. de laud. S. Pauli.

cum Christo, ut candidè & per inductionem fateretur, nihil esse inter tormenta tam formidabile, inter adversa tam horrendum, inter ærumnas tam exitiale, inter mortes tam execrabile, inter plagas tam insanabile, quod ipsum separaret à vinculis charitatis, quibus erat alligatus suo Salvatori. *Ego Paulus vinctus IESU Christi.*

200\. Christi vincula suavia diligenti Paulo.

Et hæc Divinæ charitatis vincula, quibus sese spiritu alligatum persensit Paulus, quàm suavia sunt, & quam fortia, quàm gloriosa? Si de suavitate & dulcedine vinculorum Christi prægustum desideratis, Auditores, illa extra se rapiunt animam amantis. Nam ut S. Hieronymus asseverat, *Christi voluntaria sunt vincula, & vertuntur in amplexus*: ita ut amans non modò trahatur, sed rapiatur & avolet cum rapiente, eique adhæreat, dulcitérque despiciat, quidquid caducum & transitorium ab hoc amplexu posset avellere. Quanta his vinculis insit suavitas, sanctus Augustinus experimento didicit; prout agens de sua conversione amorosè declarat. *Quàm suave mihi subitò factum est, carere suavitatibus nugarum; & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas à me tu vera & summa Suavitas: ejiciebas, & intrabas pro eis, omni voluptate dulcior.* Sanctus Ignatius, Fundator Societatis IESU, ita hisce amoris vinculis stringebatur, ut cùm ob pietatem in carcerem esset conjectus, potiùs optaret totius Hispaniæ catenas sustinere, quàm à voluntariis vinculis dulcissimi amoris Jesu avelli. Transcendo charitatis Divinæ dulcedinem in maximis quibusque Sanctis operantem, quando Divi Pauli occurrunt vincula: quæ ita arctè, ita suaviter amantes conjunxerant, ut præ amoris vehementia in singulis sæpè periodis nomen JESU vel Christi reperiat ac personet Paulus; utpote quod plùs quàm adamantinis literis abysso cordis sui insculpserat. *Nomen IESU dulcissimum* in paucis suis parvisque Epistolis iterat ducenties decies novies; *Christi* verò quadringenties & semel. Sanè si cui Sanctorum, Paulo certè erat JESUS mel in ore, melos in aure, jubilus in corde. Aliquoties præ amoris dulcedine ignorabat penitus, num Christus in Paulo viveret, aut Paulus in Christo: unde dubiam de se tulit sententiam. *Vivo ego, jam non ego; vivit verò in me Christus. Mihi vivere Christus est, & mori lucrum.* Quàm assidua fuerit Paulo cum Christo conversatio, amantis cum amato conjunctio, suo more sanctus Chrysostomus attexit. *Paulus*, inquit, *cùm in terris esset, ubi Seraphim sunt, ibi conversabatur, propiùs Christo assistens, quàm hastati & stipatores isti Regi assistunt: quippe cùm isti aspectum huc illuc circumferant, ille verò nulli rerum speciei motus, universam mentis aciem ad Regem* (Christum) *semper tenderet.* O quam tenuia & modica hactenus de suavitate & dulcedine amoris Pauli! Ita Paulus Christum amabat, ut in eum planè videretur transformatus: amoris enim efficacia est intima, excessus, & raptus in amatum; cùm anima magis sit, ubi amat, quàm ubi animat. Videbatur Christus esse mens, anima, vita & spiritus S. Pauli, qui per eum loquebatur, operabatur, & patiebatur. *An*, inquit, *experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?* Hinc sanctus Hieronymus Pammachio hanc amoris & vitæ normam præscribit. *Christus omnia; ut, qui omnia propter Christum dimiserit, unum inveniat pro omnibus, & liberâ possit voce proclamare, Pars mea Dominus.* Denique Paulus Christo confixus cruci, clavis non ferri, sed amoris, in ipso vivebat vitam amatoriam, ut ait sanctus Dionysius Areopagita; quia Christus in eo vivebat tanquam principium, regula & finis omnium ejus cogitationum, desideriorum, operum, & sermonum. *Mihi vivere Christus est*; aliud non volo, non sapio, non ago, non cogito, nec loquor quàm CHRISTUM. *Non est*, iterùm interloquitur Chrysostomus, *non est, qui Paulo vehementiùs Christum dilexerit; nemo, qui apud DEUM gratiosior*

S. Hieron. Ep. ... S. August. l. 9. Conf. c. 1. S. Chrysost. hom. 55. in Matth. c. 16. 2. Corinth. 13. v. 3. S. Hieron. Ep. ad Pammach. S. Dionysius de div. nom. c. 4. S. Chrysost. l. 2. de sacerdotio.

quàm Paulus fuerit. Et vicissim Jesus Paulum ita suis consolationibus mulcebat, ut voluptates carnis & mundi sperneret, imò ut stercora detestaretur; econtra verò cælestibus raptibus, extasibus, visionibus, fruitionibus & suavitatibus ita aliquoties abundaret, ut exclamare potuisset, quod posteà S. Ephrem divinâ dulcedine repletus rogabat: *Contine Domine undas dulcedinis tuæ, quia sustinere non valeo.* Quippe juxta relatam Hieronymi sententiam, *Christi voluntaria sunt vincula, & vertuntur in amplexus.* O quid suavius, quàm Paulum esse vinctum Jesu Christi!

201. Christi vincula fortia diligenti Paulo. Sed verò etiam fortia ac potentia sunt Christi Vincula. Exaltatus Jesus per Crucem, Resurrectionem & Ascensionem, ad se traxit, etiam invito diabolo, corpora, animas, homines; quidni per dilectionem? *Fortis est ut mors dilectio.* (Cant. 8. v. 6.) Amor vehemens ligatus pingitur, quòd ab amato discedere non possit, sed constanter ei adhæreat. Majorem vim amoris ligati, quàm vulnerati esse docet Richardus à S. Victore. (Rich. à S. Vict. & ex eodem S. Bonavent. tract. de 7. itiner. æternit.) *Prior gradus est*, ait, *qui vulnerat, secundus qui ligat. Licet ergo ligari minus sit quandoq; quàm vulnerari, tamen maior violentia videtur esse, si postquam aliquis percussus deijcitur, deiectus deprehenditur, deprehensus abducitur, abductus incarceratur, incarceratus catenatur atq; ligatur, & jam omninò captivus tenetur. Quid horum quæso maius & violentius? Ille liber est, iste autem à loco, in quo detinetur, recedere non potest. Sic utiq; qui à secundo gradu violentæ charitatis absorptus est, quidquid agat, quocunq; se vertat, ab illa unâ & intimâ sollicitudinis suæ curâ avelli non potest, quia LIGATUS est.* Hæc omnia in Paulo sunt completa: nam percussus est ab electione vocantis; dejectus à virtute imperantis; deprehensus à vigilantiâ concomitantis; abductus à conniventiâ amantis; incarceratus à potestate possidentis; catenatus, ligatus atque captivatus à vinculo prædestinantis. O toties solidata, atque iterata *Carduelis* alligatio! Aptissimè huc afferatur, quod Eduardo Angliæ Regi accidit. (Thomas à Pinedo in Iud. c. 9. v. 8. n. 9.) Is à Proceribus suis in carcerem, & in caveâ ferreâ inclusus, ferocem ibi animum suum domuit; cogitásque se illis temerè fuisse injurium, libertati dum redditur mutatus est in virum alterum, & mansuetudine excelluit, immemor acceptæ injuriæ; utque memor esset boni sui propositi in caveâ illâ suscepti, hanc sibi sumpsit in symbolum cum Ave inde evolante, hoc addito lemmate: *Hoc fortior ibo.* Paulus quot carceres, & captivitates evasit? quot propriæ concupiscentiæ servitutes? quot stimulorum caveas? quot ferreas angustiarum crates? quot deniq; vinculorum ligaturas? Sed *fortis est ut mors dilectio*; & ex tot animi catenis *fortior ibo* per vincula charitatis, quæ mihi SOLA PLACENT. Ivit fortior, & vicit. Nimverò divinâ charitate armatus Paulus, Neronem omnésq; tyrannos velut quosdam æstimavit culices: hâc charitate labores, pericula, cruciatus, mortem, mille supplicia, quasi ludum reputat esse puerorum. Hâc charitate *Paulus vinctus* Jesu Christi magis, quàm diademate coronatus gloriatur: *Ego*, inquit ipse, *in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.* (2. Cor. 11. v. 23.) Non subsistit amor Pauli, sed *hoc fortior* & quotidie celsior assurgens, quasi incorporeus, imò quasi ignitum ferrum, omnes nitebatur succendere charitate. Unde nunc per Epistolas, nunc per exhortationes & preces, nunc etiam per pias comminationes, nunc per se vel per suos, omni studio conabatur erigere laborantes, confirmare subsistentes, jacentes attollere, contritos sanare, animare torpentes, hostes retundere; & more optimi Ducis, militis & medici, omnium officiorum personas & munia unus ipse subibat. *Hoc fortior* nunc esse sacerdos voluit, nunc hostia, nunc libamen. *Quotidie*, inquit ipse, *immolor propter gloriam vestram, fra-*

Philip. 2. v. 17. *fratres: sed etsi immolor super sacrificium & obsequium fidei vestræ, gaudeo & congratulor omnibus vobis.* Sin ego sacerdos, vos hostia, libamen sanguis meus. *Hoc fortior* quasi Pater, qui totum genuisset orbem, sic perturbabatur, sic sollicitus erat, sic omnes in Dei regnum festinabat inducere. 2. Cor. 11. v. 28. *Instantia*, inquit, *mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum: quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?* Et ideo factus est Judæis tanquam sub lege, infirmis infirmus, *OMNIBUS OMNIA*, ut omnes Christo lucrifaceret. *Hoc fortior* quasi Mater os & verba mutavit, alternè blandiendo, increpando, rogando, terrendo, consolando, & in omnes partes se suósque versando. Gal. 3. v. 1. & 4. v. 18. *O insensati*, inquit, *Galatæ!* sic enim merebantur increpari; & statim blandiens: *Filioli*, ait, *mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis.* Philip. 2. v. 1. & 2. Ead Philippenses. *Si qua ergo*, inquit, *consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua viscera miserationis: implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes.* Vbi Chrysostomus, ejulatus hujus matris multò acriores esse docet, quàm sint parturientium mulierum. Cant. 4. v. 5. & 7. v. 3. Considerat Guerricus Abbas illud Canticorum, *duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli*: & pulcherrimè ad SS. Apostolos Petrum atque Paulum applicans, de hoc in specie sic loquitur. Guerricus serm. 1. de SS. Petro & Paulo. [Vbera Paulus præbuerat, quibus dicebat: *Lac vobis potum dedi.* Et illud: *Factus sum in medio vestri, sicut nutrix fovens & nutriens filios suos.* Quàm plenus autem lacte redundaverit spirituali, pulchrè significatum est undâ illius lactis visibilis, quod de corpore ipsius fertur exijsse loco sanguinis, cùm decolatus hodiernâ die pro illis, quibus dabat mamillam, dedit & animam. Planè nihil in eo sanguineum, sed totum lacteum, qui nihil carnale, nihil suum cogitabat, sed tantùm quod alijs utile erat. Nec tam habebat ubera, quàm ipse totus Vber erat; qui ita misericordiâ uberi affluebat, ut non modò spiritum suum desideraret totum filijs immulgere, sed & corpus impendere.] Excurrit Guerricus prolixè in hoc decus; & ubi retulit, quàm repentè Petrus impletus sit lacte plurimo, addit. [Nec multò pòst de Saulo fit Paulus, prædicator de persecutore, mater de tortore, nutrix de carnifice: ut planè intelligeres totum ejus sanguinem mutatum in lactis dulcedinem, sævitiam in pietatem.] Vt proinde his uberibus geminis pectori suo affixis habeat, quòd glorietur Ecclesia, matrem se esse fœcundam & copiosissimâ prole beatam.

Ignoscite mihi, Auditores; quia in di- 202.
cendo ab hujusmodi vinculi fortitudine longiùs abripior, quàm meæ orationis systema statuerat. Quàm enim difficile lactenti, à tam delicioso ubere avelli? (Fortitudo dilectionis Paulinæ magis expenditur.) *Hoc fortior ibo*, & unum è multis proferam fortissimæ dilectionis vinculum, quo infensissimos infestissimósque sibi terrâ marique hostes, Judæos ac Judaizantes, mirâ dulcedine complexabatur. Rom. 9. v. 1. *Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientiâ meâ in Spiritu sancto.* Ne putetis, me amphibologico aulicismo, aut rhetoricâ amplificatione uti; non subdolis incedo cothurnis, nec lepôres aut jocos suborno: testor Christum, testor conscientiam meam, testor Spiritum sanctum, hujus mei doloris & amoris conscios, imò causas. Ibid. v. 2. 3. *Quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundùm carnem.* Quid ais Paule? nónne jam dixisti: *quis nos separabit à charitate Christi?* nónne desipis, nónne contra charitatem, contra Christum, pro cæcis pugnas Judæis? Nequaquam: sed *Charitas Christi urget nos.* Optabam, & opto anathema esse à Christo: opto pro charitate Christi à Christo divelli; opto pro salute Judæorum non ab amore, sed à beatitudine & gloria Christi, à Christo & cælo, etiam in æternum, si opus fuerit, exul excludi; deposco pro eis esse anathema; exopto diris esse devotum caput; dempto peccato & charitatis naufragio, meo capiti æternum eorum supercre-

velis? vis esse Angelus Petrum solvens, an Petrus vinctus? Petrus utique esse maluissem. Maius hoc vinculorum donum est, quàm solem sistere, aut mundum movere, aut dominari dæmonibus; eósque expellere. Commotus est carcer vincto Paulo, solutáque sunt omnium vincula. Act. 16. Vides naturam vinculorum vincula solventem: nam sicut mortem interemit mors Domini; ita ligatot solverunt vincula Pauli, carceremque concusserunt, ac januas aperuerunt. Paulus ergo vinctus vinctis dominatur. Rursus Actorum 28. Paulus vinctus navigabat, & naufragium solvebat, & tempestatem ligabat, & à viperâ lædi non potuit. Idem Chrysostomus de gloriâ vinculorum Pauli agens, super coronam & purpuram Neronis eadem extollit. *Nero*, inquit, *purpuratus, tantóque septus agmine militum, inhibebat Paulo, ne doctrinam virtutis prædicaret; obsistebat illi Paulus dicens: Non cedo, Verbum Dei non est alligatum. Cilix, pellium sutor, vinctus, pauper, faméque confectus, Romana opulentia Regem imperantem omnibus respuebat. Quis ergò clarior, qui vincebat in vinculis, an qui superabatur in purpura? vinctus catenâ diadematum prostravit regem.* Ideóque *HÆC MIHI SOLA PLACET.* Et inferiùs: *Si Paulus hic, ubi fuit pellium sutor, in vinculis tanto splendore collucet; quid erit, cùm solis quoque radios visus fulgoris obscurans in gloria venerit? cùm in judicio astabit Nero tristis, mœrent, demissus?* Tanti æstimanda sunt. vincula pro Christi nomine portata, ut sanctus Babylas, Antiochenus Episcopus & Martyr, post fidei confessionem in vinculis vitam finiens, mandaverit discipulis suis, ut catenas, quasi suæ pugnæ testes & victoriæ decora, secum sepelirent. *Pretium non vile laborum*, in omni prætorio notum esse, & gloriari in vinculis. *Paulus vinctus IESU Christi.* Ita certè Carduelem *NON TERRET ACUMEN*, quominùs sua sapidissima grana ex acutis carduis colligat. Nec Paulum unquam terrebant vincula & tribulationes, quæ ipsum in omni loco & prætorio manebant.

- - - - - Gaudet patientia duris: Lucanus l. 9.
Latius est, quoties magno tibi constat honestum.

Nec solet res ulli aliter cõtingere, quidpiam arduitatis meditanti. De *tribulis* seligendus est succus, & de *tribulationibus* falcanda satietas; quandoquidem stylo novo & veteri,

Virtutem posuêre Dij sudore parandam.

Tu, ô Paule, Prædicator veritatis & Doctor gentium, Vas electionis & Princeps Ecclesiæ, qui in vinculis tuis deliciosus, fortis & gloriosus honoraris, & in tuâ alligaturâ Christo confixus cruci suspiceris! Tu qui tua vincula in omni prætorio immortali dilectioni, & magnanimitati consecrâsti! Condona culpam Panegyristæ tuo, qui, cùm totum se pro suâ filiali clientelâ in tua encomia profundere devoverat, nunc temporis brevitati alligatus, repentino silentio coërcetur: & ubi de tuis laudibus ac summis in Ecclesiam meritis, heroicissimisque actionibus dicere pro condigno non potest, saltem aliqualem se hodie inter carduos & vincula tui celebrâsse COMMEMORATIONEM lætatur. Amen.



IN

IN VISITATIONE BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ.

PHOENICURUS FAMILIARIS.

Das heimbliche Haußröthlein.

LEMMA.

Nulli te facias nimis sodalem. Martial.

THEMA.

Exurgens Maria abijt in montana cum festinatione, in civitatem Iuda: & intravit in domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth. Lucæ 1. v. 40.

SYNOPSIS CONCIONIS LXXXI.

Quid in familiaribus Visitationibus & salutationibus quarumcunque Mulierum per sæculares, maximè verò Sacros Homines, cautelæ & circumspectionis adhibendum sit, ut externis sensibus, tam ad illecebras & pericula lubricis, sanctè consulatur, veridico discursu expenditur.

204. Visitatio Deiparæ sancta & imitanda.



Ix dum emenso noctis curriculo orientis Solis radij à longe Horizontem feriunt. & auroræ primos injiciunt aspectus, ac suâ tenuitate diluculum diei auspicantur: tum ecce! Cæli aviculis in dulci quiete somnolenter subsilentibus, primus omnium & vigilantissimus *exurgens* Phœnicurus, super ædium apices ad orientem Solem conversus, cantu suo delicatissimos affectus spirante, nascentem nuntiat & salutat diem. Quàm spirituosè elevat vocem Phœnicurus! quàm animosè refringit! quàm garrulè accinit! Exprimeret voce, si posset, distinctâ: *Tu lux refulge sensibus, mentisq; somnum discute! Te nostra vox primùm sonet, & vota solvamus tibi!* Sed & familiaris admodū est Phœnicurus noster; ita ut inclamando transeuntes, eos videatur perámicè salutare. Sub ædium tectis nidificat, quasi esset unius moris & juris in domo; & si quando alicui cubiculo includitur, ita sociabilem indolem assuescit, ut vocatus in manus, caput, humeros advolet, sedeat, cantat, & vermiculorum pastum accipiat. Imò quod mireris, tam familiaris est Phœnicurus, ut in eodem hypocausto omnino non patiatur alium phœnicurum penes se; & qui antiquior est, recentiorem tamdiu impetat, quousque vel ultrò avolet, vel victus succumbat. Exinde proverbium videtur esse ortum in Chiliade: *Vnum arbustum geminos non alit Erithacos.* Videtur autem Erithacus esse eadem cum Rubebula, aut Phœnicuro avicula; quæ à caudæ rubedine Latinis subinde etiam

Phanus l. 10. c. 29 Gesnerus in Phœnicuro.

Alciatus Embl. 91.

Ru-

Ruticilla appellatur. Christo concepto Virgo Mater, ex tantis Dei in ipsâ mirabilibus divino perfusa sensu, incredibilibus & inexplicabilibus incessit lætitijs. Statim adveniente Spiritu sancto in Virginem, (inquit Author tractatûs in Canticum Virginis) omniq; gratiâ virtutum sacrosanctum Habitaculum in adventu Dei implente, dubium non est, cælestium gaudiorum, & æternæ dulcedinis miram atque inenarrabilem suavitatem à Virgine ipsa conceptam esse; quando illud æternum Lumen cum toto Majestatis suæ fulgore in eam descendit, &, quem non capit universus mundus, totum se intra dignissima viscera Virginis collocavit. Audacter pronuntio, nec ipsam planè explicare potuisse, quod capere potuit: sed Spiritu sancto docente, didicerat sic sua munera per humilitatem tegere. *Surgit mox, & conscendit in montana Iudæa*: unde Elisabeth Spiritu sancto repleta, qualis & quanta esset, quæ ad se venerat, agnovit; & quàm se indignam ejus Visitatione judicaret, aperuit dicens: *Vnde hoc mihi, quòd veniat Mater Domini mei ad me?* Tunc MARIA, velut *Phœnicurus* orientem salutans Solem, Canticum suum virgineo ore quàm suavissimè depromsit: *Magnificat anima mea Dominum.* Sed & per aliquot menses, suam cognatam Elisabetham visitans, sanctâ & virgineâ familiaritate eam donavit, serviendo, consolando, convivendo, colloquendo, salutando, conferendo, & omnia sinceræ ac sanctæ amicitiæ officia præstando. Quocirca imitatione, exemplo & titulo Visitationis B. Virginis, multæ Congregationes ad *visitandos* pauperes, hospites, infirmos, incarceratos, & hujusmodi afflictos institutæ sunt. Hoc titulo Congregationem Religiosorum insignium per totam Galliam, & consequenter alias Christiani orbis partes, quæ ægris inserviant, instituit S. Franciscus Salesius Episcopus Genevensis. Quas Congregationes utinam pietate & virtutum lance æquarent quotidianæ Visitationes curiales, otiosæ, periculosæ, denigratoriæ, obscœnæ, inhonestæ: Vtile & necessarium opus assumpsero declarando, quàm cautè, prudenter, timoratè, circumspectè & sobriè frequentari debeant *Visitationes Virginum*; prout eas vocat S. Hieron. informans Eustochiū circa custodiam Virginitatis; nec Virginū tantùm, sed quarumcunque mulierum, per sacros etiam homines, viros Ecclesiasticos aut Religiosos. Subscribo Phœnicuro meo, *NULLI TE FACIAS NIMIS SODALEM: gaudebis minùs, & minùs dolebis.* Nimia familiaritas parit contemptum; frequens visitatio causat periculum, suspicionem, casum. Cavete viri, cavete fœminæ; cavete juvenes, & virgines cavete; sacri & profani homines, malas & periculosas visitationes declinate, in nomine sanctissimæ Trinitatis.

Author tractatus in Cant. Virg. nt. 9.

S. Hieron. Epi. 22. ad Eustoch.

205. Diligit sanctissima Trinitas, quotquot in nomine ejus fuerint piè & sanctè congregati. De eo, qui Deum diligit, & sermonem Dei servat, asseverat Divinum Verbum: *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* **Wir wöllen zu ihm in den Heimgarten kommen.** Deus, qui immobiliter ubiq; per essentiam, præsentiam & potentiam existit, manere intelligitur non per loci circumferentiam, sed per novam operationem, quam hoc vel illo loco exercet. Specialiter verò dicitur venire ad justos & fideles per gratiam & novam operationem, quia scilicet eos in justitia conservat, promovet, tuetur, & unacum libero eorum arbitrio, ipsos adjuvans, cooperatur: prævenit enim eorum intellectum suâ illuminatione, & voluntatem suâ piâ affectione, qua eam impellit ad opera bona, licèt ardua, eique suæ gratiæ concursu ad eadem efficienda collaborat. Et fortè ad talem mansionem ille allusit, qui dixit: *Visitatio tua custodivit spiritum meum.* Sensit D. Bernardus fructus eximios Divinæ sive Visitationis, sive Mansionis; & ultrò profusus in affectum cordis, ait. [Beatus, apud quem „mansionem facies Domine JESU. Bea„tus, in quo Sapientia sibi ædificat do„mum, excidens columnas septem! „Beata anima, quæ sedes est Sapientiæ! „Quænam est illa? Anima utique justi,

Næ vicomi munes familiarium conventiculorum. Ioan. 14. v. 23.

S. Aug. Chrysost. Cyrillus, & alij.

Iob. 10. v. 12.

S. Bernard. serm. 3. de Adventu.

„Meritò planè, quia justitia & judicium præparatio sedis tuæ. Quis in vobis, Fratres, qui desiderat in animâ suâ sedem parare Christo? Ecce, quænam illa serica, quæ tapetia, quod pulvinar oporteat præparari? Justitia & judicium, inquit, præparatio sedis tuæ. Justitia virtus est, quod suum est, unicuique tribuens. Tribue ergo tribus, quæ sua sunt. Redde superiori, redde inferiori, redde æquali, cuique quod debes; & dignè celebras adventum Christi, parans ei in justitiâ sedem tuam.] Ex quo non credo, Deum admodum frequenter interesse familiaribus hominum visitationibus, utpote in quibus pro eo nec Justitia, nec judicium, sedes præparatur. Quoties in humanis familiaritatibus nec operatur Deus, nec abit in virtutum montana Virgo, nec exultat in utero partus boni propositi, nec exclamat præ humilitate Mater, nec prophetizat in spiritu Pater, nec lætantur vicini audientes? Utpote quòd in ijs conventiculis nulli redditur, nec superiori, nec inferiori, nec æquali, quod cuique debetur. Exploravit pericula, sordes & malitias Jeremias Propheta, quibus familiaritatum imorigerarum frequentatio succumbit: ac protinus lamentabili suo

Ierem. 8. v. 6. stylo protulit censuram. *Attendi, & auscultavi; nemo, quod bonum est, loquitur*; nec de Deo, nec de proximo; nec de Prælatis, nec de subditis; nec de amicis, nec de inimicis: non Patres, nec Matresfamilias; non filij, nec sorores; non famuli, nec ancillæ; non soluti, nec ligati: *nemo, quod bonum est, loquitur.* Non verba vitæ, nec monita salutis; non pro honestate, utilitate aut reverentiâ miscentur sermones; sed sarcasmi in turpiloquio, calumniæ in detractatione, blanditiæ in adulatione, barbarismi in circumveutione, contemptus in denigratione, scurrilitates in depravatione.

206. Quantùm unus solus potest nocere in familiari discursu. S. Bernardus serm. 24. in Cant.

D. Bernardus in omni conversatione sua modestissimus, observat quandam in familiaribus visitationibus scandalosam heteroclisin, dicens: *Unus est, qui loquitur, & unum tantùm verbum profert; & tamen illud unum verbum, uno in momento, multitudinis audientium dum aures inficit, animam interficit.* In familiari honestissimarum matronarum aut puellarum contubernio *unus est, qui loquitur*, tantus sese medium ingerens impudens sodalis, qui artuum motibus, oculorum nictibus, verborúmque ictibus, è silice scintillas excutit in fomentum concupiscentiæ: è quibus tanta nonnunquam concipitur flamma, ut incendium depascat lauream virginitatis, & pretium continentis animæ irreparabili damno deperdat. O depravatam juventutis scurrilitatem! ô perniciosam liberorum disciplinam! ô effrænem procantium insolentiam, dignam Spartani rigoris castigatione! In familiari confidentissimorum amicorum consortio *unus est, qui loquitur*: dum omnia pacificè & amicabiliter aguntur, intervenit quidam alius vermiculati operis homo, qui mordacib⁹ cavillationibus aut criticis puncturis bilem cæterorũ movet, tum calorem irritat, tandem ad contentiones, ad inimicitias, ad rixas & cædes præcipitat. In familiari gravium virorum discursu, *unus est, qui loquitur*. dum à serijs ad jocosa, à speculativis ad practica, à speciosis ad obscura, à comendationibus ad dejectiones & denigrationes transitur. Et ecce! in hujusmodi visitationibus, dum subinde præsentibus & absentibus *suum* diminuitur, *unum verbum, uno in momento, multitudinis audientium dum aures inficit, animã interfecit.* Lubricum & inquietum malum est lingua, quæ nunquam ita virulenter & impudenter suum exerit stimulum, qu im in otiosis conventiculis, & periculosis visitationibus; in quibus si timoratè attendas & auscultes, sæpenumero deprehendes, quia *nemo, quod bonum est, loquitur.*

Sed verò quia in hodierna Visitatione tot sacræ convenerunt Personæ; Christus scilicet uterinus, Virgo prægnans, Elisabetha occurrens, Joannes exultans, Zacharias Sacerdos; specialior hinc ratio expediri debet de sobriâ frequentatione mulierum per sacros & Deo dicatos homines, quantâ in ea opus sit circumspectione, cautelâ & conscientiâ. Et quidem suppono, fæmineum sexum sacris hominibus non esse eum

207. Frequentatio mulierum debet congrua & cauta esse

S. Ignatius Ep. 11. cum abominatione aversandū, juxta illud S. Ignatij monitū ad Heronem. [Fœminas non abominaberis; ipsæ enim te genuerunt, & educârunt. Amare itaque eas oportet, ut auctores nativitatis nostræ, verùm duntaxat in Domino: sine fæmina enim nunquam liberos procreabit vir. Honorare itaque oportet cooperatrices generationis nostræ. Nec vir sine muliere, nec mulier sine viro, nisi in Protoplastis.] Quid, quòd non paucæ mulieres valdè commodaverunt divinis negotijs, ut ex Ecclesiæ annalibus constat? Certè S. Chrysostomus in quadam Epistola ad Italicam eximio prædicato fæminas condecorat. [In externis, inquit, negotijs, ut naturâ, ita etiam actione atque administratione, distincti sunt hi sexus, nimirum vir & mulier. Sic enim moribus comparatum est, ut mulier domi se teneat, vir autem publica & forensia negotia suscipiat. At in divinis certaminibus, iisque laboribus, qui Ecclesiæ causâ subeuntur, locum haudquaquam hoc habet; verùm fieri potest, ut fæmina in præclaris his certaminibus laboribúsque capescendis virum quoque fortitudine animique firmitate superet. Quod etiam indicans Paulus in ea Epistola, quam ad patriam vestram scripsit, complures fæminas amplissimis laudibus effert, ipsas nimirum haud parum in eo elaborasse asserens, ut viros etiam corrigerent, atque ad officium revocarent.] In quamcumque ergo partem se vertat fæmina, sive bonam, sive malam, omninò plurimùm potest, ut alio loco differit sanctus Chrysostomus. Vnde non imponitur hoc onus sacris hominibus, ut nunquam cum mulieribus conversentur; sed id duntaxat, ut earum sodalitas, id est, officiosa frequentatio non sit incongrua: hæc enim sola vetatur sacris hominibus, ut Author libri de singularitate Clericorum bene monuit. [Semel dixerim, omnis inconveniens sodalitas mulierum gluten est delictorum, & viscum toxicatum, quo diabolus aucupatur. Incongrua est sodalitas fæminarum, quarum sodalitatem ita nos rursum Salomon docet in omnibus præcavere. *Cum alienâ*, inquit, *muliere ne sedeas omnino, & ne alterceris cum illa in vino, ne fortè declinet cor tuum in illam, & sanguine tuo labaris in perditionem.*] Est igitur aliquis modus, quo adhibito sodalitas seu conversatio sacri hominis cum muliere non erit inconveniens, neque incongrua; ac proinde honesta erit. Ille verò modus opportuniùs definiri non potest, quàm decursis & expensis varijs actionibus, quæ convenienter homini sacro circa mulieres vitari debent, aut usurpari possunt. Quanquam nullus tam securus in hoc negotio existimandus sit conversationis modus, ut, qui eum observaverit, extra omnem periculi aleam sit collocatus; sed fixum esse debet, semper cum timore ac tremore obeundum hoc esse negotium; nec ullam accurationem in eo adhibitam posse videri supervacuam. Non enim video, talem prærogativam ulli alteri etiam castissimæ fæminæ convenire, qualem sanctus Ambrosius Virgineæ Deiparæ collatam suspexit. *Tanta*, inquit, *erat ejus gratia, ut non solùm in se Virginitatem servaret, sed etiam si quos inviseret, integritatis insigne conferret.* Itaque secernamus varias veluti classes & gradus diversos, quibus, quid ad cavenda pericula declinandum sit, cordatè proloquamur, non timendo censuram & proscissionem, cui olim in simili causâ se subjacuisse fatetur S. Hieronymus. *Vnum*, inquit, *miser locutus, quòd Virgines sæpiùs deberent cum mulieribus esse, quàm cum masculis, totius oculos urbis offendi; cunctorum digitis notor. Multiplicati super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis, & factus sum eis in parabolam.* Similem, inquam, proscissionem non curemus, nec frontibus in rugas contractis nos terreamur, quin in libertate spiritûs, quod res est, ex Scripturis & Patribus edisseramus.

S. Chrysost. Ep. 170.
Rom. ult.
S. Chrysost. hom. 60. in Ioan.
Author l. de singul. Cler.
S. Ambrosius l. 1 de Virg. c. 7.
S. Hieron. Ep. 101. ad Marcellam.

208. Visitatio incongrua quarumcunq; fæ-

Mulierum quarumcunque visitatio per Sacros homines, etiamsi pœnitentium, & apud ipsos peccata deponentium,

minarum per sacros homines improbatur. tium, aut virtutis nomine illustrium, vel etiam Monialium (nisi in necessitate, aut prudentis arbitrij congruitate, ac pertarò, & magnâ cum cautione & attentione fiat) improbatur à sanctis Patribus, nec vacat ingenti utriusq; dispendio. Relatus Author libri de singularitate Clericorum, cùm monuisset, quasi *transeunter & fugitivè* quodammodo fœminis esse exhibendam accessionem, neque assiduam esse debere earum præsentiam, juxta impositum à Salomone moderamen, *In medio mulierum noli assiduus esse*; tum Clericos hortatur: *Sic igitur ambulate, sic agite, ut semper in clericis Ecclesiæ Senatus candidus consistat. Severitas in vobis circa fœminas vigeat, authoritas polleat, vigor teneatur, gravitas veneretur.* Sed verò nihil efficaciusad rem posset afferri, quàm canon visitationum fœminearum, quem S. Hieronymus his verbis figebat Nepotiano: [Si propter officium Clericatûs aut vidua visitatur, aut virgo, nunquam domum solus introeas. Tales habeto socios, quorum contubernio non infameris. Si Lector, si Acolythus, si Psaltes te sequitur, non ornentur veste, sed moribus: nec calamistro crispent comas, sed pudicitiam habitu polliceantur. Solus cum solâ, secretò, & absque arbitro, vel teste, non sedeas. Si familiarius est aliquid loquendum, habet nutricem majorem domus, virginem, viduam vel maritatam: non est tam inhumana, ut nullum præter te habeat, cui se audeat credere. Caveto omnes suspiciones, & quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, antè devita. Crebra munuscula, & sudariola, & fasciolas, & vestes ori applicitas, & oblatos ac degustatos cibos, blandásque & dulces litterulas, SANCTUS AMOR non habet. *Mel meum, lumen meum, meum desiderium, omnes delicias & lepôres*, & risu dignas urbanitates, & cæteras ineptias amatorum, in comœdijs erubescimus, in sæculi hominibus detestamur: quantò magis in Monachis, & in Clericis, quorum & sacerdotium proposito, & propositum ornatur sacerdotio?] Valent ista universè pro quibusvis mulieribus: singulariter tamen monitos video Sacros homines, ut circa certas mulierum visitationes sint parcissimi, puta circa eas, quæ apud ipsos peccata deponunt, & circa Moniales. De Pœnitentibus quidem hoc Confessarios admonebat Homobonus; estque rationi admodùm congrua ea admonitio: tum ne nimia familiaritas, incongruè visitando pariat Confessario contemptum, quò minori fructu & authoritate obeat munus suum; nec sibi sit dispendio, sed pœnitenti proficiat: tum ne ipsi mulieri pœnitenti per importunam visitationem refricetur memoria rerum confusione perfundentium in Confessione expositarum. De Monialibus expedire, ut perratò visitentur à Sacris hominibus, concors est Patrum, Doctorum, Conciliorum & Canonum sententia.

Author lib. de singularitate Cleric.

S. Hieron. Ep. 2. ad Nepot.

Homobon. de stat. p. ... c. 14.

209. *Moniales quã rarò visitandæ.* De Virginibus quidem, ac quibusvis fœminis solenni voto Deo sacratis, universè expedit, ut rarò, nec nisi ex causâ planè urgente, & facultate Majorum interpositâ, adeantur. Quod vel Gentiles circa suas Virgines Vestales observârunt: nam Romani caventes frequentationem ædis Vestalium, cùm Senatus non nisi in loco sacro haberi posset, vetuerunt fanum earum consecrari; dedecet enim sacras virgines tumultus ille, qui frequentationem consequitur. Nec dubium, quin per frequentem virorum accessum, multorum objectorum imaginibus suam phantasiam sint infarturæ; quas & magno suo damno retineant vegetas, & ægerrimè obliterent, cùm maximè vellent. Expediret igitur, in Parthenonibus idem locum habere, quod apud Romanos in Bonæ Deæ sacris, quæ nullus mas adire poterat, juxta illud Tibulli: *Sacra Bonæ maribus non adeunda Deæ*. Et juxta Nasonis: *Bonæ templa oculis exosa virorum*. Nec viros tantùm inde arceri ex usu fuit; ita ut non nisi fraude, & assumptâ fœmineâ veste, Clodius maleficium meditans, illuc subiverit: sed etiam, ut picturæ masculorum quorumcunque anima- lium

Germonius l. 3. de sa. rer. immunit. c. 15. n. ...

Tibullus l. 1. eleg. 6. Ovid. 5. Fast.

Cicero orat. de harusp. Seneca Ep. 16.

lium contegerentur, Tullius ac Seneca meminerunt. Taliter planè extra summæ necessitatis articulum par foret, instructos esse Christianos Parthenones. Et vide, an non ad hanc normam composita voluerit Monialium Cœnobia, quisquis ex S. Hieronymi medullis earum regulam contexuit, & inter alia præscripsit. [Sic „rarus vir appareat, sic rata de viro „mentio habeatur, ut puellulæ ve„stræ penè virilem sexum ignorent. „Non animal certè masculum Cœno„bij limites transeat, ut omnis cesset „occasio loquendi de maribus. Sic, „sic casta verba in omni colloquio san„cta personent ora, ut generationis „modus & ortus juvencularum lateat „corda. Hæc profectò catena diabo„li est.] De S. Augustino scribit Possidius, eum in visitationibus modum tenuisse ab Apostolo definitum, ut non nisi pupillos & viduas in tribulationibus constitutas visitaret; ad ægrotantes item in Domino juvandos absque morâ progrederetur: fæminarum autem monasteria, extra urgentes necessitates, nequaquam visitaret. Quòd si vir, ne sit scandalum visibus alienis, urgetur se subducere oculis fæminarum, quantùm leges charitatis & prudentiæ ferunt; ne eam proclivitatem, quæ tanta est in fæminiâ ad virum, reddat lubriciorem: sine dubio fæmina, præsertim sacra, eâdem astringitur obligatione, sibi subducendi incentivum ex viri conspectu imprudenti ac non necessario. Vnde Author est Virgini sacræ Tertullianus, ut ad velamen capitis confugiat, quasi ad galeam; quasi ad clypeum; ut sic muniatur, & virtutem suam in tuto locet. Et idcircò S. Ambrosius copiosè urget Virginem piam ac Deo addictam, ut caveat se, qui viros; & si bono suo vult consultum, avertatur ab illis nequitiæ illicibus; & imitatione columbæ Noëticæ neglecto corvo, qui carnem secutus est, revertatur in arcam; ibique hæreat subducta tempestati, tenens charitatem Christi, multò potiorem charitate hominum hujus sæculi, *qui non habent in se charitatem, nisi diabolicam.*

S. Hieron. de reg. mon. c. 42.

Possidius in vita S. Aug. c. 27.

Tertull. l. de veland. virg. c. 15.

S. Ambrosius l. ad Virg. devotam.

Quid, quòd quæ ultronea & volens conspicitur, inquinationem aliquam contrahit sic patens visui? Volebat hoc Tertullianus, cùm impugnans abusiones exhibendi virgines invelatas, præter cætera ait. [Tales oculi „volent virginem visam, quales habet „virgo, quæ videri volet. Invicem se „eadem oculorum genera desiderant. „Ejusdem libidinis est, videri & videre. „Tam sancti viri est suffundi, si Virgi„nem viderit, quàm sanctæ Virginis, „si à viro visa sit.] Ipsum scilicet conspici & videri, aliquatenus fœdari est. Inter notas insuper probrosas illius generis deterrimi ac neglectissimi Monachorum, quod Ægyptij vocabant *Remobuth* aut *Sarabaitas*; Sanctus Hieronymus informans Eustochium circa custodiam virginitatis, notavit esse laxas manicas, caligas follicantes, vestem crassiorem, crebra suspiria, & *Visitationes Virginum.* Et licet æquè observare, inter notas spiritus acediæ, occupantis & excedentis Monachum, recenseri à S. Cassiano visitationem crebram Sanctimonialium: nam Religiosus spiritu fervens, cùm habeat, in quo tempus cum fructu collocet, non est sollicitus diem frangere in hujusmodi nugis; sicut facit, qui pertæsus agere cum Deo, & fastidiens tractare seria, remittit animum in hujusmodi visitationibus. Scatent libri Sacrorum Decretorum, ac Constitutionũ Regularium, varijs Pontificum & Conciliorum in hanc rem præscriptis; quibus sollicitissimè, etiam per censuras & fulmina gravissima cavetur, ut visitationes Monialium per externos quotcunque, non nisi perparcè & circumspectè concederentur. Aversantur, & amaro odio prosequuntur Phœnicuri bubones: quidni faciant Virgines Deo sacræ? Relinquo Prælatis & Confessarijs Sanctimonialium curam: *Ego autem vobis parco.*]

Tertullianus de veland. virg. c. 2.

S. Hieronymus ad Eustoch. Ep. 22.

1. Corinth. 7. v. 28.

210. *Cautiones in allocutione fæminarum per sacros homines.*

Porro circa allocutionem fæminarum per Sacros homines, quomodocunque fiat, sive per improvisum occursum, sive per utriusque destinationem, sive ex quadam civili congruen-

tiâ, sive propter negotia salutis, in visitationibus magna circumspectio est adhibenda. Tam enim affinis ac veluti lapsui contermina est fœminæ allocutio, ut in ipsa Scriptura, juxta S. Augustini observationem, *alloqui* idem sit, quod jungi conjugio, vel frui fœmineis amplexibus. Sic Sponsus de Sponsa ajebat: *Quid faciemus sorori nostræ, in die, quando alloquenda est?* designans per allocutionis diem, tempus nuptialis solennitatis. Sed & apud Danielem de impuris senibus & detestandis judicibus dicitur: *Sic faciebatis filiabus Israël; & illæ timentes loquebantur vobis*: id est, consentiebant in pravum opus, voluptati vestræ præ timore servientes. Itaque in tantâ viciniâ collocutionis & turpitudinis magnâ attentione opus est homini timenti Deum, ne ad ignem accedens conflagret, ac pereat. Ut in paleæ & ignis approximatione devitetur incendium, cautiones aliquæ sunt adhibendæ: inter quas eam præsertim adverto inculcari à sapientibus, ut homines sacri caveant summopere, soli agere cum sola muliere. Quod enim admonuit Baldus, disertissimus Jurisconsultus: *Vir alloquens mulierem solam, non præsumitur dicere Pater noster.* Nemo sanè adeò perfrictæ censetur esse frontis, ut turpe quid non dico patrare in conspectu solis & astantibus alijs, sed etiam tractare aut designare aggrediatur. Nec habuit Vir ille sanctus, à lupâ virum ultrò rapiente ad flagitium pellectus, quo ejus ardores expeditiùs restingueret, quàm proponendo, ut urbe mediâ, quod illa expetebat, perficerent: quod tanquam abominandum aversata est impudens licèt & profligatæ honestatis fœmina. Proportione autem, turpe quiddam sermone versare cum muliercula, nemo præsente alio facilè ausit, si honestatis micam retineat, nec planè mente aut Dei timore exciderit. Alias quasdam temperationes in allocutione mulierum per sacros homines providè adhibendas, profert ex D. Augustino & illustrat Humbertus: nimirum ut allocutio sit duriuscula, & expers blanditiarum; eò quòd periculum sit, ne cum blanditijs & molliculâ allocutione gliscat, & cum amore subingrediatur aliquid impurum. Hinc aversabatur meritissimò S. Hieronymus in ore sacro illas cum muliere verborum cupedias, *mel meum, lumen meum.* Expostulabat de excessivâ multorum sui ævi collocutione Alvarus Pelagius in illo suo præstantissimo opere de planctu Ecclesiæ. agens nominatim de Religiosis & Monialibus. [Diu & diu, inquit, usque „ad fœtorem narium Domini Sabaoth, „loquuntur Religiosæ cum Religiosis: „& frequenter absque societate, cum „multo scandalo aliorum & aliarum, „& cum multo periculo sanctæ continentiæ regularis; contra *c. definimus,* „& *c. in decima.* Et aliquoties in simul „convivantur, & simul habitant, ignem inextinguibilem accendentes, „& se interiùs ac exteriùs comburentes, contra Canones allegatos. Quæ „autem in occulto ibi fiunt per eos, „turpe est dicere & scribere. Maledicta „est talis devotio, quæ tota est corruptio; quia in tali confabulatione non „deest viscarium diaboli, secundùm „Hieronymum: *Fabri sufflantes in igne libidinis prunas*, Isaiæ 54.] Planè prolixitas hujusmodi illecebrosorum affatuum cum mulieribus, argumentum est diabolici visci; quo implicitì inhærescunt hi confabulatores, idcircò affectantes mutuæ allocutionis frequentiam & prolixitatem prætextu fovendæ devotionis & incendendæ pietatis; cùm denique totum negotium spiritu in speciem cœptum, carne consummetur, sin minùs externo opere, at saltem sensu & affectu corrupto. Et sæpè sæpiùs desinit esse CARNALITAS, quæ sancta & immaculata videbatur incœpisse CHARITAS.

211. Cavendum est visui in visitatione mulierum.

Sed & illud curandum, ut in visitatione mulierum aut allocutione, visui & auditui (quantum fas erit) prospiciatur. Et quidem quoad custodiendos oculos non libet coacervare sanctorum Patrum monita, nec Doctorum asserta, nec Sapientum suffragia;

S. August. q. 78. in Exod.

Cant. 8. v. 8.

Dan. 13. v. 57.

Baldus ad L. neque natale. C. de probat.

Humbertus c. 81. in Reg. S. Augustini.

Alvarus Pelagius l. 2. c. 45. S. 19.

18. q. 2.

gia; quando Spiritus sanctus nihil frequentiùs, nec cum majori verborum pondere in Scripturis quidquam insinuat, nominatimque per Siracidem contestatur; quàm *propter speciem mulieris* oculis perceptam, & curiosiùs ac licentiùs haustam, *multos periisse, & ex hoc concupiscentiam in illis exarsisse.* Timens hoc incendium S. Bernardus, prout de ejus adolescentia scribit Gulielmus Abbas S. Theodorici, cùm aliquando curiosiùs aspiciendo defixos in quandam oculos diutiùs tenuisset, continuo ad se reversus, & de seipso erubescens apud semetipsum, in seipsum ultor severissimus exarsit. Stagno quippe gelidarum aquarum, quod in proximo erat, collo tenus insiliens, tamdiu inibi permansit, donec penè exanguis effectus, per virtutem gratiæ cooperantis etiam à calore carnalis concupiscentiæ totus refriguit; induens illum castitatis affectum, quem olim firmaverat Job, dicens: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Nimirum præcipue *ex oculis Amor* manat, ut differit Athenæus. Et quia non omnium fæminei corporis partium æquè illecebrosus est contuitus, neque ex cujusvis partis conspectu in contuente Babylonica fornax æquè succenditur: hinc quò inhonestior est partis alicujus contuitus, & ad excitandam luxuriæ flammam opportunior, eò diligentiùs frænandus est visus. A Plinio notatum est, muliebria cadavera in aquis extincta fluitare prona; cùm virorum similiter extinctorum corpora fluitent supina, pudori defunctarum compatiente naturâ. Imò refert sanctus Paulinus, Deum pudori servientem non esse passum, ut corpora energumenarum, etiamsi ordine verso suspensarum, & pedibus spectantium tecta supinis retegerentur. Rubore suffundor, dum in præsentem rem lego, quæ afferunt gravissimi Doctores apud Theophilum Raynaudum. Ex quibus posset graviter exaggerari, quam justum sit, omni diligentia sibi ab eo contuitu temperare, non modò illarum partium, quæ virulento suo afflatu lethaliter infecturæ sint contuentem, sed etiam aliarum quarumcunque, si sit fixus & deliberatus contuitus. Suscipio paternum Seraphici mei Patris Francisci monitum; qui cum frequenter aliàs, tum rectè collatione quâdam suos sic hortatur Fratres. [Mulierum familiaritates, colloquia & aspectus, quæ multis occasio sunt ruinæ, eò sollicitiùs evitare debemus, Fratres charissimi, quò sæpiùs per hujusmodi videmus debilem frangi, & fortem spiritum infirmari. Harum contagionem evadere conversantem cum eis, nisi probatissimum virum, tam facilè judico, quàm juxta Scripturam, in igne ambulare & non comburere plantas. Non enim securum puto, earum formarum introrsus haurire imagines, quæ possunt aut edomitæ carnis suscitare igniculum, aut pudicæ mentis maculare nitorem.]

Eccli. 9. v. 9.

Gulielmus Abbas l. 1. vitæ S. Bernardi, c. 3.

Job. 31. v. 1.

Athenæus l. 13. c. 9.

Plinius l. 7. c. 17.

S. Paulinus in Natali S. Felicis.

Raynaudus in Miscellaneis patriis.

S. Francisc. collat. 6.

212. Cavendum est auditui in cantu mulierum.

Ita quidem visui consulendum. Sed verò bisulco telo ferietur, si conspectui fæminæ etiam *cantus fæmineus* jungatur: magna enim auditui à cantu fæmineo ruina imminet. S. Leo fæmineos cantus vocat [insidiosos sonos mollibus ictibus pulsantes auditum, ut animi soliditas illecebrosâ modulatione solvatur, & lethalium consuetudine suavitatum incauta & patum sobria corda capiantur.] Hugo de S. Victore audacter asserit. [Omnis societas mulierum gluten est delictorum, & tanquam visco nectit cantu suo, de quo diabolus satietur, aut risu dissolvatur, aut cantare delectetur. Vtiliùs est audire basiliscum sibilantem, quàm mulierem cantantem] *Vocis dulcedines per aurem animam vulnerantes* appellat S. Hieronymus, Gaudentium commonens de Pacatulæ Infantulæ educatione. Adversùs hujusmodi illecebram fæmineæ modulationis, quâ nihil blandiùs & exitialiùs influit in animum, adhibendum est amuletum, quod Vlysses adversùs morriferos cantus usurpavit, docente post Mythologos S. Ambrosio, cujus hæc est oratio. [Sæculi ferunt fabulæ, Vlyssem illum, qui decennio marinis jactatus erroribus ad patriam per-

S. Leo serm. 4. de jejunio 7. mens.

Hugo de S. Victore l. 1. miscell. tit. 198.

S. Hieron. Ep. 13.

S. Ambrosius de Virginibus.

ve-

venire non poterat, cùm in locum quendam cursus illum navigij detulisset, in quo Sirenarum dulcis cantus crudeli varietate resonabat; & advenientes sic blandâ modulatione mulcebat, ut non tam spectaculum voluptatis caperent, quàm naufragium salutis incurrerent. Talis enim erat oblectatio cantilenæ, ut quisquis audisset vocis sonitum, quasi quâdam captus illecebrâ, non jam tenderet ad eum, quem volebat portum, sed pergeret ad exitium, quod nolebat. Igitur cùm Vlysses incidisset hoc dulce naufragium, & suavitatis illius vellet declinare periculum, dicitur insertâ cerâ auribus sociorum, seipsum ad arborem navigij religâsse; quo & illi carerent perniciosâ auditûs illecebrâ, & se de periculo navigij cursus auferret.] Ex quo S. Gregorius Nazianzenus infert, cantus mulierum esse cantus Sirenarum, ad quos cerâ obstruendæ sunt aures, ne audientes evertant; & mens alliganda firmiter arbori Crucis, ne cadat.

S. Greg. Naz. in Tetrast. n. 17

213. Tactuum levium virulentia.

Longior sim in specificandis abusibus, periculis & excessibus, quibus familiaritas aut visitatio mulierum vitiatur. Tactus etiam quilibet mulieris, tametsi leviculus, vel non nisi joco factus, aut per nudum osculum, refugiendus est sacro homini quasi virulentus. Ex talibus enim multò flagrantior animæ æstus procreatur, quàm ex aspectu incauto; quem tamen Spiritus sanctus in Scripturis toties admonet esse devitandum. Non impedio contactum mulierum sacris hominibus *necessarium*, ad quem charitas aliquando posset adigere, vel cura pastoralis, v. g. in collatione Sacramentorum Confirmationis, aut Extremæ Vnctionis, vel ad alium quendam salutis conferendæ finem: sed de contactibus ex levitate & absque necessitate adhibitis, qui ferè sunt prolusiones ad aliquid putens & fœdum, Sancti Patres gravissimè causantur. Et licèt subinde ex tali contactu nullo prorsus motu accendatur rota nativitatis in re: quia verò periculum manifestum intercedit vel in te, vel in fœminâ contactâ, de latenter excitandâ concupiscentiâ; hinc etiam de asserendo peccato mortali, non desunt ex Doctoribus, qui determinent. *Nunquid alligabit quispiam ignem in sinu suo, & vestimenta eius non comburet? Aut ambulabit quispiam super carbones ignis, & pedes ejus non ardebunt? Ita non erit innocens, qui mulierem tetigerit.* Memorabile est, & non nisi inter pretiosissimos carbunculos reponendum, quod de Seraphico nostro Patre Francisco scribit Lucas Waddingus. Barij, inquit, in Apulia Fridericus II. Imperator meretricem submisit, quæ tentaret castitatem S. Francisci. At ille lectum igneum ei proposuit, in eóque decumbens meretricem ad secum decumbendum invitans, illam in fugam coniecit. Idque per rimam spectans vidénsque Imperator, exclamavit: *Surge vir Dei, quia Deus tecum est: nam, ut video, nec odor ignis est in te, nec vis incendij tibi molestiæ quidquam intulit. Tuum est, Deo gratias agere, qui virtutem dedit, ut non timeres à timore nocturno, nec Veneris aut ignis flammam sentires.*

Prover. 6. 27.

VVadding. in Annal. Min. anno 1222.

Quòd si autem tam periculosus sit contactus leviusculus, quantò sollicitiùs caveri oportebit à sacro homine osculum licentiosum fœminæ? Non est hîc obtendenda urbanitas, cujus violatæ notam in quibusdam oris subituri viderentur sæculares è Clero viri, qui figere mulieri osculum renuerent: nam nihilominus viri solidè pij urbanitatis violatæ notâ sordere maluerunt, quàm fœminas osculari. De nostro S. Ludovico, Tolosatium postea Antistite, proditum est, eum hac in parte fuisse attentissimum: nam & sororem Reginam Franciæ, in digressu è Barchinonensi custodia in oscula pro regionis more ruentem, aversatus est; & ipsam matrem suam, Neapoli osculum figere volentem, averso vultu ab osculando repulit. Et mirantem, quòd matris innoxium osculum refugeret, quasi nesciret matrem suam esse, compescuit eo levi responso: *Te mihi matrem esse haudquaquam ignoro, sed esse fœminam scio in-*

214. Osculorum fœmineorum virulentia.

Ex Chronicis Minorum.

con-

congruum verò est, fœminam Dei servo osculum figere. Hæc Ludovicus etiamnum puiio, foiâ destinatione suâ Dei servus, in Aulâ Regalibus delicijs innutritus præstabat: quid facturus fuisset, cùm jam Seraphico Ordini adscriptus, aut mandante Summo Pontifice in Tolosatium Antistitem esset inauguratus? Serius est in præsenti instituto, dimissis alijs Patribus, Thomas Cantipratanus; qui energico stylo sex vias, reprobis tritas, recenset, per quas ad luxuriæ ludibrium pervenitur. [Quinta, inquit, via ad fornicationem est luxus in osculo. Quod Salomon in Proverbijs insinuans, de muliere garrula & vaga, *apprehensum*, inquit, *juvenem osculatur.* Ratio hujus est, quòd luxuria per osculum incitatur, quia in osculantibus convenientia partium fit, & animales spiritus conjunguntur. Unde Aristoteles dicit, quòd equi ante coitum conspirant anhelitu, & per hoc ad luxuriam provocantur. Quanta autem ex osculis fœditatum enormitas eveniat, nolo detegere nescientibus, ne nitantur in vetitum, & à diabolo graviùs attententur.] Propositâ autem frivolâ excusatione quorundam Clericorum, jactantium pietatem in osculo virginum, quòd os earum sit velut limen domûs Dei, cui religiosum sit, pro more antiquo juxta S. Cyrilium limina templorum osculandi, oscula figere; nequissimi mendacij id arguit Cantipratanus, & subdit. [Esto, ponamus te in osculis libidine non moveri. Quis securum te faciet, non mentem saltem virginis, non vas fragilissimũ, corpus in osculis non lubricari? Scimus maximè talibus fœminarũ etiam devotarum affici corpora, quæ coitum non noverunt. Et hoc evidentissimâ ratione demonstratur, quia hoc in illis majori delectatione coitus minoratur, quod in istis non expertis, quasi solùm sine corruptione corporis licitum, augmentatur. Absit itaque ab ulla Christiana mente, licitum & sine crimine eredendum osculum, dum veridicus Augustin⁹ in Regula sua, etiam fixum oculũ tantâ pœnâ censuit vindicandũ. Igitur si virginem aut fœminam in Christo diligis, quia sancta; ei cavere debes, sicut & tibi. De te quidem, ut dicis, securus esse poteris, in osculis non moveri; de illâ nunquam. Discrimini ergo te sine mortali peccato committere non licebit. Si quis igitur, ô Virgo Christi, quasi ad Sanctum osculum te invitaverit, sputum pro osculo reddas, pugnum ingeras cõtrectanti. Nec credas hunc servum Christi, sed Sathanæ; non amatorem, sed corruptorem; non pudicitiæ zelatorem, sed eum certissimè noveris vilissimũ *Leccatorem.*] Addit de formosa juvencula, quæ impuro Sacerdoti per oscula proludenti ad nequiora, tam validè illisit manũ, ut multum cruorem è naribus exciverit: & ab incusso ipsi timore de necessitate profectionis Romanæ ad obtinendum absolutionis beneficium, liberata est per ipsũ Cantipratanũ, qui author ei factus est, ut omnia similia attentantes, tametsi sint sacerdotes, oculi excussione multaret. Subdit de alia Virgine, quæ militẽ jocabundum, cùm per vim osculum impressisset, pistillo impacto egregiè contudit, & à se ablegavit.

Cantipratanus l. 2. Apum. c. 30. a. n. 49.

S. Cyril. cathec. 1. mystag.

Intravit domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth. Nihil impudicitiæ, nihil periculi, nihil indecori aut inhonesti, invenitur *in visitatione Virginis* Deiparæ: *cuius tanta erat gratia, ut non solùm in se virginitatem servaret, sed etiam, si quos inviseret, integritatis insigne conferret.* Nempe si Deipara assimiletur Api argumentosæ, puræ & castæ, 215.

215. Sola Deipara sine castitatis periculo visitatur.

Visitat, haud vitiat lætos apis inclyta flores:
Innocuo inspector sic pede corda tenet.

Ergo hanc visitate frequenter, ô devotæ Deo animæ, hanc castissimo amore salutate, ô pij & sancti corrivales! Ecce vobis tenerrimo exemplo præit S. noster Bernardinus, qui nobili sanguine educatus Senis in Italia, primos juventutis annos religiosissimis exercitijs cõsecrabat. Quotidie extra civitatẽ progrediens visitabat Sacellũ beatissimæ Virginis, & coram devotâ Imagine Deiparæ cor suum amorosum in preces & salutationes angelicas genuflexus piissimè effundebat. Quotiescunq; à Cognatâ suâ honestissimâ matronâ interrogabatur, quorsũ pergeret? modestè reposuit, *se Amasiã suã dilectissimã visitare, & salutare.* Missis deinde, qui no-

venire non poterat, cùm in locum quendam cursus illum navigij detulisset, in quo Sirenarum dulcis cantus crudeli varietate resonabat; & advenientes sic blandâ modulatione mulcebat, ut non tam spectaculum voluptatis caperent, quàm naufragium salutis incurrerent. Talis enim erat oblectatio cantilenæ, ut quisquis audisset vocis sonitum, quasi quâdam captus illecebrâ, non jam tenderet ad eum, quem volebat partum, sed perageret ad exitium, quod nolebat. Igitur cùm Vlysses incidisset hoc dulce naufragium, & suavitatis illius vellet declinare periculum, dicitur insertâ cerâ auribus sociorum, seipsum ad arborem navigij religâsse; quo & illi carerent perniciosâ auditûs illecebrâ, & se de periculo navigij cursus auferret.] Ex quo S. Gregorius Nazianzenus infert, cantus mulierum esse cantus Sirenarum, ad quos cerâ obstruendæ sunt aures, ne audientes evertant; & mens alliganda firmiter arbori Crucis, ne cadat.

S. Greg. Naz. in Tetras. n. 17

213. Tactuum levium virulentia.

Longior sim in specificandis abusibus, periculis & excessibus, quibus familiaritas aut visitatio mulierum vitiatur. Tactus etiam quilibet mulieris, tametsi leviculus, vel non nisi joco factus, aut per nudum osculum, refugiendus est sacro homini quasi virulentus. Ex talibus enim multò flagrantior animæ æstus procreatur, quàm ex aspectu incauto; quem tamen Spiritus sanctus in Scripturis toties admonet esse devitandum. Non impedio contactum mulierum sacris hominibus *necessarium*, ad quem charitas aliquando posset adigere, vel cura pastoralis, v. g. in collatione Sacramentorum Confirmationis, aut Extremæ Vnctionis, vel ad alium quendam salutis conferendæ finem: sed de contactibus ex levitate & absque necessitate adhibitis, qui ferè sunt prolusiones ad aliquid putens & fœdum, Sancti Patres gravissimè causantur. Et licèt subinde ex tali contactu nullo prorsus motu accendatur rota nativitatis in te: quia verò periculum manifestum intercedit vel in te, vel in fœminâ contactâ, de latenter excitandâ concupiscentiâ; hinc etiam de asserendo peccato mortali, non desunt ex Doctoribus, qui determinent. *Nunquid alligabit quispiam ignem in sinu suo, & vestimenta eius non comburet? Aut ambulabit quispiam super carbones ignis, & pedes ejus non ardebunt? Ita non erit innocens, qui mulierem tetigerit.* Memorabile est, & non nisi inter pretiosissimos carbunculos reponendum, quod de Seraphico nostro Patre Francisco scribit Lucas Waddingus. Barij, inquit, in Apulia Fridericus II. Imperator meretricem submisit, quæ tentaret castitatem S. Francisci. At ille lectum igneum ei proposuit, in eóque decumbens meretricem ad secum decumbendum invitans, illam in fugam coniecit. Idque per rimam spectans vidénsque Imperator, exclamavit: *Surge vir Dei, quia Deus tecum est: nam, ut video, nec odor ignis est in te, nec vis incendij tibi molestiæ quidquam intulit. Tuum est, Deo gratias agere, qui virtutem dedit, ut non timeres à timore nocturno, nec Veneris aut ignis flammam sentires.*

Proverb. 6. v. 27.

VVadding. in Annal. Min. anno 1222.

Quòd si autem tam periculosus sit contactus leviusculus, quantò sollicitiùs caveri oportebit à sacro homine osculum licentiosum fœminæ? Non est hîc obtendenda urbanitas, cujus violatæ notam in quibusdam oris subituri videntur sæculares è Clero viri, qui figere mulieri osculum renuerent: nam nihilominus viri solidè pij urbanitatis violatæ notâ sordere maluerunt, quàm fœminas osculari. De nostro S. Ludovico, Tolosatium postea Antistite, proditum est, eum hac in parte fuisse attentissimum: nam & sororem Reginam Franciæ, in digressu è Barchinonensi custodia in oscula pro regionis more ruentem, aversatus est; & ipsam matrem suam, Neapoli osculum figere volentem, averso vultu ab osculando repulit. Et mirantem, quòd matris innoxium osculum refugeret, quasi nesciret matrem suam esse, compescuit eo levi responso: *Te mihi matrem esse haudquaquam ignoro, sed esse fœminam scio. in-* 214. Osculorum fæminorū virulentia.

Ex Orosch Idiomaning.

con-

congruum verò est, fæminam Dei servo osculum figere. Hæc Ludovicus etiamnum pusio, solâ destinatione suâ Dei servus, in Aulâ Regalibus delicijs innutritus præstabat: quid facturus fuisset, cùm jam Seraphico Ordini adscriptus, aut mandante Summo Pontifice in Tolosatium Antistitem esset inauguratus? Serius est in præsenti instituto, dimissis alijs Patribus, Thomas Cantipratanus; qui energico stylo sex vias, reprobis tritas, recenset, per quas ad luxuriæ ludibrium pervenitur. [Quinta, inquit, via ad fornicationem est luxus in osculo. Quod Salomon in Proverbijs insinuans, de muliere garrula & vaga, *apprehensum*, inquit, *juvenem osculatur.* Ratio hujus est, quòd luxuria per osculum incitatur, quia in osculantibus convenientia partium fit, & animales spiritus conjunguntur. Vnde Aristoteles dicit, quòd equi ante coitum conspirant anhelitu, & per hoc ad luxuriam provocantur. Quanta autem ex osculis fœditatum enormitas eveniat, nolo detegere nescientibus, ne nitantur in vetitum, & à diabolo graviùs attententur.] Propositâ autem frivolâ excusatione quorundam Clericorum, jactantium pietatem in osculo virginum, quòd os earum sit velut limen domûs Dei, cui religiosum sit, pro more antiquo juxta S. Cyrillum limina templorum osculandi, oscula figere; nequissimi mendacij id arguit Cantipratanus, & subdit. [Esto, ponamus te in osculis libidine non moveri. Quis securum te faciet, non mentem saltem virginis, non vas fragilissimũ, corpus in osculis non lubricari? Scimus maximè talibus fæminarũ etiam devotarum affici corpora, quæ coitum non noverunt. Et hoc evidentissimâ ratione demonstratur, quia hoc in illis majori delectatione coitus minoratur, quod in istis non expertis, quasi solùm sine corruptione corporis licitum, augmentatur. Absit itaque ab ulla Christiana mente, licitum & sine crimine credendum osculum, dum veridicus Augustin⁹ in Regula sua, etiam fixum oculũ tantâ pœnâ censuit vindicandũ. Igitur si virginem aut fæminam in Christo diligis, quia sancta; ei cavere

Cantipratanus l. 2. Apum. c. 30. 4. n. 49.

S. Cyril. cathec. 5. mystag.

debes, sicut & tibi. De te quidem, ut dicis, securus esse poteris, in osculis non moveri; de illâ nunquam. Discrimini ergo te sine mortali peccato committere non licebit. Si quis igitur, ô Virgo Christi, quasi ad Sanctum osculum te invitaverit, sputum pro osculo reddas, pugnum ingeras cõtrectanti. Nec credas hunc servum Christi, sed Sathanæ; non amatorem, sed corruptorem; non pudicitiæ zelatorem, sed eum certissimè noveris vilissimũ *Leccatorem.*] Addit de formosa juvencula, quæ impuro Sacerdoti per oscula proludenti ad nequiora, tam validè illisit manũ, ut multum cruorem è naribus exciverit: & ab incusso ipsi timore de necessitate profectionis Romanæ ad obtinendum absolutionis beneficium, liberata est per ipsũ Cantipratanũ, qui author ei factus est, ut omnia similia attentantes, tametsi sint sacerdotes, oculi excussione multaret. Subdit de alia Virgine, quæ milite jocabundum, cùm per vim osculum impressisset, pistillo impacto egregiè contudit, & à se ablegavit.

Intravit domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth. Nihil impudicitiæ, nihil periculi, nihil indecori aut inhonesti, invenitur *in visitatione Virginis* Deiparæ: *cuius tanta erat gratia, ut non solùm in se virginitatem servaret, sed etiam, si quos invisere, integritatis insigne conferret.* Nempe si Deipara assimiletur Api argumentosæ, puræ & castæ, 215.

Sola Deipara sine castitatis periculo visitatur.

Visitat, haud vitiat lætos apis inclyta flores:

Innocuo inspector sic pede corda tenet.

Ergo hanc visitate frequenter, ô devotæ Deo animæ, hanc castissimo amore salutate, ô pij & sancti corrivales! Ecce vobis tenerrimo exemplo præit S. noster Bernardinus, qui nobili sanguine educatus Senis in Italia, primos juventutis annos religiosissimis exercitijs cõsecrabat. Quotidie extra civitatẽ progrediens visitabat Sacellũ beatissimæ Virginis, & coram devotâ Imagine Deiparæ cor suum amorosum in preces & salutationes angelicas genuflexus pientissimè effundebat. Quotiescunq; à Cognatâ suâ honestissimâ matronâ interrogabatur, quorsũ pergeret? modestè reposuit, *se Amasiã suã dilectissimã visitare, & salutare.* Missis deinde, qui nobi-

Ee bi-

bilem Adolescentem observarent, ne fortè periculosis amoribus implecteretur, deprehensus est, coram Deiparæ statuâ cælestibus delicijs affluere. Hanc visitate, hanc salutate, & integritatis insigne reportate. Amen.

Obtestor sacri Verbi Præconem, ut circumspectè & prudenter concionem de Visitatione imitetur: quia multa possunt probè scribi aut legi, quæ non possunt probè coram toto Auditorio enuntiari.



IN TRANSLATIONE S. NORBERTI Episcopi, Præmonstratensium Fundatoris.

Die 11. Julij.

LUCIDIA ILLUSTRIS.

Das scheinbahre Tinzerellel.

LEMMA.

Lucens noctè, diuquè canens.

THEMA.

Candor est Lucis æternæ, & speculum sine macula Dei Maiestatis, & Imago Bonitatis illius. Sap. 7. v. 26.

SYNOPSIS CONCIONIS LXXXII.

Illustri themate clarissima D. NORBERTI sanctitas suspicitur, & ex triplici Divinitatis ornatu, nempe ex Lucis candore, ex Majestatis reflexione, atque ex Bonitatis imagine gratiosè commendatur.

216. Lucidia S. Norberto in symbolū sa. 12.



Vidni pro suo in hodiernam solennitatē nitore, ex magno nostro Ornithotrophio provolent, vel Lagopus à Plinio de præcipuo sapore notatus? vel Quarapanga Brasilica, rota alba, tam stentoriam habens vocem, ut instar tintinnabuli ad dimidiam penè leucam exaudiatur? vel Cygnus cælestis, refulgens inter astra, quæ suo *candore meruit*? vel Columbæ nitidæ, quæ libentissimè, Ovidio teste, tecta ad *candida veniunt*? vel Aves niveæ, apud Nierembergium, imitati ne humani sermonis nobiles, quæ transeuntes irrident, eósque, ubi licet, insequuntur? Aut candidus Onocrotalus, amplissimi gutturis & clamosissimæ vocis avis, quæ à Bellonio propter animositatem & alacritatem commendatur, & à Bartholomæo Anglico dicitur non tantùm capite erecto & sublimi incedere, sed etiam in litore secura dormire rostro ad cælum erecto, ejúsque acie contra inopinatum accipitris insultum sese munire? Possent hæ singulæ Aves, à suo candore conspicuæ, Divo NORBERTO, candidissimi Præmonstratensium Ordinis gloriosissimo Fundatori exhiberi in symbolum; & eximijs suis præsentijs triumphalem eius currum trahendo, Fidelibus splendidum reddere & spectandum. Deberem in hujusce solennitatis nitorem ex Americanis oris, & remotissimo Peruensium Regno concitare vel ipsos *Candores*, quos Josephus Acosta vocat tam portentosæ molis aves, ut cæteras

Plinius l. 10, c. 48.

Schottus l. 9. Physica curiosa c. 66.

Nieremb. hist. natur. l. 10. c. 71-74.

mnes

Nieremb. l. 10 hist. nat. c. 37. omnes magnitudine superare videantur, *Cantur* à Peruensibus vocatæ. Vitulum resecant, & absumunt: alas usque ad quinque ulnas protendunt: absque unguibus rapaces sunt: duæ taurum rostro necant: cristatæ sunt, & à fusco albóque colore variegatæ. Symbolum ex his avibus construxit in rupe editâ Viracocha priscus Inga, rex Peruensis. Sed nihil nobis cum his omnibus vel candoribus, vel candidis avibus; quando in Hercynio Germaniæ saltu reperitur *Lucidia*, à congenitâ luciditate illustris, quæ è Parthenopolitano cubili, anno millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, in florentissimi Bohemiæ Regni Metropolim Pragensem magnificentissimè transvolavit. Et quid lucis Lucidiæ conferant gloriosissimo Norberto? Audite Plinium. *In Hercynio*, inquit (hoc est, Bohemico) *Germaniæ saltu inusitata genera alitum accepimus, quarum plumæ ignium modo colluceant noctibus*: unde non rarò noctu proficiscentes, ab emisso nativo splendore Lucidiarum duci, & in viam rectam dirigi perhibentur à Solino. Quod idem de Moscoviæ Lucidijs, per densissimas sylvas dirigentibus suo splendore ambulantes, aliquoties legisse me memini. Cantus earum per Ziziri exprimitur; unde à Germanis Zinßerellel appellantur. Vt proportionaliter possit Lucidiæ insigniri hoc lemmate: *LUCENS NOCTE, DIUQUE CANENS.* Non indiges quidem, D. Norberte, alicujus Lucidiæ illustratione, utpote quia

Garcilasso l. 5. c. 23.

Plin. l. 10. c. 47

Solinus l. de Germ. Gesnerus in Lucidia.

Candida te niveo posuit lux proxima Templo,

Et propriâ sanctitate totus luminosus atque illustris Ecclesiæ illucescis. Tibi tamen, ò magne Germaniæ Primas, tuisque Virgineis ceris Lucidiam consecro; ut, qui Populis ambulantibus in umbrâ mortis, & plùs densiore quàm Hercyniæ sylvæ errore, viam salutis demonstrâsti, per eam toti Ecclesiæ Sanctorum innotescat, quòd S. Norbertus sit *Candor lucis æternæ, & speculum sine maculâ Dei Maiestatis, & imago bonitatis illius*, Procul hinc, procul esse profani, procul Atticæ noctes; procul Ægyptiacæ tenebræ, & Teuaridis squallores, quando tam illustre elaboratur thema in nomine Jesu, inter candida lilia pascentis.

217. *Candoris significatio & usus in communi.* Sublimis est, & serena Sapientis de æternâ Sapientiâ philosophatio: sive enim intelligatur de Sapientiâ Essentiali, prout est attributum Dei omnibus Personis commune; sive de Sapientiâ notionali, quæ est Verbum, seu Filius, *candor est lucis æternæ*. Est enim splendor Deitatis, quæ est lux æterna & increata, majestas immensè lucida & gloriosa. Sicut à Sole manat radius & splendor; sic à Deo & Deitate manat Sapientia, quæ instar divini radij resplendet: & sicut purissimum, quod ex luce Solis prodit, est candor seu splendor, omnia penetrans absque ulla sui inquinatione aut obscuratione; ita ex luce Solis intelligibilis (Dei) prodit purissima Sapiētia, omnia illustrans, omnia ut splendor penetrans absq; ulla sui coinquinatione, quæ *Candor est lucis æternæ*. Religioni accomoda est Albedo, & puritatis, fidei, castimoniæ, integritatis, veritatis, innocentiæ, simplicitatis, aliarumq; ejusdem generis virtutum nota. Hinc Tullius colorem album Deo maximè decorem pronuntiavit, quòd sit index puritatis ac nitoris, omnémq; fucū excludat, veritate nativâ contentus. Sic & Plutarchus causam quærit, cur Sacerdotes Isidis & Osoridis lineis tantùm vestibus uterentur? Id quidem factum esse ait, quòd immortalibus Dijs omnia pura & munda conveniant; non enim fas est, pura Deorum numina contaminatis & impuris rebus coli. Eâdem ratione mortuos candidis operimentis contegi, quippe exuto corpore niten es ac puros & impermixtos, hoc designante albore colorum simplicissimo; eúmque mortuorum statum æmulatos Romanos & Argivos, tempus luctui destinatum albatos exegisse, author est idē Plutarchus. Placuit etiam Christianis color candidus, non modò ad refricandū Baptismi in albâ veste memoriam, sed multò magis, *ut innocentiam cordiū colore vestium repromitterent*; prout de Canonicis albatis dixit Petrus Dam. hoc est,

Tullius l. de legibus.

Plutarch. l. de Isid. & Osiride

Plutarch. q. 26. Roman.

Dam. ser. 1. de dedicat. Eccles.

est, ad contestationem simplicitatis & innocētiæ, quæ inter varias vestis candidæ Baptismum suscipientium causas, apud Vicecomitem congestas, potissima videtur. Brevi compendio Senesbariensis in Epist. ad Joannē quendam monasticam vitam aggressurum, candorem lucis sic commendat. *Splendidissima natura dicatum ac consecratum id potiùs fuerit, quod in his, quæ sensu percipiuntur, purius atq; lucidius est.* Et hoc quidem conformiter ad illud Platonis apophtegma, asserentis, *candorem lucis esse pallium Divinitatis.* Nunc

Vicecom. l. 5. de Baptis. c. 4.

Senec. Ep. 146

218. S. Norberti natales, cōversatio, indoles, conversio, & victoria sui.

Si vestrorum imbecillitas oculorum ex æterni & increati Luminis illapsu fatigata obruatur, & tanti mysterij subtilitate ultra modū in sese concidat mentis hebetudo, Auditores: ecce NORBER. Magnus ille Canonic. Regul. Præmonstratensium Pater, Magdeburgensium Archi Præsul, Antverpiensium Restaurator, Saxonum Apostolus! Ipse suæ sanctitatis objectu vobis illabitur jucundus, refulget gratiosus, & humanæ capacitati accommodatus exhibetur. Est enim *candor lucis æternæ*, non essentialis, non notionalis, sed participatus, sed imitatorius. Quidquid universa Colonia olim suspexit in Norberto, vel sanguinem antiquissimā Maiorum nobilitate illustrem, vel florentissimam generosi Iuvenis ætatem, vel flexanimē capessendæ virtutis indolem, vel manifestam rerum maximarum gerendarum spem, vel velificantem ad omnem dignitatem fortunam, vel exemplaris conversationis jucunditatem, vel pulcherrimarum eruditionum apparatū, vel quidquid juvenilis prætexta speciosum consuerat, *candor erat lucis æternæ*, & corpus luminosum, Divinæ Sapientiæ gratijs decorum. Non ita anxiè disquiro Norberti natalem inter Serenissimos Lotharingiæ Principes relatum, nec jura ejus municipalia à Coloniensibus communicata, nec natale solum Xantho Menapiorū oppido nominatum, nec annum nativitatis in millesimo & centesimo disputatum: quando ortum ejus memorabilē fecit illa veridica Genitricis suæ visio, qui sibi videbatur in utero Archi-Præsulem nutrire. Educatio ejus clarissima primò in Aulā Friderici Archi-Episcopi Coloniensis, deinde in Aulā Imperatoris Henrici, eo nomine V. sub hac rerū mundi affluentiā voluptatibus circumfusum, Principum gratiā & gloriā sublimem, opibus superbum, sanguine inclytum, & melioris fortunæ pullum, ad peioris licentiæ voraginem abripuisset; nisi *mutatio dexteræ Excelsi*, mirantibus cunctis & vix non credentibus, aliud de NORBERTO clarificando medium arripuisset, olim à Legisperito Esdra præsignatum. *Tunc dixisti, de thesauris tuis proferri lumen luminosum, quo appareret opus tuum*: quando quod subitò Deo inspirante voluit, subitò ostendit; ac Diaconatûs & Presbyterij (nam hactenus Subdiaconus erat, Xanthensis Canonicus) sacros Ordines sibi simul conferri petens, templum est ingressus; ibiq; abjecto splendido corporis ornatu, dimisso satellitio, rescissâ comâ, neglectis fortunæ blanditijs, calcatâ felicitate, obscuram pelliceamq; lacernam induit, quam olim cælo triumphaliter invehendus in purpuræ lucem comutaret. Et quidem populo spectante, ut hac quasi publicâ pænitentiæ inauguratione publicam vivendi licentiam retractaret, & tot testium conscientiā ampliorem in proposito perstandi sibi imponeret necessitatem. *Tunc dixisti, proferri Lumē luminosum*, quando Norbertus sacris Ordinibus initiatus, ad Sigebergense Cœnobium Benedictinorū, regulari disciplinâ celeberrimum, sese contulit, ut ibi jejunijs, orationibus ac vigilijs intentus, rudimenta religiosæ vitæ poneret, sacrificandi ac reliquas functiones sacerdotales obeundi dexteritatem addisceret, antequam primitias Sacrificij immaculati Deo & Agno consecraret. *Lumen luminosum, quo appareret opus tuum*: dum Norbertus Xanthum reversus, suis Canonicis alius visus opere, exemplo, sermone, potenter egit, primordia Tubæ Dei aperuit, pro veritate palam contra Cleri excessus promotâ, persecutiones tanquam veteranus Crucis miles fortiter sustinuit; etiam à vilissimo Clerico in faciem consputus, injuriam lachrymis & patienti compensavit:

4. Esdr. 6.

in-

interim verò invictum ab oratione spiritum diu noctùque non relaxavit. *Tunc dixisti, proferri Lumen luminosum* quando Norbertus in eo statu Canonicali, inconcussâ fide, ingentem è fornice lapsum araneum in Calicem jam consecratum, intrepidus hausit, paratior mori, quàm sanctificatis quidpiam derogare: hausit, & illæsus sternutando per nares excussit. *Lumen luminosum*, quod rarissimo exemplo, pinguissimis Beneficorum redditibus sanctè remissis, in eo insuper eluxit, quòd nec mulum suis necessitatibus servaret Norbertus, nec famulum, nec peculium; sed omnibus copijs in pauperes liberalissimè erogatis, nudipes asperrimâ hyeme accederet Paschalem II. Romanum Pontificem in Gallias profectum, ut ab eo ob duos sacros supremos Ordines simul susceptos veniam peteret, & Apostolici Prædicatoris munus obtineret; volens omnes gentes Jesu Christo lucrifacere, & semetipsum in S. Evangelij victimam immolare. *Lumen luminosum, quo appareret opus tuum*: quo Norbertus jam potiùs mallet Anachoretam agere, quàm iterum lascivientis aulæ periculis, ullâ ratione, aut persuasione sese committendo innodare.

219. Victoria S. Norberti, contra Tanchelinum hæresiarcham. *S. Basilius in c. 1. Isai.*

Candor est lucis æternæ. Accepto Apostolico mandato prædicationis Evangelij per omnes gentes, munus vehementissimæ *lucis* explevit Norbertus. Rectissimè Deum Soli comparat S. Basilius, cujus pulchritudinem & fulgorem omnes mirantur; sed si quis penitiùs eum intueri velit, non tantùm minùs eum videbit, sed etiam oculorum aciem perdet & excæcabitur. Non ita hæreatis stupore confixi, Auditores, dum auditis, Salvatorem nostrum in monte Oliveti primo aspectu atque affatu prostravisse satellitum turbas: nam, præterquam quòd Dionysius Carthusianus asseveret, radios vehementissimos è Christi facie in captivantes projectos tam probrosæ illis caducitatis fuisse causam; *Candor* erat Christus *lucis æternæ* quoad Humanitatem participatus, in quo inhabitabat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.

Dionys. Carth. art. 48. in Lucam.

Vt S. Hieronymus ex Nicephoro, & alij de eo scribant: *Certè fulgor ipse & Majestas Divinitatis occultæ, quæ etiam in humanâ facie relucebat, ex primo ad se venientes trahere poterat aspectu.* Jam quanta turbatio, quam sæculo salutis ingresso duodecimo in pulcherrimas Belgij Provincias ex teterrimis Acherontis rictibus invexit Tanchelinus? Ille, inquam, pessimus hæresiarcha Tanchelinus, qui jam tunc funestissimas flammas excitavit: quas postea duo frementes Erebi molossi Lutherus & Calvinus in tam insatiabile extulerunt incendium, ut nec effuso bonorum sudore, nec superaffusis Sanctorum lachrymis extingueretur, sed præpotentes magnas Septentrionis plagas exureret. Ille mortalium protervissimus Tanchelinus, qui tartareâ temeritate Christiana invasit Sacra; Eucharisticum amoris pignus conculcavit; uberrimos salutis nostræ fontes, Sacramenta turbavit; sacerdotalem dignitatem, omnibus gentibus cultam, irrisit. Illa monstrosissima Proserpinæ soboles, cui industria ad fraudes omnes composita, corpus in omnem turpitudinem prostitutum, voluntas ad omne flagitium effrænis, animus ad omnem errorem præcipitatus semper fuit. Ille nefarius coryphæus, qui nostri temporis hæreticis suâ insaniâ facem prætulit, ut ejus exemplo directi violarent sacra, infestarent templa, imagines exscinderent, virginitatem fœdarent, virtutem omnem atque modestiam usque ad extremam Thule relegarent. Vno verbo, Tanchelinus hæresiarcha, Letnæi serpentis venenosa respiratio: cujus afflatu nobilissima illa vexabatur Ecclesia, ad necem conquirebantur piæ animæ, incendebantur Cruces, sacræ imagines diripiebantur, virginitas exponebatur stupris, libidini castitas, luxuriæ pudicitia, & (quod horripilio mens cogitat) divinissimum Christi Corpus sub venerabili Sacramento, in latrinas & cloacas, sacrilegâ immanitate & execrandâ insaniâ detrudebatur. Tanchelinus ille, primatum partium turpissimus histrio, unguentis afflu-

S. Hieron. l. 1. in c. 9. Matth.

ens, calamistratâ comâ, delicato ac molli vestitu luxurians; qui publicæ animorum cladi, & affectuum tyrannidi aperuit januas; qui Antuerpiam populosissimam Civitatem suæ præ cæteris destinavit insaniæ, & luxuriæ consecravit; qui veram Germanámque Religionem in plerisque Belgij civitatibus graviter concussit, pietatem dejecit, veritatem afflixit, mores corrupit, hæresin induxit, impietatem expandit, falsitatem erexit, fraudibus & sceleribus triumphum cecinit. Jam *fulgor ipse, & Majestas Divinitatis occultæ*, quæ ex sanctitate, zelo & virtutibus NORBERTI relucebat, subito Tanchelini & sociorum oculos ferijt, ut abirent retrorsum, & suâ cæcitate confunderentur. Enimverò Norbertus *LUCENS NOCTE* virtutum exemplis, *DIUQUE CANENS* Verbi Divini mysteria: ille magnæ animæ prodigus, in medios sese hostes eósque victores intrusit, veræ Religionis vindicationem suscepit, afflictæ urbis ac publicæ salutis subsidium aperuit, nefaria latrocinia & quotidianas cædes repressit, templa defendit, pudicitiam propugnavit, sacra inviolata tenuit, subitò è cathedra ad frequentem concionem perditissimi sannionis fraudes confudit, mendaciorum involucra explicavit, inflictas exulceratæ Religionis ac honestatis plagas ostendit, detersit venena, Antuerpienses commovit, impietatem funditus vastavit, hæresis castra diffregit, Belgio pacem & veritatem restituit. Tam subita ex Norberti adventu Antuerpiensium rerum conversio incrementa suscepit, Auditores; tam brevi tempore à Norberto victus est Tanchelinus, à veritate falsitas, à pietate impietas, hæresis à Religione, tenebræ *à lucis candore*: ut priùs nequissima phalanx se prostratam victamque viderit, quàm pestis illa à Tanchelino diffusa se cæsam persenserit. Et non sit hæc tam præclara & divina virtus Norberti, ut *ex primo ad se venientes trahere possit aspectu?* Quando juxta S. Bernardi, serm. 1. de Conversione S. Pauli, sensum, *LUCIS ET VOCIS testimonia credibilia facta sunt nimis; nec dubitare est de veritate, quæ se ingerit per utrasque, oculorum scilicet, auriúmque fenestras.*

Candor est lucis æternæ. NORBERTUS simplicissimæ mentis & integerrimi candoris cùm esset, gratiam à Deo obtinuit, ut variegatos & in contrarios sensus dissidentes homines ad unitatis candorem conciliaret. De colore vestium à Christianis adhibendo disserens Clemens Alexandrinus, candorem, ait, esse colorem ijs, qui sunt candidi & non intus adulterini, convenientissimum; ipsúmque Deum candoris amantem, veste albâ in nivis modum, ac canum, describi apud Danielem; & in Apocalypsi dari unicuique testium sub altari conditorum vestem candidam. Et optimè alio loco ad hunc candorem alludens, [Nobis „concedit Pædagogus frugali veste uti; „albo colore, ut dicimus, ut non arti „variegandi, sed naturæ generanti nos „accommodantes, quidquid est fallax & veritatem ementitur, repellentes, quod est simplex & uniusmodi „veritatis, amplectamur.] Et mox. [Vnde etiam quæ in Lege per Moysen „de leprâ lata est lex, reijcit id, quod „est varium, & multis maculis notatum, perinde ac nefarium; ut quod „sit serpentis varijs squamis simile. „Eum ergo, qui varietate colorum minimè efflorescit, totus autem à vertice capitis usque ad extremos pedes „est candidus, mundum esse statuit; „ut quemadmodum in corpore, variâ „quoque ac versipelli relictâ mentis „affectione, qui non est varius nec anceps, simplicem veritatis colorem diligamus. Qui autem in hoc quoque „Moysis est imitator optimus Plato, „illam admittit texturam, cui non amplius operis est adhibitum, quàm pudica mulier postulet. Albi verò colores honestati conveniunt. Alibi „quoque dicit, & in texturâ non adhibere tincturas, præterquam ad „ornamenta belli. *Pacificis ergo hominibus & lucidis, album convenit.*] Quidni *Candor lucis æternæ*, sanctissimas Personas origine tam oppositas in unicâ indivisibili Essentiâ identifican-

220. S. Norbertus specialem habet gratiam pacificandi inimicos.

Clemens Alex. 2. pædagog. c. 10.

Idem l. 3. c. 11.

can-

cantis, nostro novos adjiciat splendores Norberto? in cujus nobilissimâ domo, intus & foris sanctissimis moribus deauratâ, Anima habitavit nitidissima, & ab omni versipelli affectione alienissima. Cui speciei & sinceritati respondit indoles ita liberalis, ita dulcis, ut raperet omnes, & ab omnibus raperetur Pacis Angelus, concordiæ Apostolus, Præco charitatis. Nempe *Pacificis hominibus & lucidis album convenit.* Eo sanè studio, eâ dexteritate conciliandi diffidentes ita excelluit Norbertus, ut dum reliqui Sancti specialibus coruscant prærogativis, is inter maximos triumphi sui titulos hunc sibi singularem, pretiosissimis unionibus excultum legat, quòd sit *PACIFICATOR.* Vidisses Gemblaci, Brabantiæ oppido, duos Principes viros mutuis odijs ad usque ipsius Regionis excidium grassantes: quorum alterum ad reconciliationem benesuadâ suâ eloquentiâ facilè inflexit; alteri verò nihil saxo molliori, oculis atque ore rabiem irreconciliabilem spiranti, brevì subsecuturam miserabilem catastrophen & conculcationem, ex Divinæ Nemesis instinctu prædixit. Vidisses Fossis, Gallici Belgij municipio, funesta odia, & eousque discordiæ cujusdam progressam atrocitatem, ut jam sexaginta non minùs homines eâ interempti essent: quod viri potentes & Religiosi hactenus frustra conabantur, Norbertus felicissimè obtinuit, cædes sustulit, animos composuit, reddidit pacem. Miras apprehendit industrias, diffidentissimos reconciliandi animos, extirpandi odia internecina, truculentas tollendi rixas, terribiles submovendi insidias, meditatas eliminandi vindictas, & radicatas amaritudines indulcorandi. Quod olim Saulus fecerat in conquirendis Christianis pacificis, & in charitate unitis, ut eos vinctos perduceret in Jerusalem: id nunc Norbertus invertit, excurrendo per pagos & oppida, per civitatum plateas, prædicando Evangelium pacis, conquirendo inimicos & sibi invicem adversantes; ut si quos invenisset hujus viæ contentiosæ & viæ rancorosæ viros, eos vinctos amore & conjectos in compedes reconciliationis perduceret in Jerusalem, civitatem concordiæ & amoris contubernium. Ex quo solenne sibi apud omnes promeruit encomium *Pacificatoris*: ut verum sit, quòd *Pacificis hominibus & lucidis album conveniat.*

Et si plura velitis de *candore lucis æternæ*, ad vestimentum ipsum me converto, quo Præmonstratensium Canonicorum religiosissimum Institutum, à S. Norberto fundatum & propagatum, inter omnes Religiosos Ordines candidissimè promicat: cujus significationem eùm præbeat Philippus Abbas, sanctitatis & scientiæ decus, eum in præsenti vel planè imitor, vel ad propositum nostrum loquentem induco. 221. *Præmonstratensiũ candor eximiè declaratur.* *Philippus Abbas l. de contin. Cleric. c. 129.*

[Candor lilij signat solennitatem gaudij, quo humilem Clericorum tristitiam munerabit, cùm se illis facie ad faciem demonstrabit. In cujus typo gaudij ijdem Clerici, qui in valle Præmonstratâ humilitatis gratiâ sunt collecti, qui postpositis dignitatibus Ecclesiasticis contemptum temporalium sunt adepti, abjectis mollibus & lineis indumentis, laneis & candidis induuntur; ut lanâ candidâ remissionis acceptæ gratiam prædicarent, & cælestis gaudij speratam gloriam præmonstrarent. Quòd enim in lanâ candidâ peccatorum remissio figuretur, Dominus manifestat, qui per Isaiam misericorditer pollicetur: *Si fuerint*, inquit, *peccata vestra rubra quasi vermiculus, sicut lana alba erunt.* Quia enim vermiculus sanguinei est coloris, per eum, sicut & per sanguinem, gravis accipitur iniquitas peccatoris; quæ non solùm carnalis & sanguinea, sed caro & sanguis aliquoties nominatur: quæ duo non possident regnum Dei, sicut Apostolus protestatur. Si ergo fuerint, inquit, peccata vestra sanguinea, si immunda, ego tamen lavabo; ego innocentiam superfundens, sicut lanam misericorditer dealbabo: ut amplior iniquitas amplius lavacrum assequatur, & ubi illa abundavit, illud superfluere videatur. Denique in candore habitûs, cælestis

stis gaudij futuram gloriam Dominus præmonstravit, cùm se transfiguratum in monte Thabor discipulis demonstravit. *Et transfiguratus est*, inquit, *ante eos, & resplenduit facies ejus sicut sol: vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.* Vnde Petrus æstimans transitoriam non esse visionem, sed eam quam desiderabat cælestis gaudij stabilem mansionem; ardenti quidem desiderio, sed non satis erudito, cum eo illic voluit permanere, cujus faciem splendore solari, vestimenta verò candore nivali videbat refulgere. *Domine*, inquit, *bonum est nos hìc esse: si vis, faciamus hìc tria tabernacula, tibi unum, & Moysi unum, & Eliæ unum.* Ille quoque Angelus, vel Angeli, qui nuntiârunt Christi gloriam resurgentis, qui præsentis vitæ pulsâ tristitiâ jam adeptus fuerat statum gaudij permanentis, mulieribus apparentes elegerunt vestitu candido coruscare, ut conformes haberentur cælestis vitæ gaudio, quod venerant nuntiare. Marcus Evangelista, *Viderunt*, inquit, *juvenem sedentem in dextris, coopertum stolâ candidâ, & obstupuerunt.* Joannes verò: *Maria*, inquit, *vidit duos Angelos in albis sedentes, unum ad caput & unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus IESU.* Hoc igitur solenne gaudium prædicti Clerici præfigurabant, cùm se Christo vel Angelis candore habitûs configurant; ut per lanam, quâ pulsis lineis induuntur, innocentiæ gratiam manifestent, per quam à peccatis pristinis abluuntur; per candorem verò, insinuent se cæleste gaudium adepturos, & in eo cum Christo & Angelis sine termino permansuros. Felix planè est hæc via Clericorum, à quibus adhuc in terrâ positis, more tamen vivitur Angelorum, dum non solùm exterioris habitûs, sed candore potiùs animorum, conformantur non solùm Angelis, sed Regi potiùs Angelorum. De quo Salomon ait: *Dilectus meus candidus.* Et alius Sapiens: *Candor est*, inquit, *lucis æterna.*]

222. Congesti in Præmonstratenses — In hac Candoris explicatione nescio quid videam serenitatis, & solemnitatis? Enimverò Lucidiæ nostræ rectè alluditur, quod à Moyse de columna ignis in Exodo narratur. *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam per noctem in columna ignis.* Rectè id quidem ad cujuslibet Prælati bonum exemplum debet deduci, sed vel maximè ego Lucidiam meam refero ad Candidatum Præmonstratensium Gregem, addito lemmate: *NOCTE ITER OSTENDENS.* Quando à Gloriosâ Deiparâ supplici Norberto gratiosissimo beneficio porrecta est vestis religiosa, purè candida, non poterat in tanti Patriarchæ Filios derivari è cælo nisi *COLOR ATQUE CALOR*; quibus D. Norbertus suis Asseclis, Canonicis Præmonstratensibus, in hujus tenebricosæ vitæ squalloribus *ostendebat iter* regium ad sublimes scientias, ad virtutum exercitia, ad sanctitatis trophæa, ad Apostolicæ perfectionis molimina, ad cælestis Patriæ palatia. Ne miremini, Auditores, neque in tantùm suspiciatis Præmonstratensium parem in moribus ac vestibus candorem; parem in civilibus ac sacris prudentiam; æquam in corporis atque animi voluptatibus temperantiam; virilem in secundis ac adversis constantiam: erat Norbertus Lucidia *NOCTE ITER OSTENDENS*, *colore atque calore* ingenito religiosam suam Familiam adornans, ut in literis sapientiam, in liberalibus artibus studium, in dignitate modestiam, in rerum affluentiâ liberalitatem, in commiseratione sollicitudinem, in hospitalitate promptitudinem, domi forisque probatam, eximiam, atque Divinam demonstrarent virtutem. *LUCENS NOCTE, DIUQUE CANENS Lucidia* nostra nihil non Lucis suo Præmonstratensi Candori conspersit, quo instituerctur, rerum copiam paupertate moderari, simplicitatem gravitate extollere, hilaritatem severitate attemperare, rigiditatem clementiâ illinire, magnanimitatem demissione contrahere, animorum denique libertatem voluntatis obsequio conjungere. Ad te, ô Candidissime Norberte

Encomia & laudes.

Exod. 13. v. 21.

te

te, in Divinæ Providentiæ arcanis Regij Psaltis vaticinium intendebat, eventum de justorum itinere præsagientis : *Domine in lumine vultûs tui ambulabunt.* Et certè ambulaverunt *IN LUMINE TUI SOLIUS* tot Viri generis claritate ac divitiarum affluentiâ illustres, tot regio stemmate conspicui; qui ad Præmonstratensem Familiam, tanquam ad salutis aram, & portum securitatis confugerunt: quos inter, sex illos Heroës beatos ac pientissimos, Macarium Regem, Alphonsum Aragonium, Godefridum Cappenburgensem, Hrosnatam Bohemum, Folcoldum nobilissimũ, Ludovicum Arnsteinium, tanquam primos socios ex primaria nobilitate selectos, in fronte candidissimi agminis juvat revereri. Ambulaverunt *IN LUMINE TUI SOLIUS* propè innumeri Præsules, qui ex religiosissimâ tuâ Familiâ ad Episcopales dignitates, ad populorum curas, ad Ecclesiarum administrationes, ad civitatum salutem & animorum medelam sunt evocati : quando jam circa annum millesimum ducentesimum numerasti septendecim Diœceses, & inter has septem Archi-Episcopatus, tuo sacro Ordini appropriatos. Ambulaverunt *IN LUMINE TUI SOLIUS* tot Professi Præmonstratenses pietate ac sanctimoniâ illustres, qui Ecclesiam Dei suis virtutibus & splendoribus illuminârunt. Ambulaverunt tot purpurati triumphali certamine Martyres (quos inter, B. Adrianum Becanum, & B. Jacobum Lacopium Gorcomienses, Clemens X. Summus Pontifex Anno 1675. solenni ritu nuper recensuit) suo sanguine fertilissimum Ecclesiæ Agrum fœcundantes: ut jucundè tibi possit accini illud Venerabilis Bedæ dictum: *Plantationi tuæ, floridisque tuis delicijs, nec lilia nec rosa desunt.* Ambulaverunt denique tot Canonici, in doctrinæ studijs præclari, in disciplinæ regularis observantiâ eximij, in exemplari conversatione illimes, & in publicis Romanæ Ecclesiæ meritis sublimes, in consectatione virtutum ; 'eficientes , in divinis laudibus &

Psal. 88. v. 16.

Servatius de Lairvelz in optica Regulari spec. 212.

officijs religiosi: ut passim in orbis totius plagas hic candor diffusus, videatur esse lux accensa, posita super candelabrum Ecclesiæ, quæ *ARDEAT ET LUCEAT.*

223.

Hos inter Candores & Splendores Lucidiæ nostræ ita longè progressa est mea Panegyris, ut vix videatur proportionata suppetere facultas respiciendi in *speculum sine maculâ, & imaginem Bonitatis illius.* Subsisto tamen, & *speculum* contemplor *Majestatis* Dei, quod in Candido Norberto cunctarum reddit virtutum reflexiones. *Inventa sunt*, inquit Seneca, *specula, ut homo ipse se nosceret : multa ex hoc consecuta; primò sui notitia; deinde & ad consilium quædam : formosus, ut vitaret infamiam; deformis, ut sciret redimendum esse virtutibus, quidquid corpori deesset : juvenis, ut flore ætatis admoneretur, illud tempus esse discendi & fortia audendi ; senex, ut indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret.* Factus est Norbertus speculum omnis ætatis, atque virtutis ; nam cum D. Paulo, velut speculum, *factus est OMNIBUS OMNIA, ut omnes salvos faceret* ; quando velut alter apud Virgilium *Rex Jupiter omnibus idem*, non simulantis astu, sed commiserantis affectu, non mentiendo, sed compatiendo, benefacere est conatus, orando, prædicando & exorcizando. Benefecit Norbertus *orando* ; nam oratio ejus ad Deum erat efficacissima, vim inferens cælestibus, terrestribus & infernalibus creaturis. Benefecit *prædicando* ; nam ut in ejus historia legitur, *Pulsantur campanæ, concurritur ab omni ætate, sexu, ordine ; prædicans libentissimè, cum fructûque plurimorum auditur : pendetur ab ore loquentis ; rapitur ab omnibus ; tenetur.* Benefecit exorcizando ; nam & dæmonia ejus potestati fuerunt subjecta, in quæ admirabile sæpiùs exercuit imperium, dum ea ex afflictis & obsessis hominibus ejecit. Factus est Norbertus velut speculum nitidum , similis illi speculo Florentino, quod injectam Cosmi magni Hetruriæ Ducis faciem ita servavit relucentem, ut etiam amoto pro-

Qua ratione S. Norbertus sit speculum Majestatis Dei,

Seneca l. 1. Nat. quæstionum c. 17.

1. Corinth. 9. v. 22.

Æneid. 10. v. 112.

Hist. S. Norb. c 12. Hist. c 33.

totypo imago ejus in superficiei lævore permaneret integerrima. Si splendor Divinæ Majestatis in Norbertum velut speculum gratiosis suis influentiis respexit, retinuit Norbertus hanc speciem, & expressit corpore, animâ, & vitâ. Appositè adduco conceptum Ruperti Abbatis, sciscitantis, cur Sancto Matthæo attributa sit facies hominis? Et respondet. *Erat tanquam speculum perlucidum, sed in tenebris reconditum. Ubi ergo vidit eum IESUS, & Sol verus resplenduit, ex aspectu ejus, quia vidit eum talis Filius hominis, reddidit imaginem ejus, & formata est in ipso facies hominis.* Subscribo Norberto nitidissimo speculo suum lemma: *RECEPTUM EXHIBET.* Respexit Deus in hanc nobilem creaturam Norbertum, eique contulit *Corpus* speciosum & pulchrum, ut *gratior sit pulchro veniens de corpore virtus*: contulit *Animam* bonam, & sorte distribuit spiritum elevatum, ac cælestis amicitiæ capacem: sed & *vitam* contulit, jugi Divinorum mysteriorum contemplatione & supernis splendoribus irradiatam. Inde *formata est in ipso facies hominis*, aut certè alicujus Dii terrestris: inde Norbertus factus est speculum Majestatis Dei, quod *RECEPTUM EXHIBET & REFLECTIT ALIENUM.* Et mirabimur, si, cùm inter vivos degeret Norbertus, in hoc speculum velut in faciem Moysis intenderent Magni æquè ac Parvi? si Theobaldus Comes, æquè generis ac sanctitatis laude clarissimus, Norbertum pro Parente coleret? Mirabimur, si Norbertū laudatissimus Cisterciensis Instituti Fundator Bernardus modestissimis laudibus celebravit? Mirabimur, si Norbertus à Lothario Augustissimo Imperatore, in supremis Imperij atq; Ecclesiæ negotijs, tanquā cortina veritatis consuleretur? Mirabimur, si Norbertus ab Honorio Pontifice Max. Apostolici Prædicatoris munus accepit; & ab Innocentio II. totius Germaniæ Primas est constitutus, ac proclamatus? Mirabimur, si à Bartholomæo Laudunensi optaretur, & à Friderico Coloniensi Antistite susciperetur?

Rupertus super Matth. Lacerda in 8. Judith. n. 107.

Mirabimur, si Norbertus post discussas Christiani orbis calamitates, cooperante potenter Lothario, Petrum Schismaticum ex occupato Petri solio cædibus ac rapinis fœdato deturbavit; Romæ Innocentium, & Innocentio Romam restituit: verbo, tandem lucem intulit, quæ dolentis Italiæ & gementis orbis tenebras dissiparet. Nempe *formata est in ipso facies hominis*, quia enituit ut *speculum Majestatis DEI. Speculum sine maculâ*; quia candidum & renitens, juxta Carducci Jambos.

Fidele vitrum lucet, ut sordes fuget.
Speculare IESUM: hic fœda pellet omnia.

Denique dum in contuendis Lucidiæ nostræ candore & speculari apparatu deficiunt oculi, ob enervatam imbecillitatem tanti splendoris impatientes, in *Bonitatis imagine* quiescit animus; ut tandem omnino ad occasum rendat illuminata Panegyris, & inter maxima DEI sidera perenniter elucescat Norbertus, qui sit *Imago Bonitatis illius.* Postquam vivacissimis coloribus Divina Sapientia à Salomone est illustrata, & ad tersissimum nitorem expollita encomijs purissimis; tandem etiam additur, quòd Sapientia sit *Imago Bonitatis DEI.* Nam sicut Imago exprimit vultum ejus, cujus est imago; sic Sapientia Divina in res creatas effusa clarè repræsentat Divinam Bonitatem: quæ est causa & ratio, cur Deus sese communicet, & in omnes creatas res diffundat; dans eis, quòd sint, ac simul quòd bonæ & speciosæ sint. Quinimò Sapientia DEI facit homines bonos, & eodem gradu, quo facit eos sapientes, facit etiam Amicos & Deiformes, ac Divinæ Bonitatis Imitatores: adeò ut videantur esse Dij quidam terrestres, DEI cælestis dotes & virtutes in se exprimentes, ac viva quædam DEI in terris simulachra. Erat Norbertus *Imago Divinæ Bonitatis*, ac vivum quoddam Altissimi in terris simulachrum: qui veriùs DEUM ter-

224. S. Norbertus quasi Dei quidam terrestris, & imago Bonitatis Divinæ.

Cornelius à Lap. super Sap.

re-

strem quàm Principem agens, ut sese velut lux interminabilis liberalissimè diffunderet, atque omnibus pientissimè communicaret, nihil aut in pascendo Grege sedulitatis, aut in tuendo vigilantiæ, aut in ornando liberalitatis omisit. Qui dum labores in pietatis propagatione exantlaret innumeros, & ad conciliandos diffidentium animos operaretur humaniter, & in sedandis populorum motibus prudentiâ uteretur admirabili, & ad revocandos à scelere improbos insudaret gnaviter, & ad virtutum statuenda incrementa industriosè incumberet; id tandem assecutus est muneris, ut ubique pacis Angelus, tranquillitatis author, & *Imago Bonitatis Dei* proclamaretur. Hæc bonitas sui communicativa fecit Norbertum in promovendis bonorum conatibus sollicitum, in prævertendo corruentium casu industrium, in erigendis collapsis indefessum, in sublevandâ miserorum calamitate liberalem, in apparando templorum ornatu splendidum, in administrando Sacrorum decore ordinatum, in propagandis religiosæ pietatis studijs religiosum; fecit in refractarios durum, in faciles mitem, in severos blandum, in blandos severum, in ignavos docilem, in eruditos simplicem: fecit in politicâ gubernativâ tam arduè prosperantem, ut nec nimiâ lenitate Christianam dissolveret Rempublicam, nec nimiâ asperitate infringeret, nec nimiâ adversorum tolerantiâ negligeret; sed in sublimium virtutum stadio medius ubique pertransiret, tantò utique sanctior, quantò expertior in vitæ nitidissimæ centro attingendo.

Hâc *Bonitate*, hâc *Maiestate Dei* illustratus, hoc *Lucis æternæ candore* sublimatus Norbertus, excellere videtur omnes unà pulchritudines, quas rerum corporalium disgregata varietas suis indulsit coloribus; cùm sit demonstrata participatio illius Lucis, quæ nullis hominum lineis potest circumscribi, sed suâ Divinâ Essentiâ seipsam piè intuentibus manifestat. *LUCENS NOCTE, DIUQUE CANENS* Mundi replevit ambitum laudibus & splendoribus sanctitatis, illustravit miraculorũ gloriâ, virtutũ, meritorum ac suffragiorum gratijs exornavit. Quæ omnia cùm suâ mole sint amplissima, aliunde non requirunt augmentum; nec alieno indigent fuco, quæ suâ se specie ac pulchritudine commendant: nisi tandem ut evadat *IN LUCE LUCIDIOR* S. Norbertus. Cujus sanctitas, seipsâ spectabilis & illustris, nec pondus ampliùs ab Oratore recipit, nec lucem requirit: *Vapor est enim virtutis Dei, & Emanatio quædam est claritatis Omnipotentis Dei sincera; & ideo nihil inquinatum in eam incurrit.* Amen. Sap. 7. v. 25.



IN FESTO S. BONAVENTURÆ DOCTORIS SERAPHICI.

Die 14. Julij.

ACCIPITER NON SATUR.

Der unbegnügte Habich.

LEMMA.

Parta tenens, non parta sequor.

THEMA.

Accepit stolam gloriæ, & vestivit se in consummationem virtutis. Eccli. 50. v. 11.

SYNOPSIS CONCIONIS LXXXIII.

D. BONAVENTURA copiosè commendatur, tanquam Accipiter non satur: quia *accipiendo stolam gloriæ in consummationem virtutum*, sanctitate, meritis & publicis honoribus, supremos videtur eminentiæ gradus attigisse.

125. Accipitris animositas & reparatio inducta.



Nimosum hodie Accipitrem expono, qui eximijs suis qualitatibus propè ad Aquilarū sublimitatē evolet, & ipsas nubes in sui admirationem trahat. *Corde* magno pollet, *rostro* adunco, luteis *cruribus*, *unguibus* mucronatis, *oculis* splendidis ac perpetuò mobilibus, *linguâ* latâ & principio obtusâ, *pectore* gracili, *alisque* acutis, *colore* ut plurimùm albicantibus, fulvis & nigris maculis diversificato: *volatu* insuper præstat pernicissimo, *visu* acutissimo, & *ingenio* ad venandum d. cilissimo. Improperaturus Altissimus erudito Jobo suæ inscitiæ tenuitatem, inter cætera etiam objur-
Job. 39 v. 26. gat: *Nunquid per sapientiam tuam plumescit Accipiter, expandens alas suas ad Austrum?* Nempe Accipiter sentiens se senectute gravati, & pennarum pondere inhabilem ad volatum deficere, flante Austro ad Solis radios se convertit: tunc calidâ aurâ resolvente corpus, apertis poris exhalant grossi vapores; & fortiter se excutiens facit veteres pennas cadere, ut novis succrescentibus renovetur ætatis vigor, & deperditæ vires restaurentur. Quod quàm admirabili fiat naturæ instinctu, nec Jobus in naturali Philosophiâ instructissimus penetrare potuit; ut meritò à Deo increpetur, *nunquid per sapientiam tuā plumescit Accipiter* (ut possit ei pro symbolo renovationis donari, *AD-EMPTUM REDIMO*) *expandens alas ad Austrum?* Intervenit huic disceptationi HugoVictorinus: *Quid est*, inquit, *Accipitrem in Austro plumescere, nisi quòd u-* Hugo Victor. l. 1 de best. c. 15.
nusquisque Sanctorum tactus flatu S. Spiritûs condescendit, & usum vetusta conversationis abyciens, novi hominis formam sumit? Novi hominis formam præsetulit Seraphicus Doctor *BONAVENTURA*, quando factus Accipiter,

ani.

animosus & *regius*, utpote à *Balneo-regio* ortus, & tactus flatu sancti Spiritûs, abjecto vetustæ, hoc est, mundanæ conversationis usu, *accepit stolam gloriæ, & vestivit se in consummationem virtutis*. Virtutis supremæ & eminentissimæ consummationem attigit sanctus Bonaventura, quando velut Accipiter plumescens expandit alas suas ad Austrum divinæ gratiæ: & *NON SATUR* captâ unâ sive *amoris*, sive *honoris* prædâ, alios aliósque semper insectatus est sanctitatis titulos, usque *in consummationem virtutis*; velut Accipiter, captâ unâ prædâ alteri adhuc insidians, *PARTA TENENS, NON PARTA SEQUENS.* Quippe juxta Gilbertum Abbatem *Jure dici potest, quòd sanctâ quadam semper Amor eget avaritiâ: semper enim ad secretiora exæstuat, & quæ tenet, non reputans, volubili se raptat in anteriora rotatu.* Si placet, Auditores, *accipite* hodie *Accipitrem* BONAVENTURAM, suâ panegyri dignum, suâ stolâ gloriosum, suâ sapientiâ Seraphicum, suâ virtute consummatum: qui nec *satur amorum*, nec *satur honorum*, *parta tenens*, *non parta sequens*, semetipsum sublimavit gloriâ, suum Ordinem sacerrimis institutis excoluit, orthodoxam Ecclesiam saluberrimis emolumentis consolidavit.

Gilbert. serm. 2. in Cant.

226. Non reputat Amor Divinus illa, quæ jam obtinuit, sed volubili se raptat in anteriora rotatu, *parta tenens*, *non parta sequens*. Stupescite Auditores, dum primâ hujus Panegyris parte percipitis nostri Sancti Bonaventuræ Indolem, semper ad *accipiendum* stimulatam. *BONAVENTURA*, sic cognominatus à fælici S. Francisci de eo prædictione, *Joannis* nomen in sacro Lavacro tulerat, aut certè *Ioannis Petri*. Græci suo idiomate vulgatam Bonaventuræ appellationem exprimentes, in Oecumenico Concilio Lugdunensi *Eutychium* nominârunt. Cognomen ei fuit *Fidanza*: Patria Balneo regium in Tuscia; ubi Patre Joanne, matre Ritella natus est, annis ante S. Francisci obitum quinque. Puer formosus & decorus aspectu, nobilissimam animam sortitus, quo primùm spirare cœpit, sanctissimo amore totus in Divinos cultus, totus in Virgineæ DEIPARÆ affectus exardescebat Frequenti & dulci commemoratione ex ipsius ore recitabatur salutatio Angelica; & tot cælestibus floribus coronabat Cæli Reginæ caput, quot pietatis affectibus in lilia & rosas efflorescebat. Et quia interna Spiritûs S. vocatio juvenem *Fidanzam*, ad Ordinis Minorum, tunc in universâ Ecclesiâ suos palmites extendentis, Viridarium potenti virtute invitabat; *Accipiter non satur amorum*, ut à *Virgineo* ad *Seraphicum* evolaret, factus est *moræ impatiens*, utpote quòd in vocatione ad Religiosum statum, *semper nocuit differre paratis*. Et juxta Ovidij de vivace pueritiâ monitum,

D. Bonav. innocentia & nunquâ temerata sanctitas.

Lucan. lib. 1.

Utendum est ætate: cito pede labitur ætas.
Nec BONA tam sequitur, quàm BONA prima fuit.

Ovid. l. 3. de arte.

Proinde Bonaventura velut Accipiter magnanimum suum spiritum excitavit, quando ipsum *NON FUGA* probrosa, *SED CONTEMPTUS* generosus impulit, ut imbecilles aviculas dimitteret, & magis fortes aggrederetur hostes; sæculo renuntiaret, & ad Seraphici Patris Francisci Castra transvolaret; fortissimè contra validos inimicos, mundum, carnem ac dæmonem dimicaturus, & ardentiùs in Divino amore profecturus. Enituerunt tunc in Bonaventura incomparabilis morum candor, & conversationis suavitas; vigilantia in Divinis obsequijs indefessa; studium fraternæ dilectionis, *super mel & favum* delectabile; conatus ad ornandas Ecclesias industriosus; exercitia cælestium contemplationum illimia, & religiosæ vitæ incrementa depurata. Petrus Tarentasiensis (cui postea ad supremum Pontificatum evecto, Innocentij V. nomen fuit) in sancti Viri menodia, quamplurimas eminentissimas eius sanctimoniæ notas recensuit, eámque inprimis, quòd interna sanctitas vultu & externâ corporis copositione prodere-

tur, emicarétque in ejus vultu, & eo qui foris est homine, cæleste quiddam: ex quo fieri solitum dixit, ut omnes, qui in sanctum virum defigerent oculos, *amore* ejus caperentur: idque nominatim in Græcis deprehensum esse, quos ille in Concilio Lugdunensi non tam disputationibus contudit (quod fecit potentissimè) quàm charitatis philtro devinxit. Suffragatur insuper sanctimoniæ *S. Bonaventura* luculentum testimonium Alexandri Alensis, Doctoris irrefragabilis, qui Bonaventuram habuit discipulum & auditorem: ut enim memorat Sixtus IV. in Bulla Canonizationis ejus, frequenter dicere solebat Alexander, *videri Adamum in Bonaventurâ non peccâsse.* Tanta erat ejus vitæ innocentia, atque puritas morum, & simplicitas omnis doli expers; ut tantus Doctor Parisiensis, omni authoritate atque æstimatione major, ab illo fatali Adami decreto *Bonaventuram* exclusum fuisse, aut certè non communiter comprehensum, piè ac devotè opinaretur.

227. S. Bonaven. eximia in Ecclesiam merita.

Fidelis est erga Dominum suum *Accipiter*, qui captam prædam unguibus tenens non dilacerat, & prehensam aviculam *NON SIBI, SED DOMINO* servat: ac perinde servos Dei insigniter instruit, non proprium emolumentum quærere, sed Dei gloriam promovere, & animas cælesti patriæ invehere; adeóque *non sibi soli, sed etiam Deo, Ecclesiæ & alijs proficere.* S. Augustinus super verba psalmi, *Propter fratres meos & proximos meos loquebar pacem de te*, sic commentatur. *Ego loquebar pacem de te. Sed quare? Propter fratres meos & proximos meos; non propter honorem meum, non propter pecuniam meam, non propter vitam meã; sed loquebar pacem de te, propter fratres meos & propinquos meos. Propter domum Domini Dei nostri quæsivi bona tibi. Non propter me quæsivi bona tibi; nam non tibi quærerem, sed mihi: ideo nec ego haberem, quia non tibi quærerem: sed propter domum Domini Dei mei, propter Ecclesiam, propter Sanctos, ut ascendant, &c.* S. BONAVENTURA noster dum in Fratrum Minorum Ordine *non sibi sed Domino* serviret, & per sanctitatis gradus usque ad Thronum Divinæ Majestatis sese extolleret, *non fatur amoris* Seraphici præcisè in contemplatione atque possessione mysteriorum cælestium permansit, sed ad *amorem Extensum* circumquaque evolavit; & propter domum Domini Dei sui, propter Ecclesiam, propter Fratres & Sanctos innumera merita sibi cumulavit. Suffragantur Servo Dei actiones perfectissimæ, quas in Ordine Minorum, cui decimo tertio ab ingressu anno præfuit Generalis Minister, zelo incensissimo, & animo de Ordinis sui puritate retinenda vehementer sollicito, quâ scriptis, quâ colloquijs, quâ conventibus & cœtibus suorum indictis, arguendo, obsecrando, increpando, adhortando perfecit. Vt taceam, quæ ad communem proximorum salutem per se suósque promovendam præ charitatis extensæ impulsu constituit. Nam præter cætera *vespertinam DEIPARÆ salutationem*, quæ signo campanæ notari solet, in usum induci curavit ad gloriosæ Deiparæ honorem, quòd eâ horâ ab Angelo salutatam crederet; idque ut sui Ordinis concionatoribus esset commendatissimum, allaboravit. Ex ejus institutione primò prodierunt, quas vocant, *Confraternitates* Pœnitentium, sive Laicorum sodalitates, ad pia opera certis locis & horis convenientes. Hinc Thomas Bosius institutionis illius à sancto Viro initium factum ponit in Archiconfraternitate Confalonis sub anno 1270. ad cujus exemplar multæ postea per orbem universum coaluerunt, non exiguo laicorum spirituali fructu, & Institutoris commendatione. Auctus dignitatibus Bonaventura, pietatis studia non imminuit; & merita in Ecclesiam potius auxit, quando labores etiam cumulavit, qui ei per universum tempus *Concilij Lugdunensis*, cujus erat veluti *Anima*, plurimi omninò maximique fuerunt. Primus in illo Oecumenico Concilio dixit BONAVENTURA, habitâ festivissimâ oratione; cujus argumen-

S. Augustinus sup. psal. 121. v. 8.

Thom. Bosius, de sign. Eccl. [illegible]

Baruch, 5. mentum ex illo Baruchi loco deprompsit: *Exurge Ierusalem, & circumspice ad Orientem, & vide collectos filios tuos ab Oriente usq. ad Occidentem.* Pondus omnium cum Græcis disputationum ipse sustinuit; tantúmque doctrinæ & ingenij, ac præsertim afflantis Spiritûs sancti ubertate pervicit, ut Græcos ad salubrem deditionem adigeret; & inter decantandum in S. Joannis Basilica symbolum Constantinopolitanum, articulus de Spiritu sancto Græcis canentibus græcè ter auditus sit, cum additione Romana, *qui ex Patre Filioq. procedit*: quo adstantium sensu, nihil attinet commemorare; quando in tam arduo Religionis puncto, permovente *Bonaventurâ*, utraque Ecclesia, Latina & Græca, unanimiter consensit.

228. S. Bonav. doctrina & sapientia prædicatur. Observant in Accipitre, quòd, dum sese ad pugnam aut venationem præparat, circumspiciat undique, si fortè carnes volatilium possit pro esca sibi comparare. Bartholomæus Rossius subscrit huic symbolo, *EX INTVITV QVIES*; & applicat S. Carolo Borromæo, ostendendo, quòd licet turbationes variæ concuterent animum S. Caroli, illæ tamen omnes facilè conquiescerent, si aspectâ crucifixi Jesu imagine durissima Passio obversaretur animo. Laur. Iustin. de casto connub. c. 6. Laurentius Justinianus ad hoc videtur coincidere, dum ait: *Qui tentantur, qui aliquo dolore cruciantur, proponant sibi exemplum Sponsi; & in speculo passionis eius, quanta indignè ab indignis dignatus est pati, considerare non desinant. Percipient sanè consolationem non minimam. EX INTVITV QVIES.* Non fatur amoris *extensi* Bonaventura, sese etiam ad *Intensum* convertit; & jugi meditatione coram Crucifixi affectuosâ imagine Dominicam Passionem compassivâ recolebat memoriâ: & quidquid ex hisce saluberrimis fluentis hauserat sapientiæ, id liberalissimo calamo in tot sua volumina inscribebat. Tota *BONAVENTVRÆ Bibliotheca* solus *Crucifixus* erat: in hujus dulci hærebat compassione. *Ex intuitu quies.* Hinc D. Thomas Aquinas, coætaneus ejus amicus, dum aliquando peramicè vellet Bonaventuram visitare, & ipsum in cellâ coram Crucifixo meditantem subitò offenderet, dixisse fertur: *Sinite Sanctum, quia laborat pro Sancto.* Ex hoc *intuitu* omnem suam concepit doctrinam, & ex speculo Passionis Christi ubique in suis sanctissimis scriptis (ut rectè pronuntiavit Trithemius) Trithem. in Cat. Script. *non inflantia, sed inflammantia profert*; sciens, scientiam sine charitate esse inutilem. Et ut S. BONAVENTURAM, eo modo, quo de Basilio dixit Nazianzenus, Nazianz. orat. de Basil. ambidextrum fuisse planè innotescat; nec minùs *amore* quàm *sapientiâ* spirâsse, & æquè doctrinâ micuisse ac sanctitate: doctrinam ejus abundè prodidit publica Theologiæ professio in Parisiensi Academia, quam septimo à cooptatione in S. Francisci Ordinem anno plausibiliter est aggressus; sed & plurimi de re Theologica Commentarij, non minùs ordinatâ tractandi ratione ac perspicuitate, quàm disquisitionis subtilitate, & quod caput est, resolutionum soliditate insignes attestantur. Nominatim quæ circa Religiosorum institutionem ac regimen ab eo habemus, ejusmodi sunt, ut nihil videatur prudentius, & ad præcavendam religiosæ disciplinæ labefactionem accommodatius, potuisse conscribi. Sapientiam ejus celebrârunt multi, præsertim Stephanus Brulifer, S. Antoninus, Trigosius, Baptista Rossius, & præsertim gravissimè testatus est Joannes Gerson; qui non ignarus, qui & quanti fuerint Parisiensis Academiæ Doctores, confidenter tamen pronuntiavit: *Nescio, si unquam talem Doctorem sicut Bonaventuram habuit studium Parisiense.* Sed verò hos Sixtus V. in Præludio ad Summam S. Bonav. inter Panegyristas jure primum dignitatis locum obtinet Sixtus V. cùm S. Bonaventuram Ecclesiæ Doctorem renuntiaret; qui laudat dictum Sixti Sixtus IV. in Bulla data anno 1482. IV. *videri Spiritum sanctum in Bonaventurâ locutum.* Et in specie dum Decretalem ederet Sixtus V. de *S. BONAVENTVRA* Ecclesiæ Doctore, inter alia producit, doctrinam S. Bonaventuræ à varijs suis Antecessoribus, quos enumerat, fuisse collaudatam; & in Con-

Concilio Florentino Oecumenico fuisse cum fructu adhibitam; singulariter verò hoc notat, *Id præcipuum singulareq; in eo fuit, ut non solùm argumentandi subtilitate, docendi facilitate, definiendi solertiâ præstaret; sed divinâ quâdam animos permovendi vi excelleret: sic enim scribendo cum summa eruditione parem pietatis ardorem coniungit, ut lectorem docendo moveat, & in intimos animi recessus illabatur.* Hæc Summus Pontifex. Quisquis volumina D. *Bonaventuræ* perlustravit, invenit in ijs thesaurum doctrinæ multæ, profundæ & devotæ; quæ non minùs affectum legentis in Christi amore accendit, quàm intellectum sanctitatis radijs illuminavit. Profundus non verbosus *Bonaventura*, devotus non curiosus, disertus non vanus, clarus non difficilis, liberalis *non satur*, inflammatus non inflatus, omnes sui temporis coætaneos Doctores & operum utilitate, & operantis Spiritûs amore, & veritatis soliditate, & divini Spiritûs subtilitate, & sobriæ propositionis modestiâ facilè superavit: quapropter etiam utiliùs audiebatur, fusiùs intelligebatur, dulciùs & fructuosiùs retinebatur. Multi sanè doctrinam præferunt, devotionem prædicant multi; pauci admodum scribendo libros præstiterunt utramque: *Bonaventura* autem, cui EX INTVITV *Crucifixi* QVIES ingenij, multos simul ac paucos exæquavit, dum ejus doctrina devotum amorem, amor instruxit devotam doctrinam; & tantam doctrinam, tam copiosam, tam prolixis voluminibus comprehensam, ut ad tercentenatium numerum genuina volumina excrevisse recenseantur. Nempe *Bonaventura* rivulus erat minimus, qui cum D. Augustino per librorum copiam, cum D. Ambrosio per mellitam eloquentiam, cum Divo Hieronymo per Bibliorum intelligentiam, & cum D. Gregorio per Spiritûs sancti assistentiam, in fluvium excrevit plenissimum, planissimum, tranquillissimum, purissimum, profundissimum, maximum.

229. Reflecto me ad alium amorem, quo noster *Accipiter non satur*, eximiè flagrabat erga refectionem *Eucharisticam*. Naturale est Accipitri, quòd HVIC PANIS SOLET ESSE VENENO: nam dum panem comedit accipiter, tam nobilis alimenti impatiens, velut toxico extinctus obit; & tamen hic cibus longè salubrior, delicatiori stomacho benè conducit, & confert HOMINI VITAM. Ita nempe in sumptione Venerabilis Eucharistiæ solet contingere, ubi *qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit.* Quem quidem cibum Angelicum *sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inæquali, vita vel interitûs. Mors est malis, vita bonis.* Rectè Laurentius Justinianus de casto connubio ait, *Malum namq; bonum manducando, malè facit: non quia malum sit, manducare bonum; sed quia malum est, bonum non manducare benè. Res quidem sancta sicut justis in adiutorium, ita iniustis & peccatoribus vertitur in judicium. Solis lumen sanis oculis delectabile est, ægris vero odiosum: Corpus Dominicum innocentibus salutis medicamentum est, scelestis autem anima mori.* Quanto spirabat affectu, & amoris desiderio erga Panem Eucharisticum S. Bonaventura? qua animi puritate, ac præparatione hoc cælesti epulo recreabatur? Quando ante Venerabile Sacramentum aliquoties orabat, in extasin raptus; quando thura cremabat Dei Majestatis intra candidas species Sacramentaliter præsenti; quando Sacrificium in cælestium Spirituum assistentiâ ad Altare celebrabat; vidisses tunc multiplicem ab hoc Eucharistico Pane conferri *Homini vitam.* Sed multò magis, quando *Bonaventura* laboribus fractus decumbebat, in lecto præ infirmitate detentus, nec poterat more suo aris litare; interim tamen intensissimo affectu desiderabat suam saturare orexin, & vel unicâ particulâ de mensa Domini acceptâ præ amore languentem reficere animam. Nam ecce ministerio Angelico de sacerdotis cõsecrantis patenâ longè Beatior noster, *non satur Accipiter, accepit Panem*, hoc est, particulam Panis consecrati; quam ita

S. Bonaventuræ erga S. Eucharistiam pietas.

1. Corinth. 11. 29.

Laur. Justin. de casto connub. c. 14.

ita suaviter sensit ardentissimo suo cordi inseri, & in dulcissimum alimentum dispensari animæ, ut præ Deificâ conversione totus abriperetur *Bonaventura* in cælestes fruitiones,& in abyssum infinitæ Sapientiæ absorberetur,novóque vitæ genere vivificaretur. Quia nempe *Corpus Dominicum, innocentibus salutis est medicamentum* : nec potest tam sanctæ animæ Panis Eucharisticus esse veneno.

230. Honores S. Bonavent. in vita collati. Prout Accipitri proprium est, Auditores, ita accepi hactenus non nisi selectiores quasdam prædas, quibus Seraphici *Bonaventuræ* sanctitatem ostēderem; dum *non satur* amoris Seraphici,insuper ad Virgineum, ad extensum & intensum, sed & ad Eucharisticum suos obtutus atque radios immisit. Ad honores rapior,quibus *non satur* noster D. BONAVENTURA fuit insignitus, ut *acciperet stolam gloriæ, & vestiret se in consummationem virtutis*. Enimverò si tanto splendore & zelo illustravit Ecclesiam *Bonaventura*, Ecclesia etiam ipsum ante mortem, in morte, & post mortem illustrare, magno ardore curavit. Ante mortem quidem in suo Ordine,velut Accipiter *AD SUBLIME RECTA* evolans, honoratus fuit per publicam cathedram Theologicam, quæ ipsi in celeberrimâ Universitate Parisiensi, septimo ab ingressu in Religionem S. Francisci anno,fuit delata. Deinde concurrente unanimi suffragiorum calculo in totius Ordinis Minorum Generalem Ministrum electus est,tertio decimo auspicatæ Religionis anno: quæ quidem dignitas magna etiam inter parvos, & Minores censeri debet; quia magnum est, tot mille selectis viris imperia dare. Sanctitatis & doctrinæ dotibus eximium, Summus Pontifex Clemens IV. Eboracensi in Angliâ Archi-Episcopatu pinguissimo & nobilissimo ornatum voluit: sed obstitit viri sancti demissio, quæ munus illud eo affectu deprecata est, quo passim ab aliis arrogatur & captatur. Non ita licuit Cardinalatûs dignitatem excutere, cùm eam Gregorius X. in procinctu ad iter Lugdunense Viterbii,aut certè in ipso Concilii exordio renitenti detulisset,& omninò,eam ut admitteret,institisset; non tam ad rependendam viro gratiam, quàm quòd e re Ecclesiæ id esse censeret. In cujus dignitatis susceptione stupendum posteritati reliquit humilitatis exemplū: etenim unà cum cæteris minimæ conditionis Fratribus,tanquam supremum totius Ordinis caput,à prandio lavabat tergebátq; culinæ utensilia, quando Pontificij Legati advenerunt, Cardinalitium insigne deferentes. BONAVENTURA *non satur honorum*, nequaquam propter hoc commotus, legationem priùs admittere noluit, quàm cœptum abluendi munus explevisset: quo plenè functus humilitatis consuetæ officio ad Fratres conversus, in hæc verba sese affectuosè profudit, *Postquam Fratres Minoris explevimus munia, experiamur ista graviora; salutaria hæc & salubria, mihi credite Fratres, humilitatis officia; illa verò magnarum dignitatum fastigia, ponderosa & periculosa*. Quam proinde purpuram sicut ex obedientia humiliter suscepit, ita & Pontificios Legatos honorificè salutavit,tractavit comiter, & obsequiosè dimisit;non oblitus promptæ obedientiæ, quam Accipiter *AD NUTUM* sui Patroni exercet, volans ad capiendam prædam, *ULTROQUE AD VINCULA RURSUM* adveniens; sicque cum Plauto expeditas obsequendi alas extendens ait, Bapt. Mantuan. de S. Laurentio.

Pater adsum,
Impera quid vis: neq; tibi ero in morâ;
neq; latebrosè me abs tuo conspectu occultabo.

Nec Cardinalem duntaxat *Bonaventuram* dixit Gregorius,sed unà quoque ad Albanensem Episcopatum evexit; raro sanè exemplo,ac fortassis inaudito, ut quis in Cardinalem Episcopum promoveatur, priusquam Presbyter Cardinalis extiterit. Sed præsertim quo honore & æstimatione *D. Bonaventura* habebatur ab Ecclesia, ex eo constat, quòd in diuturno propè triennij Interpontificio delectus sit à Cardinalibus, unanimiter in eum compromittentibus, ut quem ipse nominaret in Christi Vicarium, ritè censeretur electus Summus Pontifex, etiamsi seipsum no-

minaret. Is verò non unum aliquem è septendecim præsentibus Cardinalibus Pontificem dixit, sed quem ad tanti muneris molem maximè idoneum arbitrabatur, Theobaldum Archidiaconum Leodiensem, & Lugdunensem Canonicum, in terrâ sanctâ tunc versantem; illum ipsum, qui Gregorius X. est appellatus

233. S. Bonav. honoratus in morte & post mortē. In morte honoratus est D. Bonaventura *non satur* honorum: qui fractus tot laboribus, in ipso Concilio, anno eodem, quo ejus quondam Collega conjunctissimus S. Thomas, Doctor Angelicus, sed quadrimestri tardiùs, spiritum purissimum quinquagenarius Lugduni Deo reddidit. Elatus est funere gloriosiore, quàm vix ullus à Christo passo meminit contigisse. Nam interfuit, & præsentiâ suâ exequias cohonestavit ipsemet Summus Pontifex Gregorius X. qui in V. Concilij Lugdunensis Sessione, paucis complexus erat totum ejus Epicedium, publicè contestando, *Ecclesiam inæstimabile damnum passam esse in obitu Fratris Bonaventuræ*. Pro cujus etiam animâ omnibus per Vniversum orbem Presbyteris ac Prælatis, unum sacrum persolvendum indixit. Adfuit insuper religiosissimo funeri Imperator Græcorum Michaël per Græcos Proceres: Latinus autem Orientis Imperator Balduinus II. per seipsum (Occidentis autem Imperium tunc capite vacabat.) Affuit Jacobus Rex Aragonum. Parentârunt Patriarchæ Constantinopolitanus & Antiochenus; ornabant funus Cardinales universi; Præsules ex Archi-Episcoporum & Episcoporum ordine quingenti; Abbates sexaginta; alij Antistites minores & Sacerdotes super mille. Legati Tartarorum ac Regum complurium, & Principum Oratores & Nuncij, Laici autem omnium Ordinum innumeri; Græcis simul ac Latinis conclamantibus: *Cecidit columna Christianitatis*. Laudationem Defuncto composuit, & sacris solenniter operatus est Petrus de Tarantasio, Ordinis Prædicatorum ex Archi-Episcopo Lugdunensi Cardinalis & Episcopus Hostiensis, ac tandem Innocentius V. Pont. Maximus, proposito themate: *Doleo super te Frater mi Jonatha*. Sed & post mortem illustratus est D. Bonaventura à Deo densis & insignibus miraculis, ad eius invocationem patratis; uti est defuncti pueri ad vitam excitatio, Vrbis Lugdunensis liberatio à peste, difficilium partuum expeditio, energumenorum sanatio, & alia per merita ejus divinitus patrata; quæ in ejusdem Sacellis depicta prostant, & quoad magnam partem recensentur à Roberto de Lizeo, Episcopo Aquinate, eâ laudatione, quâ S. BONAVENTURAM recens Cælitibus adscriptum exornavit; itémq; à Pelbarto in compluribus de S. Bonaventura sermonibus, nec non in relatione Joannis Francisci de Pauinis, & Octaviani de Martinis, circa Sancti nostri canonizationem. *Nec satur honorum*, ex miraculis maximis resultantium; etiam à tumulo, ab inevitabili corruptionis arrosione *accepit stolam gloriæ S. Bonaventura*; cujus corpus non est conditum in templo Metropolitano Lugdunensi, ut perperam scripsit Trithemius; sed in Seraphici Patris Francisci æde, quæ à deposito ejus corpusculo exinde denominata est *Ecclesia S. Bonaventuræ*. Annis 160. postquam conditum fuerat sacrum Corpus, cùm transferendum esset in alium locum, capite integro, eâque planè specie, quâ humatum fuerat, repertum est, ne capillis quidem exesis. De corde pariter incorrupto reperto, nonnulli referunt graviores Historici apud Theophilum Raynaudum. Cornelius à Lapide nominatim etiam de *Linguâ Sancti Bonaventuræ* asseverat integrâ repertâ & planè illæsâ, cùm transferretur sacrum corpus anno 1434. Quasi Deus rependisset insigni huic Sancto id, quod ipse circa *Sancti Antonij Patavini* linguam celebrârat, cùm annis post ejus mortem triginta duobus recens esset & rubicunda reperta: ubi eam cum lachrymis deosculans *S. Bonaventura*, tunc Ordinis Minister Generalis, in verba illa amore & sanctitate spirantia prorupit,

Margin notes: *Henr. Willotus & Sedull. in Hist. Seraph.* — *2. Reg. v. 26.* — *Trithem. de Script. Eccl.* — *Raynaud. in Hag. Lugdun. in Indiculo. Cornel. a Lap. in c. Iacobi ad vers. 4.*

O

O Lingua benedicta, quæ Dominum semper benedixisti, aliosque benedicere docuisti! nunc liquet, quàm grata ei fuerit, quantique apud eum meriti! Deniq; ut omnino vestitus esset Bonaventura *in consummationem virtutis* suæ, supremis cæli Heroibus adæquandæ, maximus ipsi honorum ac gloriæ cumulus accrevit, quando à Sixto IV. in Sanctorum numerum Anno 1482. solennissimo plausu est redactus; & à Sixto V. solenni ceremoniâ sanctæ Romanæ Ecclesiæ Doctor Anno 1587. renuntiatus; atque insuper ipsius annua festivitas non solùm communi totius Cleri Breviario insertum, sed etiam inter festa Sacri Palatij Apostolici annumeratũ. Sic, sic BONAVENTURA, *parta tenens, non parta sequens*, ad supremos honorum apices evolavit; ut dubitare nemo debeat, sanctitatem ejus fuisse Divinis honoribus adæquatam, & stolam gloriæ consummationi virtutum proportionatam.

231. Grave dispendium exuvijs S. Bonaventuræ illatum, digno encomio compensatur.

Sed quem insuper sanctus Vir, *nec satur amorum, nec satur honorum*, adhuc in terris exulans desiderare potuit vel stolæ gloriosæ ornatũ, vel consummatæ virtutis coronidem, est laurea Martyrij. At verò etiam istam noster *Accipiter accepit* post mortem à viris Belial, organis Sathanæ, & infestorum emissarijs, maniam suam specioso *reformatæ fidei* nomine obvelantibus; Anno 1562. sacris ejus reliquijs (capite duntaxat barbariei subducto, quod seorsim asservabatur) igne in publico foro succensis, & cineribus in profluentem Rhodanum, aut certè (juxta Possevini oculati testis assertionem) in Aratim fluvium jactatis ac projectis. Vt ut sit, tantæ Tartareæ immanitatis atrocitas sancti Viri exuvijs illata est in conspectu Solis hujus, & in eo solo, quod vivens calcârat, nec tam vestigijs suis quàm sanctimoniæ exemplis signârat; doctrinæque in celebertimo Concilio, velut in totius Christianitatis Emporio, pretiosis mercibus expositis ditârat & exornârat. Ita certè ambidexter erat *S. Bonaventura* ad profligandos errores, ad detegendos malè sanæ doctrinæ sophismos, ad repellendos insanientium hæreticorum insultus; ut velut Accipiter videatur extitisse ad arguendum, obsecrandum & increpandum martialis, hodiéque vivax in scriptis, & promptus *SEMPER IN ARMIS.* Vt ampliùs admirationem haud evincat, si ab hæreticis illis, exuvias sacras Doctoris Seraphici tam probrosè expilantibus, adhibeatur illa communis indignantium Avicularum cantilena apud Ovidium.

Possevin. in apparatu S. Bonaventura.

Odimus Accipitrem, quia vivit SEMPER IN ARMIS. *Ovid. l. 2. de arte.*

Ego restaurans tanti thesauri dispendium, lubens panxerim Bonaventuræ *in accipiendo stolam gloriæ, & vestiendo eum in consummationem virtutum*, tale elogium, quod olim Basilio Magno S. Ephrem panxisse refertur. Cadit enim perbellè in ipsum, si solum Bonaventuræ nomen subinstruas. BONAVENTURA *verè gressus est virtutum, liber laudum, vita miraculorum; qui in carne gradiens spiritu incedebat, communémque cum alijs in terra vitam degens, superna contemplabatur: peryllium plectrum mystica cithara, regionem sanctorum Angelorum oblectans, certus agnus matricis vitæ, Spiritûs S. agrum ac hortum illustrant, desiderio atque amore exultant, ac florem ex imâ radice pretiosissima crucis decerpens: præsepe sacrorum dogmatum, lingua verborum, præmium rectarum atque utilium cogitationum, demergens seipsum in profundum scripturarum, & præclaram inde margaritam exhaurient: racemus ornatus divina Vitis, calitus divinam dulcedinem enuntians; membrana pulchra Divinæ Sapientiæ, quæ de cælo divinas elementorum impressiones ACCEPIT: optimus regni supremi campus, qui Deo fructus producit Iustitiæ: collit varijs ornatus floribus mystici roseti, cujus odor in ipsum cælum redolet ac spirat, qui clamat in Domino grata cantica, & ACCIPIT in cælis coronas.* *S. Ephrem in laudat. S. Basilij to. 24.*

Ex quibus omnibus brevi compendio concludo propositionem meam. Quando tot extiterunt eruditissimi Seraphicæ nostræ Reipublicæ Doctores; quando tot admiranda sanctitatis &

spiritualium donorum luminaria ex Fratrum Minorum Ordine eluxerunt; quando tot supremis dignitatibus eminentes, & Pontificijs tiaris insigniti ex nostris, universali Ecclesiæ suprema vel inferiora jura dederunt; quando tot magni in cælis Sancti sublimati sunt in conspectu Throni & Agni, ex Seraphici Patris Francisci Instituto electi: unus tamen, unus Seraphicus Doctor BONAVENTURA, velut Accipiter, nec *satur honorum*, nec *satur amorum*, nec *satur laudum*, nec *satur gratiarum*, in compendio conjunctam *accepit stolam gloriæ; & vestivit se in consummationem virtutis*, Amen.



IN FESTO B. FRANCISCI SOLANI,

ORD. MINORUM REGULARIS OBSERVANTIÆ, CONFESSORIS, ET AMERICANORVM APOSTOLI.

Die 20. Julij.

MANUCODIATA
SUBLIMIS ET ILLIMIS.

Der hochschwebende und oberirrdische Paradeyß-Vogel.

LEMMA.

Terræ commercia nescit.

THEMA.

Quæ sursum sunt, quærite: quæ sursum sunt, sapite; non quæ super terram. Coloss. 3. v. 2.

SYNOPSIS CONCIONIS LXXXIV.

B. Franciscus Solanus sanctitate & miraculis clarescit, *ut Sol in terris Lumine instructus*: & simul ut *Avis Paradisiaca*, quatuor potissimùm pennis sublevata, quæ sursum sunt, ágit & sapit, ignorans commercia terræ.

233. B. Franciscus Solanus sublimis, & illimis, ut Manucodiata.



Singulari præconio afficit Theophilus Raynaudus, Soc. Jesu tersissimus & copiosissimus Quodlibetista, Stylitas illos primæ Ecclesiæ, qui super excelsas columnas per plurimam vitæ suæ partem steterunt rigorosi; eorum perfectionem sublimissimam & illimissimam sic exprimendo. *Homines Angeli, Martyres aërei, in utriusque naturæ locati confinio, divini, transgressi vitæ genere humanæ Naturæ conditionem, Cælitum vitam in terrâ æmulantes. Magna orbis terrarum miracula: ut sursum corda haberent, habuerunt & corpora. Vt ILLIMES ac puri cælo quamprimum inferrentur, à paludosâ* Raynaudus in Heteroel. spir. fol. 419.

ter-

terra uligine secesserunt. Fulsêre super terram ut stella: parum est, fulsêre ut Soles; iuxta illud SOL IN TERRIS, LUMINE INSTRUCTUS. Non Stylitam vobis hodie A A. exhibeo spectandum, in elevatâ columnâ consistentem, & pœnitentiæ ac mortificationis operibus impallescentem: sed Illum venerabundus suspicio, quem Ecclesia Catholica, ejúsque legitimum in terris Caput, Pont. Max. Clemens X. Anno Jubilæo 1675. die trigesimâ Junij, super altissimam expolitæ columnam omnibus Christi Fidelibus venerandum, per canonicos Beatificationis processus, B. FRANCISCUM SOLANUM; Regnorum Peruanorum & Americæ Apostolum, illustris sanctitatis atque integerrimæ perfectionis virû, & ex nostro Seraphico Ordine hoc sæculo cælis illatû. Qui dum velut *sublimis & illimis Manucodiata* TERRÆ COMMERCIA NESCIT, universæ Ecclesiæ Romanæ venerandus exponitur, si non omnino *ut Sol in terris, lumine instructus*, certè *ut Solanus*, Apostolus Tucumanus & Peruanus; & vel ideo *illimis* atque *sublimis*, quia LIMÆ in Peruanâ Metropoli, ante mortem & post vitam à Deo glorificatus. Quòd si verò Manucodiatæ proprium sit, *terra commercia* nescire, quibus pennis noster *B. Solanus*, verè Avis Paradisiaca, sublimis & illimis evolaverit super terram, in cælum, usq; ad Thronum Dei, scire omnes desiderant. Divi Bonaventuræ, Doctoris Seraphici partitionem adduco, quam sequar in dicendo. *Volatus*, inquit, *Sanctorum perficitur quatuor pennis, scilicet cognitionis, dilectionis, orationis, devotionis.* Et hisce quatuor pennis noster *B. Franciscus Solanus* hodie sese ita elevabit, ut & Stylitarum columnas, & nubium umbracula, & fulgores stellarum, & Platonicos cælorum concentus, & Solis lumine videatur longè superare; sicque omnes hortari: *quæ sursum sunt, quærite: quæ sursum sunt, sapite; non quæ super terram.* Et hos arrectis auribus atque oculis observate splendores, in nomine Crucifixi nostri Servatoris.

S. Bonavent. hom. 18. in Ezech.

234\. Vt nota sit *Manucodiata* natura; quæ ob eximiam pulchritudinem *Avis Paradisi*, seu Paradisiaca nuncupatur: ea plerumque ex Insulis Moluccis, è Java majore, aliisque regionibus longinquis, præsertim Americanis, ad nos in Europam defertur exenterata; & propter abbreviatos pedes hujusmodi aves *Apodes* dicuntur. Nec discepto hic cum Ornithologis, an Manucodiatæ omnino pedibus careant: eò enim communis persuasio devenit, ut plerique existimârint, Manucodiatas carere omnino pedibus, & perpetuum volatum exercere; nec nisi alis in sublime expansis quiescere, imò & ibidem incubare ac generare. Vnde in masculorum dorso quandam existimant dari cavitatem, in quâ fæmellæ, quibus venter etiam cavus sit, ova sua deponant, utriusque cavitatis auxilio incubanda. Putant alij, fæmellas quoddam receptaculum sub alis habere, in quo ova reponant. Victum quod attinet; ajunt ijdem, cælesti rore Manucodiatas vivere, qui cibus illarum naturalis sit ac potus. Caput omnibus non rotundum, sed pressum, nucis juglandis magnitudinem non excedens. Rostrum non omnibus æquè magnum, neque ejusdem coloris. Alæ & caudæ expansæ, fermè accipitrinis & miluinis magnitudine respondent. Pennæ omnibus tenuissimæ, & pennis pavonum, exceptâ tenuitate, omnino persimiles: nisi quòd oculatæ non sint. Omnes pennæ, tam quæ à ventre, quàm quæ à dorso enascuntur, caudam constituunt, cùm sint longissimæ; nec aliam caudam trahunt, quàm illam pennarum omnium congeriem. Alæ, ut in alijs avibus, pro earum libitu nec possunt in arctum contrahi, nec in latum diffundi, sed naturaliter uno tantùm eodemque modo perpetuò consistunt. Dorso gemina velut fila annectuntur, tres & ampliùs palmos longa, neque exactè rotunda, neque perfectè angulosa, nec crassa valde, nec summè tenuia, verùm sutoris filo non planè dissimilia: quæ quidem fila solis masculis attribuunt Authores omnes, excepto Al-

Manucodiatæ mirabiles proprietates, Religioso accomodatæ.

Schottus Physica curiosa lib. 9. c. 52. Gesnerus lib. 3 de avibus. Aldrovandus l. 12. Ornith. c. 21 Maiolus Col. 6. Nierembergius l. 10. hist. nat. c. 15. Ionstonus & alij inter se oppositi.

Aldrovando, qui putat esse etiam fæmellis annexa. Cæterùm probabilius ratione, & experientiâ certius videtur, Manucodiatas non esse apodes; sed cùm sint tam leves, & in volando tam veloces, ut nulla navis in mari tam celeriter proveharur, quàm non volatu suo comitentur; cùmque prætereа tam egregiè à Naturâ ad volandum facillimè, ac sine defatigatione, sint instructæ: verisimilius est, illas admodum rarò deprehendi in terris, ideóque existimare locorum illorum incolas, in quibus repeniuntur, eas carere pedibus; præsertim cùm persuasum habeant, *Dei aves* esse, & ex paradiso provolare. Quidquid sit de controversiæ veritate, Manucodiata semper in aëre visa est volare, nunquam terræ aut arbori insidere; ideóque vocata est *Avis Paradisi*, quæ *Terra commercia nescit*. Idea hæc esto Personæ spiritualis, & animæ contemplativæ; prout S. Prosper in Psalmos ait. *Sunt quadam volatilia, qua non habitant nisi supra montes: & horum nomine spirituales Anima significantur, aëre libero & cæli serenitate gaudentes*. Et hæc erat D. Pauli ad Philippenses protestatio: *Nostra autem conversatio in cælis est*. Supra quem locum S. Macarius scribit. *In eo enim veri Christiani discrepant ab universo genere hominum. Nec parvum est inter utrosque discrimen: nempe in eo, quòd animus atque intellectus Christianorum cogitationi calesti semper sit deditus, aternáque bona contempletur*. Brevi compendio de sanctis Dei amicis ait S. Gregorius, quòd velut Manucodiatæ illimes & sublimes volent, *qui terram quasi non tangunt, quia in ipsa nihil appetunt*.

S. Prosper in Psal. 103.

Philipp. 3. v. 20.

S. Macarius hom. 5.

235. B. Solani nativitas, pueriles modestia, & Religionis Seraphicæ ingressus.

Nihil appetivit in terrâ; sed suam conversationem quærebat in cælo B. FRANCISCUS SOLANUS; illustrissimum Jubar, quod nostro sæculo in Horizonte totius Ecclesiæ, non ut terrificus Cometa, sed ut beneficus Planeta suboriebatur. Præerat Anno Domini 1549, toti Ecclesiæ sanctissimus Dominus ac Pontifex Paulus III. & Sceptra Hispanica moderabarur Carolus V. invictissimæ memoriæ Monarcha; quando ab Illustribus parentibus Matthæo Sanchez Solano, & Anna Ximenez, inclytæ pietatis conjugibus, progenitus est noster *Solanus*; & die 10. Martij, Montillæ, celeberrimâ civitate in Andalusia, ex utero materno, velut Avis Paradisiaca ex ovo prodijt, & velut *Sol in terris, lumine instructus*. Potuit hîc Solanus in ortu suo dicere illud Isaiæ: *Audite Insula, & attendite Populi de longè: Dominus ab utero vocavit me; de ventre matris mea recordatus est nominis mei*. Salvete mortales inter gentilitatis tenebras errantes; bonum vobis & beatum annuntio æternæ salutis diem! E Paradiso venio, *rara avis in terris*, ut vobis ad Paradisi jucunditatem demonstrem semitas. En! discussis Idololatriæ tenebris vobis exoriar Solanus: en: vobis S. Evangelij lucem annuntiabo, afferámque lætitiam cordis & vitam sempiternam. Surgite ergo, & evigilate mecum; neque enim tardabor evolare ad vos: exultabo *ut gigas ad currendam viam*: properabo *ut nubes* ventorum impetu rapta ad superandam maris vastitatem: pertransibo remotissimas regiones & nationes; quas omnes meâ claritate illustrabo. Sublimissimarum flores virtutum, florete! Apostolicorum munerum frondes, frondescite! sanctissimorum operum rami, fructificate! Concinite Aves cæli, Animæ, inquam, electæ laudem Deo. Qui hactenus ut feræ bestiæ vixistis inter montium recessus, nunc ad pinguissima S. Evangelij pascua prodite. Ita poterat prænuntiare Solanus in sua sancta nativitate: qui in puerum & juvenem succrescens, pietatis ac virtutum exemplo, modestiæ & probitatis splendore ita suis coætaneis præfulsit, ut ad ejus præsentiam omnis puerilis immodestia dilaberetur; &, quod olim D. Bernardino contigit, appropinquante Solano clamarent: *Tacete, modesti estote, Solanus venit*; cujus totum opus est, *qua sursum sunt, sapere & agere; non qua super terram*. Hoc in ortu accelerans viam suam Solanus, velut Avis Paradisiaca, diu noctúque volando, *ALTA PE-*

Isa. 49. v. 1.

PETIT fixo corde, mundúmque ut vanam & inanem nolam, wie ein hole vnd dolle Schellen/ despicit & contemnit; linquens *coax ranis*, *cras corvis*, *vanáque vanis*, & sciens, crepundia pueris & nugas stultis arridere; daß vmb Schellen vnd Kappen sich reissen die Lappen. Sequens proinde Divinam suam vocationem, Ordinem Seraphici Patris nostri Francisci, apud Patres de Observantiâ nuncupatos, A. 1569. suæ verò ætatis vigesimo, in Provinciâ Granatensi suscepit. O Seraphica Religio, quam Deus in sua sublimavit humilitate, & in sancti Evangelij propagatione magnificavit! Quis erit hic juvenis, quem tuo sacro & religioso habitu inaugurabis? Tu, quæ es fœcunda tot Amicorum Dei & cæli Incolarum Mater; nónne tibi videris germinâsse Filium, qui Sanctitatis suæ radios tibi affunderet, téque omni claritate illustraret; & tuam propaginem extenderet à mari usque ad mare, & tuos palmites usque ad terminos orbis terrarum? S. Columbani Mater tam sacro fœtu gravida, in somnis suis vidit, è sinu suo rutilantem solem, & nimio fulgore micantem procedere, mundóque ingens lumen inducere: quod Viri sapientes interpretati sunt, Orbem à S. Columbani sanctitate & doctrinâ illuminandum. Nónne & ipsa tibi videris, auroram in Ecclesiæ Romanæ Horizonte expandere, ex qua si non Sol aut quispiam Columbanus, certè Solanus emergat, novum orbem suæ sanctitatis radijs illustraturus; cui in primo suo partu ac Religionis ingressu aggratulabunda, illud Deboræ fortissimæ fœminæ votum accinas: *Qui autem diligunt te, sicut Sol in ortu suo splendet, ita rutilent!* Judic. 5. v. 31.

236. Quantùm cognitione Dei eminuerit B. Solanus. Jam quibus alis & sublimis & illimis evolârit *B. Solanus*, intueamur propiùs. Ad honorem Serenissimæ Christinæ, Reginæ Sueciæ, quòd generosâ terrestris regni renuntiatione sublevaverit spiritum ad sublimia Entia, & à terrestri materiâ abstracta sese erexerit animo ad sublimitatem cælorum; non nemo volantem Manucodiatam delineavit, adjuncto nostri thematis apparatu: *NON QUÆ SUPER TERRAM.* Quod postea Joannes Baptista Bargioccus versibus explicavit.

Versicolor populis Avis est notissima Eois,
Quæ refugit terras tangere, amica polo.
Sed meliùs, quæ sunt sursum, *Christina requirit;*
Quæque super terram, spernere docta fugit.
Nam cupiens animo volitare per æthera, linquit
Divitias terræ, divitiásque maris, &c.

B. Solanus Seraphicam Religionem ingressus ac professus, non solùm terrenatum rerum contemptu sese fecit excelsum, sed ijs præsertim alis ac pennis, *quibus Sanctorum volatus perficitur*. Et quidem primò *cognitione* Divinæ Bonitatis ac rerum supernarum ita eminuit, ut nihil saperet, nihil sciret & cognosceret, agerétque nihil, nisi *quæ sunt sursum*. Erat enim *Homo Angelus*, in utriusque naturæ locatus confinio, divinus, transgressus vitæ genere humanæ naturæ conditionem; cælitum vitam in terris æmulans. Cognovit Deum in benedictionibus suis, & coram oculis Domini invenit gratiam, quando Divina mysteria sine obscuritate perspexit, & altitudinem Divinitatis inspiciendo penetravit. Sciebat, quid olim per Prophetam de se contra mundi sciolos monuerit Deus: *Non glorietur sapiens in sapientiâ suâ, & non glorietur fortis in fortitudine suâ, & non glorietur dives in divitijs suis; sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam & judicium & iustitiam in terrâ.* Jerem. 9. v. 23. Hac Dei optimi Maximi cognitione tantùm profecit *Solanus*, ut frequenter subsisteret velut Aquila irretortis oculis in Solem conspiciens; subinde altè super terram extaticus hæreret; subinde lumine circumdatus noctem illustraret; subinde per aspera, spinosa & horrida procederet, pedésque graviter sau-

cia-

ciaret, nec tamen dolorem ullum sentiret; ut verificetur in illo Tertulliani dictum: *Nihil crus sentit in nervo, cùm animus est in cælo.* Hâc DEI cognitione pennatus Solanus ad eam ascendit excellentiam, ut in conspectu ejus esset *Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso*: & in eum redundaret, quod Doctor Angelicus in D. Paulum ex hoc Ecclesiastici loco rejecit: *Paulus fuit vas auri ob sapientiam, solidum ob charitatem, ornatum cæteris omnibus virtutibus.* Id quod æquo jure de nostro B. Solano licet inferre: enimverò obstupescebant gentes sapientiam, & spiritum ejus qui loquebatur; ædificabantur charitate, & convertebantur eximio virtutum splendore. *Vas admirabile*, in quo recondidit Deus thesauros gloriæ, scientiæ & potentiæ suæ; ut tanquam Præco promulgaret audacter sui Principis Legislatoris edicta; tanquam Propheta nuntiaret summi Regis oracula; tanquam Legatus tractaret cælestis Monarchæ negotia; tanquam Vexillifer intrepidè portaret salutis æternæ tesseram; tanquam Doctor adduceret nomen sui Auctoris. Notanda est illa D. Dionysij parœmia: *Ad illud, quod est super omne, ascendimus in omnium ablatione.* Ascendit Solanus in cognitionem superiorum charismatum, quando & sibi seipsum abstulit, & totum ad contemplanda Divina mysteria se convertit; ut quidquid ageret, in Dei laudes atque admirationem referret, & in summis contemplationibus omne studium atque otium suum mitigaret; sicque adeò intraret in sanctuarium Dei, & audiret arcana mysteria, de quibus non licet homini infulsum proferre sermonem.

Tertullianus l. ad Mart. c. 2.

Eccli. 50. v. 10.

S. Thomas in Epist. S. Pauli præfatione

S. Dionysius l. de div. nom.

237. B. Solani humilitas, obedientia, paupertas exacta.

Fixos vos hærere adverto, dum auditis, ad illud, *quod est super omne*, Solanum *ascendisse in omnium ablatione.* Nempe abstulit ipse sibi, quod suum esse poterat; & sive in paupertate altissima, sive in perfecta & perpetua mortificatione, sive in alijs virtutibus ita sese extenuabat, ut nullo pondere impeditus terrestri, continuò ad cælestia evolaret. Manucodiata semper in cælestibus ambulando *NEGLEXIT IMA.* Et ut sanctus Gregorius Papa loquitur: *Qui cælestis vitæ dulcedinem, in quantum possibilitas admittit, perfectè cognoverit, ea quæ in terris amaverat, libenter cuncta relinquit: in comparatione ejus vilescunt omnia: deforme conspicitur, quidquid de terrenæ rei placebat specie.* Neglexit seipsum, & abstulit sibimet suam capacitatem tam profunda *humilitate*, ut undecies oblatos Superioratus, alioquin tam delectabiles & arridentes, instantissimè resignaret: malens sub cunctorum pedibus delitescere, qui dignissimus erat omnium caput honorari. Quin imò non ponderabat aliud motivum Solanus, transfretandi in Indias, quàm ut arrepto hoc medio martyrij palmam obtineret; & pariter declinaret honores, qui ipsi tanquam celebratæ sanctimoniæ Viro tam copiosè fiebant ab Hispanis, ut etiam in plateis publicis propter honorifici populi concurrentiam vix non manibus sublimis portaretur. Sciebat enim Solanus thesaurum *Humilitatis*, tanquam concha unionē cælesti rori & Solis radijs aperire, mundi amaritudinibus claudere. Schatz verborgen ist ohne Sorgen. Neglexit seipsum, & abstulit sibimet suam voluntatem: quando *Obedientiam*, quam Christus pro nobis propriæ vitæ antepofuit, ita excoluit, ut nihil prorsus vellet sine expressâ, aut certè ordinariâ Superiorum voluntate aggredi vel operari, cui sese sine difficultate, sine murmure propter Deum promptissimè subjiciebat. Quin imò dulcissimam dimittebat extasin aliquando, & collatum cum Deo comercium, dum à P. Guardiano suo, perfectam ejus obedientiam tentante, ad opus aliquod manuale præstandum avocaretur; quasi alter Abraham piè in omnibus obsequens, & illud suis Fratribus Religiosis sæpè inculcans, *sine obedientiâ nec Religionem nec Monasterium subsistere.* Erat obediendo sicut circulus super planum, delineans peripheriam juxta directionem Magistri. Ich lauff und halt still / wie mein Meister will. Neglexit seipsum, & abstulit sibimet, quæcunque ad com-

S. Gregorius hom. 11 in Evang.

communem usum non summè necessaria; nam Evangelicam *Paupertatem* tanquam verus S. Francisci Filius ita amavit, ut nullus avarus tam ardenter amplecteretur divitias, quàm Solanus paupertatem in cubiculo, refectorio, choro, foro & ubique; sciens, per eam incomparabiles divitias in cælis comparari, & conformari hominem Redemptori, qui vulpibus deterior factus, ampliùs locum, ubi caput reponeret, non habebat. Ita certè Manucodiata, cùm sit Avicula de modica carne & de multis plumis, non est mirum, si agiliter & facilè feratur *SINE PONDERE SURSUM*. Felix, qui depositis gravaminibus beneficio *Paupertatis* cælo appropinquat. S. Bernardus observat promissionem Christi, dicentis, *Beati pauperes spiritu*, &c. & appositè comentatur: *Magna quadam penna est paupertas, quâ tam citò volatur in regnum calorum*. Sed & tunc salius super restes securissimè exilit, quando pedes ejus plumbo gravante haud deprimuntur. Ohne Bley dantzt man frey. Et quia ut plurimùm morabatur *Lima Solanus*, sicut *limax* parvâ contentus cellulâ, ex ramis & *limo* confectâ, *illimis* in ea habitabat. Sein Hauß vnnd Ehr/war keines schwer.

S. Bernardus super Matth. 5. v. 3.

238. Admiranda & horrenda B. Solani mortificatio.

Neglexit seipsum, & abstulit sibimet qualcunq; corporis cupedias; sed dirissimis *castigationibus* suum appetitũ in servitutem Spiritûs redegit. Mirabilis est Manucodiata, quæ dum alis caret, volare non desinit; nec desinit sine pedibus ambulare; vix habet carnem, & longis vestitur plumis; est ex terrâ composita, & terram contingere dedignatur; non videtur nasci nec mori, & tamen invenitur mortua: crescit, vivit & generat, & tamen nemo scit, quid manducet aut bibat. Fecit hanc impressionem Aresius S. Joanni Baptistæ, qui vivebat in deserto, *NON MANDUCANS NEQUE BIBENS*. Vbi appositè D. Chrysostomus ait: *Nec tecto, nec lecto indiguit; non mensam vel aliquid hujusmodi requisivit, sed angelicâ quadam vitâ in carne mortali resplenduit*. Et resplenduit ut Sol *B. Solanus, non manducans neque bibens*, sol in templo, sol in cella, sol in plateâ, sol in scholâ, sol in foro, sol in mensa, sol in conversatione, sol in divinis functionibus, ubiq; vibrans radios suæ virtutis. *Sol in aspectu, annuntians in exitu*. Simanè Sol rutilans per auroram indicat secuturas pluvias: videte auroram Solani, qui nocte & manè sese dirissimè flagellabat, ita ut sanguis copiosus hæreret loco disciplinæ cruentantis; & Medici naturaliter mirarentur, quomodo homo sibi tam austerus, & viribus penè exhaustus, tantam quotidie posset sanguinis copiam profundere! videte, quomodo Solanus propter levissimas tentationes in cruentis spinetis sese volutet! Et post hanc auroram quid sequebatur, nisi ordinaria & magna quædam profluvies, aut cataclysmus lachrymarũ, quas in continuis orationibus & contemplationibus ardentissimè profundebat. *Sol in ortu* longissimas facit umbras, & quantò ascendit altiùs, tantò minores: Solanus verò longissimas producit orationes & mortificationes, quibus semetipsum videbatur prorsus extenuare velut umbram; quippe qui tanquã umbra sequebatur Spiritum Dei. *Mortificatio* omnium sensuum erat ipsi juge martyrium; nec quidquã loquebatur nisi verba salutis, nec admittebat nisi opera Charitatis. Austeritas in ferreis cilicijs, quæ continuò portabat ad nudam carnem; diuturna inedia, & necessariorum alimentorum depravatio; vigiliæ in precibus interminatæ; dolorum ac infirmitatum eximia tolerantia, incedendi super clavatos calceos sævities, dormiendi in calatho compressio, & inexplicabilis corporis exinanitio, umbram potiùs exhibebant quàm hominem. Et tamen hæc umbra comitabatur serenitatem lucis, lucem solis, solem Spiritûs; nam semper *Solanus* in agendis erat vivax, in conversando hilaris, animosus in adjuvando, & omnium consolabundus in etigendo. Noverat scilicet in loco umbroso pulcherrimas immitti rerum species. Schatten macht schöne Bilder. Et quòd carbunculus in umbris nitidiùs clarescat. Schöner im duncke/wie der Charfunckel. Quare etiam ex ingenitâ suâ humilitate omni modo conabatur ingentes virtutũ & gratiarum thesauros

Matth. 11. v. 18.

S. Chrysostom. hom. 10. in Matth.

sub suæ propriæ exinanitionis umbrâ occultare. Sic, sic *ad illud, quod est super omne, ascendimus in omnium ablatione*: & *B. Solanus* cognitione Dei ac suipsius ad tam sublimem evolavit statum perfectionis, ut nulla terræ commercia sciret, & cælestis vitæ dulcedinem perfectè cognoscendo penetraret.

239. Devotio multiplex B Solani erga Deum. Ad alteram procedo Alam, *Devotionis* nuncupatam, quâ volatus Sanctorum perficitur, & B. noster SOLANVS *sursum* deliciatur. Juxta Angelicum Doctorem, *Devotio est prompta voluntas faciendi, quod ad Dei servitium pertinet.* Juxta Cassiodorum, *Devotio est fervor bonæ voluntatis, quem mens cohibere non valens, certis manifestat indicijs.* Quàm promptè & fervidè noster *B. Solanus* sese impenderit ad Dei ac Divinorum mysteriorum, præsertim verò Incarnati Verbi & Venerabilis Eucharistiæ servitium, nullâ potest verborum suavitate explicari. Id quod disjunctim Bernardus præcipuis attribuit Sanctis, collectivè videtur *B. Solano* impertitum. *Non omnibus*, inquit, *eodem modo data est gratia, ista scilicet Devotio. Porro Thomas in latere, Ioannes in pectore, Petrus in sinu Patris, Paulus in tertio cælo, secreti hujus gratiam sunt assecuti. Prior mulier stravit in tuto loco humilitatis, posterior in solio spei. Thomas in fundamento fidei, Ioannes in lecto charitatis, Paulus in intimo sapientiæ, Petrus in luce veritatis.* Erat videre subinde *B. Solanum* prorsus occupatum cum S. Thoma in latere Salvatoris, quando velut nitidissima columba sese abscondit ab insidiante infernali Accipitre in foraminibus Petræ, & in vulneribus Salvatoris sui per ardentissimos amoris & confidentiæ affectus; intérque continuos religionis & compassionis motus, dulcem requisivit quietem, & invenit securitatem. Erat admirari *B. Solanum* cum Virgineo S. Joanne cubantem in pectore JESV, quando inter dulcissimas lachrymas & extaticos raptus ad Altare Sacrificio Divino functus est; & angelico devotionis oestro erga Venerabile Sacramentum percitus, nunc in aëre moveri subitò, nunc flexus subsistere, nunc altè hærere, nunc radijs clarescere, nunc reverentiæ modis insolescere, nunc gaudio & tripudio cordis colliquescere visus, atque inter devotissimos cantus in cælestes ac Seraphicos affectus totus resonare auditus. Erat observare *B. Solanum* cum confidentissimo S. Petro requiescere in sinu Patris, quando inter tot pro Dei gloriâ exantlatos labores infractus, & inter tot conatus pro bono publico susceptos, pacatissimum semper præsetulit animum, & non nisi cum æterni Patris voluntate unitum. Erat obstupescere *B. Solanum*, cum ardentissimo S. Paulo in tertio cælo conversati; quando terrena omnia & cælestia supergressus, prælibavit Empyrei cæli tripudia, & beatificas delicias quotidianis & quasi continuis suis raptibus prægustavit. Stravit *B. Solanus* cum S. Maria Magdalena pœnitente in tuto loco humilitatis, & ad pedes suorũ Religiosorũ frequentissimè se abjecit, nunc abjectissimum peccatorem se profitendo, nunc omnes alios meliores, quàm se existimando, nunc suam nihileitatem & ad omne malum perpetrandum caducitatem agnoscendo, nunc denique quoscunque honores & respectus mundanos generosè abjiciendo. Stravit *B. Solanus* cum S. Martha sollicitâ in solio spei, quando per tot solitudines, quas peragravit, per tanta pericula, quæ sustinuit, & per tam contumaces infirmitates, queîs major evasit, nunquam cecidit animo: sed firmissimâ spe in Deum nixus, ad supernam patriam & civium cælestium societatem continuò aspiravit; atque ideo summè arduas pro æterna retributione aggressus est difficultates. Erat *B. Solanus* tanquam sanctus Thomas *in fundamento Fidei* orthodoxæ, utpote qui veræ Religionis constantiâ, zelo semper ardente, confessione nunquam interruptâ, & prædicatione fructuosissimâ, primorum Apostolorum merita & sanctorum Martyrum palmas adæquavit. Erat tanquam S. Joannes *in lecto charitatis* ardentissimus, utpote qui Seraphicis suis flammis totum conabatur accendere mundum. Erat tanquam S. Paulus *in intimo sapientiæ* sanctuario receptus, ubi circumspexit &

S. Thomas 22. q. 82. a. 1.

Ioan. Cassiod. in coll.

S. Bernardus super Cant.

& vidit arcana Dei, quæ non licet homini loqui. Erat tanquam Petrus *in luce veritatis* renitescens, in qua tot barbaras gentes deduxit & adduxit ad Montem sanctum Dei, hoc est, Romanæ, Unicæ & salutiferæ Ecclesiæ gremium. *Erat* B. Solanus *Lucerna* illa *ardens & lucens*, de qua S. Bernardus aliquando pientissimos suos stillabat sapores: *Est enim tantùm lucere, vanum; tantùm ardere, parum; ardere & lucere, perfectum.* Luxit Solanus devotione, & arsit pietate, totúsque in obsequia Divinæ Majestatis inter admirabiles inventiones prorsus defecit.

S. Bernardus ferm. de S. Joan. Bapt.

140. Devotio B. Solani erga Deiparam & S. Bonaventuram, remunerata.

Sed & ad gloriosam Deiparam Virginem Matrem MARIAM, & ad Seraphicum Doctorem Bonaventuram sese ardentissima ejus extendit *devotio*; Illam tanquam Advocatam & Mediatricem suam tam ardentibus fatigabat votis, tam amorosis requirebat colloquijs, tam cordialibus laudabat cantilenis, tam dulcibus adamabat lachrymis, tam miris excolebat industrijs; ut totum mundum invitaret, hanc supremam Divinæ Maternitatis dignitatem Purissimæ & Immaculatæ Virgini aggratulandi. Et dum præter hanc etiam alios præcipuos Sanctos coleret, quorum virtutes æmulabatur ad imitationem, & patrocinia implorabat ad salutem; præ cæteris tamen tenerrimâ devotione venerātus est Seraphicum Doctorem *S. BONAVENTURAM*, quem suum Patrem & Instructorem pientissimè appellitabat. Cum hoc tanquam cum cordialissimo amico, suæ & aliorum salutis negotia oretenus pertractabat; & ejus cælesti pædagogiâ illustratus, prodibat in publicas plateas, & quoscunque obvios ad cælestia desideria flagrantissimè invitabat. Ex quo factum, ut Manucodiatas imitaretur *B. Solanus*; nam istæ felicissimæ aves, gregatim evolando in altum, ita sibi invicem innituntur, ut una caput suum imponat super dorsum alterius. Aret'us hoc symbolum applicat Deiparæ, quæ in gloriosâ Assumptione suâ *super Dilectum Filium suum INNIXA ASCENDIT.* Ubi D. Bernardus more suo Paradisiaco accinit: *Super hunc innititur mater illa felicissima, & in aureo reclinatorio Divinæ Majestatis recumbens, inter Sponsi, imò Filij sui brachia requiescit. O quanta dignitas, quàm specialis gloria inniti super illum, quem reverenter colunt Angelicæ Potestates!* Idem profectò, vel simile quid nostro *P. Solano* contigit: nam trino mysterio donatus, ex hac mortali vitâ ad cælos evolavit; primò quidem obijt in festo S. Bonaventuræ, quem exquisitis pietatis medijs in vitâ suâ coluit; obijt insuper sub Symbolo Apostolico post aliquot Psalmos sibi decantatos, postea que deventum est ad illa verba: *Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine*; quam nonnisi tenerrimo amoris incendio diligebat: obijt denique sub Missa solemni; & quod mirabilius est, dum pulsaretur major campana ad elevationem sacræ Hostiæ pulsari solita; ad quam S. Hostiam tantâ semper & tam insatiabili devotione, tã Angelico cultu afficiebatur. Fructificabat hisce devotionibus tantò amplius B. Solanus, & velut vitis maturescens, dum scipioni innititur, fœcundissimas Divinæ eructantiæ uvas germinabat. Sic, sic *B. Solanus* super Sponsum Eucharisticum, super Matrem Virgineam, super fidelissimum Amicum, in cælos *Innixus ascendit.* Exclamo cum D. Bernardo: *O quanta dignitas, quàm specialis gloria, inniti super illos, quos reverenter colunt Angelicæ Potestates!*

S. Bernardus super cantica.

241. Amor B. Solani erga Deum & proximum

Tertiam inspiciamus Pennam, quâ volatus Sanctorum perficitur, nempe *Charitatem.* Clarissima est S. Augustini contestatio: *Ad Deum ascendit volando, qui ascendit amando.* Et simile quid D. Ambrosius concludit: *Charitas est igitur, quæ nos superioribus nectit, cælóque inserit.* Tanto Divini Amoris ardebat incendio B. SOLANUS, ut & costæ ejus periclitarentur rupturâ, & omnes reliquæ virtutes ab hoc igne vel absorberentur, vel ignitæ rutilarent. Erat *B. Solanus* velut altissimus mons Vesuvius, flammarum glomerationes eructans, & vicinas regiones adurens: ardebat cor ejus purissimo amore, & animus semper calescebat Deo: hoc Divini amoris igne vi-

S. Augustin. præfat. in psal. 121.
S. Ambrosius l. 3. Hexame. c. 12.

 deba-

debatur solitudines, urbes, & oppida in favillas redigere: quidquid agebat, quidquid spirabat, *Seraphicus* ignis erat. Imò anima ejus hoc amoris incendio tam altè in Deum elevabatur, ut frequentissimè corpus ejus, quasi desertum & mortuum appareret: volebat enim anima in illo quiescere, ubi vivebat & amabat. Hoc amore raptus, populosas invadebat turbas, & productâ Crucifixi JESV imagine ad redamandum Jesum penetrantissimè invitabat. Hoc amore saturatus Beatus Solanus, per plures dies naturalis alimenti oblitus, prælefetebat glorificati cujusdam corporis impassibilitatem: languebat hoc amore B. Solanus cum Sponsa, & non nisi inter dulcissimos affectus colliquescebat. Verè *ad Deum ascendit volando, qui ascendit amando*. Hoc amore concitatus Beatus Solanus quæcunque pericula subijt, ut profuso sanguine & datis persecutori cervicibus Jesu Christi professioni subscriberet, & inter purpuratos Martyres palmam victoriæ obtineret; proinde festinavit Euro velocior, festinantior nube, fulgure extensior; & evolavit *à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum*; per tot ac tanta pericula, per naufragia, per desperatissimas fortunas & innumera mala. Quid fortius amore, quid amantius B. Solano? Apostolicis obedientialibus instructus *Beatus Franciscus Solanus*, dum Panamâ versùs Peruanum Promontorium navigaret, prope Gorgonam ob fatalem maris tempestatem ita navis allisa est rupi, ut media velut cultro scissa dissiliret: cùmque lateralis cymba plures eriperet periculo, Solanus cum suo Crucifixo constans in navis prorâ efficacissimè hortabatur periclitantes, excipiebat confitentes, & ex octingentis Mauris plerosq; non baptizatos inaugurabat Deo per Baptismum; quorum aliqui paulò pòst cum altera navis parte submersi, ad Deum compendioso lavacro dealbati evolârunt. Duravit hoc malum per tres continuos dies, quibus semimersos naufragos *solabatur Solanus*; denudabat se usque ad lumbos; flagellis in se dirissimè animadvertebat; misericordiam Dei pro periclitantibus ardentissimè fatigabat. Cùm deinde mirabiliter devenissent ad terram desertam, & per sexaginta dies in loco horroris & vastæ solitudinis commorantes, noviter ab inediâ ad mortem usque affligerentur; singulis quotidie noster B. Solanus paravit mensam in deserto, & cibaria ministravit languentibus salutaria: usque dum novâ adductâ navi appellerent Paytam, & tandem Limam Regni Peruani Metropolim devenirent. Quis jam metiatur illos amplissimos passus, quos post aliquod tempus Limæ Apostolicâ conversatione consumptum, Solanus perfecit in Regiones Tucumanicas, ita barbaris Nationibus infestas, ut ibi homines se invicem devorarent, & fortior in imbecillem crudele dominium exerceret. Confecit B. Solanus quingenta magna milliaria per pedes, è circulo mediterraneo ad Antarcticum præpotenti amore properans. O quàm speciosi pedes Evangelizantis! In his vastissimis regionibus circumvolavit Solanus, pericula contempsit, molestias supportavit, Crucē manibus extulit, *ut portaret nomen Domini coram gentibus, & regibus terræ*, Catholicæ Religionis semina dispergeret, Ecclesias erigeret, gentiles converteret, & baptizaret. Neque enim videbatur sibi Solem imitari B. Solanus, nisi & superiori & inferiori orbi S. Evangelij radios, & suæ sanctitatis splendores communicaret, ac totum mundum Jesu Christi amore illuminaret atque accenderet: utpote quòd ipsi videretur, *tantùm lucere, vanum; tantùm ardere, parum; ardere & lucere, perfectum.*

24 Ardentissimæ B. Solani concionés, & munera Apostolica.

Longè admodùm excessisse videretur ordinatæ Charitatis cum erga Deum, tum erga proximos, methodum & limites *B. Solanus*, serviendo pestiferis in Montoro, subveniendo afflictis, erigendo oppressos, consolando abjectos, supportando infirmos; nisi tanquam Sol novus factus esset *omnibus omnia*, & æquali oculo omnes respexisset sine differentiâ conditionis per-

personarum, tanquam animas pretioso Christi sanguine redemptas. Scheln jederman/ wer sehen kan. Nisi insuper assimilatus esset speculo, cunctorum imagines æqualiter recipienti, nec inter supremum aut infimum distinguenti. Bey jhm ein jeder war der nächste/ der nidérist vnd der höchste. Quanquam hoc ipsum speculum virgineâ *castitate* nitidum, ita aversaretur periculosos intutus; ut in Tucumanicis partibus fœminas, juxta morem gentis nudè incedentes, usque ad cellam suam centum passibus appropinquare non permiserit: & post mortem viginti tribus horis, dum Medicus candidissimum ejus corpus circa thalos vellet contrectare, ad probandam carnis soliditatem, ipse quasi verecundus retraxerit pedem. Vtpote qui in vitâ vel tanquam innocens anima in fornace Babylonica corporalis concupiscentiæ flammis non urebatur; vel tanquam candidissimus Cygnus in turbidis hujus mundi natabat aquis, nec tamen polluebatur. Sag mir einer/ was ist das? Schwimbt im Wasser/ wird nit naß. Admirabundus subsisto in *Charitatis* Apostolicæ exercitijs, & eas operationes raptim percurro, quæ videntur Apostolorum gratias adæquâsse. Portavit *B. Solanus* Redemptoris nostri Christi JESU nomen coram gentibus, in corde per ardentissimum amorem, in ore per suavissimum eloquium, in opere per arduos labores & sanctas mortificationes, in concionibus per sapientiam & Seraphicum zelum. Ad tam optatos effectus, contulit ei Deus cum omnibus alijs Gratijs gratis datis, etiam *Gratiam linguarum* peregrinarum; quas quidem conabatur addiscere (prout cum ingenti omnium stupore linguam Toconoticam, alioquin perplexissimam, intra quindecim dies didicerat) eas tamen potiùs callebat cælitus infusas. O quantâ charitate excurrebat in agros, sylvas, montes, ut sylvestres ac barbaros Tucumanos atque Americanos Æthiopes erudiret in Lege Domini, ad mansuetam indolem inclinaret, & ad dulce Christi jugum perduceret! Si quis vidisset sub ejus ardentissimis *Concionibus* scintillas ex ore & flammulas prosilire, aut Spiritum S. in specie Columbæ candidæ super ejus humeros sedentem inspirare in aures; quid ad hoc superadderet quispiam? nónne resuscitatos Gregorios, Basilios aut Chrysostomos veneraretur? Si quis aspexisset, integrum Barbarorum æthiopum exercitum, ex antipodalibus Provincijs Tucuman & Paraguaij collectum, contra Christianos in prælium concurrere; quibus obviam processit *B. Solanus* cum suo Crucifixo, & cum tanta amoris vehementiâ S. Evangelium prædicavit, ut totum fermè exercitum ab impetu continuerit, ad Christum converterit, & adhuc illo ipso Cœnæ Domini die *novem millia* baptizaverit; quorũ plurimi in cordis medullâ contriti, illo adhuc ipso sole, ad Christi flagellati imitationem cruentis disciplinis in semetipsos animadverterint; nónne diceret quispiam, esse renovata, imò superata Apostolorum tempora? cùm in eorum Actis tria circiter millia hominum unâ concione à D. Petro Apostolorum Principe conversa legantur, sed ad mille novenarium numerũ Divina operatio nunquam devenerit. Potuissent aliquoties Soccoritæ & Peccitæ, Tucumanni & Paraguitæ, Platitæ, & variarum Nationes linguarum simul contestari: *Audivimus* & intelleximus *Eum* in unica concione *nostris diversissimis linguis loqui magnaliâ Dei*. Si fortè Populus ad comœdias, choreas & spectacula confluerET, *B. Solanus* cum suo Crucifixo medius intravit; theatra conscendit, prostratus humi per modum crucis omnes invitavit ad lachrymas Passionis Christi, & ad amaram pænitentiam; surgens deinde, & extollens Crucem in signum, atque amorosissimè prædicans, inauditas causavit mentium metamorphoses. Regiam civitatem Limam propter gravissima sua peccata unicâ fervente concione ad tantam pænitentiam adduxit, ut renovatum fuerit Ninivitarum spectaculum; dum à minimo usque ad maximum diu noctúq; squalerent

Omnia ex processu Beatificationis & eius vita.

lerent omnes in sacco, cinere & cilicio. Possum intelligere de ferventissimis prædicationibus B. Solani, quod Ecclesiasticus de meridiano Sole testatur: *In meridiano exurit terram, & in conspectu ardoris eius quis poterit sustinere?* Ita verissimè dixit Augustinus: *Ad Deum ascendit volando, qui ascendit amando.*

Eccli 43. v. 3.

243. Sed verò jam etiam ultima restat Ala, quâ volatus Sanctorum perficitur, nempe *Ala orationis*. Ipsa Oratio est secundùm se *elevatio mentis in Deum.* Et appositè ad nostrum *B. Solanum* Cassiodorus: *Oratio serenat cor, abstrahit à terrenis, mundat à vitijs, sublevat ad cælestia, reddit cor capacius & dignius ad accipienda bona spiritualia.* In ferventissimis suis orationibus continuò adhærebat Deo, sicut hædera arbori. Ich heng mich ein/ gantz bin ich dein. Erat Solanus in oratione sicut ambulans in tenebris & portans facem ardentem, à quâ omnibus proderetur spectandus. Der mich tragt in seiner Hand/ wird erleuchtet vnd bekandt. Nulla extrinseca occupatio, quantumvis laboriosa, poterat Solani spiritum interturbare, vel ad momentum alienare: hinc quidquid operis exercebat, id erat quasi liber Solano, ex quo sine læsione oculorum animæ, hoc est, sine obscuratione intellectûs & memoriæ perlegeret Deum. Quidquid audiebat pronuntiari, Divinæ Omnipotentiæ, Sapientiæ & Bonitati in censum adhibebat. Frequenter non poterat se cohibere in impetu spiritûs, quin celerrimè curreret de extremo ad extremum, & impotenter se gereret ad coërcendos discursus; atque interim potenter exclamaret: *diligite Deum, servate mandata eius, quæ gravia non sunt, & nolite offendere summum Bonum.* Loquebatur suavissimè in oratione cum Deo & Superis, & in sibillo auræ tenuis manifestabat internam mentis dulcedinem. Quotiescunque de amarissimâ Domini Passione & morte recurrebat mentio vel cogitatio, colliquescebat anima ejus præ tenerrimâ compassione in lachrymas, singultus & dolores; ita ut vivens

Admiranda orationis suavitas in B. Solano.

Cassiodor. super psal.

sine vitâ, homo sine humanitate, & mortalis sine mortalitate videretur intuentibus Solanus. Horas Canonicas, & quotidianum Sacrificium angelicâ reverentiâ, timore, modestiâ, silentio, animositate, & amore perficiebat; & cæteris Religiosis sobriè dormientibus ipse solus *pernoctabat in oratione*, & cælesti colloquio cum Deo ac Deipara, cæterisque suis Angelis & cælestibus Patronis jugiter fruebatur; sæpè per longum tempus reiterare auditus, *Domine quis ego, & quis tu? Tu omne bonum, ego nihil, & mali totius compendium!* Sed & dulcissimis ac devotissimis cantilenis, ad Bethlemiticum Puellum, ad Virgineam Matrem, ad Angelicos Spiritus & supernos Cives directis, internos enthusiasmos reddidit placatiores. Vtebatur ordinariè *chelі bichorde*, planè quoad tonos indispositâ, & ipse artis musicæ omnino ignarus; & tamen inter sua animi tripudia tam ornatè & suaviter cheli alludebat cantilenis, ut miram in auscultantibus excitaret cordeliciositatem. Cæterùm raptibus & extasibus omnem suam videbatur orationem vel terminare, vel condire; ita ut de *B. Solano* possit adaptari Petri Chrysologi sententia: *Sæpè homo, cùm est in se, non est secum*, scilicet per elevationem mentis in Deum. Dico ego de B. Solano, quòd in totá vitâ suâ nunquam fuerit secum, sed semper cum Deo; cum quo conversationem suam per orationem semper perennabat in cælis, quæ sursum sunt cogitans, quæ sursum sunt agens, non quæ super terram.

Chrysologus serm. 5.

Quam parvas Sol meridianus traijcit umbras, tam exiguo circulo panegyris meæ clauditur amplitudo circa efficaciam orationis & reliquarũ pennarum, quibus volatus nostri B. Solani erat perficiendus. Vt planè cogar ad occasum tendere, & in *B. Solano*, quod reliquum est, *Opus Excelsi*, cum Ecclesiastico considerare. *Consideravi opera Dei, & expavi*; opera, inquam, creationis, distinctionis, & ornatus & gubernationis: opera prædestinationis, vocationis & redemptionis; & expavi; quia 244.

Quædam opera miracul. S. B. Solaniconjũctim illustrata.

sunt

sunt quoad potentiam maxima, quoad sapientiam perfectissima, quoad modum pulcherrima, quoad ordinem rectissima, quoad numerum incomprehensibilia, quoad usum exquisitissima, quoad substantiam optima, Deo, nobis, omnibus creaturis. Hæc inter Dei opera inanimata præcellit Sol, qui est per meronymiam *Opus Excelsi.* De quo S. Dionysius Areopagita ait: *Sicut Sol, sic multò magis Deus, omnia illustrat, efficit, vivificat, continet, perficit; estq. eorum, quæ sunt, & mensura, & æternitas, & numerus, & ordo, & complexus, & causa, & finis.* B. noster *Franciscus Solanus*, SOL IN TERRIS LUMINE INSTRUCTUS, verè *Opus Excelsi*; utpote per quē Deus tanta, ac tam mirabilia præstitit opera. Quòd *B. Solanus* per totam vitam suam nunquam mortali peccato sese inquinaverit, & nec quidem contra Deum otiosum verbum locutus fuisse deprehensus sit; *Opus Excelsi!* Quòd *B. Solanus* inter tam rigidas corporis mortificationes, vigilias, insomnia, disciplinas, cilicia, labores, apochas, emacerationes evisceratione, adhuc evangelizando tanta itinera perfecerit; & illud S. Thomæ Apostoli oraculum expleverit, Indis Occidentalibus celebratissimum, *Ventura scilicet ea tempora, cùm Oceanus paulatim erosis laxatisq. litoribus, Crucem quandam ibi à se statutam, fluctuum appulsu inciperet alluere, tunc ab extremis Europæ finibus in Indiam mari advehendos viros Apostolicos, & Divini Verbi præcones, qui sibi in officio studioq. succederēt:* atq; in hisce laboribus ultra sexaginta vitæ suæ annos hilari animo sese omnibus exhibuerit; *Opus Excelsi.* Quòd *B. Solan.* sub oratione & meditatione, nō tantū frequentissimè in extasin raptus, de terrâ sublimatus, sed & cælesti splēdore circumdatus, intuentium oculis æternæ gloriæ radios asperserit; *Opus Excelsi!* Quòd *B. Solanus* Missæ Sacrificium cū tanta spiritûs dignitate aliquoties celebraverit, ut Angelus divini luminis claritate amictus apparuerit Vice-Regi Peruano, ad altaris ministerium assistenti; *Opus Excelsi!* Quòd *B. Solanus* intuentes in se ad amorem Dei, & cultum Virgineæ Matris cordintimè excitârit, eósq; juxta suam dispositionem consolationis cælestis mellitudine impleverit; *Opus Excelsi!* Quòd *B. Solanus* spiritu prophetico eventuros casus verissimè prædixerit, absconditas cordis cogitationes & latentia intus peccata cognoverit, sicq; obduratissimos peccatores ad pœnitentes lachrymas converterit: sed & Truxillo, populosissimæ civitati, secuturam omnimodam eversionem, repentino terræmotu post 35. annos inducendam, de publico suggestu vatidicè comminatus sit; *Opus Excelsi!* Tandem quòd *B. Solanus* in vita & post mortem innumeris miraculis claruerit, tot incurabiles sanaverit, tot cum partu & morte luctantes fœminas suo voto beaverit, tot agonizantes restituerit, tot mortuos suscitaverit; & imperium altum super omnia Elementa atque mixta exercendo, terræ, aquis, aëri, igni, cælis, mandata posuerit; *Opus Excelsi!* Tale quidem, quod *illustrat, efficit, vivificat, continet & perficit*, atque sursum erigit, & ubique *terræ commercia nescit.*

S. Dionys. c. 4. de Divinis Nominibus.

Labbeus in Fest. S. Franc. Xaverij.

Ita deniq; Manucodiata semper vivit in cælo, & in sublimi circumvolat, suámq; conversationem in cælestibus prosequitur; & dum spiculo mortis cōfixa esset, remansit sublimis, *Vitámq. reliquit in astris*, juxta illud Æneidum. 245. B. Solani obitus gauà diosus & gloriosus.

Plaudentem nigrâ figit sub nube columbam;
Decidit exanimis, vitámque reliquit in Astris.

Æneid. 5.

Talis est mors felicissima Hominis contemplativi & extatici, juxta stylum ordinarium; qualis *vita*, finis *ita*; qui bene vivit, bene moritur: & qui in Dei ac Cæli servitio suos transigit dies, illos etiam terminat in Dei gratiâ & præmio cæli. *Pretiosa in conspectu Domini, mors Sanctorum eius.* Ad quod D. Bernardus in transitu S. Malachiæ explicandum addit: *Pretiosa est mors Sanctorum, pretiosa sanè tanquam finis laborum, tanquam victoria consummatio, tanquam vitæ ianua, & perfectæ securitatis ingressus.* Et noster *B. Solanus* tanquam sublimis Manucodiata, tanquam in terris lumine instructus *Sol*;

Psal. 115. v. 15.

S. Bernard. serm. de transitu S. Malachiæ.

tegno-

cognovit occasum suum. Felix, cui Deus suam revelavit beatitudinem certam & determinatam! Anxiabatur Dei Servus laboribus pro Dei Ecclesiâ susceptis exhaustus, & affligebatur paulò ante agonem, an Altissimo grata foret rigorosa ejus pœnitentia & vita? Sed & Deus *solabatur Solanum*, submittendo in occursum ejus S. Petrum de Alcantara, & S. Virginem Theresiam, consolantes eum & dicentes: *O felix pœnitentia!* O mors fortunata, quam tot Cælitum apparitiones lætificabant! Aderant cælestes Aviculæ, ut omnibus audientibus & videntibus, sine repulsâ ad cellæ fenestras, nostro Avi Paradisiaco, vitam in astris relicturo, gloriosũ Epicœdion accinerent. Dum præsentes religiosos Fratres juberet canere *Canticum Magnificat*, *Symbolum Apostolicum*, *& Hymnum Ambrosianum*; etiam ipse lætissimâ voce, ac cælesti dulcedine spirans, intonuit Psalmum, *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Cecinit, & persolvit hilariter & exultanter. Dum canerent in Symbolo versiculum, *Et incarnatus est de Spiritu sancto*: tum *B. SOLANUS* piè, sanctè, placidè & dulciter, naturali morte & Divino amore vulneratus, in Domino obijt, *VITAMQUE RELIQUIT IN ASTRIS.* Vix ubi fama mortis ejus percrebuit, in totâ amplissimâ regiâ civitate Limanâ, ab omni statu, conditione & sexu conclamabatur: *Mortuus est Sanctus, sanctus noster obijt.* Quasi nempe cujuslibet arbitrio datum esset, primo statim post obitum momento Bullæ Canonizationis Viri sancti subscribere. Quantus tum populi confluxus! quàm admiranda ægrorum curatio! quæ cæli & Cælitum prodigia! quæ in colligendis Reliquijs sacris religio! quis honor ab omni statu exhibitus sepeliendo! Rapior, deficio, taceo. *Sol cognovit occasum suum*, & occidit *B. Solanus* quodam Mercurij die; qui tanquam Apostolicus Mercurius novalia regni cælestis remotissimis Americæ Gentibus evangelizando nuntiavit. Occidit horâ undecimâ meridianâ, ut post mortem velut Sol meridianus luceret orbi. Occidit die 14. mensis Julij, ascendente Sole in signum Leonis, quando ipsemet evangelizando coram Gentibus rugijt ut Leo. Occidit anno salutis millesimo sexcentesimo decimo, sedente Pontifice Paulo V. & regante super Hispanias Philippo III. Sed & post occasum *INTERMINATIS FULGET HONORIBUS*, quando, velut Manucodiata etiam post mortem in plumis suis repullulantibus speciosa, pariter noster B. SOLANUS incorruptus remanens, suavissimo odore & tenerrimo aspectu omnes recreabat. Nempe Horatio teste, *Horat. l. 3. Od. 2.*

Virtus repulsæ nescia sordidæ
Incontaminatis fulget honoribus.

B. Solanum concernit, quod S. Thomas de Villanova de Resurrectione Justorum in quodam sermone pronũtiaverat. *S. Thomas de Villanova Conc. 1. de Ind. ... extremo.* *Electorũ nova progenies in gloriam Filiorum Dei permutata, in spirituali carne fulgebunt sicut Sol in regno Patris eorum.* Occidit, ut iterum oriretur gloriosus toti Ecclesiæ Militanti; dum per canonicum Processum à Summo Pontifice Clemente X. die trigesimo Junij fuit B. FRANCISCVS SOLANVS REGNI PERV AC LIMÆ APOSTOLVS, RELATVS INTER CÆLITES.

246. *Plausus universalis pro Beato Francisco Solano.* Quapropter gaude, ô sancta Mater Romana Ecclesia, quæ, dum palmites tuos extendis à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum, per *B. Franciscum Solanum* tot Gentes & Nationes Barbaras, ex remotissimis orbis partibus, in unitatem Fidei & gremium tuæ Maternæ pietatis congregasti! Exulta, ô fœcunda tot sanctarum Prolium Mater Seraphica Religio, quæ novos & novos Pullos Sanctitatis, Ecclesiæ, Paradiso, Cælis, tuâ virtute excludis, generas, nutris, educas, & evolare facis *illimes ac sublimes*, terræque commercia nescientes, & præcisè, quæ sursum sunt sapientes atque agentes. Lætare Seraphice Pater Francisce, qui Filios tuos Religiosos, tuæ sanctæ vocationis Imitatores, & tuæ Apostolicæ Regulæ Zelatores, per universum orbem dispersos intueris, prædicando S. Evan-

gelium Christi omni creaturæ fortissimum contra vitia bellum gerere, & jugiter pro virtutibus decertare, ac Venerabili Clero totique Ecclesiæ cum incomparabili animarum fructu fideliter ac charitativè cooperari. O quam gloriosè tuæ SEMPER ODORIFERIS REVIVISCVNT FLORIBVS ARÆ. Tripudiate, ô remotissimæ Americæ Gentes; quæ ad ortum hujus Beatissimi *Francisci Solani* ex errorum, Idololatriæ, ac gentilitatis tenebris educti estis ad lucis splendorem, ad vitæ diem, ad salutis vitam. Ecce! quem pro singularissimo vestro elegistis & honorastis Patrono, nunc Primum ex vestris Apostolicis Advenis ac Missionariis *Solanum* implorate *Beatum*! Et Tu, O gloriose beate SOLANE, quoad religiosam professionem Confrater meus amantissime, quoad beatitudinis conditionem Patrone potentissime! Tu, ô Gloria, & Ordinis nostri Honorificentia! Tu, ô dignissime Americanorum Indorum Apostole! Fulgens triumphantis Ecclesiæ inter maximas Stella! Sublimis & illimis cælestis Paradisi Avis! Sol oriens occidui Orbis! qui radiis eminentium tuarum virtutum & miraculorum innumeras Animas, ex Erebi faucibus ereptas, Deo recreasti; qui spretis mundi illecebris, & heroicè devictis passionum insultibus, plenus justitiâ & sanctitate, nunc inter cælestium virginum lilia candidatus, nunc inter purpuratorum martyrum rosas croceus, nunc inter humiles confessorum violas redolens, nunc inter Apostolicorum virorum cariophyllos multiformis triumphas; Populum hunc tibi devotissimum in tuam suscipe tutelam, ut tuarum imitetur virtutum exempla, tuorum potiatur meritorum suffragiis; & tuo paterno patrocinio securus, atque ab omni malo momento ereptus, *sursum* sapiat, *sursum* agat, & ad cælestia contortia olim ingrediatur: sicque, quod inter vivos unicè semper optâsti, & pro amoris tui tesserâ moriens pronunciasti, in Te, & in devoto tibi Populo Christiano, semper & per omnia *GLORIFICETUR DEUS*: Amen.

Ornithologica devotio Authoris ad B. Franciscum Solanum unà cum applaudentibus cæli Phonascis instituta.

247. B. Solanus à volucribus cæli in vitâ & post mortem honoratur.

QVàm jucundum Tibi, Beatissime Francisce Solane, cælitus collatum est super Volucres cæli Imperium! O quoties musicæ Aviculæ cum sanctissimo Ornithologo deliciosissimâ harmoniâ Divinas decantabant laudes! quoties defatigatum recreabant viatorem! quàm socialiter comitabantur euntem! quàm gratiose de manu ejus capiebant escam! quàm delicatè in ejus manus, caput, & humeros considebant! quàm ingeniosè concinebant ad mensuram ludentis cheli! Nunquid non hoc erat anticipare delicias Paradisi, innocentissimas & pulcherrimas Aviculas pro libitu ad se vocare & dimittere? Quid poterat esse mirabilius, quàm defunctam Columbam & Alaudam, sive ad gemebundam, sive ad lætabundam resuscitare vitam? Rependerunt vicem & ipsæ, cæli Choraulæ, Aviculæ musicæ, quando & colore & canore cælico variegatæ, ad infirmantis cellulam quinque horis ante expirantis agonem convolârunt; & incredibili suavitate ac paradisiaco concentu, non tantùm parentârunt in Domino morienti, sed etiam sanctissimè Defuncto incomprehensibili suavitate & exultatione invictissimo Heroi cecinêre triumphum. Quos sive Angelos, sive Alites, ad sequentem Rythmum mecum amabiliter decantandum officiosè invito.

I.

Valete mundi gaudia;
Sat datum vanitati:
Ineptiæ, deliria
Adversa veritati:
Pro lubricis voluptatibus,
Pro carne delicata,
Rigor virescat Ordinis,
Sors mollities amata,

II.

Nudata pulsat tergora,
Caditque se flagellis:
Austera squallent pectora;
Pars vincitur rebellis.
Lumbi stringuntur vinculo,
Et spiritu Minorum;
Solanus vernans cælico
Crescit decore morum.

III.

Praxin Amor scit Curiæ,
Sanctosq; politicismos;
Nescit dolos penuria,
Fugitq; barbarismos.
Fit omnibus per omnia
Solatium Solanus;
Languentibus fert prandia,
Opemq; vir amandus.

IV.

Solem vidistis currere
Splendore circulari;
Nequit in motu sistere,
Languere, vel tardari.
Solanus Sole fortior
Succurrit indigenti;
Vitam reducit perditam,
Et morbidam cadenti.

V.

Molles abeste longiùs
In lectulis sopores!
Virtus gemit profundiùs,
Et concipit dolores.
Stratum Solanus asperum
Et spineum subintrat,
Quo sternat hostem callidum,
Carnisq; probra vincat.

VI.

Pulsat potenter tympanum,
Tot ictibus tremendum;
Augétque plagas lividas
Pus ulcerum cruentum:
In se furore bellico
Solanus intumescit;
Ardore semper cælico
Mos pœnitens rigescit.

1.

SOLANUS faßt ein steiffen Schluß/
Der Welt sein Urlaub z'geben;
Ein heiligs Leben ohn verdruß
Mit GOtt streng anzuheben:
Greifft sich an hart der Jüngling zart
In eim sehr strengen Orden/
Wo er der Gmein zum Tugendschein
Und zum Bueßspiegel worden.

2.

Sein ersts er hat Novitiat
Mit Eyfer streng angriffen;
Da er all Nacht hat zugebracht
Und Wunder-Buß-Lied pfiffen.
Mit ringem G'wicht/ wie sich auffricht
Ebhew umbfangt die Stangen:
Also bleibt väst Solan der best
An Christi Nachfolg b'hangen.

3.

Die Lieb ist wie am Hof ein Mann/
Kehrt sich nach allen Winden:
Sie richtet sich nach jederman/
Laßt allzeit g'schwind sich finden.
Solano wars der schönste Lust
Den Krancken alls zuwerden;
Der sie zu heilen wol gewust/
In Trangsahl der Geberden.

4.

Die Lieb ist gleich der Sonnen Lauff/
Und laßt sich nit innhalten;
Eilfertig schnell fahrts ab und auff;
Sonst wurd die Welt erkalten.
Gleich wie der Wind/ Solan geschwind
Den Krancken Trost thut geben:
Ohn Rast und Ruhe/ gleich spat als fruhe/
Erfrischt/ macht g'sund/ bringt Leben.

5.

Hinweg mit Küß und Polster lind/
Mit waich und zarten Pflaumen!
Darauff kein Ruhr die Tugent find/
Nichts lieblichs ihr laßt traumen!
In Dörneren scharpff schlagt jetzt die Harpff/
Solan die Sayten spannet:
Die Ligerstatt jhm also hat
Sein Ordens Stiffter pannet.

6.

d'Hörbauggen rierht er treflich wol/
Schlagt drein nach all Vermögen;
Daß er offt Blut und Streimen voll/
Im Streitt schier gantz erlegen.
Solan ist jhm selbst Spinnen-feind/
Schlagt sich mit Strick und Eisen;
Streng gegen sich/ sein liebster Freund
Laßt sich nit besser weisen.

VII.

VII.

Angusta conscsentia
Cantare vult recessum;
Es clamat, ô dementia!
Quid protrahis regressum?
Tanto quid urges impetu,
Solane, sanctitatem?
Tam improbo cur destruis
Rigore sanitatem?

VIII.

His interim dum fluctibus
Mens pellitur potenter,
Celsis adest de Sedibus
Par inclytum decenter:
O sancta Pœnitentia!
Dicunt lepôre gravi,
Quæ tanta confers gaudia,
Dono beásque suavi!

IX.

Disrupta prora fluctuat
In turbidis procellis,
Cum morte vita luctuat;
Ruptis ubique velis.
Signum Solanus elevat
Ac tesseram salutis,
Qua naufragis spem conferat
Feliciter reductis.

X.

Duobus, ecce! mensibus
Annona non habetur:
Locis nec in ripensibus
Fami siti cavetur.
Mensam parat frugaliter
In Alpibus Solanus:
Ægros cibandi taliter
Haud usus est profanus.

XI.

Novatur, en miraculum!
Ars multiplex loquendi:
Quâ fertur Evangelium,
Ceu luminare, mundo.
Gentilibus cùm prædicat
Solanus Indianis,
Quivis loquentem percipit;
Vox præstat non inanis!

XII.

Tunc ora Tucumanica,
Et Paraquai stupebant,
Sibi salutis Lumina
Fulsisse dum videbant.
Sacro lavacro tinxerat
Tantam semel cohortem;
Quantam nec orco diluit
Apóstolus per orbem.

7.

Ey / wie soll dann so übel dran
Bey sich Solan seyn g'standen /
Daß er so hart sein Lebens-Art
Hat angestrengt mit Banden?
Das G'wissen sagt / Ach / wie geplagt
Im Leib die Nerven quallen!
Und solte noch so hartes Joch
Dem lieben GOtt gefallen?

8.

Gleich wie jhm vil zwey Himmels-G'spil
Der Aengstigkeit entnommen:
Die zu jhm seynd / wie beste Freund /
Im Glory-Schein schnell kommen.
Von disem Paar versichert war
Solan der Himmels-Freuden;
Durch strenge Buß wohin zu Fuß
Jetzt bald er solte scheiden.

9.

In Lebens-G'fahr geschwancket war /
Das Schiff schon halb abbrochen:
Der blaiche Todt / die wüethent Noth /
Sich schon an vil gerochen.
Solan steiff halt sein Creutz / mit G'walt
Thut der Fortun gebiethen.
Den Uberrest erhaltet vöst
Von Todts-G'fahr vnd Meerwiethen.

10.

Gantz sechtzig Tag hat gwehrt die Plag /
Am Ufer sich zu rethen:
Der Hungers-Zwang auff alle trang /
Kein Speiß sich ließ ernöthen.
Bringt auff die Bahn täglich Solan,
Was gnug all zuerquicken.
Mit Kraut / G'wirtz / Fisch / richt er den Tisch;
Wie jhms GOtt zu thet schicken.

11.

Ein neue Sprach sein Mund außbrach
Vilmahl an wilden Orthen:
Die Jhn gehört / sich bald bekehrt
Ab sein Krafftreichen Worthen.
Vil tausent Zahl / sein Predig schal
Hörten der schwartzen Heyden:
Die doch all neth / was Solan gredt /
In muttersprach entscheiden.

12.

Zu Paraquai vnd Tucuman
War Wunder zuvernemen /
Wie Apostolisch da Solan
Zum Dienst sich thet bequemen:
Indianer neun tausent er
Auff einen Tag getauffet:
So grossen Schnit er Christo mit
Mühe auff einmal erkauffet.

XIII.

Cunctis amatur seculis
Candore mens notata,
Et quosque motus turbinis
Declinat expiata.
Dum Taurus actus impetit
Ferociâ Solanum;
Mitescit, & stat, contremit,
Flectens colit Beatum.

XIV.

Latatur Innocentia,
Nec frangitur sinistris:
Ludit, triumphat, exilit,
Periculis sub ipsis.
Dignoscit hanc vel maximè
Grex Alitum canorus;
Dum convolat quàm proximè,
Et accinit sonorus.

XV.

Mundo, Deóque complacet
Praclara mors Proborum,
Quos nullus angor concutit,
Nec actio Reorum:
Latantur unà Cælites,
& Alites Phonasci,
Dum morte Sanctus incipit
Astris, Deoq́; nasci.

XVI.

Magnis ubique sanctitas
Miraculis coruscat.
Splendet per orbis cardines,
Et luce cuncta lustrat:
Quin ipsa lucis claritas
Sit umbra Sanctitatis:
Plaudit Solano Veritas,
Dum jungitur Beatis.

XVII.

Mortis solutis vinculis
Dum clauditur momentum;
Cunctis videtur Incolis
Virtutis argumentum.
Funus Solani sufferunt
Ovantis Optimates,
Terraque corpus ingerunt
Grandes viri Limates.

XVIII.

Urbs Lima, prima, maxima,
Regni Peru vocata,
Vultum Paterni Nominis
Depingat ut Beata;
Funus revisit inclytum,
Et integrum stupescit,
Odore fragrans cælico:
Quo Sancti fama crescit.

13.

Bey allen Huld find die Unschuld /
Zollfrey laßt mans passieren.
Ihr weichet auß der Wetters-Prauß;
Dann diß will sie gebühren.
Hoch in Obacht sie hat gebracht
Ein wilder Stier vor allen;
Solani Hand er hat erkant /
Vor jhm zu Fuessen g'fallen.

14.

Die Unschuld spilt mit Freud erfüllt /
Und laßt sich nichts betrieben;
All Kummernus / Beschwer / Verdruß
Von sich weit hin thut schieben:
Sie wird erkennt / lieblich benent
Vons Himmels Musicanten:
Die Vöglein frey / Solano treu /
Zufliegen dem Bekandten.

15.

Vor Mensch vnd GOtt köstlich der Todt
Scheint/klingt/vnd glantzt der Grechten;
Angstschweiß weicht weit. kein Hertzenleid
Sie sterbent thut anfechten.
Wie Englisch/frey die Melodey
Der Vöglein thut erschallen;
Da jetzt fangt an tröstlich Solan
Gott in sein Hand zufallen.

16.

Die Heiligkeit sein Strahlen weit
Thut aller Orth außschiessen:
Sie macht sich g'mein / sie laßt sich rein /
Wie s'Liecht / von allen g'niessen.
Sie selbst ja wird vom Liecht geziert /
Von Strahlen gantz vmbgeben:
Der Himmelsschein spihlt Wunder ein /
Da Solan stirbt zum Leben.

17.

Im Todt erscheint / wie mans gemeint /
Wie d'Sach vorher gestanden:
Mit allem Fleiß der Tugend Preiß
Da wird erlöst von Banden.
Solani Leich mit Achßlen gleich
Auff sich haben genommen;
Die von Person nechst an der Cron /
Das Prae haben bekommen.

18.

Lima die Statt verlanget hat /
Ein Contrafeh zuhaben:
Daher Solan, der heilig Mann /
Ward von der Erd außgraben.
O Himmels-Gruch! O Ambren-bruch!
Was Blum-G'schmack laßt sich mercken
Der biß auffs March von Solans Sarch /
Thut Seel vnd Leib verstärcken:

XIX.

XIX.

Ægri venite singuli,
Adeste decumbantes;
Parete, tandem quolibet
Morbo periclitantes:
Errore cæci punico,
Et sensibus ligati;
Qui crure status unico,
Aut prorsus ulcerati.

19.

Was lahm vnd krum / was thor vnd stum /
Was brochen vnd erlegen /
Was sich von Glidersucht / mehr nit
Von Fußweh kan bewegen:
Mit G'schwer vnd Brand was ist verpant /
Von G'schwulst schmertzhafft außgloffen:
Was jmmer hat d'Natur verspat /
Der Fehler vbel troffen.

XX.

Solanus in compendio
Fert optimam medelam;
Salutis utens pharmaco
Restaurat arte telam:
Infirmitates pessimas,
Crises, lues, & ictus;
Solvit, tuetur, excutit,
Cunctis MEDELA dictus.

20.

Solan ist hie mit ringer Mühe
Von Hilff-Artzney bewehret:
Liebreich sein Hand löst auff die Band
Dem / ders verpflicht begehret:
Was von Trangsahl vnd Unglücksfahl
Ist schmertzlich zuertragen;
Solan hebt auff / wirfft übern Hauff
All Siechtag / Prest / vnd Plagen.

XXI.

Vibrante sævit acriter
Vis flaminis furore;
Prosternit ædes fortiter,
Frangitque cum fragore:
Fumi levantur impetus
Ad astra dum volantes,
Solanus ignes cælitus
Suffocat avorantes.

21.

Die Feursflamm / so wirfft zusamm
Pallast / Gebäu vnd Zimmer /
So frozet auff im schnellen Lauff /
Was nur ergreiffet jmmer:
Wans gantz erwildt / wird schnell gestillt /
Im Augenblick vertriben:
Solani Kleid macht jhm den B'scheid /
Der Paß wird jhm verriben.

XXII.

Quantùm marinis fluctibus
Fortuna sæva frendet;
Tantùm redundat luctibus,
Et Prora pulsa pendet:
Ventis Solanus imperat,
Et turbidis procellis,
Portúmque fractis impetrat
Et naufragis phaselis.

22.

Wer ist / dem Wind vnd Meer geschwind
Gehorsam sich erzeigen?
Zu dessen Ehr die Wetter schwer
Nach G'fallen still thun schweigen?
In höchster Noth offt die Schiffloth
Solani Hilff erfahren;
Durch sein Beystand gelangt zu Land /
Und g'wichen auß den G'fahren.

XXIII.

Horrenda mors, tremenda sors,
Mortalibus minantur;
Pallor tabésque vultus
Dum mortuo parantur.
O triste quàm spectaculum!
Exangue dum cadaver
Scatet catervis vermium,
Ceu turgidum papaver!

23.

Entsetzlich ist die Lebens Frist /
Der Mentschlich Lauff geendet;
Begnadt die Welt / das G'sicht verstellt /
Die Reiß-Uhr vmbgewendet:
Der tödtlich Schweiß macht angst vnd heiß /
Wann d'Augen zusam brechen;
O Hertzens-Grauß: wann wachsen auß /
Und d'Würmlein hervor stechen!

XXIV.

Nil tela mortis fulminant,
Nec vel nocent agones!
Confixa pendet spiculis
Mors ipsa, ceu pepones:
Acta Solano competunt
Vitæ necisque jura;
Queis pulsus extra spiritus
Petit priora rura.

24.

Ein edler Safft / Solani Krafft
Dem Todt entzieht sein Kräfften;
Vertreibt die Sorg / vnd macht sich porg
Für den / so hangt am Stefften.
Von Hof vnd Hauß wann g'fahren auß
Die Seel auffs Carons Zillen /
Kan sie Solan starck schreyen an /
Wider nach Hauß heim trillen.

XXV.

Cur Spiritus Paraclitus
Binas legit figuras?
Scrutator est qui pectorum,
Scit cordiumq; curas.
Instar calescit flaminis,
Scintillat & sub igne;
Et sub Columbâ Numinis
Momenta dat benignè.

25.

Was ist/ daß sich der heilig Geist
Gebraucht zwey schöner gestalten?
Der als ein Meister gar wol weist/
Sich Hertzen-gmeß zuhalten.
Bald laßt er sich gantz hitziglich
Sehen in Fewers-Funcken;
Bald zart vnd rein/schneeweiß vnd fein/
In Taubens gstalt gedunckẽ.

XXVI.

Scintillat, ardet, fulgurat,
Et tangit admonendo
SOLANUS; urget, increpat,
Accendit & docendo:
Sed & Columba leniter
Dum assidet loquenti,
Instillat ut ros jugiter
Divina vox potenti.

26.

Sich fewrig gantz erzeigt Solan/
Wann er zum Volck thut sprechen:
Zum Mund jhm offt die Göttlich Flammi
Vor Inbrunst thut außbrechen.
Wol auch die Taub bey seiner Haub
Jhm auff die Achsel gsessen;
Wann er Gotts Wort von offnem Orth
Mit Seelen frucht außgmessen.

XXVII.

Amor quietis insolens,
Et otij perosus,
Sanctè sibi fit impotens,
Ægris piè dolosus:
Tantoq; crescit ampliùs,
Nec deficit juvandis,
Quò dona liberaliùs
Dispensat excitandis.

27.

Auch nach dem Todt kein Ruhe jhm will
Solanus selbst zulassen;
Die Liebes Macht vom Himmel tracht/
Den Krancken auffzupassen.
Sein Lieb ist groß/vnd niemal bloß/
Steckt voll der reichen Gaaben:
Sie theilt sich mit/ durch reiffe bitt
Der sie verlangt zuhaben.



IN

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ POENITRICIS.

SPECTABILIS PAVO.

Der ansehentliche Spiegel-Pfaw.

LEMMA.

Mutátque trahítque vicissim.

THEMA.

Ecce mulier, quæ erat in civitate Peccatrix. Luc. 7. v. 37.

SYNOPSIS CONCIONIS LXXXV.

S. MARIA MAGDALENA à duplice Amore, carnali scilicet & Divino, in scænam producitur; ubi ex magnâ *Peccatrice* subitò immutatur in *Pœnitricem*; & Filijs Adam spectatoribus exhibetur, quanta sit inter *miseriam* & *misericordiam* concurrentia.

248. Pavonis triplex proprietas B. Magdalenæ applicata.



Votquot adestis raræ pulchritudinis Spectatores, attollite oculos, acuite aures, silentium parate, aperite fenestras, properate ad spectaculum, intendite digitos, plaudite manibus, videte admirabundi, tripudiate præ exultatione: prædicate, & collaudate admirandam Dei misericordiam; quia *ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix*! Ecquæ mulier ista? unde oriunda? de qua nobilitate, ac prosapiâ? cujus conditionis, ac negotij? quo apparatu spectabilis? quibus ingreditur cothurnis? quâ voce se insinuat? quid occulto mollitur pectore? Tot inter suspensa interrogatoria intervenit symbolicus Vates, & ait, quòd sit *Angelus in pennâ, pede latro, voce gehenna.* Hæc tria quàm bellè conveniunt? Ein Englischer hang/ ein Diebischer gang/ vnd höllischer Klang. Si mulier ista tam laboriosè demonstrata, *Ecce mulier*, sit Angelus in pennâ, venustate larvata, decore spectabilis, & corporis elegantiâ amabilis; quis non tenero erga illam afficiatur affectu, feratur obsequio? Et si furtivo ingreditur pede, ceu prædo & latro; quis non aversetur animo, declinet aufugio? Et si raucâ, absonâ, horrendâ voce imitetur infernum; quis non obturet aures à voce blandientis? O vos omnes, quorum sensus & cogitatio à teneris unguiculis ad malum lubrico & prono gradu inclinata est, animos oculósque vestros ad illud convertite theatrum, in quod MARIA MAGDALENA, solatium & speculum omnium pœnitentium peccatorum, haud obscuriori progreditur apparatu, quàm gemmatus & stellatus Pavo, caudâ gemmarum oculos & colores gemmantes extendens tanto splendore & præstantiâ, ut olim

Cardanus in Pavone.

Cardanus solertissimus rerum naturalium contemplator asserere non dubitârit: *Nullam avem pulchriorem pavone nostro fingere naturam posse credam, nisi cùm præditâ videro, tot oculis in caudâ, tam longâ atq; densâ plumis, tantâ colorum varietate, tanto nitore, tam selectis etiam colorum generibus, ut album ac nigrum, quorum unus per se tristis est, alter reliquos alios obscurat colores, devitentur.* Habet hoc Pavo, ut ad Solis illucentis oppositionem, omni quasi momento suas speciosissimas plumas *MUTET QUE TRAHAT QUE VICISSIM.* Habet hoc peccator, ut ad divinæ gratiæ illapsum efficacem omni momento sese ad Deum convertat, & miras exponat pœnitentiæ reflexiones. Intrat hodie B. Maria Magdalena theatrum Ecclesiæ, & suâ tam insperatâ velocitate, tam veloci mutatione scænam cum personâ transponit; quando impuro suo amore carnali, converso in purissimum amorem Divinum, personatâ quâdam exhibitione demonstrat, sibi in utroque actu amoris, carnalis & Divini, rectissimè appropriari, quod à Poëtis de caudato Pavone canitur; quòd sit *Angelus in pennis, pede latro, voce gehenna.* Hæc est illa admirabilis comœdia, quam repræsentat *Maria Magdalena*; priùs nobilissima Palæstinæ domicella, filia dissoluta, fœmina deliciosa, scandalosa mulier, Asmodæi hostia, sagena corrivalium, Juventutis scandalum, risus inferni; verbo, *in civitate peccatrix.* Sed verò quàm subitò mutata, &, velut Junonia Avis sordidos ac *deformes oblita pedes*, conversa ad amaræ pœnitentiæ lachrymas, ad generosum vanitatis contemptum, ad verecundum deliciarum despectum, ad cœlestis amoris negotium, ad Apostolicam Christi imitationem, ad jucundam Angelorũ conversationem, ad magnorum peccatorum præludium & consolationem! Observate, A.A. totius scænæ ponderosam varietatem, periodos colloquentium, apparatus personarum, affectuum metaphoras, & propositionum accentus: & dum totius metamorphoseos summam apprehenditis, exultate cum gemitu, ingemiscite cum exultatione in nomine JESU; qui ex misericordiæ suæ infinitæ abundantiâ peccatores suscipit ad gratiam per pœnitentiam, & ex durissimis lapidibus efficit vasa gratiæ in electione Sanctorum, & ex offensissimis inimicis fidelissimos amicos sibi conciliat.

Ecce mulier! summè attendens venustati corporis, concinnulis capillis, gemmarum splendori, vestimentorum nitori, tanquam *Angelus in pennis*, tanquam Pavo admodùm oculatus; cui Plinius abblanditur, dicens: *inter alites pavonum genus reliquas præcedit cũ formâ, tum intellectu eius & gloriâ.* Hic Pavo avis est pulcherrima (juxta Authorem de naturâ rerum) & pulchritudinis studiosa: cujus parvum, & velut serpentinum apicem, quasi crinitæ arbusculæ constituunt; collum longum sapphiri colore, pectus lucidum, alæ rufæ, dorsum cinereum, ad ruborem declinans; Cauda autem talis, quæ juxta Ciceronem pavoni ad ornatum data, pennis plumosis constat, & in fine pennarum orbes ex viridi quasi chrysolithi splendore, & auri ac sapphiri coloribus oculatos explicat. Non posset Angelus aliger pulchriores assumere pennas, quàm Pavo gerit in caudâ & capite. Nec ignorat Pavo ex avibus se esse formosissimum, verùm etiam ubi formæ sita sit pulchritudo, præclarè tenet, atque eâ alatus & cerviculam jactat, & ex pennis, quæ ei non mediocre ornamentum afferunt, maximos spiritus sumit: his enim spectatoribus metum injicit, ac æstivo tempore nativum & non accersitum habet tegumentum. Quòd si quem velit exterrere, pennas primùm explicat; deinde ad injiciendum terrorem his concrepat, capitisque elatione ac superbo supercilio velut triplicem cristam jactat. Quòd si laudatur, tanquam formosus puer, aut mulier pulchra corporis præstantiam bellè ostentat; sic is ipse pennas ornatè erigit & ordinat, ut vel florido prato, vel variæ picturæ similis esse videatur. Ac verò ante pictorum oculos ad imitandũ se exponens, abundè sui pingendi potestatem facit, & spe-

249. Pavonis & amoris carnalis venustas comparata.

Plin. l. 10. c. 20.

Cicero, 3. de finib.

Ctato-

Ælianus, Gesnerus, Aristoteles, Aldrovandus, Gelinus. ctatorem conspectu suo expleri facilè patitur; & quaquaversum conchatam caudam intorquens, & gemmatiorem ac variam magis, quàm sint Medorum Persarúmve vestes, suam stolam ambitiosè admodùm & elatè ostentat. Sed & Plutarchus refert, Pavonem ita teneram quandam puellam ob eximiam corporis speciem adamâsse, ut eâ è vivis sublatâ præ mœrore expirârit, & adagium reliquerit, quòd *Pavo non potest sui similem aut rivalem ferre*. Quin imò etiam in aquâ vel speculo suam formosam imaginē considerans, ex propriâ sui ipsius æmulatione non rarò mergitur aut mœrore extinguitur. Ita certè ad ostentandam formæ venustatem, juxta Ovidium.

Ovid. de medic. faciei.

Laudatas homini volucris Iunonia pennas

Explicat & formâ *muta* superbit avis.

Sed & illud quotidianâ experientiâ constat, quòd quantò major est pulchritudo in fœmina, tantò fastuosior fit ejus conversatio, juxta eundē Poëtā.

Ovid. 1. Fastorum.

Fastus inest pulchris, sequiturq; superbia formam.

O! quàm comptè, tenerè, delicatè & ingeniosè prodit Amor carnalis! ô quam fallax & vana est pulchritudo corporis, faciei venustas! quæ in aurorâ ridentis juventæ *quasi flos egreditur* pulcherrimus, & circa meridiem virilis ætatis incipit pallescere, ad occasum denique decrepitæ ætatis omnino marcescere. Ego si cum S. Francisco Borgia te vellem considerare, potiùs ad Isabellæ Hispaniarum Reginæ, jam nunc inter mortuos reputatæ, & inter cadavera putrescentis, deformis & vermescentis, olim verò stupendi pulchritudinis miraculi larvam me convert erem; & exclamarem cum S.

Isa. 40. v. 7. & Propheta: *Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos, & de cor vultus eius deperijt!* O perniciosa & scandalosa carnalis Amoris pulchritudo, quæ caput tuum erigis velut sexaginta gemmarum congeriē, & velut Iris in circuitu gloriæ tuæ prodis, *mille trahens varios adverso sole colores*. O inimica Saluti venustas! quæ cum reprobis Angelis super altitudinem nubium exaltas folium gloriæ tuæ; quantas malorum myriades intulisti mortalium oculis, quando *videntes filij Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus*, & perniciosissimo amore usq; ad iram Dei, fractis cæli cataractis depluentem, sibi copulârunt. Amor certè, qui (ut Plato loquebatur) Musicam docet, id est, interprete Plutarcho, omnium affectuum auriga est, omnéque commover, pulchritudinis oculis haustæ partus est: unde illud Ascræi Poëtæ, *stillat ex oculis amor*. Scitè in eam sententiam Petrus Cellensis, scribens ad ignotum de facie hominem, cæteroqui optimum & amore dignum; fatetur, se erga eum ex fideli & certa testium omni exceptione majorum relatione affici; sed cupidiùs faciem visurum [ut cujus amor vivit in animo, ejus præsentia scintillaret in oculo. Applicat enim calorem latentem in remotis, admixtâ faculâ scintillantibus venis. Mutuò namque sese ita fovent, ut uterque ignis alium ad se trahendo confortet & confortetur: quatenus interior eò magis serveat, quò exterior ei appropinquat; & exterior eò clariùs luceat, quò ei interior vehementiùs participat. Hujus exempli similitudine, quem amat absentem, incipit superamare præsentem: *Crescit enim in oculis amor.*] Quod cū de honesto & familiari amore scripserit Cellensis, multò magis in amore carnali, ad omnem venustatis fastum exornato, comprobatur.

Genes. 6. v. 2.

Plutarch. 1. Sympos. q. 5.

Petrus Cellens.

Ecce mulier! Maria Magdalena, quæ erat in civitate peccatrix, & quidam incarnatus *Angelus in venuis* suæ cum naturalis, tum ascititiæ venustatis! Princeps fœmina de Bethania, de castro Magdalon! fascinata sclava impuri amoris! altera Juno, à quatuor gemmatis Pavonibus portata super triumphali curru carnalium desideriorum! Nôstis, quibus Pavonibus hæc *Iunonis æmula mulier* trahatur in triumphali apparatu? *Pulchritudine corporis* primùm, quæ est modici temporis tyrannus; & velut terribilis coma syrma suæ elegantiæ extendit

250. Pulchritudinis exaggerata periculositas in S. M. Magdalena.

prodigioso ad subvertendos gentium animos indicio. *Circulus aureus in naribus suis*, hoc est, porci, *mulier pulchra & fatua*; utpote quæ in limoso voluptatū volutabro perdet splendorem virtutis. Vt meritò S. Cyprianus caveat Clericis à periculoso venustatis aspectu: *Timendo fœminarum blandimenta vincamus: aculeus peccati facta est forma fœminea.* Deinde *effrani Iuventute*, quæ ad omnem insolentiam & licentiam fræna laxat, & prona est ad capessendas scintillas in arundineto discurrentes. *Facilè namq;*, ut D. Chrysostomus celebrans B. Theclam loquitur, *voluptatibus Iuventus incenditur, quippe quæ pinguior olei in morem & aptior sit ad inflammationem, ut ad temperantiæ labores delicatior.* Insuper etiam *Divitiis* trahebatur nostra Magdalidum Iuno, quas à progenitoribus Syro & Eucharia copiosissimâ hæreditate acceperat: & quia divitiæ magnam faciunt authoritatem habenti, quominus delicta carpantur, aut ut scandalosæ conversationis media tollantur; hine ordinariè *Dat veniam corvis, vexat censura columbas.*

Prov. 11. v. 22

S. Cyprian. de singularitate Clericorum.

S. Chrysost. de laudibus S. Theclæ.

Si hæc *peccatrix mulier* de tenui & abjectâ fortunâ fuisset, satis mature utiq; vel ab æqualibus, vel à Magistratibus suæ corruptelæ fuisset commonefacta. Deniq; etiam trahebatur à propria, & omnis disciplinæ impatiente Libertate; quâ tantū præsumebat, ut nec germanus ejus Lazarus, nec soror modestissima Martha, quidquam auderent arguitivè proponere, quo hæc compta, venusta, opulenta, honorata, illustris & deliciosa, à vijs suis pessimis coërceretur. Ab his quatuor Pavonibus, *Pulchritudine* scilicet, *Iuventute, Fortunâ & Libertate*, sublimabatur nostra Peccatrix; & ostentabatur in Solymorum Metropoli omnibus ad miraculū, plurimis ad scandalum, sibimetipsi ad saturitatem. Quibus si accedant irrequietudo in negotio, vagatio in mente, otiositas in operatione, curiositas in aspectu, impudentia in affectu, loquacitas in conversatione, gulositas in convivijs: vah! quantus tam coloratæ & speciosæ Iunonis apparatus! Tiara capitis, quâ Magdalena sese omnibus ad amandam exhibuit, dum velut Pavonium syrma super auricomos capillos effluceret, videbatur esse *sagena diaboli*, quâ caperetur incauta corrivalium temeritas; & in mortuo Pentapolitanorū mari, institore Asmodæo, deprehensa, lamentaretur cum Propheta: *Expandit rete pedibus meis, convertit me retrorsū.* Tanquam Jezabel prostituit corporis venustatem; usurpavit juventutis florē; *depinxit oculos suos stibio, & ornavit caput.* Tanquam una ex filiabus Sion ingressa est sublimi capite, *currens adversus Deum erecto collo, qui se os humiles respicit.* Nec recogitavit Syracidis ad Deum deprecantis commonitionem: *Extollentiā oculorū ne dederis mihi, quia in vanitate sua apprehenditur peccator.* Quippe cùm S. Marco testante septem dæmonijs esset intus agitata, utiq; etiā à spiritu Luciferiano haud fuit immunis, à quo omnis superbia & elatio animi, atq; corporis immunditia noscūtur resultare. Erat ergo MAGDALENA *Angelus in pennis*, malus angelus sub gemmatis plumis occultatus; qui licet exhiberet pectus micans auro sinceri amoris, funes tamen retinebat occultos, velut Dalila, quibus Samsonum libertas & fortitudo vincirentur. *Angelus in pennis* erat *Magdalena*, non utiq; bonus, sed malus sæculi genius, qui tripudiando & lasciviendo in campis Adonidis pascebatur, ad metam posita, in quam cupidinis tela collimarent. Erat hæc prima scæna, quam in publico theatro, *in civitate* lusit *mulier peccatrix.* Sed verò huc adesto, ô malè morata, peius diffamata, pessimè informata *Magdalena*! Audite vos, ô vos omnes Filiæ vanitatis, comptæ ad odium Dei, ornatæ ut similitudo templi ad depravandas animas; quid vobis benignus & misericors Deus per Prophetam comminetur. *Pro eo*, inquit, *quòd elevatæ sunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus suis, & composito gradu incedebant: decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earū nudabit. In die illâ auferet Dominus orna-*

Thren. 1. v. 13.

4. Reg. 9. v. 30.

Iob. 15. v. 26.

Eccli. 23. v. 5.

Isa. 3. v. 16. & seqq.

ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & linteamina, & acus, & specula, & sindones, &c. Et erit pro suavi odore fœtor, & pro crispante crine caluitiū, & pro fascia pectorali cilicium.

251. Carnalis Amoris insidiæ & rapinæ. Sed & *Pede latro* procedit *Magdalena*: nam Pavonis est, insidioso pede ad instar latronis incedere, & taciturno calcaneo incautam prensare Pavam, ovis incubantem, & familiæ propagationi studentem: quod advertens Pava ova sua in absconditis vel altis locis ponit, ne à Pavone insidioso possint inveniri atque confringi: aut certè Pavus hoc furtivo suo ingressu spectantes oculos præoccupat, ut tanto sit apparentior gloria intrantis, quanto est insperatior ingressus præoccupantis. Ecquid non tentat carnalis Amor? Ingreditur furtivè, & insidiosè agit contra incautos, ut illos circumveniat, & pulcherrimū bonæ conscientiæ fœtum abripiat, aut certè ova nitidi candoris depravet. Dicit cum illa lasciviente fœminâ apud Oseam: *Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meā, linum, oleum & potum meū.* Carnalis amor verè furtivo ingreditur pede; nam successivè ut latro abripit bona fortunæ, famæ, & vitæ; & filios prodigos ad tantas redigit ærumnas, ut tandem inter porcos luridis siliquis saturentur. Quid ni carnalis amor sittam perniciosæ versutiæ, ut vel maximè optimo thesauro abripiendo invigilet; & post humiliatum integritatis florem, etiam æternam animæ salutem suffuretur obstupefactæ futili quodam præoccupantis pulchritudinis splendore? Vt possit cum lugente Jeremiâ deplorare miserabilem statum, dicendo: *Oculus meus depradatus est animam meam. Ecce mulier*, formosa, speciosa, venusta Maria Magdalena, *quæ erat in civitate peccatrix*, insidioso *pede* incedens ut *latro*; famosa animarum prædatrix, & speciosa Erebi emissaria: de qua meritò possit in scænam adduci illa

Osea. 2. v. 5.

Thren. 3. v. 51.

Proverbiorum periodus, quam Salomon proprio experimento doctus ad nostram gemmatam Pavam videtur direxisse. *De fenestra*, inquit, *domus mea per cancellos prospexi, & video parvulos; considero vecordem iuvenem, qui transit per plateam iuxta angulum, & prope viam domus illius, graditur in obscuro, advesperascente die, in noctis tenebris & caligine. Et ecce! occurrit illi mulier in habitu meretricio, præparata AD CAPIENDAS ANIMAS, garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos INSIDIANS. Apprehensumq; deosculatur iuvenem, & procaci vultu blanditur dicens: victimas pro salute vovi; hodie reddidi vota mea; idcirco egressa sum in occursum tuum, desiderans te videre, & reperi. Intexui funibus lectulum meum; stravi tapetibus pictis ex Ægypto; asperſi cubile meum myrrhâ, & aloë & cinnamomo: veni, inebriemur uberibus, & fruamur cupitis amplexibus, donec illucescat dies: non est enim vir in domo mea; abijt viâ longissimâ, sacculum pecuniæ secum tulit: in die plenæ lunæ reversurus est in domum suam. Irretivit eum multis sermonibus, & blanditijs labiorum protraxit illum: statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciviens, & ignorans, quod ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta iecur eius: velut si AVIS FESTINAT ad laqueum, & nescit, quod de periculo illius agitur. Nunc ergo, fili mi, audi me, & attende verbis oris mei; nec abstrahatur in vijs illius mens tua, neq; decipiâris semitis illius: multos enim vulneratos deiecit, & fortissimi quiq; interfecti sunt ab ea. Via inferi domus eius; penetrantes in interiora mortis* Quod totum mulier peccatrix vitâ & moribus expressit, & perverso suo gradu in scænam adduxit.

Prov. 7. v. 6.

Voce gehennâ. Sicut in inferno auditur fletus & stridor dentium, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror ex lamentabili harmoniâ de gravi aspi- 252. Mulierū alloquia & cantus incentiuum luxuriæ.

aspiratione conturbat aures: ita Pavonis clamorosus cantus, & absona vox horripillio replet audientes. Nocte experrectus, cùm se in tenebris constitutum intueri non potest, clamans pavidè suam pulchritudinem amisisse se putat. Sed verò Pavones cùm paucitant (hoc est, ultra solitum clamant) pluviam indicant, præsertim noctu; ut Theophrastus observat. Præstat cæteris avibus Pavo pulchritudine, sed voce omnibus deterior absonat. Carnalis Amor quas non emittit voces? quàm absonas? quàm Acheronticas? quàm terribiles & prodigiosas? S. Isidorus & Origenes hunc ita in proscænio exponunt, quòd Amor carnalis sit dæmon fornicationis; *qui ideò alatus pingitur, quia nihil amantibus levius, nihil mutabilius invenitur: puer pingitur, quia stultus & irrationabilis amor: sagittam & facem tenere fingitur; sagittam, quia amor cor vulnerat; facem, quia inflammat.* Progreditur interim Salomon, & in suis Proverbijs producit illam, de qua agitur, mulierem. *Ecce mulier: quæ erat in civitate peccatrix*, Maria Magdalena, *voce gehenna*; aut, ut propiùs tangam, *voce Sirena*, suaviloquio suo penetrantissimo, voce & cantu deliciosissimo ad naufragium castitatis invitans. *Mulier stulta*, inquit Salomon, *& CLAMOSA, plenáque illecebris, & nihil omnino sciens, sedet in foribus domûs suæ super sellam in excelso urbis loco, ut vocaret transeuntes per viam, & pergentes itinere suo: qui est parvulus, declinet ad me. Et vecordi locuta est: aquæ furtivæ dulciores sunt, & panis absconditus suavior. Et ignoravit, quòd ibi sint gigantes, & in profundis convivæ eius.* Gravissimi subintrant Patres, alloquia fæminarum, cantus & voces lenocinantes perstringendo. Certè Author libri de singularitate Clericorum ait, *tolerabilius esse, audire basiliscum sibilantem, quàm mulierem cantantem.* Athenæus quoque de meretricibus musicam edoctis tradit, ut cantu frangerent fortium virorum animos. Nec dubitavit profanus Scriptor asserere, quòd

Author de Nat. rerum.

S. Isidor. l. 8. Orig. c. 11.

Prov. 9. v. 13. & seqq.

Athenæus lib 14.

Pro lana multis vox sua sæpè fuit.
Flaccus item de Lyce scorto agens, his illam armis instruit, cùm ait:

Et cantu tremulo pota cupidinem,
Lentum sollicitas.

Flaccus lib. 4. Ode 13.

In sacris Biblijs non semel mentio canticorum meretriciorum occurrit. Nam præsertim Salomon, ut cautos faciat viros, graviter dehortatur: *Cum saltatrice ne assiduus sis, nec audias illam, ne fortè dispereas in efficacia eius.* Sed & apud Isaiam talis prophetia ponitur: *Post septuaginta annos erit Tyro velut canticum meretricis. Sume citharam, circui civitatem meretrix oblivioni tradita: benè cane, frequenta canticum, ut memoria tui fiat.* Vbi S. Cyrillus docet, effœtas atque victas meretrices, quòd flore ætatis ac speciε corporis ad inescandum careant, citharæ harmoniam & cantûs pellicium ei juvenili philtro solitas subrogare. Quod enim non excitet inguen vox blanda? ut Juvenalis pronuntiavit. Vrere viri pectus fæminei cantûs auditionem, probè perspexit, quæ dixit:

Eccli. 9. v. 4.

Isa. 23. v. 16.

S. Cyrillus sup. hic.

Regulus ut visu, Siren Acheltia cantu,
Et necat afflictu Thessala saga levi:
Sic oculis manibus, sic urit fœmina cantu,
Sic trifidum fulmen Vesuius esse queat.

Bisulcum verò erit telum, si cantui fæmineo profano & meretricio conspectus etiam fæminæ jungatur; ut rectè expendit Gregorius Nyssenus, tractans illud, *feci mihi cantores & cantatrices.* [O improbum, inquit, & importunum artificium, quàm densum acervatim immittit voluptatum fluentum, quod veluti duplicibus quibusdam torrentibus per auditum & visum inundat animas, ut videatur & audiatur malum? Cantus evertit auditum, aspectus superat & prosternit oculum. Hinc muliebris sonus per fractam cantuum harmoniam, secum sumit ad cor & deducit vitium: illinc visus tanquam aliqua machina bellica, in oculos, eo quod in aures cantibus incurrerat, jam fracto, in-

Gregor. Nyss. hom. 4. in Eccles.

cur-

currens, evertit animam.] Et mox. [Improbus sagittarius duplicibus telis „hominem confodit, ad aures & oculos dirigens aculcos. Auditûs quidem telum, est cantus; visûs autem „id, quod cernitur.] Cantus meretricis est cantus Pavonis, fatum aut aliud malum præsagiens. Nam ut Paracelsus observat, quando Pavo foris ultra morem consuetum cantat; mortem sui Patroni præsagire solet. Hinc Henricus Farnesius in symbolum mundani gaudij, quod plerumque in mœstitiam, amaritudinem & mortem solet terminari, ponit Pavonem supra tectum casæ, cum titulo: *EX CANTU MOEROR.* Et fundatur emblema in illo Proverbiorum loco: *Risus dolore miscebitur; & extrema gaudy luctus occupat.* S. Cyprianus scopum tangit, ad quem mea tendit oratio: loquens enim de periculosis meretricis cantibus, *Nunc blanditias*, inquit, *exhibet meretrix, nunc verba mollis. Et quod venenosius est, super cuncta psallere delectatur; cujus cantu tolerabilius est, basiliscum sibilantem audire.* In qua harmonia S. Hieronymus vocat *Vocis dulcedines, per aures animam vulnerantes.* Ita ex *cantu mœror*: & si in exemplo desideratis, *Ecce mulier in civitate peccatrix! voce gehenna, cantu Sirena.*

Paracelsus l. 3 de præsag.

Prov. 14. v. 13.

S. Cyprianus de singul. Cler.

S. Hieron. Ep. ad Gaudentium.

253. Amoris cælestis operationes in S. Maria Magdalena.

Hæc quidem triplex erat scæna *impuri Amoris* Magdalenam in peccatricem in theatrum adducentis. Sed verò totidem scænas aperit *cælestis Amor*, qui admirabilem præsentat metamorphosin; & Pavonis spectaculum, mutato rerum ordine, repentè transportat, ut longè alio sensu & affectu fit *Angelus in pennâ, pede latro, voce gehenna.* Nam etiam Luciano teste; *Corporis nitor & venustas non sufficit, nisi veris & venustis ornamentis decorata & exculta sit. Non autem dico, ut vestimentis purpureis, & aureis aut gemmeis monilibus exornata sit, sed morum elegantiâ, temperantiâ, æquitate, humanitate, & alijs.* Erat Magdalena adhuc gravi impuræ & carnalis vitæ sopore gravata, & jacebat inter corporis delicias sopita; Tum ecce! subitò circumfulsit eam lux de cælo, & *cælestis Amor* nec quidem de divinis rebus cogitantem repentè sic alloquitur. Aperi mihi, selectissima Sponsa, O *Magdalena*, magna & famosa *in civitate peccatrix!* Ecce tui desiderio de cælis præstò sum, ut te ad pœnitentiam revocarem, & ab æterno interitu eriperem! Ut quid neglecto & contempto optimo Deo, cum tuo tanto dispendio sectaris vespas & crabrones? O infelix mulier, cur non tui ipsius tangeris commiseratione, præcipiti pede corruens ad infernum? Siccine pro tam lubrica & momentanea voluptate infernales ignes, & pro paululo mellis mercatis tormentorum sulphureorum abyssum? O misera peccatrix, nosce teipsam, & intellige periculum, cui mancipain; fuge mortem, tibi æternaliter insidiantem! Num fortè tacitâ diffidentiâ in me cælestem Amorem afficeris, ô deploranda Sunamitis? revertere amantissima, quia Rex concupiscit speciem tuam. Aut certè gravitas peccatorum ad animi squallorem & dejectionem te adducit? *nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat.* Extimescis fortè iratam & aversam faciem meam? sed verò convertar ad te, si & tu toto corde fueris à futilibus & corruptibilib⁹ creaturis ad me conversa. Filia mea, Te tanquam avem laqueo captam, ac telo meæ visitationis transfixam *attraxi*, *miserans tui.* MAGDALENA plena stimulis Dei, & adhuc mundo semisopita, videbatur secum ingeminare id, quod postea S. Bernardus valido exprimebat affectu; *Cor meum*, inquit, *cor pravum, vanum & vagum, omni volubilitate volubilius, de uno in aliud vago incessu transit, quærens requiem ubi non est. In omnibus enim, quæ videntur, requiem quæsivi, & veram requiem in eis invenire non potui.* Igitur dum de ornatu suo interno circumspicit, profundâ suorum peccatorum nocte tanquam pallio Ægypti sepultam se esse advertit: tanquam Pavo de somno experrecta, infernali edito clamore, pancitat ut *voce gehenna*: quo enim alio clamore infremisceret, quàm *voce gehenna*, quæ suis iniquitatibus inferna-

Lucianus dial. imagines.

S. Bernardus de interna domo. c. 54.

lem pœnam pro mercede iniquitatis requirebat? Et quia hisce in tenebris nullam planè animadverterat suæ animæ pulchritudinem; hinc trepidante timore *exPAVEscens*, de salute & animæ suæ elegantiâ consultabat. Exinde ad præsagientem *Pavonis* vocem pluvia est subsecuta: dixit enim mulier peccatrix cum Jeremia in corde suo. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte* Nunquid enim non lachrymarum imbribus irrigabo dolores meos, quæ Divinæ Gratiæ fluenta ab animâ meâ derivando, *ad nihilum redacta sum*, & nescivi? O stellæ gemmantes, illas vestris splendoribus exornantes noctes, quas ego meorum facinorum turpitudine obscuravi! O cæli & terra, ut quid in misericordijs vestris continetis justitias Dei, quas malefaciendo irritavi! O elementa, puritatis symbola, ut quid toleratis me vestro consortio spirantem, quæ carnalis impuritatis facta sum administratrix! Et quis in hisce Ægyptiacis tenebris ad eam me deducet lucem, ut *DEFORMES OBLITA PEDES* agnoscam proprias miserias, & deperditæ integritatis venustatem recuperem? Repentè *surgam, & circuibo plateas civitatis, quæram, quem diligit anima mea*: quæram tanquam prodiga filia clementissimum Parentem, deploranda fæmina Adjutorem, publica peccatrix Salvatorem; & tanquam carnalis concupiscentiæ *scortum*, cælestis gratiæ revertar ad *Ortum*.

Jerem. 9. v. 1.

254. *Ecce mulier*, Magdalena! Quantus hîc *in Pavone pavor*? Editis lamentationis voce, fletûs & doloris gemitibus, quasi esset *pede latro*, ita occultè ingreditur subitò conversa ad Pœnitentiam Peccatrix. Domum Simonis Pharisæi intrat, quia ibi recubuit CHRISTUS JESUS ad mensam invitatus, ut gratiæ suæ radios in omnes dispergeret, quotquot orientem novi Testamenti adorabant Solem. Sequitur *Magdalena* lucem, ut umbra opacum corpus: & quantò propinquiùs accedebat, tantò clariùs suas cognoscebat miserias; tantòque ampliùs se coram oculis Redemptoris sui humiliabat: & sicut superbus Pavo vernantes contrahit pennas, quando *sordes in pedibus* ac innatas deformitates aspicit; ita mulier conversa humiliabat se in conspectu Domini ex propriorum erubescentiâ peccatorum. Quia *Plena verecundi culpa timoris erat.* Hic cælestis Amor suas partes viriliter agere, pœnitentem alloqui, ad osculum pacis suavissimè hortari attonitam & confusam. [Osculare, osculare, ô beata Peccatrix, pedes dulcissimos, speciosissimos, suavissimos, quibus caput serpenti conteritur; ante quos antiquus hostis egreditur; quib⁹ calcantur vitia; quibus omnis mundi sternitur gloria; quibus superborũ & sublimium colla, mirâ virtute premuntur. Osculare, inquam, & felicibus allambe labijs vestigia, quæ nullus peccator post te exhorreat, nullus quantumvis criminosus refugiat, nullus expavescat indignus. Osculare, complectere, stringe & angelis & hominibus adoranda vestigia; Pœnitentiæ & Confessionis unguento perfunde, ut tota domus impleatur odore unguenti.] Hac adhortatione animata Peccatrix, *Turrita* nomine & fidei ardore, dum velut Pavo speciosus *VANUM POSTHABET ORBEM*, suas partes in eo convivio desiderari non est passa; sed intravit impavida, ad pedes Jesu sese prostravit, oculis rigavit pedes Jesu, & capillis capitis sui cæterisque muliebribus ornamentis tersit. O felix de Evangelio Peccatrix, quæ subito hoc pietatis remedio ita repente curata est, ut ubi superabundârat delictum, superabundaret & gratia, fierétque peccatrix *Apostolorum Apostola*; ut apud Petrum Damiani loquitur Homo Gallus, suspiciens, tam promptam tantæ peccatricis resipiscentiam ijs micantem virtutibus, quas sanctus Paulinus insigniter extollit ac celebrat, quod idem facit Author quidam apud Cyprianum, inducens S. Petrum ad prostrati coram se Domini tantam abjectionem stupore defixum, & sic inter alia ipsum affantem, ut à vili ministerio & lavandis pedibus revocaret. [Hoc in mu-

S. Magdalenæ subita conversio inducitur.

Petrus Dam. serm. de S. Mart.

S. Paulinus Ep. 4 Sev.

S. Cyprianus hom. de ablutione pedum.

muliere peccatrice aliquando passus es, nec dedignatᵘ in mẽsa solemni multis convescentibus infamis personæ suscipere famulatũ: cujus devotio usa est ibi capillis pro linteo, oculis pro B ptisMo; tetigit, lavit, & unxit unguento. Mactata intrinsecus anima, proprium in Sancta sanguinem intulit: singula suum præbuêre ministerium, cor contritum erupit in lachrymas, fides lavit, charitas unxit. Hæc multa in conspectu tuo congerens holocausta, de fonte cordis fletus hausit, quos protulit; de pœnitentiæ pixide, unguenta, quæ obtulit: capũque pro suppedaneo stravit; crinibus circumfusis pedes sacros involvit, & tersit. Nihil sibi de se retinens, totam se tibi devovit; & tu affectum potiùs, quàm factum attendens, ungebas ungentem, abluebas lavantem, tergebas intrinsecus pœnitentem.] Sic de perfectâ, æquè ac celerrimâ *Magdalenæ* conversione, Auctor prædictus.

255. Lachryma rum pœnitentiæ efficacia. S. Basilius hom. de lib. arbit. & S. Macarius hom. 25. sub finem. O pretiosas lachrymas! progrediendo exclamant duo sancti Patres, Basilius Magnus & Macarius, promptam ac subitam hujus sanctæ Peccatricis conversionem, & ex lachrymis ablutionem suspicientes [O pretiosas lachrymas, instar margaritarum è beatis illis oculis profluentes! O divinas illas, & morigeras aures! ô fortem ac sapientem animum! ô acrem & spiritualem amorem, cruenter ad immaculatum Sponsum anhelantem! ô stimulum desiderij animæ, Verbi Dei cupidæ! ô studiosum, & irremissum Sponsæ & ponsi consortium! Imitare Mariam hanc, ô fili; imitare, ad nihil aliud respiciens, quàm ad eum, qui dixit: *Ignem veni mittere in terram. Et quid volui, nisi ut jam esset accensus?* Est enim inflammatio spiritus, corda excitans & calefaciens, propterea quòd spiritalis ac divinus ignis animas quidem illuminat & probat internè, sicut aurum sincerum in camino probatur; malitiam verò consumit, sicut stipulam ac spinas.] Itaque quo impetu ignis validus materiam aptam corripiens sibi assimilat, & in ignem commutat; eodem Spiritus Dei flammeus Magdalenæ animum ignivit. Erat spiritus Magdalenæ ardens amore, velut calx, quæ aquis immissa *sopitos suscitat ignes*, & sufflammantibus *ARDET IN UNDIS*. Sunt enim & lachrymæ fomentum amoris, nec solent extinguere cordis flammam, sed nutrire & conservare. Pulcherrimè Ludovicus Novarinus id versibus exprimit. *Novarinus in aqua nuptial. n. 514.*

Ne lachrymis spera flammam restinguere amoris;
Flamma ea pauxillæ cedere nescit aquæ.
Auro semper amor medicante vigebit; at idem
Nec medio nascens obrutus est pelago.

Est cor pœnitentis ceu petra calcis, quæ ubi perfunditur aquis, *humore dissolvitur*. Perpendit id S. Gregorius, & ubi videt Magdalenam ad pedes Domini procumbentem ardere dolore, ac inter lachrymarum undas accendi, dum videbatur extingui, exclamando obstupescit. *Cujus enim*, inquit, *vel saxeum pectus illæ hujus peccatricis lachrymæ ad exemplum pœnitendi non emolliant?* Adhuc toti spectaculo tam repentino ad horam, tam opportuno ad mensam, tam luctuoso ad conscientiam, & tam gratioso ad effectum, interest Pharisæus; turgens fastu, sententiâ contumax, affectu alienus, religione advena: nec emollitur cor ejus saxeum ad pœnitentiam, nec animus ad bonam reducitur frugem; quin potiùs inter cælestis amoris ardores frigescat, inter lachrymarum cordialium liquores obdurescat, inter sinceræ pietatis officia insolescat. *S. Gregorius hom. 13. in Evang.* Non patitur Aëlredus hanc Pharisæi obdurationem, sed piâ gratitudine ejus perstringit contumaciam. *Gratia tibi*, inquit, *ô Beatissima Peccatrix, ostendenti mundo tutum peccatoribus suis locum, pedes scilicet IESU; qui neminem spernunt, neminem projiciunt, neminem repellunt, suscipiunt omnes, omnes admittunt. Vbi certè vel Æthiopissa mutat pellem suam, ubi p. rdus mutat varietatem suam; ubi solus Pharisæus non expurgat superbiam suam.* Et *Aelredus serm. de Magd.*

Et-

256. *Ecce mulier!* quæ paulò antè *erat in civitate peccatrix*; nunc per mutationem dexteræ Excelsi, fit subitò speculum pœnitentiæ, in quo omnes peccatores recognoscant turpitudinem peccati, & venustatem gratiæ. *Ecce mulier!* quæ vitiorum & pravarum consuetudinum frigore in nivem congelata est, nunc Divini Amoris *ARDORE* dissoluta *LIQUESCIT*. *Ecce mulier!* quæ erra*vit sicut ovis* contagiosa, nunc lota baptismo flaminis purior enitescit. *Ecce mulier*; quæ ut densa nubes nil nisi fulmina, fulgetra, & calores minabatur, nunc in pluvias dissolvitur lachrymarum, & contritionis imbres. *Ecce mulier!* quæ verticem capilli, ex quo ambulaverat in delictis suis, superbè erexerat, nunc humiliata concidit ante pedes Salvatoris. *Ecce mulier!* quæ velut navis Institoris gravi tempestate dejecta perijt, nunc aquarum ex capite Hermon redundantium affluentiâ extrahitur. *Ecce mulier!* quæ priùs sicut hortus aridus & exsuccus sterile fœnum protulit, nunc mox ut lachrymæ eruperint, protinus revirescit; & tanquam arbor verna, Austri fomite recalescens, redivivo virtutum suarum flore vestitur. *Ecce mulier!* cujus peccata priùs erant ut coccinum, nunc lachrymosâ pœnitentiâ facta sunt alba, sicut nix. *Ecce mulier!* quæ priùs cum hominibus in cœno luxuriæ fuit contaminata, nunc per pœnitentiam velut Pavo *IMPURITATIS IMPATIENS*, ad tantam penetravit sanctitatem, ut quotidie à SS. Angelis elevaretur sublimis & portaretur illimis. *Ecce mulier!* super cujus interitu & vitâ scandalosâ plaudebant dæmones in inferno; nunc verò de ejus conversione repentinâ & sanctissimâ conversatione congaudet Ecclesia Electorum. *Ecce mulier!* de qua dubitandum non videtur, quin adeò illustre pœnitentiæ specimen, quod Magdalena exhibuit, & in universo mundo ex Christi testimonio est annuntiatum, oculis omnium verè pœnitentium obversetur, cùm tacti dolore cordis intrinsecus, ad Deum revertuntur: ita ut exemplo Magdalenæ animati, & ad dignos pœnitentiæ fructus ejus imitatione edendos invitati, illius veluti paralleła videri possint. *Ecce mulier!* quæ olim peccatrix, nunc piè vivens, omnium virtutum exercitatione anteactam vitam obliterans, ad Christum accessit, extremùm perfunctura eo officio, & unctura Salvatorem unguento optimo; ex quo nequam Judas occasionem arripuit abeundi ad Judæos & prodendi Dominum. *Ecce mulier!* quæ inter ardentissimas pœnitentiæ lachrymas, inter luctus amaritudine repletos, inter contriti & humiliati cordis singultus, sedens secus pedes Domini, *Optimam sibi partem elegit.*

Mariæ Magdalenæ mutatio in melius, ad consolationem peccatorum.

Hæc est illa obstupescenda scæna, in qua impurus amor B. Mariam Magdalenam in tam varias exposuit formas, ut in semetipsa præsentaret *in pennis angelum*, utique incarnatum & lutosum; *in pede latronem*, utique furtim deprædantem animas; & *in voce gehennam*, utique deglutientem incautos. Sed verò repentè mutata est scæna: successit Divinus Amor, Magdanam *peccatricem* effecit *pœnitricem*, & ad eum sanctitatis statum perduxit, in quo ab omni viventium cœtu in cælis & in terris gloriosa prædicatur. Toti huic actui compendiosum epilogum, ac coronidis summam imponit Petrus Damiani; qui in eluctabili stupore confixus, dum quos alloqueretur ampliùs haud inquirit, quid de præsenti sit exhibitum in scænis, integrè sed succinctè proponit. *Magnam prorsus MISERIAM, magna MISERICORDIA diluit & abstergit: & hoc quidem festinanter; quia sine ullo intervallo conjunguntur & lachrymæ peccatricis & indulgentia Salvatoris.* 257.

Miseriæ & misericordiæ concurrentia.

Petrus Dam. serm. 19.

A M E N.

IN

IN FESTO SANCTI JACOBI APOSTOLI.

FRINGILLA EXCÆCATA.

Der erblindte Buchfinck.

LEMMA.

Cæcitate perficitur.

THEMA.

Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei: Poſſumus. Matth. 20. v. 22.

SYNOPSIS CONCIONIS LXXXVI.

Exhibito Calice Salvatoris, & libato ad ſalutem populorum, ab excæcatâ Fringillâ generosè ſollicitantur, & ad bibendum ſuaviter invitantur omnes, qui tribulationibus & preſſuris
258. Cali- Domini amarus & ærumnoſus. exſiccati ſitiunt in ariditate vivacem conſolationem.



O tempore, quo Leonini calores maturâ meſſe flaveſcentem exurunt terram, & exſiccatis ariſtis occultâ quâdam temulentiâ vitalem humiditatem exſugunt; quo & meſſores ſub alligandis manipulis areſcunt, atque extorri linguâ gelidas clamant refrigerationes, ſitiûntque vivaces aquas: ecce me! hîc adſum regius, imò Evangelicus Pocillator, interrogatorijs Chriſti verbis vobis propinans poculum ſalutis. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Adverto, adeſſe nonnullos ex tribu & congerie *Oſſium aridorum*, qui cum Zebedæi filijs promptè annuerent, dicendo, *Poſſumus*, & quidem *Volumus*: dummodo pateat, quid vini, zythi, mulſi, julippi, aut tandem humidi gelidíque hoc poculum propinatum libet? Sed heus vos! *fundite ſtando preces*; & ſtate, priuſquam bibatis: nam vereor, ne, dum dolores, ærumnas, luctus, inopias, contemptus, ludibria, jacturas & damna, famem ſitimque, exilia & perſecutiones, agones & mortes, denique horrores inferni in eo velut *in ſummitate virgæ* guſta veritis, protinus cum Prophetarum filijs, colocynthidem allambentibus, exclametis validè: *Mors in ollâ, mors in ollâ*! Et verè 4. Reg. 4. v. 40.
mors in ollâ, mors in poculo; quando ex hoc ipſemet Servator, ardentiſſimo amoris ſui ſiti indulſurus, ærumnas, paſſionem, ac mortem *pro ſalute noſtra*, & in noſtram ſalutem bibit, *factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis*. Philipp. 2. v. 8. Ex hoc poculo *S. IACOBUS Major*, fidelis Chriſti amicus & Apoſtolus, non niſi ad arcaniſſima myſteria adhiberi ſolitus, Palæſtinæ & Hiſpaniarum Apoſtolus, Jeroſolimis crudeliſſi-

lissimam imbibit mortem, & gulâ per ensem abscissâ propter Evangelij prædicationem, *satis bibit*. Tot, tantique, tàmque innumeri Dei amici, & Christi confessores, ex hoc calice potitantes, fortissimi quidem amoris sitim extinxerunt bibendo, sed verò etiam fatis cesserunt; nam Paulo testante, *lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt*. Ad expurgandum hoc poculum ab omni mortis & amaritudinis periculo, si vel cum Prophetarum Filijs recipiatis ab Eliseo partem farinæ ad condimentum, vel virgam à Moyse ad sanandas aquas, mihi quidem probabilis videtur esse medela. At verò ut ex *cæli volucribus* non desit hodie, quæ inter pocillandum suis cantibus applaudat; ecce! Produco talem, quæ ex nomine *frigus*, ex indole equestrem cantum, & ex cantu generosam confert alacritatem: cujus resolutâ melodiâ omnis poculi Jacobæi amarities in cordis dulcedinem, gravitas in levitatem, persecutio in amicitiam, dolores in voluptates, egestas in abundantiam, ærumnæ in consolationem, venenum in remedium, denique mors ipsa in vitam convertantur; cum benedictione Dei, in nomine JESV.

Hebr. 11. v. 37.

259. Fringillarum cantus, & pecularis observatio.

Avicula, quam Jacobæo poculo jubeo insidere, ut alacriter & *equitanter* canat, quibusdam *Fringilla* vel *Frigilla* appellatur; sive à cantu, quem videtur in medio con*fring*ere; sive à *frig*ore, quòd etiam in hoc præ cæteris primo vere cantet & vigeat. *Vinconem* alij vocant, vel à *vino*, vel à *vinco*: Nam videtur alias suæ paritatis aviculas generositate, tolerantiâ, & magnanimitate *vincere*. Enimverò *si matutino Fringilla resultat ab ore*, nemo non animatur ad veris delicias collaudandas. Sed & Germani huic equestri aviculæ plausum concedunt, utpote quòd flores vernos, & omnium reliquorum cœli phonascorum cantus præveniat, & soliditate *vincat*.

Ehe daß der Garten Rosen tragt /
Der Finck in aller fruhe / :
Die Künsten in die Grüne ladt
Mit seinem Reit herzue.

Nec tamen invidendum est Vinconis fortunæ; utpote quòd propter equestrem & generosum suum cantum, longas noctes & obscuras melancholias debeat tolerare: solent enim Ornithophili hunc opacis, ac viridi umbone opertis caveis includere, ut ignoret verni temporis præsentiam; & sic alijs aviculis obmutescentibus, ille tandem canere incipiat, cantúmq; suum usque ad profundum autumnum prosequatur: aut certè suis omnino luminibus titione privatur, ut sic *EXOCULATUS PERFICIATUR*, & lucis noctisque, veris hyemisque discrimen ignorans, à cantu non deficiat. Vincit ergo noster *Vinco* suam cæcam miseriam suo jucundo & generoso cantu. Deusingius memorabile refert, vidisse se *Fringillam*, quæ quotiescunque se ad cantum componebat, aliquoties priùs hæc verba, *cane viruncule*, Sing Männlein / sing / articulatè præmittebat, ac deinde suum equestrem cantum auspicabatur. Mallem ego meam Fringillam, antequam canat, priùs animare ad bibendum calicem: *Bibe viruncule, bibe*: Trinck Männle / trinck. Sed & hunc Vinconem meum omnino volo ita reddi familiarem, ut omnes alios sui generis vincones, accidentali adhuc specie diversos, astutè congreget, & secum ad retia nostra alliciat; eo modo, quo Camerarius refert, se novisse nobilem Familiam, quæ diu aluit *Vinconem*, ita astutè instructam, ut ille liberè evolaret ex cagio suo, convocaret alios vincones suo cantu, eósque alliceret ad gregatim secum in aream & decipulas convolandum; ubi dum necarentur illi adventitij, hîc aucupis mulctam & iram securus & incolumis evaderet. Sunt enimverò varij & mirabiles Vincones, qui peculiarem Divinarum permissionum *ex calice Domini* persentiscunt amaritudinem: *cardui*, vulgò die Distel-Fincken / unnd Zeiselein / licet canori ad-

Deusingius Dissert. de loquela brut. n. 68.

Camerarius part. 2. c. 81.

admodum sint, inter divitias tamen suas nil nisi tribulos & spinas inveniunt: *rubei*, vulgò die Rothfincken/ in papavere quidem deliciantur, sed verò adversitatibus inquieti ventriculo decoquunt bolos admodū irregulares: *sanguinei*, vulgò die Blutfincken/ dum potenter suis nidulis contra invasores utuntur, continuâ irrequietudine de manutenendâ possessione distorquentur: *nivales* seu *hyberni*, vulgò die Winter-oder Schnee-Fincken / dum maximè subsiliunt, delicias suas cum nivibus conglaciatis dissolvi dolentâ Solis cœlestis calore; *montani*, vulgò die Berg-oder Wald-Fincken / exulare se ingemiscunt, quamdiu ad horreorum & prædiorum delicias non admittuntur. Verbo; plurimi sunt Vincones, qui dum varijs ærumnis & adversitatibus affliguntur, *vinctos* sese atque *vincitos* pusillanimitate exhibent. Omnium optimi videntur *Vincones aurati*, vulgò die Gold-Lob-oder Buch-Fincken; qui canunt & lætantur equestri quadam generositate, etiam quando egestate, frigore, alijsque ærumnis premuntur.

260. Tribulationum variæ utilitates affe runtur.

Potestis bibere calicem, læti, hilares, ac resoluti? Quis enim renuat bibere calicem Domini, qui *præclarus* est, & mirandis utilitatibus bibentem exsaturat? Jam *bibe virnnenle*: Trinck Männle / trinck: quoniam bonum & utile est tibi, saturari opprobrijs, affligi adversitatibus, premi infortunijs, dejectionibus humiliari, & repleri miserijs. Si peccaminosis humoribus abundet natura, & nunc iracundiæ phrenesi, nunc avaritiæ hydrope, nunc superbiæ bubone, nunc philautiæ ulcere torqueatur: in hujusmodi affectibus tribulationum calix *purgatio est, non damnatio; medicina est, non pœna*, inquit S. Augustinus Qui insuper in ea Regij Prophetæ verba, *Tribulationem & dolorem inveni*, ad propositum sic commentatur. *Invenit tribulationem tanquam ALIQUID UTILE: putrnerat tabe peccatorum suorum, jam sine sensu remanserat; invenit tribulationem tanquam ustionem & sectionem.* Quid utilius, quàm mortem ipsam

S. Augustinus super psal. 49.

posse contemnere, omnium terribilissimam & amarissimam; de quâ Siracides, abundantiâ rerum beatissimus, ita suspirat: *O mors, quàm amara est memoria tua, homini habenti pacem in substantijs suis?* Et tamen Paulus tot insidijs, periculis & miserijs pressus, dum de calice Domini viriliter potavir, eò generositatis devenit, ut mortem vel maximè contemneret, & dissolvi appeteret, vincendo exclamans: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Clarissima est Poëtæ illatio.

Eccli. 41. v. 1.

Rom. 7. v. 24.

Rebus in adversis facile est contemnere vitam!
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

Martial. l. 11. Epigra.

Quid utilius, quàm cum *Vincone* excæcato vel obscurato CÆCITATE PERFICI? sapere ab adversis, & à vexatione accipere intellectum? Prout vel maximè in S. Paulo apparet; de quo discurrit S. Augustinus super illud Actorum, quòd Paulus *apertis oculis nihil videbat*: sic enim ait. *Eo tempore, quo cætera non videbat, Iesum videbat; ita ex ipsa ejus cæcitate informabatur mysterium credentium, quòd qui credit in Christum, ipsum intueri debet, cætera nec nata computare.* Conspirat S. Hieronymus: *Paulus ex persecutore fit prædicator, oculis carnalibus excæcatur, ut mente plus videat.* Venerabilis Beda super eundem locum: *Nequaquam potuisset bene rursus videre, nisi priùs excæcatus fuisset bene.* Et Aratus sacer Poëta.

S. Augustin. serm. 3. de diversis Act. 9. v. 8.

S. Hieron. Ep. ad Damasum.

Beda super Acta Ap.

- - - - - *Cùm lumina claudit,*
Pectora tunc aperit, Ca.ia agnoscitur Auctor.

Et si putes, peccatorum excrementō, velut hirundinum stercore, te fuisse planè excæcatum; audi D. Gregorium hortantem: *Oculos, quos culpa claudit, pœna aperit.* Quid utilius, quàm æternæ gloriæ securum reddi? Atqui ærumnæ & tribulationes, innocenter & generosè propter DEUM toleratæ à Vinconibus, reputantur à SS. Patribus & Theologis inter signa Prædestinationis. Paulo enim testante, DEUS *flagellat omnem hominem, quem recipit.* Hebr. 12. v. 6.

Et juxta S. Jacobum in Epistola Canonica: *Beatus vir, qui suffert tentationem; quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* S. Augustinus, expertissimus tribulationum & miseriarum Victor, ut afflictos ad calicem Domini invitaret, sic ait: *Si exceptus es à passione flagellorum, exceptus es à numero filiorum.* Habent hoc pleræque Aves sive majores sive minores, ut quantò magis à ventorum impetu agitantur, eò altiùs enitescant; prout rectè Brunellus hoc tribulationum emolumentum expressit versu.

Iacobi 1. v. 12.

S. August. l. de pœnitentia.

Gregorius Brunellus.

Ventorum adversis solidantur flatibus alæ;
Quòque magis quatior, tantùs alta peto.

Virtuti hoc proprium est, quòd adversis perficiatur; & Aquila rostrum suum tantò acuit FORTIUS, QUO DURIUS in petram allidituṛ. Epictetus Philosophus ab Adriano relatus apposité idipsum apprehendit. *Adversæ res, inquit, sunt, quibus declarantur viri. De reliquo si adieris discrimen quoddam, cogita, quòd Deus te, tanquam aliptes, agresti cuidam & fero adolescenti objecerit. Quare id fecerit, interrogas? Ut nimirum evadas in VICTOREM*, seu rectiùs VINCONEM, *in olympicis.*

Adrianus l. 1. c. 14.

26). Omnes homines triplices sufferre debent spinas & tribulos.

Potestis bibere calicem, læti, hilares; & sicut Vincones equestres? Vt quid autem tua delicata, & mellis saccarique assueta labia à calice Domini retrahas, & ab absynthij myrrhæque poculo avertas? quando omnes omnino filij hominum, *simul in unum dives & pauper*, de hoc genimine vitis bibere debent, imò usque ad fundum exhaurire, juxta proportionem Divinæ Providentiæ infundentis. Age, quod agis; excusa te, averte, indignare, inflecte, everte; quidquid in oppositum tentes, ab omni adversitate & ærumnâ re liberum extrahere non potes: oportet subinde saltem adversa gustare, si non largiter exhaurire. Nam Siracide subinferente, *Iugum grave super Filios Adam à die exitùs de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ, in matrem omnium.* Prosequitur Siracides hoc argumentum inductivè, & dum neminem à perpessione tribulationum excipit, sive super gloriosam sedem resideat, sive in cinere & cilicio squalleat, à millenis exemplis ealicem Domini amaritudine & afflictione repletum esse demonstrat. Ego ad tres classes reduco tribulos & spinas, ex quorum folijs, fructibus, & medullis philtrum Domini adornatur. Et inprimis, quanti tribuli & tribulationes enascuntur homini intus in ANIMA? Tribulus est omne *peccatum*; qui dum trahit ad delectationem, quasi pungendo lacerat mentem: & justi ac pœnitentis voce dicitur, *conversus sum in ærumnâ meâ, dū configitur spina*; quia pœnitentis animus ad luctum ducitur, dum perperrata culpa in memoriâ fixa retinetur. Ad hos internos tribulos peccatorum mordentium & affligentium, accedunt inquietudines *tentationum*, & amaritudinum aculei animum jugiter fodicantes; de quibus S. Bernardus accipit illud ex cap. 2. Canticorum: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Ex quibus animæ rosis pungentibus, & hinc inde aculeos intendentibus, eruit S. Bernardus, quanta cuique injiciatur necessitas invigilandi in sui custodiam; cum nihil facilius sit, quàm inter tot spinas undecunque obsepientes animam transfigi, & perforari teneritudinem floris, ne levissimam quidem sustinentis punctionem. *Sollicitudines*, & curas internas hujus vitæ, cum spinis pungentibus ac lacerantibus animum Christus composuit; & nemo non experitur, quàm interiùs fodicent & cruentent animum. Deinde inter hos carduos & tribulos, hominis pars altera, CORPUS est, consertum animæ. Et hoc quoque spinas multas, ac præacutas infigit homini; tum ob necessarium studium parandi victûs, quod comperendinationem non admittit, sed perpetuum est, & ærumnositatis refertum in maximâ mortalium parte, vel opere manuum, vel collectitiâ stipe victum sibi captantium; tum ob indeclinabilem corporearum perpessionum molestiam, non à cæli duntaxat solique impressionibus, sed præ-

Eccli. 40. v. 1.

Psal. 31. v. 4.

S. Bernardus serm. 48. in Cant.

fer-

ſertim à morbis: qui omnem ætatem & conditionem, quantumcunque proſpiciatur, malè habent; nec eſt, qui eorum aculeos prorſus effugiat. Denique ſpinæ hominis *ab extrinſeco*, quantæ ſint, cùm id in omni hominum ſtatu appareat, brevi compendio elocutus eſt S. Bernardus. [Spina, inquit, falſus frater; ſpina vicinus eſt malus. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. O candens lilium! ô tener & delicate flos! increduli & ſubverſores ſunt tecum. Vide, quomodo cautè ambules inter ſpinas. Plenus eſt mundus ſpinis.] Nec mundus tantùm, ſed etiam Aſceteria, Sanctitatis collegia repleta ſunt tribulis & urticis: ut rectè S. Benedictus in ſuâ Reglâ præcipiat, manè & veſpere in ultimo precum ordine, altâ voce à Priore dici audientibus omnibus *Pater noſter*, & hoc ex ſolo motivo, *propter ſpinas*; denotans infeſtos alijs in Cœnobijs, quibus debita ſunt dimittenda. Et in hiſce ſpinetis ac tribulis omnium optimè commorantur noſtri *Vincones*, quos à connaturali carduorum cohabitatione Cardueles vocant, vulgò Diſtelfincken. Quare cùm omnes mortales, quocunque ſint ſtatu & conditione, verſentur in ſpinis; imò tribulis ſint induti *velut veſtimento*, & repleantur multis miſerijs, eóque acutioribus ac pinguioribus, quò ſunt in ſublimiore ſtatu; idque optimo conſilio Dei, ut pertæſi tot aculeorum, ſuſpiraremus ad ſpeciem florulentam, nullis obſeptam ſpinis, nullis abſynthijs amaricatam, cujus fruitio reſervatur cælo: hinc nemo prorſus à communi hominum ſorte ſe eſſe immunem credat, quin potiùs hilari & generoſo animo de manu Domini *Calicem ſalutaris* accipiat, hilariter ac generosè bibat. Eſt enim *Calix in manu Domini, vini meri, plenus mixto: & inclinavit ex hoc in hoc; veruntamen fæx eius non eſt exinanita: bibent omnes peccatores terræ.*

S. Bernardus relamat. — *S. Benedictus c. 9. reg.* — *Pſal. 74. v. 9.*

261. *Poteſtis bibere Calicem*, boni viri? Utique; adverſa generosè *vincendo*: præſertim cordatè ponderando, quòd omnis afflictio nobis à Divinâ Providentiâ proveniat, quæ *attingit à fine uſque in finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.* Neque enim capillus de capite cadet, neque paſſer de tecto abſque Dei voluntate, ita diſponentis & permittentis. Et conſtat, quòd *multis paſſeribus meliores eſtis vos.* Neſcio, an quidquam poſſit adduci vel ad rem efficacius, vel ad dulcorandum ſuavius, quàm id, quod experimentatus Seneca pro eximio documento aſſeveravit. *Quidquid viro bono acciderit, æquo animo ſuſtinebit: ſcit enim id accidiſſe Lege divinâ, quâ univerſa procedunt.* Vel enim Deus tibi immittit caſtigationis flagellum, & propinat tribulationis poculum propter demerita tua, vel propter merita? Si propter merita, ut nempe per tribulationes & afflictiones obtineas vitam æternam: ſcito, *quia non ſunt condignæ paſſiones huius ſæculi ad futuram gloriam, quæ revelabitur in vobis.* Quòd ſi verò tuis delictis hoc apud Deum demeruiſti, ut tibi plagas nonnullas & miſerias immitteret, ſive per Angelos malos, ſive per adverſarios & inimicos homines, ſive per ſiniſtros caſus, ſive per improſperos ſucceſſus, ſive per laterales afflictiones: dicito cum S. Auguſtino, *Domine hic ure, hic ſeca, modò in æternum parcas.* Novit hoc Regius Pſaltes, utriuſque fortunæ expertiſſimus, ſed verò etiam Dei timore clariſſimus, qui cùm varijs premeretur anguſtijs, & ob admiſſa delicta ſeveram in ſe adverteret caſtigationem, omninò ſeſe reflexit ad Divinam Providentiam, cui nec poterat, nec volebat ſe ſubtrahere: hinc digitum impoſuit ori, patienter ſuſtinuit, nec immodicè à ſe abigere conatus eſt immiſſas ærumnas, ſed generosè ſuſcepit, viriliter vicit. *Obmutui*, inquit, *& non aperui os meum, quoniam tu feciſti.* Et verò utrâque hac ratione perſuaſi ad Deum trahimur per tribulationes, à quo aliàs ſine tribulationibus omninò averteremur. Certè de hoc mundo aſpectabili, & adnatis ei calamitatibus olim pronuntiavit D. Gregorius. *Ubique mors, ubique luctus, ubique deſolatio: undique percutimur, undique amaritudinibus replemur. Aliquando nos*

Tribulationes à Deo parantur, & ad Deum trahunt. — *Sap. 8. v. 1.* — *Matth. 10. v. 31.* — *Seneca Ep. 77.* — *Rom. 8. v. 18.* — *Pſal. 38. v. 10.* — *S. Gregor. hom. 28. in Evang.*

nos mundus retraxit à Deo; nunc tantis plagis plenus est, ut ipse nos iam mundus mittat ad Deum. Et verò Tribulatio vinculū est, quo ad Deum aut meliùs ducimur, aut duriùs trahimur; testante ita Osea Propheta, cujus ore hæc olim Deus: *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* In funiculis Adam, hoc est, D. Chrysostomo interprete, *doloribus & afflictionibus traham eos*, tanquam vinculis meæ in illos charitatis. Et verò afflictiones esse vincula, docuerunt sapientes Hebræi, apud quos eadem vox *Zarar* & ligare significat, & in angustias cogere: quòd magna hujus & illius sit affinitas.

Osee 11. v. 4.

263.

Calix Domini amarus, imitatione Christi & Sanctorum hilariter bibendus.

Potestis bibere Calicem, optimi *Vinctores?* Si vobis magnus quidam Rex propinaret è poculo gemmato ambrosium nectar, ad demonstrandum suum gratiosissimum affectum, an non omnes pro tanta sibi reputarent gratiâ, quantâ majorem non possent inter mortales desiderare. Nemo foret, nemo omnium foret, qui non hilariter acceptum calicem libaret, imò exhauriret usque ad fundum. Et ecce! Rex regum, & Dominus dominantium, *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius*, scribit S. Petrus in sua Canonica. Ille callicem amarissimæ suæ passionis non tantùm gustavit, sed propinavit, sed exhausit. Ille calicem salutaris accepit, & nomen sui cælestis Patris in monte Oliveti invocavit. Ille primò bibit generosissimè, & electos amicos suos ad eundem haustum prosequendum invitavit. Nihil obviabit tam arduum ad attingendum, tam difficile ad superandum, tam operosum ad perficiendum, quod imitatione Christi patientis non desideratum sortiatur eventum. *Christo passo in carne, & vos eâdem cogitatione armamini*, prosequitur alio capite idem Apostolorum Princeps. Omnino oportet vos conformari Christo pro vobis passo, & eâdem cogitatione armari: ut cum Christo crucifixo vitia vestra pariter crucifigatis, justitiam ab eo acceptam conservetis, nec ad pristinas injustitias redeatis; sed justos sanctósque vos sistatis & offeratis Deo, ne ejus passionem & laborem evacuetis, néve ipse gratis & frustra pro vobis mortuus sit. Et quia tanta pro vobis passus est Christus, cogitate, æstimate, & concludite, quanta pro eo, imò pro vobis ipsis, putà pro fuga peccati, & pro sequelâ virtutis, quam vobis suâ passione conciliavit, agere & pati debeatis. Quare si velitis in fide Christi salvari, oportet etiam Christi opera imitari; nam fides sine operibus mortua est: adeóque si contingat, vos premi iniquè, persecutionibus agitari, calumniari, percuti, vulnerari, spoliari, & his duriora atque amariora pati; *& vos eâdem cogitatione armamini.* Non est enim discipulus supra Magistrum, & servus supra Dominum. Firmissima galea salutis est, imitatio Dominicæ Passionis. Hac galeâ indutus & sanctitate & sanguine Illustrissimus Comes Elzearius, tertij Ordinis S. P. nostri Francisci, quidquid amarum & despicabile accidere poterat, generosè & patienter sustinuit. Calumniabatur à famulis domesticis & ancillis, replebatur probris, vellicabatur despectibus; omnia patienter sustinuit Elzearius. Non poterat virginea ejus conjunx B. Delphina, similis propositi tenax, ampliùs æquo animo ferre tot illatos sanctissimo suo comiti despectus; proinde ipsum stimulare cœpit ad repellendam iniquam vim, & moderatè adhibendam vindictam. Parum hoc est, reponit Elzearius; si etiam capillos & barbam evellerent, atque insuper alapis saturatent, adhuc modicum paterer respectu eorum, quæ Dominus meus Jesus Christus pro me toleravit. Ne persuadeat sibi quispiam, heroico animo indignum fore, ad imitationem Christi injurias dissimulanter perferre, ærumnis magnanimiter premi, plagis fortiter affici, internis externisque tribulationibus affligi; quando etiam supremi orbis Christiani Monarchæ, sanctissimi Reges ac Principes, Henricus in Bavariâ, Carolus in Hispania, Maximilianus in Austria,

1. Pet. 2. v. 21

1. P. 4. v. 1.

Surius to 5. Sept. 27, in eius vita

Canu-

Canutus in Dania, Wenceslaus in Bohemia, Oswaldus in Angliâ, Ludovicus in Gallia, & alij aliarum nationum moderatores de Calice Domini, lætanter ac generosè compotitârunt; quando etiam electis Dei amicis, & assumptis cæli Incolis (juxta communiter obversantem versum,

Dulcia non meruit, qui non gustavit amara)

post Calicem Domini absynthio confectum, æternæ Beatitudinis dulcissimum nectar fuit propinatum. Vtrectè Gentium Apostolus, conformiter Petro, hortetur Hebræos & quoslibet Christiani Nominis Assertores. *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversùs semetipsum contradictionem; ut ne fatigemini, animis vestris deficientes. Nondum enim usq. ad sanguinem restitistis, adversùs peccatum repugnantes.*

Heb. 12. v. 2. 3. 4.

264. Calix Domini aut bibêdus pro cælo, aut dimitten lus pro inferno

Potestis bibere Calicem, optimi Sectatores Divini Nominis, & emergentium adversitatum *Vincones?* Ecce jam nunc ultima vobis restat resolutio exponenda: dum enim Symposiarcha pro suo arbitrio & prudentiâ vinum hauriendum temperat, & cuique moderatam suam portionem præparat; tandem moræ impatiens, Græcorum utitur proloquio, ad compotandum sese taliter provocantium: *Aut bibe, aut abi.* Lata est sententia, & inevitabiliter in alterum incidendum est extremum: *Aut bibendum, aut moriendum.* Hæc enim helluonibus Calicis Christi promulgata lex est, ut in alterum necessario incidant extremum, & vel piâ temulentiâ cælum rapiant pro bravio, vel impiâ aversione infernum subeant pro pœna. *Aut bibendum* pro cælo; *aut abstinendum* pro inferno. Vtrumque explico, ut assequamini, quod dico. Bibendum pro cælo: nam certa est Sanctorum Patrum censura, quòd qui à tolerantiâ adversorum se alienaverit, etiam longè futurus sit à societate civium supernorum. Oportet primùm crucifigi cum Christo, ut subsequatur glorificatio: nam & *Christum oportuit* priùs *pati, & ita intrare in gloriam suam.* Qui exemptus est à tolerantiâ passionum, exemptus est à participatione gaudiorum. Hilariter ac generosè bibet *de hoc genimine vitis*, qui confidenter & piè sperat cælestis gloriæ retributionem. *Cùm quis*, inquit S. Gregorius, *æternæ Patriæ, quanta sit dulcedo, considerat, pro ea præsentis vitæ amaritudines ardenter amat: quia in cælo est gaudium, quod oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis ascendit.* O quàm suaviter afficit labia nostra, mellitissima illa D. Pauli ad Romanos cohortatio: *Momentaneum hoc, & leve tribulationis nostræ, æterna gloriæ pondus operatur?* Quam ponderationem adhuc magis prosequitur S. Augustinus sic. *Si quotidie nos oporteret tormenta perferre, si gehennam ipsam parvo tempore tolerare, ut Christum videre possemus venientem in gloriâ, & Sanctorum eius numero sociari; nonne erat dignum pati omne, quod triste est, ut tanti boni tantæq. gloriæ participes haberemur.* Quòd si quis hoc extremo nolit esse contentus, abeundum erit ad alterum. Sed heu! cum quanto dispendio! Qui enim pro admissis peccatis suis temporalem renuit subire pœnam & pœnitentiam, supplicijs subjacebit sempiternis: & qui renuit incidere in manus Domini, non evadet ungues Tartari: & qui temporaliter non vult castigari, æternales sibi colliget squalores: & qui non ut aurum purgatur in igne probationis, abijcietur inter scorias & rubiginosa ferra: denique *qui timet pruinam, irruet super eum nix.*

Luc. 24. v. 26.

S. Gregor. l. 7. moral. c. 7.

2. Cor. 4. v. 17

S. Augustinus serm 2 de fest. Omn. Sanct.

Iob. 6. v. 16.

265. Tolerantia adversorū quàm speciosa ex avibus quibusdam appareat.

Denique ne videar nimiùm velle commendare *Calicem Domini*, tam amarum gustatu, & sapore tam nauseabundum; in gratiam nostræ Fringillæ tam generosè & viriliter cantantis, ex Ornithoboscio nostro insignes quasdam produco Aves, quæ suo exemplo demonstrent operosè, quantùm prosint tribulationes & ærumnæ fortiter toleratæ. Contingit, quòd miseriæ, infirmitates, & persecutiones reputentur, & assumantur pro instrumento mortis; & tamen Deo sic disponente, frequenter admodum sequitur *PRO MOR-*

MORTE LIBERTAS. Casum desumo ex Virgilio, recensente, quomodo innocens Columba fune alligata fuerit à venatore petita telo; & quia telum non tetigit avem, sed abrupit laqueum, collata est columbæ *pro morte libertas.* Sic refert Virgilius.

Virgil. 5. Æneid.

- - acer Mnesthens adducto constitit arcu,
Alta petens, pariterq́ oculos, telúmq; tetendit;
Ast ipsam miserandus avem contingere ferro
Non valuit: nodos, & vincula linea rupit,
Queis innexa pedem malo pendebat ab alta.
Illa notos atq; atra volans in nubila fugit.

Grues observant Ornithologi, quòd & volando & vigilando *NON SINE PONDERE* unguibus arrepto soleant consistere, *ne cessent, neu transversas mala flamina raptent*: alioquin nisi lapidem tenerent unguibus, vel stando obdormiscerent, quod periculosum est ab inimicis; vel volando raperentur à ventis, quod est in cœpto itinere fastidiosum. Sæpe pondus tribulationum magis inseruit pro securitate, quàm præjudicio. S. Paulus cùm ter Dominum rogâsset, ut auferret à se stimulum carnis suæ à cujus tentatione magnam accipiebat molestiam; non fuit exauditus in sua petitione, sed assecuratus de Divinæ gratiæ assistentia: *Sufficit tibi gratia mea.* Vbi pulcherrimè Hugo Victorinus ait: *Paulum postulantem à se auferri stimulum carnis suæ meliùs exaudivit Deus, cùm non abstulit; quia si abstulisset, salvus non esset.* Sic certè ponderosæ difficultates *juvant gravitate volatum.* Sed & occurrit illustris recordatio Phœnicis, quæ dum in Arabiæ montibus suis alis excitat ignem, & in focum accensum sese immittit, ingenio-

Alciat. 39. Embl.

2. Cor. 12. v. 9.

Richard. Victorinus c. 11. in Cant.

sè ait: *INDE VIVAM, VNDE CRUCIOR.* Ita nempe res agitur in tribulationibus, quæ urunt & cruciant non ad moriendum, sed ad innovandum & vivendum: prout concordat consilium S. Joannis Chrysostomi. *Fac ut corpus tuum moriatur, ne moriatur. Nam si vivum manserit, nequaquam vivet: si verò mortuum fuerit, tunc deniq; vivet.* Sicque eximium prodit in hoc ardente foco tribulationum *DE FUNERE FOENUS*, & ingens cælestium meritorum & vitæ vivacioris proventus; prout de persecutionibus Ecclesiæ S. Gregorius Papa luculenter scribit. *Sæpè eam*, hoc est, Ecclesiam, *reprobi usque ad internecionem persecuti sunt; sed ea multiplicius ad statum sui profectûs redijt, quò inter manus persequentium moriendo laboravit.* Et quid moror? Nostra Fringilla tunc omniũ vivacissimè & constantissimè canit, quando ab inutili divagatione alienâ molestæ servitutis *SERVATUR CARCERE*; & quando exustis oculis canorâ *CÆCITATE PERFICITUR.*

S. Chrysost. hom. 13. in Ep. ad Roman.

S. Gregor. l. 9. Moral. in lib.

Quòd si igitur tot tantáque afferant tribulationes emolumenta, ut doceant & mortem contemnere, & ictum piscatorem sapere, & æternæ gloriæ securum reddere; si nemo prorsus est ex filijs & filiabus Adam, qui non intus & foris septus sit spinis, & spinetum ubique secum in pectore gerat, germinans amarissimos racemos: si tribulationes à Deo immittuntur, ut ad Deum & cælestia regna pertrahant: si de hoc Calice Christi amaro valde biberunt omnes amici Dei, & velut generosi *Vincones* vicerunt: si denique tot ac tanta alia subsunt utilitatis & honestatis emolumenta? Quis vestrûm, Auditores, de manu Domini non accipiat Calicem salutaris, & bibat?

AMEN.

IN

IN FESTO S. IGNATII LOYOLÆ, Societatis JESU Fundatoris.

Die 31. Julij.

CHRYSAETUS CORDATVS.

Der hertzhaffte Gold-Adler.

LEMMA.

Oculis atque unguibus æquè. Picinellus.

THEMA.

Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam Cedri. Ezech. 17. v. 3.

SYNOPSIS CONCIONIS LXXXVII.

S. IGNATIVS Loyola, Fundator Soc. Iesu, plurimâ meritorum ac virtutum varietate insignis celebratur; & inter præstantissimos Chrysaëtos, in Libani Cedris, hoc est, Religiosæ Perfectionis sublimitate gloriosus suspicitur.

266. S. Ignatii Mart pulchra ad S. Ignat. Loyolam digressio.



Ncomiastis Chrysostomi verbis auspicor Chrysaëticam meam Panegyrim, quibus ille gloriosissimi sancti Ignatij Martyris natalem orditur. [Deterretur, inquit, animus ac perturbatur, dum in tantâ, quæ nos undique circumfluit, laudum copiâ, hæsitat, quid primum, quid secundum, quid tertium dicere aggrediatur. Atque idem nobis evenit, ut si quis in pratum ingressus, & multas rosas, violas multas, ac lilia, & alios vernos flores varios ac diversos intuitus, ambigat, quem primo loco, quem secundo perspexerit, dum singuli flores oculos ad se rapiunt. Eodem modo nos item afficimur: dum in hoc spirituale pratum *Ignatij* virtutum ingressi, & non vernos flores, sed ipsos spiritûs fructus varios, ac diversos, in eius anima contemplantes, commovemur, ac dubitamus, unde potissimùm exordiamur, dum singula, quæ conspeximus, ab alijs nos avocant, & ad proprii decoris splendorem oculos animi, & mentis aciem invitant.] Hæsi ego sanè aliquamdiu non dissimiliter, circa res *S. Ignatij Loyolæ* proponendas: non incommodè verò dispellendam esse implexitatem illam existimavi ex tanta ubertate provenientem, si omnia ad eum quomodocunque attinentia libarem compendio, & referrem ad qualitates eximias *Cordati Chrysaëti*, quem Propheta Ezechiel vidisse se meminit. *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis & varietate, venit ad Libanum,*

S Chrys. hom de S. Ignatio Mart.

& tulit medullam Cedri. Hanc solam Aquilam Aristoteles, & cæteri antiqui Græci appellarunt γνησιαν, Gnesiam; hoc est, legitimam, veram & germanam, germanísque & incorrupti ortûs. Albertus Magnus vocat *Herodium*; hoc est, avium omnium heroëm. Quo sensu Apuleius eam dixit *avem regalem.* Antiqui *Iovis alitem* nuncuparunt, tanquam dignam tanti domini ministram. Ælianus à macularum notis *Stellarem* indigitavit. Communiter *Chrysaëtum* appellant, hoc est, *auream*; eo quòd colore sit quasi aureo, fulvo, & proximè inter omnes alias aquilas ad aureum accedente. Non erit mihi hodie negotium, ex ignito S. IGNATII nomine prolicere vel cicendulas in æstate scintillantes, vel aviculas in igne volantes; quando *Chrysaëtus* noster cordatus *OCVLIS ATQVE VNGVIBVS ÆQVE* palmam tenet; & nec trisulcas tonantis Iovis timet flammas, nec ad obloquentium graculorum expavescit strepitus. *Sanctum Ignatium Loyolam*, Fundatorem Societatis Iesu, qui in carne vivens extra carnem spirare, & ambulare videbatur, non inter imbelles hodie requiro columbas; sed inter sublimè volantes suspicio, venerórque Herodios, atque inter Religiosorum Institutorum Patriarchas exhibeo operosissimum: & quod S. Chrysostomus integrâ oratione de *Sancto Ignatio Theophoro* ornatè combinavit encomium, id ego ad *S. Ignatium Loyolam* refundo, vocans illum [summorum Theologorum successorem, insistentem eorum vestigijs: qui divini præconij fulgeris in Oriente, & Occidente coruscavit: Solis instar relucentem radijs Spiritûs, mundi fines exhilarántem: documenta pietatis verè conscribentem, cibum Dei omnes nutrientis: similem Terræ centuplum fructum germinantis: qui semen Christo copiosum produxit: magistro divino lumine in Ecclesijs splendicantem: velut exaratas à Deo tabulas, leges gratiæ scribentem.] Et quidni etiam Chrysaëtum hodie dicam sublimè volantem, & cordato intuitu despicientem terrena: eúmq; ita proponam sublimem, spectabilem, gloriosũ & honorabilem, ut videatur vobis Ezechielis Aquilam, tam magnificè descriptam, plenè adæquare & præsentare? Dicam certè, eo quo possum constructionum apparatu, qua feror gratabundi affectus modestiâ, quêis intendo penetrantis amoris stimulis, quo urgeor concurrentium porentiarũ conatu; quibus desidero, florum & symbolorum venustate. Ita tamen, ut si rerum dicendarum magnitudine obrutus succumbam oneri, quod hac panegyri perferendum suscepi, omnem deficientiam, meam mihiq; propriã esse in hac causâ velim; eam interim veniã implorando præviam, quam sibi Pontius apprecatur, aggrediens vitam S. Cypriani. *Quidquid minus dixero (minus enim dicam, necesse est) ignorantiæ mea potiùs, quàm illius gloriæ derogetur.*

Aristotel l.9. hist. animal. c.32.

Albertus M. l.23. animal.

Ælian l.2. animal. c. 39.

S. Chrysost. hom. in Mensæ. 29. Ian.

Pontius in legenda S. Cypr

267. *Aquila grandis*, quam Divinus Vates superno mandato obediens in ænigmate Domui Israëliticæ proposuit, regem Nabuchodonosorem significat: qui D. Gregorio interpretante, *quasi aquila Iudaæ celsitudinem petens, nobilitatem regni eius, quasi medullam cedri abstulit & dum tenerrimam regum prolẽ à regni sui culmine captivando sustulit, quasi summitatem frondium eius avulsit.* Sed & Pharaonẽ, cuius gratiæ ac confœderationi Sedecias rex ac Iudæa innitebantur, regno, oculis & patriâ privavit, totámq; Iudæam suæ potestati subiecit; Ioachim verò, se illi tradentem, ex Dei voluntate ad regni solium exaltavit. Aquila grandis, avium princeps; & viribus & pernicitate, & altitudine volatûs, & audaciâ & aduncitate rostri, oculorum acie, unguiúmque tenacitate, regiam præferens majestatem. Quidquid in *Sancto Ignatio* suspiciendum, animi spirat magnanimitatem, sanguinis generositatem, virtutum sublimitatem, scientiarum aciem, virium robur, meritorum molem, sanctitatis majestatem. *Aquila grandis* S. Ignatius vel adhuc inter sæculares in

S. Ignatii conversio prodigiosa.

D. Greg. l.19 moral. c.19.

in bello militans, functionibus præclarus, gloriâ militari celebratus, altissimè volabat in vanitate sensûs sui; nec nisi ad apices fortunæ bellicæ, ad famæ & gloriæ inane concavum toribus viribus, *OCULIS ATQUE UNGUIBUS* fortissimè enitebatur. Non poterat tam certè à Thracis cujusdam sagittarij deijci telo, nec penetrari à parvulâ glande; nisi tandem in obsidione Pampelonensi Divina Prædestinatio curtulem in ipsum, *altè volantem*, direxisset bombardam: qua ejus humana proposita infirmarentur, & velut Aquilæ grandi, ambulanti in mirabilibus super se, crus frangeretur; sicque vanis conatibus fractus *Ignatius* militiæ cruentæ præfectus, usque ad mentis recollectionem deijceretur. Beata displosæ glandis emissio, & tam grandi prædæ proportionata, quam tot & tanta manebant secuturæ sanctitatis emolumenta! Quisquis sanctorum Angelorum, Deo jubente, eam displosionem direxit, nec ille frustraneo ictu aërem verberavit, nec glandem in incertum jecit; sed per unius cruris attritionem, universum ipsum rectipedem efficere proposuit. Carnis marcor, & nervi oblæsio in Ignatio, viam pro eo tempore munivit ad perfectissimæ vitæ institutum. *Ignatius* ex vulnere claudus, per id corporis incommodum ad omnem sanctimoniæ perfectionem prolusit. Proinde feliciter allisus & corpore jacens, cùm esuriret ac sitiret, & anima ejus in ipso deficeret, non terreni panis aut aquæ penuriâ, sed elongatione Dei panis vivi; cibatus pane vitæ & intellectûs, & aquâ sapientiæ salutaris potatus, firmatum in se, nec flectendum Spiritum Dei expertus est. Proinde Ignatio succrevit *EX VULNERE VIGOR.* O faustum auspicium, quale nec Claudio cum fascibus progresso, nec Hieroni Siculo clypeum exponenti, nec Octavio Augusto panem comedenti, nec Aureliano fasciis vincto, nec Arnulpho in periculis versanti, Aquila advolans unquam potuit occasionare! Recreatus sanè à Deo post corporis prostrationem, retectis conscientiæ imis recessibus probato Confessario, degustatis spiritualibus edulijs, fastidiens carnis ac sæculi commercia, firmatus est in illo statu, nunquam deinceps flectendus ad anterioris servitutis ignobilitatem; sed perpetuâ roborantis Dei manu continendus in officio, prorsus præclusâ relapsum consecuturâ confusione, omnibus admirationi factus est. Et qui priùs inter *Haliaëtos*, hoc est, marinos prædones; vel *Melanaëtos*, hoc est, ferarum venationibus fatigatos; vel inter *Pygargos*, hoc est, oppidorum emunctores; vel inter *Morphnos*, hoc est, altilium balatui patrocinantes; vel inter *Percnopteros*, hoc est, ignavo otio deditos; vel inter *Ossifragas*, hoc est, subditorum expilatores, poterat *Grandis* honorari in sæculo; nunc divinâ vocatione inter cordatos & regios *Chrysaëtos* sublimatus, nihil ampliùs de caducis & transitorijs sapiebat; sed jugi contemplatione ad cælestia & æterna intentus, clamore valido prodebat Spiritum intus moventem, *Heu! quàm SORDET TERRA, si cælum aspicio!* Ita est. Animo à caducis & transitoriis ad divina & cælestia sublimato *SORDENT TERRENA*; prout ad simile argumentum loquitur S. Joannes Chrysostomus. *Dulcis præsens vita est, & multa plena voluptatis; non tamen omnibus, sed ijs tantùm, qui illi sunt affixi. Quòd si quis in cælum suspexerit, & quæ ibi præclara sunt, contemplatus fuerit, statim hanc contemnet, ac NULLIUS PRETII existimabit.* S. Ioan. Chrys. hom. ad. in Ioan.

268. *Aquila grandis IGNATIUS Loyola*, qui grandia facinora patraret, & maximos Ecclesiæ hostes suâ grandi virtute profligaret. Enimverò subierunt tunc temporis in Ecclesiam viri mendaces, loquentes perversa; & in ovile Christi subingressi sunt fures atque latrones per non ostium, ut prædarentur orbem, & electa quæque sibi abducerent ac dissiparent. Quis fidem dicenti abroget, in conspectu tot sacrarum ædium dirutarum, S. Ignatius dux constitutus Soc. Iesu contra inimicos Ecclesiæ.

direptarum, & incendio absumptarum? in tot ruderibus Sacrorum locorum, tot Cœnobiorum ac Parthenorum, hodiéque in oculos incurrentibus? Abducti & captivati servi & ancillæ Dei mœrebant, atque lugebant inter lautè ac splendidè epulantes latrones: quando totâ propè Galliâ, Germaniâ, Belgio, aliisque in oris Hæreticorum violentia invaluit. Quid unà cædium, & direptionum non exhortuit Ecclesia? quando vidit ab hisce iniquissimis invasoribus sacra vasa direpta atque conflata esse, direptas lipsanothecas, auro & argento obducente spoliatas, vestes sacras pretiosissimas ad profanos usus, & sacrilegum mercimonium expilatas; fundos & agros, effusæ pietatis Majorum monumenta, transiisse in urticeta & spineta, colonis etiam culturâ prohibitis? Quando insuper Ecclesia, quod longè horribilius est, luctuosè ingemuit, quòd sacræ Personæ fœdè abductæ, inediâ usque ad mortem maceratæ, sacrilegè contaminatæ, membris crudelissimè truncatæ, per omne truciditatis ingenium in tormentis exquisitissimis expaverunt rictus latronum, & exercitam in viva Dei templa crudelitatem; qua renovatis dirissimæ truculentiæ, ac insanæ rabiei monstris per desertoris Juliani furorem editis, sacrarum Virginum ventres, post violentam defœdationem (horresco effari!) feralibus cultris dissectos constat, & aluos versos in alveos ad immittendam avenam & hordeum; queîs admotæ sues pabulationem captantes, horrificè conscerperent mortalia Ancillarum Dei. Prôh! latronum non vulgarium, sed exuperantis diritatis facinora! Quid, quòd efferus & immanis usque adeo in Catholicos Sacerdotes fuit Bricomotius Calvinista, ut non contentus eos exscindere, è didymis dirè avulsis torquem contexeret, quo ad pompam utebatur, non supra condignû multatus Lutetiæ; dum abruptis à reliquo corpore per plebem partibus, quibus vir erât, in altam trabem actus, pependit cuiratus. Non est, quòd in enarrandis hæreticorum truculentijs, & immanitatibus proponendis hæream vel horream; quando contra tot rapaces Vulturum turmas *Aquila grandi*, hoc est, *Ignatio* sibi restituto, & à Christo summo Imperatore instructo, ducenda sunt *Agmina Fortiû*, quibus iniquitatis colluvies ubiq; per orbem Christianum vel dissiparetur, vel omninò annihilaretur. Quanta ærumnarum moles, & laborum series huic arduo consilio erant connexæ? Fit dux *Ignatius Aquila grandis*, & sacris copijs educendis Divino consilio præficitur adversùs Satanam & universum Tartarum, adversùs ignorantiam & vitia, adversùs hæreticos, schismaticos, ethnicos, per cunctas orbis plagas & climata cuicunq; hominum sorti ad instar latronum imminentes, spoliantésque, & universa prædantes. Quantis tunc animis opus erat huic sacro Pyrphoro, statuto in primæ aciei fronte, qui præmonstrret viam, *& OCVLIS ATQVE VNGVIBVS ÆQVE* insidietur tam terribilibus & temerarijs inimicis!

Blandius fundi (?) de vasto nono Ecclesiarum. [margin note]

Spondanus ad annum 1572. [margin note]

269. Et sequentur non tenues Pari, non meticulosi Sturni, nec Cornices irritâtes; sed cordati Chrysaëti, quos par sit ab ejusdem genij & generositatis antecursore conscribi. *Neq; enim imbellem feroces Aquilæ progenerant columbam*: sed fortes creantur fortibus, & grandibus magni. Non subeo mendacij periculum, generosissimos milites & mysticos Chrysaëtos magno *Ignatio* succenturians: quos in hoc vocationis sanctissimo statu *PROVOCAT EXEMPLO, & sicut Aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitãs*, Lucano teste,

Agmen virorum fortium sequitur S. Ignatium. [margin note]

Horat. in Odis. [margin note]

Deut. 32. v. 11 [margin note]

Lucan. de Catone l. 9. [margin note]

- - - monstrat tolerare labores,
Non iubet.

Liberabunt dicentis fidem Xaverius, Borgias, Barzæus, cæsorum pro fide Centuriæ, strenuissimorum operariorum Chiliades, & clarissimorum virorum Collegia: quibus omnibus gloriosum erat, *vel grandia aggredi, vel fortia pati.* Quippe juxta Sapientissimum Senecam,

CAV-

Seneca l. cur bonis viris &c.

CAUDENT *magni viri aliquando REBUS ADVERSIS, non aliter, quàm fortes milites bellis.* Tot igitur, atque tantorum Virorum, sub Christo Imperatore Ductor fuit S. Ignatius: cui si fæminea mollitudo, aut passerina paviditas ad tot feralium hostium occursum fuistregisset animi lumbos, sacris illis hærendum fuisset aciebus, ingenti spoliatorum dispendio, & summo latronum commodo. Exinde *Aquila grandis* IGNATIUS evasit in *Ecclesiæ Defensorem & Religionis Propugnatorem*, contra Calvini & Lutheri enascentes hæreses, aliasque hæreticorum furias & monstra: prout talis in secreto Consistorio coram S. D. N. Gregorio XV. audijt, teste Francisco Maria, Episcopo Portuense, S. R. E. Cardinale. Sed & in Bulla Canonizationis ejus, ab Vrbano VIII. editâ, talis tamque plausibilis de eo infertur comparatio. *Ineffabilis Dei Bonitas & Misericordia, quæ præteritis sæculis contra subnascentes hæresiarchas destinavit Athanasium, Basilium, Nazianzenum, Cyrillum, Hieronymum, Augustinum, Bernardum, Dominicum, Franciscum, cæterosq; sanctitate viros illustres: supremis hisce temporibus excitavit spiritum Ignatii Loolæ, qui ex medio bonorum cursu, atque à sæculari militiâ, admirabili quâdam ratione vocatus, ita se divino Imperio regendum, formandumq; permisit, ut tandem novâ Religione hujus Sanctæ Sedis authoritate fundatâ, quæ gentilibus convertendis, hæreticis ad fidei veritatem revocandis, Romani Pontificis potestati tuendæ, ex instituto SE TOTAM, IMPENDIT &c.* Magnis ergo animis ad hunc sacrum Ducatum Ignatio opus fuit: nec minoribus, quàm quos in belli externi duce, ne aversus fugiat, deposcit S. Chrysostomus; expressò eloquentissimè prælij horrore, & ducis in fronte aciei, ac primo hostilis impetus objectu, plenissimâ discriminis collocatione. Apostolorum Princeps Petrus, volens compendio exprimere infrunitæ audaciæ & malignitatis ubertatem in Juda proditore, illud unum de eo expressit: *Qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Iesum.* Annon enim grandis vis

Bulla Canonizationis.

S. Chrysost. l. 6. de sacerdot. in fine.

Act. 1. v. 16.

iniquitatis, ac Caucaseum robur, & æs triplex ad nequitiam in eo ducatu ponebatur ad frontem? Econtra proportionale in sacrâ militiâ IGNATII cordatissimi munus, ingentem omnino cælestium subsidiorum vim, pectus ejus communientium insinuat. Porro cessisse omnia ex voto, fusos fuisse hostes, spoliatos latrones, vel internecione deletos illos, qui captivos alios abduxerant, vel optabili captivitate mulctatos, Orbi Christiano gratulandum est, atque plaudendum.

270. *S. Ignatii gratia justificans heroicarum virtutum cumulo infertur.*

Aquila grandis, non quidem commendanda ab alis angustis aut contractis, sed ab amplitudine *Magnarum alarum.* Nempe exercitus Nabuchodonosoris constabit valido corpore, & dextro sinistróque brachio, quibus velut *magnis alis* celeri gradu occupabit Judæam; & quasi pernici volatu, antequam incolæ explorent adventum ejus, apprehendet fugientes confœderatos Sedeciæ, & in durissimam rediget servitutem. *Maximas alas*, queîs evolabat noster Chrysaëtus S. IGNATIVS, intelligo *GRATIAM ET GLORIAM*; juxta illud Psalmistæ, *gratiam & gloriam dabit Dominus.* Et quidem *Gratiæ quantitatem* non licet meliùs solidiúsque definire, quàm ex studiosâ virtutū exercitatione. Sunt enim virtutes infusæ, (nam de acquisitis minor hîc est ratio adhibenda) quæ ex supernaturali motivo & prælucente superiore lumine operantur, connaturale quoddam sanctificantis Gratiæ satellitium: ita ut crescere haud possint, nec perfici, quin crescat simul & perficiatur gratia, servatâ utriusque crementi ac perfectionis proportione. Atqui addictissimum fuisse virtutum Christianarum exercitationi S. Ignatium, compendiosiùs non demonstratur, quàm si vel Boëtij in illum reijceretur assertū, quòd *virtutes omnes sancti huius viri corpus adificârint*: vel comparatio adhibita à Constantino Manasse de Marciano Augusto referretur ad S. Ignatium, quòd fuerit *nemus virtutum, & arbor à gratiis posita*: vel Græcorum de S. Gregorio Nazianzeno sententia renovaretur, quòd

Psal. 83. v. 13.

Boetius l. 4. de consolat.

Manasse in annalibus &c. CXI.

 fuerit

Menaea Graec. 5. Sept. fuerit *humana statua ex omnibus ac singulis virtutibus conflata*: vel encomium D. Ambrosio attributum aureis litteris inscriberetur; *vir virtutū omnium*: vel *Raynaudus in Hag. Exot.* deniq; Theophili Raynaudi explicaretur parœmia, quâ brevissimè nominavit suum S. Legislatorem, simul & verissimè intitulavit *Animam mundi*; quæ vitam confert, & ad omnem vitæ functionem principium primum se præbet; cui animationi gratia sanctificans, quâ vita substantialis spiritûs continetur, abesse nequit: ita ut sicut ex gratia principiante, tanquam ex primâ radice, fas est adjunctas virtutes colligere; ita ex virtutibus, tanquam ex necessario & connaturali comitatu, gratiam æstimare.

271. *Charitas S. Ignatii erga Deum & proximum fortis & invicta.* Immensum propè pelagus foret tranandum, si ad faciendam de *S. Ignatij* gratiâ conjecturam ejus omnes virtutes, præsertim quales in ultimo vitæ termino obtinuit, & in cælum hinc exportavit, illustrandas susciperemus. Charitas virtutum omnium facilè princeps, cùm sit unica virtus, geminam tamen infert perfectionem, intellectûs negotiatione distinctam; quarum altera in Deum, in proximum altera propter Deum collimat. Vtrâque ardentissimè sufflammatus Ignatius, velut Chrysaethus, *RECTO OCULO RECTOQUE VOLATU*, in divinarum perfectionum ac bonorum evolabat considerationem: & quia meraeum illud ac purum bonum, nullis admistis mali fæcibus sordens, támque mirificâ beneficiorum affluentiâ communicatum, internum amoris nutriebat incendium; hinc jam Ignatius, velut Aquila inter ardores cæli versabundus,

Claudianus Carm. de Phoenice.

Non epulis saturare famem, non fontibus ullis
Assuetus prohibere sitim; sed purior illum
Solis FERVOR ALIT.

Cùmque purgato esset mentis oculo, cui à terreno pulvere, aut caducorum objectorum sordibus offusa lusciositas, aciem nequaquam obtunderet, purissimo ac intensissimo divinarum rerum contuitu fruebatur; & tanquam Aquila altiùs enitebatur in arcana Dei semper magis *HINC PROCUL A CURIS* terrestribus: undè existebat in illo amoris flamma succensissima, & ptæ indeficiente pabuli suppeditatione acurior semper atque valentior accrescebat. Et quia amor in Deum siquidem purus sit ac solidus, ad ea, quæ sunt cum Deo nexa, procurrit; nec dubium, quo Deus sit erga animas affectu, cùm etiam à Sapiente tanquam congruentissimâ denominatione nuncupetur *Dominus, qui amat animas*; *Sap. 11. v. 24.* hinc Dei Charitatem in *Ignatio* sequebatur flagrantissima, & salutis animarum sitientissima charitas in proximos; pro qua nihil, quod ad promovendum animorum bonum posset conducere, tametsi operosum & magnis difficultatibus obseptum, abs se unquam alienum, aut sibi impossibile reputavit. Ex latè per orbem diffuso Fidei ac Religionis germinario (prout infert S. Theodorus Abbas S. Trudonis, in actis S. Rumoldi) licet colligere, quantus Christi amor in piorum *S. Theodorus Abb. in act. S. Rumoldi.* septentrionalium cordibus infervuerit, tanto studio fidem Christi quaquaversum disseminantium, ut ab omnibus Christus agnosceretur & amaretur. Pari argumento facilè possumus æstimare Sancti Ignatij erga Christum charitatem; cùm vir sanctus tanto disseminandæ ubivis Christianæ Fidei zelo æstuârit, ut Christus prædicaretur ubique, coleretur & amaretur. Quas enim oras ejus prætermisit zelus? quos in Angliam, Scotiam, Hiberniam, Germaniam, recenti tunc plagâ sauciatam, non submisit optimos Medicos? Quid non ille in Orientalibus & Occiduis Indijs, in Æthiopia, Africa ac Perside, submissis gnavissimis, & in animarum studio flagrantissimis sacerdotibus, est sanctè molitus, ac magno Divinæ gloriæ proventu machinatus? Vt planè in Ignatium cælos subeuntem liceat transferre eas Psaltis voces, quas Magno Theodosio cælos penetranti in os ingerit S. Ambrosius, celebrans de- *S. Ambrosius orat. de Theod.* functum. Instructum enim egregiè divinâ & proximi charitate Theodo-

sium

sium cùm exhibuisset, subijcit. *Ergo decedens è terris pia anima, & sancto repleta spiritu, quasi interrogantibus ijs, qui sibi occurrerent, cùm se se ad sublimia & superna erigeret, dicebat: DILEXI.* Et quia *FORTIS est ut mors dilectio*, hinc suspicientibus *Fortitudo Ignatiana* occurrit, quæ indubium magnæ sanctitatis est argumentum. Deus enim, qui cum tentatione facit proventum, neminem in tentationis campum producit, quem insigni gratiâ non communiat: & gratiæ sedulò *OCVLIS ATQVE VNGVIBVS ÆQVE* cooperantem, nec obicibus intercurrentibus ignavè cedentem, sed *FORTITER ET CORDATE* obnitentem, novis gratiæ incrementis cumulat. Quanta autem fuerit *S. Ignatij* in tot adversis fortitudo, quanta in durissimis casibus constantia, in jugibus ægritudinibus tolerantia, quis de condigno possit explicare? Vniversa ejus vita juge fuit martyrium, præ angoribus ab assiduis in se ac suos persecutionibus; præ corporis affectu, ex magnæ molis lapide intra hepar deprehenso, proveniente; præ zelo Domûs Dei, quo cum infirmantibus infirmabatur, & cum patientibus scandalum urebatur; sed & præ continuâ & contentâ in Dei causâ sollicitudine, quæ illi infinitorum laborum sementis & exprimendæ fortitudinis quotidiana necessitas fuit. Ardua quæque & difficillima sustinuit invictissima charitas S. IGNATII. *Ad majorem Dei gloriam*, & superavit cordatè Chrysaëtus: & sic

Silius Ital. l. 4. *Explorant adversa viros, pérque aspera duro*
Nititur ad laudem virtus interrita clivo.

272. S. Ignatii gloria, ex cælesti beatitudine & miraculorum radiis illustrata. *Aquila magnarum alarum* S. IGNATIUS, quibus volavit super pennas ventorum, tanquam feracissimis cælestium fructuum brachijs! Expansâ & expensâ *Gratiæ* alâ, nunc proclive est de ejus in cælo *Gloriâ* statuere; & utcunq; æstimare, quibus ille voluptatibus pro tot superatis ærumnis colliquescat, quibus abundet lætitijs ingressus in gaudium Domini sui; ad quem pro charitatis mensurâ penitiùs intratur, propiúsque acceditur ab eo, qui *dilexit multùm.* Et quis dubitet, *Ignatium* ad cælestem gloriam fuisse enixum, quando ipse erat Legislator illius celeberrimæ Societatis, à gloriosissimo & sanctissimo Nomine JESU assumentis auspicium; de quo S. Ambrosius multò securius, quam de Chrysaëtû agmine protulit sententiam. *Non hic Aquila militares, neque volatus avium exercitum ducunt: sed tuum, Domine IESV, Nomen & cultus.* S. Ambrosius l. 2. de fide. Principalis est gloria cælestis, quæ S. Ignatij eximijs meritis, ac heroicarum virtutum ornamentis debebatur; debebatur vitæ non in carne, sed in spiritu exactæ; debebatur mystici mundi nitentissimæ ac beneficentissimæ animæ; debebatur secretiori à terrenâ colluvie, & à caducis & fluxis omnibus abstracto spiritui; debebatur infractæ ad omnes molestias & difficultates fortitudini; debebatur contentissimis in Dei causas studijs, & inexhaustæ sempérque infatigatæ pro animarum procuratione sollicitudini. Oportuit hæc omnia vincere *Ignatium*; & cum Chrysaëto *QVO DIFFICILIVS, EO PRÆCLARIVS* post emensos Herculeos labores *intrare in gloriam suam*, quæ à Domino Majestatis parata est omnibus sanctis ejus. Quòd si verò Deus cælestem sanctorum suorum gloriam non rarò facit etiam miraculis testatam; si quis ad conjectandam repensæ in cælo gloriæ sublimitatem ex heroicarum virtutum actibus haud moveatur, non desunt miracula, quibus fidem eximiæ *S. Ignatij* in cælo gloriæ conciliemus: quin imò innumera suppetunt, & omnis generis miracula, ad ejus plam interpellationem patrata. Appensæ circa ejus lipsanas & altaria tabellæ, quibus plerique se reos votorum profitentur, monumenta sunt divinorum operum, quibus eum Deus honestare non desinit. Constat claudos, mutos, surdos, cæcos, & cum morbis insanabilibus ac gravissimis conflictantes, eo apud Deum sequestro & advocato persanatos. Energumenorum agmi-

agmina, à quibus infernalem hospitem depulerit, preferri possunt; sed & diaboli exhorrescunt vel sol m *D. Ignatii*, potestates tenebrarum expugnantis, NOMEN; & infestare cessant locum, vel personas hoc illius terribili Nomine signatas. Levatas in partu mulieres, & sospitatas proles, recensere potest nemo: nam quòd juvandæ & instruendæ teneræ ætatis curam adhibuerit, hanc ei nominatim gratiam rependit Deus, ut educendis in lucem parvulis veluti obstetricetur, eductos foveat, ac partûs & educationis discriminibus subducat. Et si etiam nulla prorsus per *S. Ignatium* Deus præstitisset miracula; in eo tamen fuisset summum ac maximum miraculum (ut loquar cum Petro Damiani, se propter suum S. Dominicum Loricatum excusante, quòd ejus nulla miracula recitaret) hominem fragili adhuc carne circumdatum, & sæculari pulvere priùs obfuscatum, post conversionem suam nunc angelicam vitam ducere, & seipso fortiorem quotidie evadere, adeò ut inter quàm plurima hominum millia vix unum ejus similem valeas reperire. Fuisset in *Ignatio* summum miraculum (ut Ludovici Granatensis, viri in Ecclesia Dei & Ordine Dominicano, sanctitate & doctrinâ celeberrimi, arbitrium de hoc sanctissimo Societatis JESU Fundatore reproducam) quòd homo militaris vix primis literis tinctus, & licentiæ Castrensi innutritus, turbidissimo tempore è tot disjunctissimis nationibus, igne ferróque mutua odia pascentibus, inter tot obices, à fidei domesticis, à clancularijs hæreticis, à personatis sacrorum Cœtuum alumnis, non quæ Jesu Christi sunt sed sua quærentibus, tam brevi tempore & perfecerit, & per omnes quaquaversum orbis oras tanto Ecclesiæ bono diffuderit novi modi, & ab anterioribus in plerisque discrepantis Institutum Societatis JESU. *Benedictus*, exclamat Granatensis, *horum verè mirabilium, & supra popularia quævis miracula illustrium primarius Author Deus!* cujus manus per Ignatium operata, rem adeo grandem, & nullo miraculo inferiorem perfecit. Fuisset ingens miraculum, tam frequens animorum depravatorum in melius à *S. Ignatio* per se & suos socios promota & obtenta immutatio; quam S. Bernardus ita mirabilem existimat, ut immutatum & emollitum à S. Malachiâ pervicacis fœminæ pectus, longè præferat suscitato à mortuis per eundem S. Episcopum defuncto. Juvat proinde in hac multiplicis gloriæ circumfusione affari Ignatium allocutione Hilarii ad suum Honoratum. [O magna & inclyta *Ignati*, tua gloria! Non indi, ut meritum tuum signis probari. Ista enim conversatio tua plena virtutibus, & admirationis novitate præcelsa, perpetuum quoddam signum ministravit. Multa quidem tibi divinitus, signorum specie indulta novimus; sed in his tu minimam tuam partem reputabas: majus tibi gaudium erat, quòd merita & virtutes tuas Christus scriberet, quàm quòd signa homines notarent. Et tamen quod majus signum virtutis esse poterat, quàm signa fugere, & occultare virtutes?]

Petrus Damiani de S. Dominico Loricato.

Ludovicus Granat. in Ep. ad Ribadeneyra data Vlyssipone 31. Iulij anno 1584.

S. Bernardus serm. de laudibus S. Malachiæ.

S. Hilarius de laud. Honorat.

273. Sed verò etiam Aquila nostra grandis considerari debet à *longo membrorum ductu.* Quoad literam quidē significatur robur & potentia Chaldæorum, quasi longe latèq; se extendens atque imperans. Membrorum enim exporrecta l ngi udo, appositè significat regni ejus amplitudinem & diuturnitatem: regnavit enim Nabuchodonosor 43. annis. Sed verò juxta Vatablum & Maldonatum ex Hebræo verti potest, *longis pennis*; ac per pennas possunt accipi metaphoricè hastæ, & equi velocissimi, quibus volare videbantur Chaldæi, juxta illud Jeremiæ: *Velociores aquilis equi illius.* Sed & *S. Ignatij* Imperium, quod in inexhaustæ Beneficentiæ pennis exprimitur, longè latéque per universum orbem sese diffudit. Ea quippe fuit in omnes S. Ignatij beneficentia; ut communis omnium Pater audiri possit, ac celebrari mereatur, etiam ab ipsis enatæ Societatis incunabulis, in quibus paternam

S. Ignatii admirabilis beneficentia in omnes status hominum.

Ierem. 4. v. 13.

ternam in omnes charitatē, pietatis sollicitudinem, & sollicitudinis affluentiā demonstravit. Cùm enim non posset ipse adesse omnibus, omnibus operam suam, imò & seipsum dare, effundere atq; impendere; paternâ curâ & affectu hoc effecit, ut dum *Ignatium* haberet Italia, *longo membrorum ductu Xaverius* occuparet Indiam & Japoniā, *Lainius* Galliam, *Rodericius* Lusitaniam, *Faber* Hispaniam, *Jairus* Germaniam, *Paschasius* & *Salmeron* Hiberniam, *Codurius* Veltram, *Bonadilla* Insulam Ænariam; sicq; Ignatius tam per se, quàm per suos socios, universam propè Europam, & Indiam, novósq; orbes, utpote cui *NON SUFFICIT UNUS*, effusâ atq; incredibili charitate est complexus. Neq; verò longis moris interpositis ad tot personarum genera, ad tot orbis plagas opem laturus accurrit; sed quod rectè æstimantibus admirationē meritò movit, simul propè, ac penè in momento universū orbem Ignatij Beneficentia pervasit. Ad omnes provincias, etiam transmarinas, & utrarumq; Indiarum ab orbe nostro segreges oras, ad Afros, ad extremos hominum Seres, ad Hyperboreos glaciali Oceano imminentes, tantâ pernicitate penetravit, ut videri alicui deberent *Velociores aquilis Equi illius*, nec advertatur sol exoriens promptiùs illuminare à montibus æternis. Malè habuit hæc tam subita *Societatis Iesu* diffusio Ecclesiæ hostes; usq; adeò, ut Philippus Melanchthon, combibonū Lutheri strenuissimus, animam mox vomiturus, hac de causâ suum contestatus sit cordolium. Sed singularem planè Dei in eâ citâ orbis pervagatione providentiam aperit & extollit insigniter Federicus Lamius, accomodans ad S. Ignatium & socios illud Isaiæ: *Ite Angeli veloces*. Quòd si verò beneficia sint potentissima arma & hastæ quibus etiam durissima hominum corda expugnantur; iterùm Ignatius hisce armis, *hoc longo armorum ductu*, cujusvis conditionis, ætatis, & sexûs homines ingenti & publico bono devicit. Ad omnes quippe extendit se Ignatij Beneficentia, Ethnicis, Judæis, Hæreticis, & cujusvis Ordinis Christianis impendit

Florimundus Remondus l. 5. c. 3. hist. hæres.

Lammius de vocatione gentium. Isa. 8. v. 2.

operam. Nec Primatibus duntaxat & Magnatibus, aut tantùm doctis & in solio Reipublicæ versantibus laboravit, sed omnium planè mortaliū commodis se consecravit. *Omnibus*, planè, inquam, omnibus; divitibus, pauperibus, peritis, sæcularibus, Regularibus, Clericis, Laicis *omnia factus est, ut omnes lucrifaceret*. Non impertinenter hîc adductum vobis videatur insigne encomium, quod in S. Basilio panxit Nazianzenus, sic perorans. [Adeste jam, ac me circumsistite, omnis illius chorus tam qui sacrarij estis, quàm qui inferioris ordinis, tam qui ex nostris, quàm qui ex exteris: encomium mecū conficite, alius aliam quampiam illius virtutem exponentes: & conquirentes qui thronis insidetis, Legislatorem; qui Rempublicā geritis, civitatis principem, ac velut conditorem; plebei, moderatorem; literarum studiosi, præceptorem; virgines, pronubum; conjugatæ, pudicitiæ Magistrum; solitarij eum qui vobis pennas addebat; cœnobiaci, judicem; simplices, itineris ducem; speculationis amantes, Theologum; hilares, frænum; calamitosi, solatium; senes, baculum; juvenes, pædagogum; pauperes, largitorem; locupletes, dispensatorem. Quin mihi quoque videntur, & viduæ patronum suum laudaturæ, & orphani patrem, & pauperes pauperum amatorem, & peregrini hospitalem, & fratres fratrum amatorem, & ægrotantes medicum, cujuscunque volueris morbi & medicinæ, & sani sanitatis custodem, omnes denique eum, qui omnibus omnia factus est, ut omnes, aut certè quamplurimos lucrifaceret.]

Nazianzenus orat. 20. de S. Basilio in fine.

274\. Quod sequitur de Aquila nostra grandi, quòd sit *plena plumis versicoloribus & varietate*, adinstar pavonis; intelligi potest de exercitu Nabuchodonosoris ex varijs gentibus conflato. Vertunt septuaginta, *plena unguium*, hoc est, militum rapacium. Sed & plumæ apud Cornelium a Lapide, & cōmunem loquendi usum, significant opes & gloriam, quibus solent magni Principes *OCULIS ATQUE UNGUIBUS ÆQUE*, sicut Aquilæ prædæ, insidiari. Clarissimè in præsentem explicationē S. Gregorius

S. Ignatius à varietate passionum commendatur.

S. Greg. l. 38. mor. c. 19.

Aldrovandus Ornith. c. 2.

gorius M. & Aldrovandus collimant; è quibus posterior, rerum Ornithologicarum facilè princeps, sic ait. *Plumæ significant opes, quibus affluebat; varietas plumarum, gloriam rerum ab eo gestarum; ungues, armorum horrorē. &c.* Chrysaëtus noster Ignatius plenus est plumis & varietate virtutū omnium, præsertim heroïcarum; ut mirum non sit, si toties per varios casus evulsæ sunt plumæ.

S. Hilarius de Honorato.

Rectissimè dixit Hilarius Arelatensis de Honorato: *Magni viri multa patiuntur, & ut alios pati doceant, nati sunt in exemplum.* Ex hac plumarum evulsarum varietate Deo sit gloria, qui *B. Ignatium* dignatus est vocare in partem *Magnorum*, & in partem fortis Sanctorū in lumine! Factus quippe est omnium peripsema, & probatus in carceribus, in calumnijs, in opprobrijs, in tribulationibus & ærumnis quibuscunq: sæpè raptatus ad tribunalia, sæpè plagis contusus ob Dei causam, sæpè proscissus verborum injurijs. Quot sanctificavit carceres! quot sannas devoravit! quot iniquissimis criminationibus patuit! Instabilis sæpè est factus, sæpè expulsus, & sede propriâ exturbatus ut noxius, ut nefarius hypocrita, ut sator turbarum, ut religionis eversor Quantum se Athletam in fame & siti, in frigore & nuditate præbuerit, licèt hæc magnis animis minuta videantur mala, clariùs haud oportet edoceri; utpote quòd satis esse videatur, illas extrinsecas *S. Ignatij* ærumnas, velut plumarum varietatem, quà factis, quà verbis, in ejus famam & nomen, ipsámq; vitam grassatas, tetigisse: ut compendiosè meruerit vel *Martyr incruentus*, vel potiùs (quo titulo S. Cyrillus ab Alypio Episcopo ob gravissimas & longè plurimas, quas à fidei hostibus acceperat, insectationes atque calumnias donatus est) *Martyr in otio* nuncupari. Sic certè cum Chrysaëto.

Horatius l. 3 od. 2.

Virtus recludens immeritis mori
Cælum, NEGATA TENTAT ITER
VIA:

Et quam *nil fulmina terrent*, per tela, per hostes interrita virtus *SVDVM PER NVBILA QVÆRIT.* Et ne putetis, magna aggredi, & fortia pati, decoris Ignatianis duntaxat esse proprium; etiam Pulli Juvenculi Aquilæ à generositate Parentis *NON DEGENERANT*: nam ut dicit S. Petrus Damiani. *Iuxta conversationem parentum sæpè proveniunt merita filiorum; ut & honestis progenitoribus proles honesta respondeat, & reprobra reprobris in pravitate concurrat.*

S. Petrus Damian. serm. 19.

Societatis Iesu varia decora adducuntur.

Plena plumis & varietate. Si vobis 275.
mirabile videatur, Societatem à *S. Ignatio* institutam, post tam ingentes persecutiones, ærumnas & calumnias salvam & incolumem, imò seipsâ semper majorem evadere; id inde provenit, quia post multas tempestates, & solis ardores, & aëris injurias *renovabitur ut Aquilæ juventus ejus.* Et quod dicitur de pennâ Aquilæ: quòd, si quo modo inter aliarum avium plumas aut pennas ponatur, occultâ quâdam virtute huic regiæ aliti propriâ *CVNCTAS DEVORAT VNA*: id ipsum invictissimâ suâ tolerantiâ præstat Societas, quæ bene plumata, inter ardentissimos Dei & proximi amores, injurias, criminationes, & persecutiones *devorat omnes.* Bene & pulchrè plumata est Societas Iesu & regularum ordinatione, & virorum præstantissimorum varietate. Etquidem si pulcherrima plumarum dispositio, & firmissima radicatio inspiciatur; *VI NVLLA INVERTITVR ORDO*; nec regularum ordinatio in Societate vel temporum injurijs, vel humanæ infirmitatis deflexione hebetatur. *Nihil magis*, inquit Vegetius, *prodesse constat in pugnâ, quàm ut assiduo exercitio milites in acie dispositos ORDINES INDESINENTER OBSERVENT.* Hinc refert Plutarchus, quòd *Quamvis rei militaris omnium Spartiatæ peritissimi, & summi artifices; nullâ in re æquè laborabant, ac ne dissolutis ordinibus inconditi fluctuarent.* Nullâ in re æquè laborat Societas, quàm ut suppetat copia probatorum Spiritûs Præfectorum; ut spiritus orationis non deficiat; ut mutua animorum conjunctio non exolescat; ut virtus obedientiæ vigeat; ut obeundarum Missionum studium novos accipiat stimulos; ut scientiarum utilium & necessariarum exercitatio nova incrementa suscipiat,

Vegetius l. 1. c. 26.

Plutarchus in vita Pelop.

Cæ-

Cæterùm ab eâ exactè observatur id, quod sapientissimè constituendæ religiosæ disciplinæ Magister S. Bonaventura noster admonuit: scilicet errare eos, qui existimarent perfectam Religionem esse censendam, quæ prorsus vacaret defectibus; quod in hac vita non est sperandum: sed eam demum Religionem optimè habere existimandam, in qua defectus per superiorum vigilantiam & præcluderentur pro viribus, & plecterentur admissi. Sic enim in religiosis castris *vi nullâ invertitur ordo*; præsertim quando tam firmatus accedit Religionis zelus, ut quilibet moribus & vitâ videatur exprimere id, quod S. Gilbertus, Reformator Canonicorum Regularium in Diœcesi Lincolniensi, & Constitutionum suarum zelantissimus solebat dicere: *Priùs se guttur secandum daturum, quàm permitteret primam sui, vel suorum professionem, aut Ordinis statuta relaxari. Plena plumis & varietate*; hoc est, quod ad alteram hujus digressionis partē attinet, Societas Jesu virorū præstantissimorum varietate excellit. Est enim velut hortus amœnissimus, lilijs & rosis vernans, progerminans copiosam sanctorum Dei Servorum seriem: qui virtutum omnium, sed charitatis maximè exercitatione indefessâ, ad magnam meritorum sublimitatem pertigerunt, citra sanguinis in causâ Dei profusionem. Hos lilia dico, candore nitentissima. In hoc floreto Franciscum Xaverium, Franciscum Borgiam, Aloysium Gonzagā, Stanislaum Koskam, tanquam apertissimos cæli flores, de quibus Ecclesiastico suffragio claris Fidelium judicia vacillare non possunt, venerabundus amplector: & quia de pluribus, ut Petro Canisio, Josepho Anchieta, Joanne Berchmanno, Ludovico Pontano, Petro Cottono, Bernardino Realino, & alijs pluribus affulget spes, etiam hæc lilia ad Beatificationis maturitatem deventura; hinc eorum propullulantes culmos, & suavissimum sanctitatis odorem, oculis naribusque pientissimè prægusto. Sed verò in hac florum varietate nec rosarum purpuræ desiderantur; Testes in-

Offic. Can. Regular. Lateranens. 4. Feb.

quam Fidei, qui proprio sanguine Ecclesiæ confessionem generosè obsignârunt: quorum tres judicio Ecclesiæ cum nostris Japonensibus BB. Martyribus probati, Paulus Michi, Joannes de Goto, Didacus Quizai, oppetitæ pro Christo mortis aureolas in cælo reportaverunt. Aliorum centuriæ idem decus ab Apostolicâ Benignitate præstolantur, tanquam exploratæ Fidei defensores; qui OCULIS ATQUE UNGUIBUS ÆQUE pro gloriâ Dei, & ejus in terris Ecclesiâ, fortissimi & invictissimi decertaverunt. Quid de illorum varietate dicam, qui misericordiæ operibus immortui, & lue contacti, inter sublevandos ex charitate, & de salute animarum in corporum strage periclitantes, vitam pro Deo profundere non exhorruerunt? Quid de illis, qui acerrimis scriptis & dictis contra Sathanæ errores decertaverunt, & supremas orbis cathedras suis solidissimis doctrinis illustrârunt? Ex hac plumarum varietate gloria cælestis *S. Ignatij*, gratiæ ei partæ cōmensa, æstimetur; & vel ex eo superpondio amplificetur, quod duci potest ex affuturis Parenti optimo in Beatitate per totam æternitatem tam præclaris Filijs: prout generatim de resurrecturis cum sancto Fundatore suo omnibus electis Religiosis, simùlque consummatam gloriam subituris, prosequitur S. Odo Abbas.

S. Odo serm. de S. Benedict.

276. Fr hic noster cordatissimus Chrysaëtus, tam sanctè deprædicatus, tam eximiè illustratus, tot prærogativis insignitus, *Venit ad Libanum, & tulit medullam Cedri*. Secundùm literam hoc refertur ad Regem Nabuchodonosorem, qui Dei ductu & imperio venit in Judæam, & in Vrbem Jerusalem. Libanus enim, terminus est Judææ; cujus metropolis erat Jerusalem: quæ altitudine & candore murorum, ac densitate palatiorum ex cedris Libani constructorum, assimilabatur ipsi Libano; unde *tulit medullam cedri*, hoc est, stirpem regiam cum suis Principibus & optimis thesauris transtulit in Babylonem: prout S. Gregorius commentatur. *Nabuchodonosor quasi Aquila Iudææ celsitudinem petens, nobilitatē regni ejus,*

Medulla fructuum S. Ignatii in Ecclesiam.

S. Gregorius l. 31. moral. c. 17.

 quasi

quasi medullam cedri abstulit; & dum tenerrimam regum prolem à regni sui culmine captivando sustulit, quasi summitatem frondium ejus avulsit. A literâ ad nostrum Ignatium me reflecto: qui ad Libanum tunc venit, quando toti Ecclesiæ Romanæ, & Christiano Orbi *medullam Cedri* aperuit; & si quid in Religionis officijs, vel scientificarum facultatum exercitijs eximium esse poterat, medullitus aperuit, penetravit, obtulit, perfecit. Est Cedrus arbor semper florida, quæ & *IN FLORE FRUCTUM* gerit, & in fructu *SEMPER FLORE NOVO* virescit; decora, procera, redolens, & fœcunda: ut rectè canit Fracastorius. *Fracastorius, Syphyl.*

Sic tibi sit semper viridis coma, semper opaca,
Semper FLORE NOVO redolens; sic semper honesta
Per viridem pomis sylvam pendentibus aureis.

Hæc cùm sint fragrantia decora Cedri quoad extrinsecam plantæ venustatem, id quod intrinsecus latet, scilicet *medulla*, florem utique & extrinsecum ornatum administrans, longè præstantiori encomio erit respiciendū. *Tulit medullā Cedri* S. Ignatius, non diripēdo, sed componendo; non extinguēdo, sed fovendo; non annihilando, sed animando; non auferendo, sed afferendo. Et erat fructus frondium ejus *semper FLORE NOVO redolens. Tulit medullam Cedri* S. Ignatius, quando sanctam, puram & incontaminatam fidem non tantùm in Europâ adversùs hæreticos stabilivit, *OCULIS ATQUE UNGUIBUS* sese opponendo veritatis eversoribus; sed etiam in novo orbe Americano, quàm latissimè patet, ac insuper apud Indos Eoos, atque Japonios, Sinas, Cochinchinenses, Tunquinenses, & alias oris nostratibus inauditas regiones felicissimè propagavit: nequicquam frendentibus jam olim Calvino & Melanchthone, & peracerbè audientibus, Gentem convulsam ac dilaceratam, sedentē in tenebris ac umbra mortis, hoc novo jubare affulgente squammas abijcere, quibus præpediebatur. *Tulit medullam Cedri* S. Ignatius, quando ignorantiam nostrorum Mysteriorum, admodum opacæ nubis instar oris Catholicis incubantem, abstulit & discussit; doctrinæ Christianæ traditione pueris ac rudibus, præcepto constitutâ, & voto cōcepto firmatâ. *Tulit medullā Cedri* S. Ignatius, quando disciplinas Theologicas in optimam formam composuit, & ut tuendæ solidæ fidei fervirent, non verò nectendis cavillis vano labore impenderentur, sollicitè providit; sed & prudētes eloquij mystici ac gnavos Sacrorum librorum Scrutatores instituit, hodiéque de altitudine Cæli procurat: in tantâ quidem, & tam gloriosâ frequentiâ præstantes, ut videatur facilius cæli sydera quam Societatis Theologos atq; Doctores recensere. Neq; enim poterant Pulli à *Chrysaëto* esse degeneres, quando S. Ignatius *Chryseo*, hoc est, aureo exercitiorum libello, statim in religiosæ vitæ tyrocinio edito, & calamo Scribæ velociter scribentis exarato, perq; Apostolicam Sedem comprobato, omnibus suis Theologis Filijs exemplo præivit. Ut in ipsum concinnè quadrare possit illud Petri Damiani de S. Marco præclarè dictum: *Ipse scriptor quidem prædicator extitit; idem quodammodo faber, qui & agricola; ipse sibi vomerem fabricavit, quo videlicet ad spargenda sanæ fidei semina humani cordis arva proscidit.* *Petrus Dam. serm. 2. de S. Marc.* *Tulit medullam Cedri* S. Ignatius, quando diligenter cavit, ne ancilla fastidium crearet dominæ suæ, néve Philosophica pronunciata cum sacrorū Dogmatū scientia colliderentur, eive aliquatenus incommodarent; sed potiùs Evangelico operario humana sapientia accederet perópportuna: id est, literatura humana saniori ac sublimiori Theologiæ famularetur. *Tulit medullam Cedri* S. Ignatius, quando depulsâ ignorantiæ caligine, quæ orbem premebat, lucē magnam eidem obtenebrato infudit; atque eò sollicitè incubuit, ut Fides & Scientia abundarent in terrâ: eò quòd sciret, *sine fide impossibile esse placere Deo*; scientiam autem esse validum fidei adminiculum, & magnum sanctorū morum adjumentum. *Tulit medullam Cedri* Sanctus Ignatius, quando insigne studium & fidelitatem erga

vir-

virtutum moralium præcipuam Religionem indixit; & Familiam suam peculiari religiosi voti nexu Romano Pontifici, qui est aspectabile universæ Ecclesiæ Caput, sanctè obstrinxit: insigni divinæ Providentiæ consilio excitatus, ut quando infrunitum Lutheri ac gregalium pecus, Romano Hierarchæ implacabile bellum indixit, infeliciter in posteros transfundendum; essent econtrario, qui obedientiam eidem nuncupato voto consecrarent, & amorem ac cultum cum deferrent ipsi, tum per alios deferendum, quanto possent studio ac zelo, *OCULIS ATQUE UNGUIBUS ÆQUE* anniterentur. *Tulit medullam Cedri* S. Ignatius, quando omni conatu per se & suos institit, ut non solùm Præsules Ecclesiæ, in quibus Christum conspicamur & colimus, sed etiam Sacerdotes minores, Clerúsque universus, essent venerationi: nam etiam Sacerdotes minores, cùm Altare subeunt, vestitu ipso ac externâ specie Christum præferunt, juxta Blesensem. Quare ex S. Pauli sententia duplici honore digni sunt: & in partem honoris venire dignum est cæteros, qui illorum veluti sunt appendices, ac subsidiariæ operæ. Et ne imperitum vulgus in privatis moribus debitam publicæ personæ reverentiam dedisceret, vires omnes contulit in Cleri compositionem; de Apostoli monito, obsecrans ut Patres, urgens ex sanctitate muneris, ex consequente animarum ruina, ex longè tetriore in eis noxarum labe, ut vitæ nitorem præferrent, qualem tanta eorum à quolibet fideli, etiam probo, distantia deposcit. *Tulit medullam Cedri* S. Ignatius, quando non tantùm Pœnitentiæ Sacramentum frequentandum persuasit; quod à S. Damasceno *altera piscina, & voluntarium ac laboriosum lavacrum*; à S. Augustino verò *Lixivium, nitrum, ac borith interioris hominis* appellatum est; sed etiam tantam provocavit orexin SS. Eucharistiæ, ut hæc jam non ampliùs esset annuus, sed quotidianus panis. Ubi proinde S. Ignatio pio Instauratori acceptus ferendus est hodiernus hac in

Blesens. carm. de Euch. c. 7.

S. Damasc. 4. Fid. c. 10.

S. Aug. serm. 11. ad Frat.

parte Fidelium fervor: qui sanè tantus ubique excrescit, ut revixisse videantur beata illa cunabulorum Ecclesiæ tempora, cùm Fideles erant in fractione panis juges convivæ, edeféntque pauperes ac saturarentur, ac laudarent Dominum, requirentes eum, viventes sacrâ Synaxi in sæculum sæculi. *Tulit medullam Cedri* S. Ignatius, quando prædicationis officium, in Ecclesia tam salubre & necessarium, purgavit & renovavit; quando & ipse, & eius socij, nullam de verborum pampinis sollicitudinem, nullam de plausu & laudibus agerent curam. Non arant in sabulo, nec inani labore consumuntur; sed jungendo dictis facta, pondus conciliant orationi. Et certè non sunt strepentes vocibus, ac moribus muti, sed vox eorum in factis resonat. Dato tametsi, non captato plausu venientes revertuntur, portantes manipulos suos. *Tulit medullam Cedri* S. Ignatius, quando, ut morbum in radice curaret, juventutem priùs absque culturâ sylvescentem, & dumis ac vepribus obsitam, suscepit componendam; illud circumspectissimè à Gersone, magni & profundi consilij viro, pronunciatum agnoscens, reparationem Ecclesiæ & eius culturam facto à parvulis initio esse suscipiendam. [Parvuli quippe apti sunt ad accipienda bonorum studiorum exordia, quia nondum falsas opiniones altiùs imbiberunt; quia nondum radicitus hærent perniciosæ adinventiones in eis. Utres sunt recentes, pro liquoribus optimis: novellæ plantationes, quæ sequuntur leviter, quò ducentis manus deflexerit: omnia hæc secus in senibus, plenis dierum malorum, quos citiùs frangas quam flectas. *Si potest*, inquit Jeremias c. 13. *mutare Æthiops pellem suam, & pardus VARIETATES suas; & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.*] *Tulit* deniq; *medullam cedri* S. Ignatius, quando non solùm communis Ecclesiæ Ager eius Apostolico spiritu excultus, in fruges Sanctorum operum feliciſſimè emicuit; sed etiam hortus conclusus Religiosæ vitæ, eiusdem S. Ignatij labore & industriâ præclaram omninò

Gers. de parvulis ad Christum trahendum, consid. 1.

faciem feliciſſimè recuperavit. Vix non evaſit cruentus Martyr, quando adhuc in ſæculo vivens Parthenonem (prôh, ſordis ignominiam!) in lupanar commutatum, ſanctis exemplis & ſalutaribus monitis ad Deum reducere ſatagebat. Exinde indefeſſus Divini honoris curator, in reſtituendam Cœnobiorum utriuſq; ſexûs diſciplinam incubuit. Quid mirum, in pleriſque locis, ubi defecerat, refloruiſſe diſciplinam regularem per impenſam operam S. Ignatij? cùm videamus, eiuſdem culturâ multos planè religioſam vitam in ſæculo duxiſſe. Ita ut ſicut priùs dolendum erat, multos diſſolutos & exleges ſub religiosâ tunicâ vivere ſæculares; ita nunc gratulandum ſit, plurimos in ſæculari converſatione vivere religioſos. Dicat nunc Theophraſtes de Cedro, quòd *ferat ſemper poma, alijs decidentibus, alijs ſubnaſcentibus, alijs matureſcentibus.* Dicat Dioſcorides, quòd hæc *Arbor ipſa omnibus anni temporibus ſit pomifera, ſibi invicem ſuccedente fructu.* Pronuntiet Plinius de Cedro, quòd inſit *materia ipſi æternitas. Itaq; & ſimulachra Deorum ex ea factitârunt.* Et quidquid regium eſſe poteſt, de hac arbore conglomerent Phyſiologi: ex his omnibus non folia aut ramos, non fructus aut ligna, ſed quod optimum eſt, *tulit medullam Cedri* cordatus noſter Chryſaëtus S. Ignatius.

Plin. l. 13. c. 1.

277. Hæc itaque ſunt decora & ornamenta S. *Ignatij*, quæ ſaltem in ſummitate virgæ tetigimus, & tenuiſſimis noſtris minutijs in cordato Chryſaëto expendimus. Sic venit ad Libanum *Aquila* illa *grandis*, ſicque *tulit medullam Cedri*, ut jam haud opus ſit cum Samuele interrogare: *optima quæq; Iſraëlis* & ſelectiſſima *cuius erunt?* Sic Eccleſiam inſtauravit S. Ignatius, non ſuccidit; ſicut Nabuchodonoſor ille, qui per *Aquilam grandem* Ezechielis fuit præſignatus. Sic ſqualor ille, qui Agrum Dominicum repleverat tribulis & urticis, depulſus eſt. Sic florens ille ſtatus, quem poſteritas orbi eſt gratulata, ad ſuam perfectionem reductus eſt. Non debetur tanta felicitas hæreſi; niſi dum nequiſſimo mortalium Proditori Judæ debet orbis, quòd per ejus facinus irrogatâ Chriſto morte, immenſis bonis & Servatoris noſtri meritis potiti ſimus. Ita planè hæreſis, & ejus fulcimentum Atheiſmus, ac ex utroque germinantes peſtes, vitæ adiaphoria & depravatus politiciſmus, Deum quidem permoverunt, ut mitteret Ignatium tanquam ſpiritalem Machaonam, aut terribilem Rhadamanthū; malignitati tamen emiſſariorum Sathanæ nil debetur, niſi deteſtatio & execratio. Vbi econtra univerſa tanti operis gloria in Deum refundenda eſt, tanquam omnis boni promotorem; & in Ignatium Divinæ Providentiæ inſtrumentum, decus & laudatio. Eum enim ad tot & tanta, cum adeò eximio renovatæ faciei terræ, & inſtauratæ Eccleſiæ bono conjuncta, ad id à Spiritu S. excitatum, & maximè opportunis medijs inſtructū, pronuntiavit Gregorius XIII. in diplomate anni 1582. quod incipit: *Quantò fructuoſiùs in colenda Domini vineâ ſe exercet veneranda Societas Ieſu.* Quam vel inde ſublimè radiantem in Chryſaëto meo ſuſpicio, quòd in compendio videatur *eminenter* continere, quidquid alijs quibuſcunq; Religioſis Ordinibus dignoſcitur decorè appropriari. Aſſerunt communiter Theologi, quodcunque opus Dei per nos editum, quod poſſit in proximi commodum cedere, ſuppeditare idoneum fundamentum fundandi peculiare Religioſum Inſtitutum, quod in illius operis exercitationem incumbat. Sic videmus in Eccleſia inſtitutam eſſe Religionem *de Redemptione* Captivorum, in qua S. Petrus Nolaſco charitate & ſanctitate emicuit: aliam floreſcere in affectu *miſericordiæ erga* curandos *infirmos*; ubi B. Joannes Dei oleum pietatis, & fragrantiam charitatis adhibuit: aliam in profitendâ Dei Providentiâ admirabiliter clareſcere; prout S. Cajetanus perfectiſſimas leges ſuo Inſtituto præfixit: aliam ad Pſalmodiam diu, noctûque ab utroque ſexu in eadem Eccleſiâ continuandam

Societ. I. ſu eminens perfectio ſuper alias Religiones.

1. Reg. 9. v. 20.

S. Thom. 2. 2. q. 188. a. 1.

andam

andam inclinare; prout S. Birgitta Deiparæ monitu pientissimè instituit: aliam ad serviendum morti propinquis, ad rudes informandos, ad fovendos conversos ab hæresi, ad emersas è cœni prostibulo alicariásque purgandas, & nitentes in futurum præstandas. Ubi varij prodeunt religiosorum Ordinum Sanctissimi Fundatores, Augustin. Flammeus, Franciscus Seraphicus, Dominicus Cherubicus, Bernardus mellifluus, Benedictus Patriarcha, Franciscus de Paulâ humillimus, Bruno solitarius, Basilius, Teresia, Clara, Salesius, & plurimi reliqui: qui omnes speciales Religiones ex speciali motivo in proximi bonum condiderunt, & in via Evangelicorum consiliorum post se traxerunt selectissimas fugientium de sæculo Animarum portiones. Sed & pro mensurâ perfectionis micantis in illo opere, Religio in ejus exercitium incumbens perfectionis suæ modulum accipit. At verò quanta est Ignatiano Instituto perfectionis *eminentia*, quando hoc omnium Religiosorum motiva ad proximi qualemcúnque sublevationem ordinata in suo cardine complectitur? Et cùm quilibet eorum, à quibus tale quodpiam speciale institutum initur, nomen suum impleat, si unâ illâ speciali elevatione defungatur; Ignatij tamen Alumnus, charitatem proximi nullo certo ac definito termino conclusam habet propositam. Ad omnes actus miseriæ alienæ relevandæ commodos cura ejus porrigitur, tanquam ad propriam materiam; ita ut propter omnimodam sui applicationem ad proximi salutem & ædificationem, lungè æquissimè, ac unquam Lanfrancus contra Berengarium subsannando blateravit, quilibet inclytæ Societatis JESU Alumnus dici possit *OMNIS HOMO.*

Lanfrancus adversus Berengar.

278. Animosa & honorifica hortatio ad S. Ignatii Imitatores. Et Vos, ô selecta Divinæ Prædestinationis Pignora! Vos ô præclara Societatis Jesu Sidera! Vos, ô genuini Aquilæ grandis, nec degeneres Pulli! qui *OCULO IRRETORTO* in Iustitiæ Solem Christum JESUM, vestræ Societatis divinissimum Ducem, vestros configitis animi obtutus! Vos, qui *ANIMIS ET VIRIBUS* intenditis in Sanctuarium Dei, & pro ejus gloriâ cordatè operamini! Vos qui *OCULIS ATQUE UNGUIBUS ÆQUE* pro Animarum salute cum infernali prædone dimicatis fortiter, superatis gloriosè! Vos, qui Spiritum, & Religiosam vestram perfectionem *IN ARDUIS* collocatam, cælesti conversatione solidatis! Vos, quos imitatio paterna in oculorum internorum acie, & alarum externarum volatu *PROBATOS FOVET*! Vos, quorum sublimata Exercitia Scholastica *cernunt terram de longè*, & ex alto scrutantur *PROFUNDISSIMA QUÆQUE*! Vos, à quibus quotidianis & quotannalibus recollectionibus spiritualis Juventus *ABLUTA VETUSTATE RENOVATUR.* Vos, quibus injuriarum & calumniarum congeries, vel strepitantium graculorum turba, *CONTEMPTU DIGNIUS ULTA* superatur: utpote quòd juxta Senecam, *Ingens animus, & verus æstimator sui non vindicet injuriam, quia non sentit*! Vos, quorum Charitas erga Deum & proximũ sese magis extendit, & cælesti flumine nutrita *SEMPER ARDENTIUS* operatur! Vos, quorum securitas super inaccessam rupem, Christum petram, nidificans, malignantes ex omni parte *DRACONES ELUSIT*! Vos, quorum gloriosa, religiosa, & victoriosa *AGMINA DUCIT* S. P. IGNATIUS *Aquila grandis*! Vos denique, quibus & præ animi capacitate, & præ entium metaphysicorum subtilitate, & præ meritorum amplitudine *TERRENA SORDENT.* Insistite indoli Ignatianæ, & operi nondum completo, cujus semper & ubique adest & occasio & necessitas: adhuc enim prædones sunt in Ecclesia, Ethnici, hæretici, mali Christiani, adversùs quos quotidie decertandum strenuè & cordatè. Sed & victoriæ decus ad nullum alium finem, quàm exemplo Patris vestri, *Ad maiorem Dei Gloriam* referte; certi, quæ gloria Ignatio ex ea sollicitudine in Dei & proximorum causâ obrigit, eandem vos quoq; à Domino, qui amat animas, nec operarios suâ mercede fraudat, in tempore per-

Ezech. 10. (Ezech. 17.)

Isa. 33. v. 17.

Seneca, l. 3. de ira c. 1.

perceptutos; illam scilicet undecunque plenam & perennem utriusque hominis sanitatem, quam sibi Theodosius IV. Orientis Imperator augurabatur, suo sepulchrali lapidi inscribens SANITAS. Eam ego vobis animitus ex hujus Chrysaëti volatu auguror: & dum inter tenerrimos in Vos Pietatis affectus in dicendo deficio, quod ab initio cum Pontio protestabar, meæ ignorantiæ tribuendum restat, quod tanto gloriæ pondere minus dixi.

Amen.



IN DIE INDULGENTIARUM DE PORTIUNCULA.

Die 2. Augusti.

PASSER DE LAQUEO EREPTUS.

Der freygelaßne Spatz.

LEMMA.

Cautior hinc.

THEMA.

Qui purificatur, offerat duos Passeres vivos pro se. Levit. 14. v. 4.

SYNOPSIS CONCIONIS LXXXVIII.

Ex ritu offerendi atque immolandi duos Passeres vivos ad mundandam lepram, juxta Levitarum Leges, apposita inducitur analogia originis, incrementi, atque emolumenti, celeberrimarum ac certissimarum Indulgentiarum de Portiunculâ, Ecclesijs Fratrum Minorum concessarum.

279. Passeris variæ qualitates ad Indulgentias de Portiuncula tractæ.



Ac tam festivâ concione, hoc tam populoso concursu, hac tam celebri solennitate, hac annuâ Dedicationis die, apertæ Gratiarum cælestium Portæ, Plenariæ Indulgentiæ *DE PORTIUNCULA* nuncupatæ, dum devotæ Auditorum meorum aures ex Ornithologicis nostris discursibus quidpiam rarum, decorum, affectuosum & ingeniosum requirunt, desiderant & præstolantur: non occurrit Aviculæ *Portiuncula* melior ad participandum, aut ad dicendum aptior, vel ad distribuendum articulatior, quàm vilis, obvius, furtivus, petulans, incautus, dolosus, clamosus, molestus, insatiabilis, litigiosus, ludicrus, deliciosus, diffidus & licentiosus PASSER. Quid enim pro rerum dicendarum amplitudine, & mirabilium proferendorum majestate, quæ ob temporis angustias intra tenuis oratio-

tionis terminos oportet constringere, optatius occurrat, quàm eâ dicendi libertate uti, quæ à primo Conditore est attributa Passeri, ut *erret, & in nullâ sede moretur*. Sit & dicendi copia mihi hodie libera, *sicut avis ad alia transvolans, & passer quolibet vadens*. Quidquid hodie sub oratione mea vestris attentis insonabit auribus, vel in compendio grave, vel in consequentiâ proficuum, vel desideratum in emolumento, vel in exultatione animosum, aut in gratijs incomparabile, totum illud ex Passeris prodit decoris, atque etiam ex eius indecoris extrahitur; tametsi Passer me pro dilecto suo nec agnoscat Æsculapio, nec pro familiari Catullo profiteatur. Si Passer sit inhonorata, vilis, agrestis, & dumalis avicula, in memoriam mihi refricat Christum Salvatorem, qui se propter nos humiliavit, & formam servi accepit: si cinereo apparatu sit plumata, exhibet vestitum religiosum, ac pœnitentiæ habitum Seraphici mei P. Francisci: si communis, & inter vulgares volucres sit reputata, obversantur lucro Indulgentiæ universales & plenariæ, omniū Religioni ac devotioni expositæ, *de Portiuncula*: si furtiva & ablativa sit avis, longè magis est rapax diabolus, animarum prædæ insidiando: si licentiosè & insolenter se gerat passer, etiam insolenter cupedias illectrices ad perniciem usque sectatur caro: si incautus & diffidus videatur passer, non absimili ratione mundus inter manifestas diffidentias versatur: si contentiosè & dissolutè inter suos greges circumvolet, nunc etiam mores, hominum sunt contentionibus & odijs expositi: si verò circumspectè & fugaciter effugiat laqueos, jam non ampliùs tantâ admiratione capior, dum innumeræ Christiadum turbæ, diabolicis peccatorum decipulis fascinatæ, sed verò hodiernis Indulgentiis plenissimis, corde contrito & humiliato, ab omni reatu culpæ & pœnæ penitus exsolutæ, & ex infernalis aucupis unguibus ereptæ, cum jubilo concinunt Regio Psalti: *Anima nostra sicut PASSER erepta est de laqueo venantium*. Rei igitur, totiúsque negotij hodierni cardo versatur circa immundum *Passerem*: qui etiam Deo Ter Opt. Maximo in antiquæ Legis tabulis placuit, quando præcepit sibi duos offerri *passeres*, in emundationem à leprâ carnis. *Qui purificatur, offerat duos PASSERES vivos pro se*. Appositè hæc *Passerum* metaphora in thema assumitur pro hac messe, & segete Franciscanæ Charitatis: neque enim frumenti ac tritici manipulis quidquam adeò familiariter appropiat, quàm *Passerum* cumulata societas, ut pinguiora & selectiora grana sibi suffureutur. Quod & vos facite, Auditores, *Passerum* more capessentes optima quæque *de Indulgentijs Portiuncularibus* ad impinguandam Animam, & verba salutis de ore meo suscipientes, in nomine Salvatoris nostri Jesu.

Prov. 26. v. 2.

Psal. 123. v. 7.

280. Nemo jam ampliùs *Passeres* in abjectam, despectam, vilem & contemptam trahat volatilium sortem, quando Altissimo placuit sibi in oblationem seligere, non gemmatos pavones, non sublimè volantes aquilas, non unguatos gryphes, nec anguivoras ibides; sed parvos, sed indecoros, sed teruncialis Passeres, qui à Sacerdote ad designatum in Lege ordinem occiderentur, dissecarentur, excruentarentur, vel dimitterentur. Nempe juxta præceptum Domini ad Moysen: *Hic est ritus leprosi, quando mundandus est. Adducetur ad Sacerdotem: qui egressus de castris, quando invenerit lepram esse mundatam, præcipiet ei, qui purificatur, ut offerat duos passeres vivos pro se, quibus vesci licitum est, & lignum cedrinum, vermiculúmq; & hyssopum: & unum ex passeribus immolari iubebit in vase fictili super aquas viventes: alium autem vivum cum ligno cedrino, & cocco & hyssopo, tinget in sanguine passeris immolati, quo asperget illum, qui mundandus est, septies, ut iure purgetur: & dimittat PASSEREM vivum, ut in agrum avolet*.

Passeris immolatio, & symbolisatio expenduntur.

Levit. 14. v. 2. usq. ad 8.

let. Simili quadam cæremoniâ debebat Sacerdos mundandi postes expiare, ad hoc, ut omnia jure legitimo evaderent munda, tam leprosus, quàm leprosi tabernaculum. Insolita immolatio, lex planè Ornithologica, plena symbolis & admirandis mysterijs: ad quæ penetranda officiosè Sancti Patres unàcum Doctoribus collaborârunt. Ad significandam humanæ mentis instabilitatem Abbas Ferrus pro symbolo utitur *Passeribus*, quibus inscribit: ET PASSIM VOLITANT. Et fortè hunc sensum deprompsit ex Hugone Victorino, sic dicente, *Sub Passeris nomine designatur instabilitas mentis in quolibet homine. Est enim PASSER avis inconstans, & instabilis, & ideo designat mobilitatem mentis.* Quæ utique inter malas passiones hominis vitiosi numeratur à fronte, juxta Satyricum:

Ioan. Ferrus Abb. in Symb.

Hugo Vict. l. 1. de Best. c. 27.

Iuven. Satyr. 13.

Mobilis, & varia est fermè natura malorum.

E contrà à SS. Patribus Augustino & Gregorio, sub *Passeris* nomine Justus seu Sanctus interpretatur: nam sicut passer in tectis domorum nidificat, & non in patulâ terrâ, ne fœtus rapiantur â serpentibus; sic justi jugis conuersatio in sublimi nidificat, & securè suos germinat animi fœtus: præterquam quòd Cornelius â Lapide addat paritatem Justi cum temperantia & circumspectione Passeris: non enim passer facilè laqueis irretitur, nec per ingluviem ventris escarum ambitione decipitur. Et si aliquando fortè decipulâ vel laqueo irretitus, iterùm liber evadat; *CAUTIOR HINC* factus, non facilè ampliùs permittit se ab aucupe circumveniri: nam juxta commune adagium,

Percussus bello, bella futura timet.

Justus Lipsius vel ideò hîc meritò adducendus, quia de Justis agitur & injustis, non vult capere, quòd Passer & quælibet avicula, postquam capta est, si iterùm in libertatem vindicetur, non *cautior hinc* evadat, & retium tendiculâ astutè declinet. *Homo*, inquit, *censetur prudentissimus animalium, at mihi stultissimus videtur. Quid ita? Nam cæteræ animantes, ubi semel offenderint, CAVENT: non vulpes ad laqueum, lupus ad foveam, canis ad fustem temerè redibunt: solus homo ab ævo in ævum peccat ferè in ijsdem.* Ex quo nunc duo patent de Passere symbola, sicut duo passeres in symbolo mundationis per Leviticum sunt allegati.

Iustus Lipsius l. 4. de Militia Dial. 10.

Sed verò meliùs ad explicandum mysterium accedendo, sub hisce duobus Passeribus videor mihi duos simillimos præsentari Amicos; quorum unus sit immolatus pro mundandâ generis humani leprâ, alter sit liber dimissus in agrum, ut avolet per universum mundum. Priorem in CHRISTO Redemptore nostro, posteriorem in FRANCISCO Seraphico Legislatore considerate. Et verò animos oculósque vestros in crucifixi JESU cruentam conijcite imaginem; & judicate, an non is ipse, qui apud Matthæum & Lucam suos discipulos hortabatur, ut omnem animum in Dei providentiam reponerent, utpote quòd *omnes ipsorum capilli numerati essent*, nec unus capillorum caderet sine permissione DEI: qui si Passeres pascit, garrulos, incurios & contemptos, quantò magis illos Electos suos pascet amicos & famulos, qui *multis passeribus meliores* & præstantiores acceptantur? An non, inquam, is ipse despectior factus sit Passere, quando numeratus est inter *novissimos virorum, & quasi absconditus vultus ejus & despectus*; ita ut à nemine reputaretur dignior capitis capillo. An non hic Servator noster JESUS factus est *sicut Passer solitarius in tecto*, quando ad mundandam nostrorum peccatorum lepram immolatus est in arâ Crucis; & *solus* pro omnibus satisfecit, *solúsque* à Patre cælesti, à discipulis & familiaribus, ac toto Mundo derelictus pependit. *Et unum ex Passeribus immolari jubebit in vase fictili super aquas viventes.* Jubetur hic passer expiatorius Leprosi immolati super aquas vivas, quæ sunt in vase fictili: quia hæ sunt puriores, ideóque purificationi aptiores. Erat Adam, humani Generis Pro-

28). Passeris immolatio Christum denotat.

Matth. 10. v. 31. & Luce 12. v. 7.

Isa. 53. v. 3.

Psal. 101. v. 8.

Protoparens, vas fictile; erat testa terrestris, eo ipso loco in monte Calvariæ reposita ad sepulturam, quo juxta Jeremiæ prophetiam, Messias in trabalem Crucem erat agendus, & pro totius massæ humanæ reparatione immolandus. Et quidem Passer ille Leviticus collo retorto occidebatur, ut sic per vulneris aperturam sanguis affluenter promanaret. Christus verò *inclinato capite emisit* in Cruce pendens suum *Spiritum*: tum ut reconciliato Adamo, subtus Crucis pedem sepulto, osculum pacis hac inclinatione offerret: tum ut promptum sese exhiberet ad exequendum Patris mandatum; *ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te*: tum etiam, ut pro suâ humilitate & modestiâ aversionem ostenderet ab illo regio titulo, quem noverat super caput patefcere erectum. Sed verò Passer immolandus ita configebatur lancinatione ad collum, ut profluens sanguis à suppositâ aquâ fontanâ ad permixturam exciperetur; & sic commodè posset tam leprosus mundandus, quàm postes leprosi conspergi. Sic & Christus in latere perfossus lanceâ liberalem sese exhibuit, quando *continuò exivit Sanguis & aqua*. Qua utriusque humoris sacratissimi affluentiâ figurabat duo, Baptismi atque Eucharistiæ, Sacramenta; quorum effectus sit, à peccatis purificare, & purificatum gratiâ sanctificante perficere. Erat hæc Sanguinis & Aquæ permixta exhibitio opportunum argumentum, suum immensum amorem demonstrandi: quo ita efferbuit, ut longè honestiori prodigalitate, quàm ille Filius prodigus in tam penetrantem parabolam adductus, pro nostrâ reparatione omnē suam substantiam, hoc est, aquam & sanguinem dissipaverit. Erat juxta S. Hieronymum luculenta hæc præsignatio, quâ per aquam fideles suos Electos, tanquam dilectos Filios, emundaret à peccatis ad vitam: per sanguinem verò suum pretiosum perfidos atque iniquos judicaret, & condemnaret propter peccata ad pœnam sempiternam.

Jerem. 18.

Matth. 11. v. 26.

Joan. 19. v. 34.

S. Hieronymus in c. 3. Joan.

Præclara significatio, manifesta interpretatio, argumentum in mysterio deprehensum & revelatum. Sed quid cum altero Passere auspicetur Sacerdos, qui coccineo filo alligatus erat aspergillo, confecto ex cedro & hyssopo? *Et dimittet Passerem vivum, ut in agrum avolet*. Juxta Cornelium à Lapide, aspergillum hoc, quo expiabatur leprosus, erat tale: virgæ cedrinæ alligabatur in summo passer vivus, ita ut cauda emineret in extremo, caput verò esset aversum, & respiciens manubrium: huic virgæ simul cum passere alligabatur coccus & hyssopus, ita ut summitas virgæ, id est, passeris cauda & alæ cum cocco & hyssopo mergerentur in aquam vivam sanguine passeris occisi infectam: deinde educebatur hæc summitas virgæ, eâq; aspergebatur purificandus. Advertunt verò Hebræi, quòd Passer vivus in quinque partibus fuerit conspersus, seu tinctus sanguine passeris occisi; nempe in duabus alis, & in duobus pedibus, & in pectore. Ecce, perpulchra & speciosa applicatio ad meum sanctissimum Legislatorem, & Seraphicum Patrem FRANCISCUM! Ipse enimverò est selectissimus ille Dei amicus, qui coccineo Divinæ inscrutabilis Prædestinationis funiculo potenter attractus, & Evangelicæ Vocationi indissolubili vinculo mancipatus, universo orbi insolubile erexit Apostolicæ perfectionis argumentum; quando abdicatis cunctis terrenis bonis & juribus, generosâ resolutione delicias in asperitatem, gaudium in planctum, divitias in egestatem, libertatem in mancipatum, splendorem in obscuritatem, pompam in cilicium, & sæculum in Religionem convertit, atque Evangelica consilia ad apicem perfectissimæ observantiæ evexit. Erat *Franciscus* non tantùm pretioso sanguine JESU Christi in quinque partibus, hoc est, latere, manibus, & pedibus tinctus; sed etiam ejusdem sacratissimis Stigmatibus in monte Alverniæ insignitus, admirabili quadam Divinæ gratiæ, & Seraphici amoris virtute. Verè Passer S. FRANCISCUS, in Levitico

282 S. Francisci laudes & merita' occasione passeris gravitet & impediantur

Levit. 14. v. 7.

Corn. à Lap. super Levit.

vitico præfiguratus: qui alligatus redolenti hyssopo veræ & constantis erga Divina mysteria Fidei, & rectissimæ cedro inconcussæ erga cælestem præmiationē spei innixus, tandē coccineo sui Seraphici Amoris vinculo constrictus, sanctitatis suæ phenomenis illustravit orbem; & Ecclesiam militantem à ruinâ suis virtutibus erexit, terrámque miraculis, cælum verò jubilo & exultatione irradiavit. *Et dimittet passerem vivum, ut in agrum avolet.* Sic pro libertate stabat Passeris, *PASSIM VOLITARE.* Et ecce! quantâ cum libertate, quo apparatu, quêis tincturis & alis supremi tonantis Armiger, Incarnati & Plagati VERBI Ectypon *Franciscus* per mundi totius

Prov 26. v. 2. oras peragrârit, *sicut avis ad alia transvolans, & sicut passer quolibet vadens!* Quando à duplici Thesbitis Eliæ spiritu inflammatus in propriâ personâ, vel in Asseclis suis Minoribus Fratribus Franciscanis replicatus, ad Aquilonem & Austrum, ad Ortum & Occasum, in modum crucis transversâ lineâ sese extendit; Gentibus sanctam, Romanam, Catholicam & Apostolicam Fidem annuntiavit, sanctum Christi Evangelium disseminavit, peccatores ad Deum convertit, majorem Supremi Numinis gloriam promovit, militantem Ecclesiam ad ordinata virtutum & sanctitatis exercitia suberexit; & prædicando in suggestibus, docendo in pulpitis & Academijs, inter generosissima charitatis officia, exemplari conversatione & Apostolicâ vivendi regulâ, innumeros animarum fructus in æternæ beatitudinis horreum, in Ecclesiæ Sanctæ Matris gremium invexit atque reduxit. Jam ne admiratione confixi, aut suspensi hæreatis, Auditores, cur Franciscus ille parvulus, ille humilis & pusillus Homuncio, tam repentè & subitò tot terrarum orbis Provincias & Nationes in suam devotionem traxerit? Erat nempe Fidei publicæ chirographo munitus, & Apostolicæ vitæ prærogativâ insignitus, quêis penetraret ubique, & posset omnia; sicque tam veri Fratres Minores, quàm Pater eorum Seraphicus, essent *tanquam nihil habentes, & omnia possidentes*; velut ignoti, & ubique familiares; tanquam despecti, & passim respecti; sicut egentes, & sibimetipsis suâ professione sufficientes; atque omnia eminenter continentes per suum tam divinâ hæreditate occupatum, & præscriptum amplissimi animi suspirium: *Deus meus, & omnia!* Et certè, quia erat *Franciscus vir Catholicus & totus Apostolicus*, eiúsque Ordo tanti Patris æmulus, sed & uterque *Seraphicus*; hinc omnino tanta operationum pernicitas condecebat utrumque, ut ad Indos & Gatamantes, ipsámque extremam Insulam Thule, ad Turcas & Tartaros, ad Barbaros & Afros, ad Arcticos & Antarcticos, sese utriusq; virtus ac sanctitas diffundendo communicaret indesinē ter; *sicut avis ad alia transvolans, & sicut PASSER quolibet vadens.* Erat *Franciscus* sicut Passer in agrum avolans duabus alis (si etiam sex alæ Seraphin deficerent) & quidem duabus alis charitatis erga Deum, & proximum. Erga Deum ardebat ut ferrum candens, & ut carbo ignitus, forcipe Angeli depromptus ex supremæ Majestatis Altari: erat ut alter Elias admirabilis in inflammandis hominum animis, & sicut facula à Seraphico spiritu succensa ardebat eloquio. Erga proximum verò numeros & munus Seraphici Patris omnino explevit: nam pro salute hominum ita flevit calidè, ut vix non subiret oculorum obcæcationem; ita suspiravit ardenter, ut fermè elinguis evaderet; ita se gemitibus & angoribus afflixit, ut videretur in amaritudinis Oceanum conversus. Vt jam nemo ampliùs Amoris Seraphici variegatum & pernicem volatum obliquo debeat intueri oculo; si scilicet velut Passer

2. Cor. 6. v. 10.

Errat, & in nulla sede moratur Amor. Ovid. l. 1. de art.

Nam inter Passerem vivum, & Seraphicum Francisci mei beatissimi Fundatoris Amorem, opportuna interversatur symbolizatio: ideóque juxta Ottonis Venij emblemata.

Acer & irrequietus Amans ANIMO OMNIA VERSAT: Ardet,

Fruius Embl. Amorum 4.

Ardet, & haud ullis permanet ille locis.

283. Salomonis & Francisci Seraphici comparatio & antithesis.

Et hæc erat invictissima Seraphici Amoris emphasis, qua Franciscus *pauper & humilis* pro salute animarum ardentissimè zelabat. Hoc æstu percitus cum Seraphicis Spiritibus alas utrinsque charitatis extendebat super Arcam Domini; hoc est, super Animas, ut eas protegeret atque servaret. Vbi dum de Seraphim Arcam contegente agitur, nihil prohibet, quominus ad ipsum Templum Jerosolymis à sapientissimo Salomone tam magnificè, tam artificiosè, & tam pretiosè erectum, mentis oculos reflectamus: sed verò ita reflectamus, ut tamen etiam nostræ *Portiuncula* non obliviscamur. Illius, inquam, parvæ, solitariæ, depauperatæ Capellæ, haud procul à civitate Assisiensi in Vmbriâ constructæ ad honorem gloriosissimæ cælorum Reginæ; quam noster zelantissimus Evangelicæ Paupertatis Sectator Franciscus, à quodam Reverendissimo Ordinis S. Benedicti Abbate dono accepit: &, ut fundamentum cum suâ fabricâ esset proportionatum, illam parvulam Capellam appellavit *Portiunculam*; quia ibi suum Ordinem *Parvorum*, imò *Minorum*, Deo inspirante est auspicatus. Jam inter utrumque Templum, illud scilicet Jerosolymitanum in Palæstinâ incomporabiliter magnificentissimum; & hoc Assisiense in Italiâ incomparabiliter tenuissimum, quanta sit convenientia, observemus; imò magis, quæ differentia. Celebratur Dedicatio Templi Jerosolymitani: idipsum fiebat Assisij in Portiunculâ. Deus Jerosolymis in extraordinariâ Majestate præsentem sese demonstravit, offundendo in templo densissimam gloriæ suæ nebulam; ita ut Rex Salomon certificatus, innumerabilem populum ad venerandam Dei præsentiam hortaretur: *dixit Dominus, quòd habitaret in nebulâ.* Pariter Christus benedictus Dei Filius, unàcum gloriosissimâ suâ Matre, & solennissimo cælestis exercitûs apparatu, mediâ nocte, hoc est, inter nebulas præsentem se exhibet in Dedicatione *Portiunculæ.* Salomon Rex super duodecim tribus Israël potentissimus, post oblata holocausta & victimas maximas in Excelsis Gabaon, optionem accepit à Domino, sibi in somnis apparente: Salomon *Postula quod vis, ut dem tibi.* Sic & Franciscus prostratus ante visibilem thronum Divinæ Majestatis in valle Vmbrosa, accipit selectum impetrandi, quod affectar: *Francisce, postula quod vis, ut dem tibi.* Videamus, quid eximij uterque supplicando proponat, Salomon Rex, Franciscus homuncio; ille sapientissimus, hic simplicissimus; ille opulentissimus, hic pauperrimus; ille potentissimus, hic infirmus & humilis; ille tot Populorum Dominus, hic totius Christianitatis Servus? Si de sententiâ Athenodori agitur, nihil à Dijs immortalibus postulandum debet assumi, quod alijs possit molestum aut præjudiciosum cadere. Quid ergo præstolandum de petitione Salomonis; quem, dum omnes pro humanæ & divinæ sapientiæ oraculo venerantur, Sancti præsertim Patres Ambrosius, Eusebius & Clemens Alexandrinus, longè testantur superâsse & tersissimum Pythagoræ intellectum, & elaboratam Socratis prudentiam, & subtilem Platonis sensum, & solidam Aristotelis scientiam, & sublimem omnium Philosophorum doctrinam? Quid putatis postulaturum illum, cui Divini eloquij authoritas pro specialissimo Sapientiæ ornamento attestatur, quòd *disputavit super lignis à cedro, quæ est in Libano, usque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete?* Postulabit fortè Salomon à Deo Altissimo Regiones, & Populos? At verò erat Monarcha amplissimarum, simul & felicissimarum Provinciarum Arabiæ & Palæstinæ, à terminis Ægypti, à Nili allambentijs usque ad Mediterraneum mare extensarum? Aut certè supplicabit Salomon pro gloriosis ab hostium impetu victorijs reportandis? Sed verò erat etiam in pace terribilis vicinis Regibus, qui cum illo reverentialis amicitiæ fœdera, quæ contraxerant, ad nutum Prdæomi-

Marginal references: 3. Reg. 8. v. 11. — 3. Reg. 3. v. 5. — 3. Reg. 4. v. 11.

nantis obſervabant. Fortaſſis ſuo timebat capiti Salomon, & longævos vitæ dies meditabatur in corde ſuo? Non eſt hæc tanta Juveni Principi cura, utpote cui purus & calidus invenis ebullit ſanguis, & inter circulares ſpirituum vitalium motus lætabundus exultat animus. Auſcultate attoniti Auditores, & inter oblatarum gratiarum ſelectus quid intendat, excipite.

3. Reg. 3. v. 9. *Dabis ergo*, inquit poſt gravem deliberationem reſolutus, *ſervo tuo cor docile, ut populum tuum judicare poſſit, & diſcernere inter bonum & malum.* Digna tanto ſupplicante poſtulatio! Cor docile in aſſequendo, circumſpectum in practicando, illuminatum in cognoſcendo, maturum in diſcernendo, æquũ in judicando, & in inveſtigando ſapientiſſimum obtinuit Salomon; ita ut nec ſimilem ex anteceſſoribus in Sapientiâ ſuſpexerit mundus, nec ex poſteris Regibus ſit ſimilem prædicaturus.

284. Hæc Salomonis erat petitio, tam graviter & regiè propoſita, tam tenerè & ſolenniter enuntiata. Nunc quid FRANCISCUS noſter Seraphicus proob latâ gratiâ determinabit ſibi proficuum? quid poſtulabit ab Altiſſimo in valle Umbroſâ, in ſuâ Portiunculâ, Vir ſimplex & timens Deum, præmeditans ingreſſum & egreſſum ſuum: qui illis D. Pauli ſincerationibus ſibi virtuosè atteſtari poterat, *quòd* cum probis & humilibus *in ſimplicitate cordis & ſinceritate Dei, & non in ſapientiâ carnali, ſed in gratiâ Dei converſatus ſit in hoc mundo.* Quid poſtulabit *Franciſcus*, qui Evangelicâ ſuâ paupertate longe glorioſiùs ſatiabatur, quàm ille Prienenſis Philoſophus, qui in expoliatione ſuæ patriæ, dum alij pretioſiora ſibi ſurriperent, illos graviter riſit: aſſeverans aliqualem improperantibus imprudentiam, ſe ſatis magna & pretioſa ex direpta civitate extrahere, ſi ſemetipſum ſalvum & incolumem extulerit. Sic certè non affectabit divitiarum affluentiam, & rubiginoſos theſauros; nam hæc obliquo reſpuens oculo, reputavit ut detrimenta: nec ſpirabit ſapientiæ & ſcientiæ influxus, ſciens, quòd *quæ ſtulta ſunt mundi elegerit Deus, & ignobilia & contemptibilia, ut confundat ſapientes*: nec itidem ſuo Apoſtolico Inſtituto adſciſcet pro habitationibus magnifica & ſumptuoſa Palatia; nam hæc à ſuo fundamento *Portiunculæ* admodùm abſurdè diſcreparent: nec venabitur purpuras & infulas, aut Eccleſiaſticarum dignitatum præeminentias; de quibus prænoverat pericula & difficultates, quibus hujuſmodi ſublimia ornamenta, quantumvis in meritorum atque virtutum præmiationem collata, ſubſtructa ſatiſcerent. Quid ergo pro ſuo *Franciſcus* exponet deſiderio? Iam nunc gaudete & exultate vos, ô vos omnes miſeri Peccatores, delictorum veſtrorum laqueis irretiti! nam ecce Advocatum & Patronum, qui vos exſolvat! Procul hinc, ô Novatores hæretici, quibus Indulgentiarum gratiæ deſpiciuntur in ludibrium ſalutis. O te meam térque quatérque beatam Religionem, quæ tanti facta es diſpenſatrix theſauri! In hac cæleſti optione parturiebat *Franciſcus* animo non geminos duntaxat, ſed innumeros fœtus; & quaſi ſterilitatis impatiens ingeminabat fœcundiſſimo animo illa infœcundæ Rachelis conſilia, ita mariti ſui Jacobi adjutorium implorantis: *Da mihi liberos, alioquin moriar.* Genes. 30. v. 1. Ergo *Franciſcus* proſtratus in faciem coram Divinâ Chriſti præſentiâ, & tantorum Cælitum viſibiliter compatentium majeſtate, ardens amore, & humiliationis rubore ſuffuſus, *Animas*, inquit, *peto, Animas peto: dabis ergo ſervo tuo Animas pœnitentium*: qui ſi fuerint toto corde à peccatis ſuis ad te converſi, plenarias à te, ô Domine, obtineant Indulgentias, quotquot hanc parvam Portiunculam viſitaverint, & peccata ſua coram ſacerdote cum conſternatione animi fuerint confeſſi; ut expiati à vinculis delictorum, Te indulgente, etiam evadant immunes à cenſurâ pœnarum. Ita rogavit Franciſcus; &, quod à Bartholomæo Piſano aſſertum, *ſaluti animarum nihil eſſe præferendum*, id rariſſimo demonſtrauit

S. Franciſcus præcisè à Chriſto petit animas, & nihil aliud.

1. Corinth. 1. v. 12.

ſtravit exemplo; quando animarum ſalutem præpoſuit Regnis & ſedibus, & divitias nihil eſſe duxit in comparatione illarum: hinc ardor ille, quo flagrabat lucrandi animas, *Zelus ignitus & Seraphicus* meritò appellabatur. *Placuit igitur ſermo coram Domino, eò quod Salomon poſtulâſſet hujuſcemodi rem.* (3. Reg. 3. v. 10.) Longè ſapientior, felicior, & Salomone dignior *Franciſcus*, qui non duntaxat ſeipſum, ſed & plurimas animarum milliones, cæleſti gloriæ & æternæ ſaluti parturivit; cùm econtra de ſola Salomonis ſalute non conſtet, an ſalvatus, an ptobabiliùs fuerit damnatus. *Placuit ergò ſermo coram Domino, eò quòd Franciſcus poſtu âſſet hujuſcemodi rem*; ideóque præcipit ſupplicanti, ut quantocyus ſuum in terris Vicarium, Honorium III. Summum Pontificem accederet, ad confirmandam obtentam gratiam in Eccleſia militante, quandoquidem in cæleſti Curiâ jam innoteſcat ratihabitio expedita. Dictum; factum. Et licèt Summus Pontifex unàcum Purpuratorum Pattum collegio rem, minimè congtuam aut opportunam judicaret, quam tenuis homuncio *Franciſcus* prætenderet in manifeſtum Vaticanæ ſublimitatis præjudicium: quia verò miraculum Indulgentiarum roborabatur ſpectaculo duodecim Roſarum, ex Januarij algoribus collectarum; hinc nemo ampliùs tentabat aperite os contra Dominum; ſed ſine ulteriori Pontificio diplomate deſignabatur pro lucrandis Divinis Indulgentijs *de Portiuncula* dies ſecunda Auguſti menſis. Et rectè quidem à Veſperis ſecundis Vinculorum S. Petri inchoando; ut à delictorum vinculis abſoluti peccatores, de poteſtate clavium S. Petri acciperent, quod maximè deſiderarent.

285. Jam quis pro materiæ dicendæ amplitudine condignè explicet, quanto fidelium concurſu, quâ credentium ædificatione, quâ pœnitentium conſolatione, queîs miraculorum ſplendoribus hæ *Indulgentiæ* fuerint frequentatæ, & illuſtratæ? Non erit abs re, hîc in narrationem adducere, quod Philoſtratus de geſtis Apollonij refert. (Concurſus populi ad Indulgentias de Portiuncula.)

Is cùm Epheſios doceret, oportere eos mutuam nutritionis & ſocietatis communicationem præſtare, Paſſeres fortè in arbore quâdam taciti conſidebant: *Vnus autem ex ipſis tanquam alicujus ſingularis rei nuntius vocem emiſit, quâ viſus eſt cæteris aliquid prædicere. Quo audito reliqui clamorem tollentes, poſt ipſum volârunt.* (Philoſtratus l. 4. de vita Apollonij.) Tunc aliquamdiu tacuit Apollonius, ſciens quidem, quam ob cauſam Paſſeres volitâſſent, nondum tamen Auditoribus id enarrans. Vbi verò omnes in ſe converſos, & quaſi portentum aliquod admirantes aſpexiſſent, tunc rupto ſilentio ſic eſt locutus Philoſophus. Puer quidam effuſum frumentum in aream manibus demittens, cùm negligenter illud collegiſſet, abijt, multa grana paſſim in angiporto ſparſa relinquens: quæ cùm paſſer ille inveniſſet, cæteris (ut vidiſtis) nuntians, inventum cibum communicavit. His verbis permulti commoti, ad hoc viſendum cucurrerunt; ipſe verò cæteris qui manſerunt, cœptum ſermonem de communi ſocietate ſervandâ eſt proſecutus. Poſtquam verò, qui viſum ierant, cum clamore atque admiratione ſumma reverſi ſunt: Videtis, inquit Apollonius, quo pacto Paſſeres mutuam de ſe curam habeant, quantùmque communi gaudeant ſocietate; nos autem homines eam colere dedignamur? Poteſt hoc factum non malè accommodari ad Indulgentias, *de Portiunculâ* nuncupatas: eas enim haud opus erat Pontificio diplomate confirmare, aut per deputatos tabellarios notificare, nec tubis aut tympanis per univerſum orbem annuntiare. *Vnus rei nuntius vocem emiſit, quâ viſus eſt cæteris aliquid prædicere.* Vnus & unicus Franciſcus, velut Paſſer *dimiſſus, ut in agrum avolet*, expoſitum frumentum electorum, apertum theſaurum gratiarum, conceſſum Indulgentiarum Chriſti beneficium omnibus nuntiavit, ſuiſque prædicationibus intimavit; ac miraculi ſoliditate confirmavit. *Quo audito*, & per omnes regiones mirabiliter divulgatò, *reliqui clamorem tollentes*

poſt

poſt ipſum volârunt: ut jam pænè per mare, per terras, per montes & ſylvas, nulla via eſſet invia devotis Fidelibus, ad lucrandas Indulgentias de Portiunculâ gregatim advolantibus: ita ut eadem Populi frequentia in quibuſcunque Fratrum Minorum Eccleſijs, ad quas poſtea à ſummis Pontificibus præfatarum Indulgentiarum à Chriſto Portiunculæ conceſſarum extenſio facta eſt, cum incomparabili animarum emolumento quotannalia capiat incrementa.

286. *Indulgentiarum, & Suffragiorum ratio quanti habenda Christiano.*

Et verò quis ſanctæ & ſanæ mentis, quis timoratæ conſcientiæ fidelis, quis vel parum de ſuâ ſalute ſollicitus non adnitatur, pedibus & manibus repere ad lucrandas, & per modum ſuffragij obtinendas haſce de Portiunculâ Indulgentias; quando vel in genere participatio Suffragiorum communium, quà ſacrificio, quà orationibus in perſonâ Eccleſiæ fuſis exhibitorum, tanti venit æſtimanda, ut ab eorum fructu percipiendo excluſio vel alienatio longè damnoſiſſima cadere debeat carenti. Et certè orationis verè communis, totiúſque Eccleſiæ nomine fuſæ diſpendium longè maximum cenſeri debet. Nam ſi paucos aliquos, ſimul quidem quoad temporis & loci adjuncta, reverà autem non niſi concomitanter orantes, Deus faciliùs exaudit, juxta promiſſionem à Matthæo repræſentatam; (*Matth. 18.*) quantò magis orationem totius Eccleſiæ nomine fuſam certum eſſe debet exaudiri à Deo, cui Eccleſia in delicijs verſatur? Verbum Chryſoſtomi eſt, amabili ponderatione dignum. *Gratioſior Deo eſt Eccleſia, ac longè amabilior cælo ipſo. Siquidem cæli corpus non accepit, Eccleſia verò carnem aſſumpſit. Propter Eccleſiam conditum eſt cælum, non item propter cælum Eccleſia.* (*S. Chryſoſt. Serm. de expulſione eius.*) Sanè graviſſimi Doctores diſertè pronuntiant, orationem factam à Miniſtris nomine Eccleſiæ tantæ eſſe ad impetrandum efficacitatis, ut tametſi Miniſtri ſic orantes ſordeant peccatis, oratio tamen eandem vim impetrandi obtineat: quia non ſpectatur conditio Internuntij, quem exoſum eſſe ſupponimus; ſed ejus, cujus (*S. Thomas in 4. d. 45. q. 3. a. 1. Suarez, to. 4. 3. p. d. 48 ſec. 3. n. 3.*) perfert mandata, nempe Eccleſiæ, cujus nomine fit petitio. Eccleſia enim quatenus eſt unum Corpus myſticum, poteſt deſideria & petitiones ſuas Deo proponere per hunc vel illum: ea autem propoſitio, prout eſt ſignum voluntatis ac deſiderium Eccleſiæ, haurit ab Eccleſia vim ad exorandum & dignitatem. Licet enim nuntius indignus ſit, Deóque diſpliceat, Eccleſia tamen digniſſima eſt, ac Deo acceptiſſima. Eſt autem par ratio de cæteris rebus, ad quas impetrandas Eccleſia orationem ſuo nomine fundi mandat. Illud igitur damnum, quod hac ſuffragiorum communium privatione infertur, longè maximum debet eſſe, & tam dignum, quòd ſummo ſtudio declinetur. Et quia *Indulgentia* eſt participatio orationum, meritorum, ac ſatisfactionum Eccleſiæ, hoc eſt, Chriſti & Sanctorum: hinc damnum illatum ex earum carentiâ, aut privatione irrogatum, non debet niſi ingens reputari. Quàm enim optandum eſt, reatum ex peccatis condonatis ſuperſtitem alienâ impenſâ abolere, & contractorum nominum fidejuſſores, imò diſſolutores nanciſci locupletes & copioſos; ipſum, inquam, Chriſtum Dominum & Sanctos, è quorum reſiduis ſatisfactionibus inexhauſtus ille theſaurus conflatur, quem Eccleſiæ Rectores per Indulgentias erogant Fidelibus. Notum eſt, juxta antiquos Canones & priſcam Eccleſiæ diſciplinam, quantæ, quámque aſperæ pœnæ uni vel paucis lethalibus culpis imponerentur. De acerbitate quoque ſuppliciorum in emendatorijs Ignibus inferendorum, niſi ſordes peccatorum hîc, dum vita ſupereſt, eluantur *pænitentia lixivio*, (*August. Serm. ad fratres in Eremo, ſer. 31.*) dubitare non licet Catholico, in tam apertâ SS. Patrum conteſtatione de illorum ſuppliciorum gravitate. Quod ergo dignis pœnitentiæ propriæ fructibus eluere eſſet permoleſtum, in igne autem purgatorio expiare foret multò durius, ſummâ facilitate abſtergitur à peccatore, ſi *Indulgentias* conſequatur. Vt adeo ſtuporem non rarò injiciat ſtupor vulgi Catholicorum, qui hujuſmodi veritatem, fide

quidem

quidem sanctam habentes, adeò tamen torpent in abradendis peccatorũ suorum reliquijs; reatu, inquam, è peccatis dimissis superstite per Indulgentias abolendo: quam esse ejus tollendi rationem omnium expeditissimam, communis & indubitatus est Ecclesiæ sensus.

287. Indulgentiarum de Portiunculâ à Cedro & hyssopo commendatio.

Iam verò si ulla à Novatoribus possit contra *Indulgentiarum* usum in controversiam adduci quæstio: quæ certior Indulgentia, quæ maior omnium, quæ universalior assignari possit, quàm *Portiunculæ*? non ab aliquo Petri successore, sed ab ipso Invisibili Ecclesiæ Capite CHRISTO IESU visibiliter se præsentante concessa: neque aliquo diplomate Pontificio, sed solâ Dei virtute mirabiliter roborata: nec sola prædicatione Minorum Fratrum, sed plurimis miraculis & rarissimis Divinâ virtute exhibitis casibus divulgata, confirmata, sancita, authentisata. Non dimisi omninò *Passerem liberum*, quem adhuc teneo alligatum spirâ coccineâ ad aspergillum, cedro atque hyssopo confectum. Vnde si disputare licet ab hyssopo usque ad Cedrum, à simpliciora ad Salomonem, à passere ad Aquilam, à minimo homuncione ad Maximum Pontificem, à Francisco ad ipsum Christum; luculenter apparebit mundatio Animæ a peccatis & pœnis, per Indulgentias obtenta. Sit cedrus regia arbor, quæ cæteris proceritate, pulchritudine, & incorruptibilitate præcellit; ad Indulgentias de Portiunculâ referendum censeo illud Ecclesiastici assertum, quòd sit *quasi Cedrus exaltata in Libano* militantis Ecclesiæ; (Eccli. 24. v. 17.) ibique intuentium oculis objiciat suæ dignitatis eminentiam à Christo, suæ pulchritudinis virturem à fructibus, & suæ incorruptibilitatis perpetuationem à Regis gratiâ acceptam demonstrans. Sit Cedrus arbor pariter florentissima & fœcundissima, quæ *in flore fructum* germinet: omnino Indulgentiæ de Portiuncula proprium sibi vendicant illius arboris, visæ ab Ezechiele in littore Militantis atque pœnitentis Ecclesiæ, encomium; scilicet *Lignum pulcherrimum; quod erit* (Ezech. 47. v. 12.) *semper viride; & folia ejus nunquam cadebant, & erant fructus ejus in cibum, & folia ejus in medicinam.* Sudet Cedrus tam virtuosum liquorem, ut eo tincta corpora & membranæ à putredine præserventur; similem omnino Indulgentiæ de Portiuncula sibi vendicant prærogativam, ut sint ab omni rescissione immunes. Dum enim pro solenni earum expeditione loco virgineæ membranæ inservit Deipara, pro jurato Notario Christus crucifixus, pro legitimis testibus Angelici comitatus, pro annulo Piscatoris Stigmata impressa corpori S. Francisci, pro subscriptione Oraculum Dei tali chirographo signatum, *sufficit mihi Domine verbum tuum*; manifestum est, quòd hoc solenne Indulgentiarum de Portiunculâ Instrumentum, usque ad Mundi finem perduraturum, nec obliterabit antiquitas, nec corrodet iniquitas, nec ulla putredo disperdet. Sit Cedri pariter & Hyssopi adamabilis *odor*: fragrantiam Indulgentiarum de Portiunculâ ita universa persensit Ecclesia, ut in hujusce plenariæ remissionis gratiam videatur Sponsæ in Canticis reassumere blandiloquiũ: *Odor ejus ut Libani, electus ut cedri.* (Cant. 5. v. 15.) Sit Hyssopus, qui de macerijs parietum egreditur, admodùm salutaris ad mundandam lepram, & cedrus ad infirmandum venenum: Indulgentiæ de Portiuncula longè superant electuaria Æsculapij, & pulveres Vnicornu; dum intoxicatæ medentur Animæ, & lepram peccatorum mundant, & pœnales extinguunt censuras, usque ad candorem & innocentiam in Baptismo receptam: præsertim quando contritus & humiliatus peccator dicit cum pœnitente Psalmista. *Asperges me Domine hyssopo, & mundabor; lavabis me, & super nivem dealbabor.* (Psal. 50. v. 9.)

288. Indulgentiæ de Portiuncula ab arbore magna Danielis præfiguratæ.

Iuvat hîc à Cedro & Hyssopo paulisper divertere orationis cursum ad illam sublimissimam arborem, quam inter absconditissima sua mysteria intellexit, & emensus est virgineus Propheta Daniel. Ea enim accuratè videtur nostram *Portiunculam*, ita scilicet appello *Indulgentias* hodiernas,

toto orbe Christiano celebratissimas) mirabili Dei inventione symbolizare: & quia nec volucres, nec animalia penes hanc arborem desiderantur, credo quòd etiam *Passeres* cæteroquin furaces suam ibi apprehensuri sint *portionem*. Nihil agam de succisione huius arboris procerissimæ: hanc enim nullus vastator, aut Ecclesiæ hostis tentabit; sed præcisè in consideratione tam venustæ & speciosæ Arboris defigor. *Visio*, inquit rex Danieli, *capitis mei in cubili meo*, cuius consideratio totum occupabit hominem, Dei magnalia considerantem. *Videbam, & ecce Arbor in medio terræ*; nempe *Indulgentia Portiunculæ*, quæ velut Arbor ex radice humilitatis ac charitatis Seraphici Francisci procrevit, in meditullio totius S. Romanæ Catholicæ Ecclesiæ, & in cordibus piorum Christi fidelium. *Et altitudo eius nimia*, præter Romanæ Curiæ Stylum, & humanæ virtutis efficaciam, prorsus mirabiliter in sublime consurgens. *Magna arbor & fortis*, contra quam non prævalebunt insidiæ latentis inimici, nec impetus infernalium motuum ex fundamento exturbabit, nec obloquentium gannitus folium movebunt. *Et proceritas eius contingens cælum*: cùm enim à summo cœlo plantatio eius procederet, facilè poterat excrescens eius proceritas usque in cælum, velut altera scala Iacob, sublimari. *Aspectus illius erat usque ad terminos universæ terræ*: quandoquidem hæc Indulgentia primitus Portiunculæ collata, cum plerisque ab ipso Christo collatis prærogativis ac juribus, Pontificiâ authoritate Benedicti XI. Pauli V. Sixti IV. Leonis X. & præsertim Gregorij XV. ad omnes Ecclesias & Capellas totius Fratrum Minorum Ordinis, usque ad fines terræ dilatati, fuerit extensa ac promulgata. *Folia eius pulcherrima*, quia per misericordiam Dei explicata. *Et fructus eius nimius*, propter justificationem & sanctificationem fidelium, pro hoc cælesti dono collaborantium: ita ut inter tot Ordinis sacerdotes deficiant confessarij, qui pœnitentium exomologeses suscipiant, & infremat infernus, hac die tam copiosam sibi submoveri Animarum prædam. *Et esca universorum in ea*; scilicet alimenta spiritûs & vitæ usque ad reviviscentiam medullarum, ad reconciliationem cum Deo, ad pœnarum superstitum abolitionem, ad nova gratiæ auxilia, ad immensa merita Christi, Deiparæ atque Sanctorum. *Subter eam habitabant animalia, & bestiæ*; ij scilicet homines, qui propter sensitivas peccatorum illecebras comparati sunt jumentis insipientibus, & similes facti sunt illis: sed verò sub umbra *Portiunculæ* susceperunt tranquillitatem conscientiæ, & spiritualis indolis ingenuitatem. *Et*, quod superest, *in ramis eius conversabantur VOLUCRES CÆLI*; animæ scilicet Pœnitentium, qui à terrenis sordibus aversi ad sublimia tendunt Divinæ reconciliationis suspiria; atque in arduis tam firmiter nidos ponunt, ut imposterum ab infernalis aucupis laqueis pabulentur immunes. *Et ex ea vescebatur omnis caro*: quippe hæ Indulgentiæ prosunt Fidelibus Christianis vivis atque defunctis, Ecclesiasticis ac sæcularibus, sanis & infirmis, atque universis, qui requisitas exsolvunt conditiones: ut scilicet suæ conscientiæ reatus confiteantur, saltem attriti; ut sacrâ Synaxi reficiantur devoti; ut pro felici statu Ecclesiæ, & hæresum extirpatione, ac malorum omnium aversione orent supplices: & saltem, si sospites ædibus suis commodè egredi possint, Ecclesiam visitent de Ordine Minorum religiosè, ac pro sua devotione reliquos pietatis atque orationis pensus exsolvant: cæteroquin qui infirmantur, domi possunt hanc Ecclesiæ visitationem recompensare, si Chordigerorum Archiconfraternitati sint inserti.

[Daniel. 4. v. 7. & sequentib.]

289. *Et in ramis eius conversabantur volucres cæli*. Et quænam hæ volucres? Vtique Passeres è laqueo erepti; qui dum adhuc alligati sunt, altè evolare non possunt in ramos arboris tam proceræ. Placet, quòd S. Anselmus Episcopus Cantuariensis devotâ observatione concepit. Videbat is in plateis pueros

[Peccatores conversi non fiant recidivi.]

[S. Anselm. l. similitud. c. 159.]

pueros ludentes cum Passeribus, quos longioribus filis ad pedes tenebant alligatos: quotiescunque igitur aviculæ evolare conabantur, filis alligatæ à pueris retrahebantur, mirum de hac vinculatione tripudiantibus. Anselmus advertens ita sæpiùs fieri, naturali quadam commiseratione erga pauperculos *Passeres* afficiebatur, optans iccum, ut filo rupto Passeribus daretur libertas evadendi. Tandem repetitis sæpè conatibus deficiunt fila, redduntur libertati Passeres; qui, pueris admodum plorantibus, super propinquarum ædium tecta sedentes, suo more exultabundi pipitabant. Placet hæc evasio D. Anselmo, ad suos tali allocutione converso. Ecce! Fratres, taliter ludit diabolus cum peccatore: hunc vinculis peccatorum tenet fascinatum; & si animo secum dicat, dirumpam vincula mea, & me à laqueis avaritiæ, superbiæ, vindictæ, aut concupiscentiæ exsolvam; evolabo liber, & renuntians diabolico mancipatui fortior evadam, atque *HINC CAUTIOR*: quia verò facilè propriâ concupiscentiâ illectus ad consuetas retrahitur actiones, hinc omne propositum emendationis corruit; & cum paupercnlo passere recidivus peccator tandem fatetur, *MINIMO DETINEOR*. Rectè ait S. Augustinus: *Inanis est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat; & nihil prosunt lamenta, si replicentur peccata*. Et quasi ipsemet fuisset, velut *passer*, vinculis peccatorum comprehensus, rectè confitetur miseriam suam. *Suspirabam ligatus, non ferro alieno, sed meâ ferreâ voluntate. Velle meum tenebat inimicus; & inde mihi catenã fecerat, & constrinxerat me.* Ah! vix unquam deficiunt laquei & vincula, quibus tenemur, & retrahimur ad pristinum infirmitatis nostræ pondus! S. Maximus hìc intelligit pravos affectus expressè. *Quemadmodum passerculus*, inquit, *pede alligatus, volare incipiens, in terram funiculo detrahitur; sic quoque mens nondum affectibus liberata, & ad rerum cælestium cognitionem volare contendens, ab affectibus ducitur, & ad terram detrahitur.*

S. Augustin. serm. 3. de pœnitentia.

S. August. l. 8. Confess. c. 5.

S. Maximus l. 1. de charit.

Similem conceptum exprimit B. Isaias in Biblijs Patrum. *Similis sum Passeri*, Inquit, *cujus pes laqueo vinctus sit, qui dum solutum se existimans, volatu extollitur, laqueo retinetur. Nemo enim est, qui non ad extremum usque spiritum aliquâ prematur sollicitudine.* O quàm optandum id unicè foret, ut hodie speciali Dei gratiâ, rumpantur vincula peccatorum, iisque compediretur æternùm infernalis ille Passericida diabolus; quem S. Antonius Eremita ita vinculatum vidit! *Dæmon*, inquit, *sicut passer irretitus, tenetur & constringitur à Christo. Christiani ergo Christo nixi, dæmonem non timeant, sed rideant.*

B. Isaias orat. 8. in Bibl. Patrum.

Et vos mei amantissimi Auditores, quos hodierna *Indulgentia de Portiuncula* à peccatorum & omnium reatuum vinculis exsolvit, estote sicut Passeres à captivitatis laqueo erepti; ut vel cum Passere Levitico liberè dimisso evoletis ad pinguia sanctificantis Gratiæ pascua: vel cum volucribus cæli converlemini in ramis magnæ illius Arboris, alio sensu Ecclesiam cælestem designantis. Quod Latini celebrant, annosam vulpem non capi laqueo; id Itali de vetulo Passere in proverbium trahunt, vetulum passerem non illaqueari; *Passero vecchio non tra se gaio*; quia nempe post varias deceptiones *CAUTIOR HINC* evadit. Hac cautelâ firmati, in cordibus vestris cantate & exultate, dicite confitentes: Per celeberrimas, verissimas, securissimas, divinissimas, universalissimas, & sanctissimas Indulgentias de Portiuncula, *Anima nostra sicut Passer erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.*

Psal. 123. v. 7.

AMEN.



IN FESTO S. DOMINICI, ORD. PRÆDICATORUM FUNDATORIS.

SACER ET NOBILIS FALCO.

Der heilige und edle Falck.

LEMMA.

Non sibi, sed Domino.

THEMA.

Acceptus est Regi Minister intelligens: iracundiam ejus inutilis sustinebit. Proverb. 14. v. 35.

SYNOPSIS CONCIONIS LXXXIX.

Sicut in eximium nobilis Falconis cedit encomium, quòd venationibus insistens *NON SIBI, SED DOMINO* suo aucupetur; ita S. DOMINICI sanctitatem præ reliquis decoris maximè commendat, quòd fuerit fidelis & prudens *Servus Domini* sui Altissimi.

290. Falconis cum Dei servo, & præsertim S. Dominici convenientia.



Vm Falconem ad prædandum profero, unguibus crudelem, rostro armatum, volatu pernicem; visu acutum, tintinnabulo terribilem, clamore formidandum, cæterùm irreconciliabili animo *minas cædésque spirantem*, non *in discipulos Domini* Damasci evangelizantes, sed in cæli volucres insidiarum ignorantes; mirum est, quàm subirò dispareant columbæ, fugiant ardeæ, evadant turdi, trepident cardueles, abscondantur passeres, & minores Alitum greges sibi de securitatis refugio provideant. Quibus tantus est ab armis Falconis pavor, ut alauda malit in hominis manus, quàm in Falconis ungues incidere; & Drepanis avicula audito Falconis tintinnabulo tantopere consternatur, ut malit lapidibus ab homine obrui, quàm volatu se in aëra subrigere. Expectatis fortè hodie, AA. me à cruento Falcone ad quendam *S. Dominicum Loricatum* diversurum, qui immanem tyrannidem severâ pœnitentiâ castigabat; nesciens aliud, quàm in se & in alios durus ac rigorosus exhiberi? Non in *Dominicum Loricatum*, sed in *S. Dominicum falcatum* orationis meæ converto speculam; utpote qui vocationis suæ sanctissimæ falcē in animarū messem copiosè im̃isit, & innum̃eros fructus Romano-Catholicæ Ecclesiæ invexit. Qui labor, quòd opus cùm propriū sit *servi boni & fidelis*, falcē tenentis manu, & maturas segetes succidentes in obsequium *Domini sui*; non possum *S. Dominicum*, celeberrimi Ord. Prædicator. Fundatorem mirificentissimū, digniori commendare affectu, quàm eidem attribuendo *Falconem* (sive deinde *à falce falco*, sive *à falcone falx* derivetur.) Et quidem non ignobilem, non mixtum, sed nobilem,

sed

ſed *regium*, ſed *ſacrum Falconem*: qui ad aucupandum apprimè inſtructus, mirâ generoſitate perſequitur prædam; nec deſerit per aliquot horarum ſpatia, quouſque eam vel falcando deijciat, vel unguibus tenendo ad Dominum ſuum portet; ſicque adeo *NON SIBI, SED DOMINO* tamquam bonus ac fidelis ſervus famuletur, ac deſideratum referat emolumentum. S. Auguſtinus ſuper verba Pſalmi, *Propter fratres meos & proximos meos loquebar pacem de te*, ſic commentatur. *Ego loquebar pacem de te: ſed quare? Propter fratres & proximos meos, non propter honorem meum, non propter pecuniam meam, non propter vitam meam; ſed loquebar pacem de te propter fratres meos, & propinquos meos: propter domum Domini Dei noſtri quæſivi bona tibi. Non propter me quæſivi bona tibi: nam non tibi quærerem, ſed mihi; ideo nec ego haberem; quia non tibi quærerem: ſed propter domum Domini Dei mei, propter Eccleſiam, propter Sanctos, ut aſcendant.* Hoc unicè fecit S. Dominicus; qui cùm in vitâ ſuâ propter illuſtriſſima in Eccleſiam merita æquiſſimè compellетur *Cæleſtis verbi Præco, Tuba Evangelica, Divini Spiritûs Organum, Labium Chriſti, Lingua cæli, Sator æternitatis, myſteriorum Dei diſpenſator*; imò juxta revelationem cæleſtis Patris S. Catharinæ Senenſi factam; *dilectus Filius Dei*: nullo tamen videtur digniùs celebrari encomio, quàm *Servi boni & fidelis*; qui more ſacri atque nobilis Falconis *NON SIBI; SED DOMINO* venatur, lucratur & famulatur; ideóque rectè *Servus Dominicus* nuncupatur. Qua quidem non deterior, non obſcurior; ſed evadit *SERVITUTE CLARIOR Dominicus*; cúmque appoſitè illud Fauſtini colluſtrat dictum. *Nonne Deo ſubdita eſto anima mea? Huius SERVUM fieri ſummi decoris eſt, & quaſi quadam ſupereminens Mundo nobilitas: ideo & Apoſtolus gloriam ſuam ſcribit; Paulus SERVUS Jeſu Chriſti.* Totius proinde orationis hodiernæ moles eò concurret, ut brevi, ſed nervoſâ & affectuoſâ argumentatione demonſtrem, S. DOMINICUM tamquam ſervum bonum & fidelem, inſtar nobilis Falconis *NON SIBI SED DOMINO* famulatum fuiſſe; ut exinde æquiſſimè in illum cadat Proverbiaſtis parœmia. *Acceptus eſt Regi Miniſter intelligens: iracundiam eius inutilis ſuſtinebit.* Quod cum religioſiſſimo affectu de S. Dominico accipite, in nomine Domini.

S. Auguſtinus, ſuper Pſal. 121. v. 8.

Dialog. S. Cathar. c. 158.

Fauſtinus l. contra Arianum c. 5.

Proverb. 14. v. 35.

29 t. Servitutis duplicis obligatio conjuncta cum libertate in S. Dominico.

SERVI erga Dominum obſervantia, vel ſpectatur in ſervo mancipio; vel in eo ſervorum genere, qui quotidianis miniſterijs adhibentur, tametſi ſint perſonæ liberæ & ingenuæ, nec inviti obſequantur, ſed mercede conducantur. Prioribus arctior obſervantiæ erga dominos obligatio inijcitur; ſunt enim Dominorum poſſeſſio; quia jure belli, aut nativitatis ex perſona jure illo, alióve legitimo ſubjecta, ceſſerunt in heri dominium, & eius bonis annumerantur; ac proinde venerationem ei tanquam Domino, & magnis in ipſos juribus potienti debent; contenti ſorte ſuâ; quam jam olim illuſtres Philoſophi ſine probro ſubierunt. Frequentior autem cauſâ, cur quis alteri in ſervitutem addicatur, eſt; quòd cùm ipſe, aut parentes, è quibus ortum habet, juſto bello capti potuiſſent juſtò vitâ privari, ſervati tamen ſunt, necique juſtæ ſubducti. Itaque hujuſmodi ſervus Dominum, non jam ut in ſe quomodocunque beneficum, ſed ut ſervatorem; & retentæ vitæ principium ſpectare debet: quod conſtat eſſe inſigne obſervantiæ motivum: Quamquam hîc maximè locum habeat illa ſapientiſſimi Senecæ monitio: *Non aut nos omnia jubere poſſumus, aut in omnia ſervi parère coguntur. Contra Rempublicam imperata non facient: nulli ſceleri manus commodabunt.* Alia eſt ratio de poſterioribus ſervis, ſeu potiùs famulis atque miniſtris, operam ſuam pretio ad certa miniſteria locantibus: obſervare tamen & ipſi debent Domini ſui perſonam, cui ultrò obſequia ſua addixerunt; & in eâ illum cæleſtis Majeſtatis Dominum agnoſcere, *à quo eſt omnis poteſtas*; quique carnis noſtræ vili lacerna

Gellius l. 2. c. 18.

Seneca l. de beneficijs c. 20.

nâ circumamictus, eò usq; se demisit, ut subdi hominibus non refugeret. Et hinc omnes omninò, ac ipsos etiam Principes, intendere animum necesse est, memores, se Dèo debere servitutem; nec esse cuiquam à servo vel famulo suo expectandam fidelem servitutem, nisi ipse Dominum ac Deum suum fideliter observet, & ei quàm demississimè serviat: prout passis facundiæ velis prosequitur S. Chrysostomus; & in specie S. Cyprianus ad Demetrianum, his verbis. *Ipse de servo tuo exigis servitutem, & homo hominem parere tibi & obedire compellis; & cùm sit vobis eadem sors nascendi, conditio una moriendi, corporum materia consimilis, animarum ratio communis, æquali iure & pari lege vel veniatur in illum mundum, vel de mundo postmodum recedatur: tamen nisi tibi pro arbitrio tuo serviatur, nisi ad voluntatis obsequium pareatur, imperiosus & nimius servitutis exactor, flagellas, verberas, fame, siti, nuditate, ferro frequenter & carcere affligis & crucias. Et non agnoscis miser Dominum Deum tuum, cùm sic exerceas ipse in homine dominatum?* Hæc quidem servitutem in communi videntur bipartitam reddere: quomodocunque autem intelligatur, sive pro mancipatu civili, sive pro ministerio ingenuo, *S. DOMINICVS* servus est Domini ab utero matris suæ; cui carcer materni uteri, quo claudebatur veluti captivus infans, supernâ prodigiorum luce illustrabatur. Nam pientissima Joanna, *S. Dominici* Mater sibi visa est gestare utero *catulum*, præferentem ore accensam facem; manifesto prodigio effundendi partûs felicissimi, qui velut canis lupum infernalem à fidelium gregibus arceret, propelleret & fugaret; ac velut servus facem suo Domino præferret, vel ad instar facis meliore, hoc est, divino amoris igne Mundum succenderet. Si huic benedictæ matri fuisset ostensus *Falco*, qui ad pedem longissimo filo ligatus apparuisset in altum evolans ad aucupandam prædam; quantocyus visionem istam, non irritus augur futurus, de mancipato

S. Chrysostom. hom. 16 in 1. ad Timoth. in morali.
S. Cyprianus ad Demetrianum, n. 11.
In ejus vita cap. 4.

& compedito Dei servo *S. Dominico* fuissem interpretatus, cum subscripta Epigraphe: *IN VINCVLIS LIBER.* Hoc est, *in vinculis* professionis religiosæ, qua se & innumeros Asseclas Divinæ servituti mancipabit, mansurus *liber* mente ad sublimia, & à mundo compeditos *liberaturus* ad cælestia. Est enim etiam in vinculis Christi, & Religionis sua libertas; prout Tertullianus de velandis virginibus ait: *Tantò magis libera, quantò Christi solius Ancilla.* Et S. Cyprianus compedes SS Martyrum alloquitur: *O Pedes feliciter vincti, qui itinere salutari ad Paradisum diriguntur! O Pedes ad præsens in sæculo ligati, ut sint semper in cælis apud Deum liberi. O Religiosæ Professionis felix Mancipatus.* Si præsagiendo potuisset S. Dominicus tunc sese alloqui, ad Religionis alligaturam se reflexisset, exclamando,

Fascia chara & amara;
Pretiosa catena,
Pompa sacra, non pœna!
Quando regnare intendo
In Patria beata,
IN SERVITVTE LIBERA vivendo,
Per te volo & ascendo!

Jam verò ea debet esse boni & fidelis Ministri seu servi conditio, ut se exhibeat in consiliis prudentem, in inveniendo solertem, in conversando versatilem, in tractando dextrum, in exequendo efficacem, in maturando celerem, in omni actione sapientem & fortem, in administratione bonorum fidelem ac probum, cæterùm verò optimæ indolis atque animi à tenerâ juventute; ut sit acceptus atque utilis regi, & ad omnia ejus negotia sapienter ac feliciter conficienda proficuus. Talem omnino sese exhibet Falco, qui verè à teneris unguibus ita suam demonstrat indolem, ut de eâ facilè possit à Falcanario denominari futurus *sacer, regius, atque nobilis.* Sed & in cicuratione sua discit *lentè consulere, & festinanter exequi* suam venationem: nam priùs considerat possibilitatē capiendæ prædæ, proin de mediis consultat, usq; dum fortis evolet, nec desi-

Tertullianus l. de velandis virg. c. 3.
S. Cyprianus Ep. 72. ad Mon.
291. *S. Dominici pueritia, indoles, præsagia, & vocatio.*

desistat, quousque vulneratum deijciat, aut captum teneat hostem; ut ob tam eximias dotes meritò à suo domino in delicijs nutriatur Falco. Et quid de *S. Dominici* indole præsagire licebit Domino *Felici*, parenti ejus admodum nobili, qui apum examina vidit ad Filioli in cunis vagientis labella appellere? An non simili prodigio, ac D. Ambrosij parens, à melle eloquij suavitatem, à cerâ corporis virginitatem, & ab igne luceque sanctitatem prognosticans, exclamabit? *Si vixerit infantulus iste, aliquid magni erit.* Adhuc crepundia tractans puellus *Dominicus*, animam bonam, quæ ei Divinâ sorte contigit, exercere incœpit tenerrimis pietatis ac devotionis argumentis: ita ut considerantes propinqui sancti pueri decoros mores, ac cælestis operationis radios, non nisi magna de ipso augurarentur. Et rectè B. Alanus de illo considerat, quòd *Altior homine pueri INDOLES, Deo fuerit digna, qua haberet altiorem disciplinam Magistram.* Non Platonem, non Hortensium, non Tullium aut Aristotelem, sed *Magistram* dico *Dei Matrem*; quæ & in terris erat Apostolorum Magistra, & in cælis Angelorum Domina, & nunc parvuli DOMINICI Pædagoga. Qui decimum ætatis annum agens, velut virginea cera, omnem pietatis ac virgineæ venerationis formam in se tenerrimè suscepit; noctu diùque sine numero repetens illud Angelicum, *Ave Maria.* Probata erat hæc Puelli indoles Deiparæ Virgini: hinc ut eum virgineâ luce ac doctrinâ perfunderet, in quadam visione spectabilis ex tunc eum docuit Rosarij leges, quêis deinde universum orbem *Dominicus* informaret. Hæc erant prima virgineæ orationis ac scientiæ rudimenta, quæ Dominicus puellus ab ipsa Dei Matre hausit, & posteris omnibus cum copiosissimâ cælestium donorum ac gratiarum affluentiâ communicavit; quæ scilicet ab istis voculis, *Ave Maria*, ceu uberrimo fonte solent emanare. Ita *altior homine pueri indoles, Deo fuit digna, qua haberet altiorem disciplinam Magistram.* Mirum præterea est, quòd, cùm aliquando eum pientissima mater ad Missam audiendam luce quadam solennissimâ secum eduxisset, Sacerdos, qui tum Sacris operabatur, ad populum conversus, cùm de more ritùque Sacrificij dicere debuisset usitatum illud, *Dominus vobiscum*; tertiâ vice, quantumcunque sive errorem, sive inadvertentiam corrigere volens, ad populum repetierit in medio altaris consistens, nutu, oculis, vocéque ad puerum conversus, *Ecce reformator Ecclesiæ!* Et reverà consensit præsagio effectus: quando *S. Dominicus* internis Divinæ vocationis stimulis cooperans, sese totius juventutis exhibuit exemplar; & eò unicè consultationis suæ designationes direxit, quo medio universum orbem posset ad Dei cognitionem atque amorem accendere, ac innumeram prædam animarum ex Orci unguibus eripere; sicque adeò *NON SIBI, SED DOMINO* lucrari atque aucupari. Expendit nempe *Dominicus* id, quod Agapitus ad Justinianum Imperatorem scripserat: *CONSULTA, quæ agenda sunt, CUNCTANTER; EXEQUERE autem, quæ decreveris, MATURE.* Cui non dissimile venit illud Imperatoris Leonis consilium: *DELIBERA TARDE, nisi aliqua necessitas celeritatem requirit; ubi consulueris, si nullum impedimentum sit, MATURE FACITO.* Toties *Dominicus* cum viris Deum timentibus atque intelligentibus tractavit, toties divina oracula consuluit, toties internos Spiritûs sancti enthusiasmos expendit; quousque tandem cælesti specie recreatus, toto orbe spargeret, quod in pectore germinabat. Ea autem fuit visio Apostolorum Petri & Pauli; è quibus ille scipionem, hic librum tradere videbatur, utrisque unà suum oraculum adijcientibus: *Vade, concionare, ad id ministerium divinitus electe.* Quêis dictis cælo se reddiderunt Apostoli, & *Dominicus* sibi redditus est ab illa extasi; quâ totus ardebat ad exequendum, ut Minister Christi ac fidelis servus inveniretur: nec occurrebat felicius medium, quàm ut præ-

das

Alanus 2. p. c. 3.

Agapitus in Ep. Parent. ad Iustinianum Imperatorem n. 21.

Leo Imperator in Tacticis c. 3. n. 9.

das cælestes spiranti Falconi obducerentur oculi cappâ; & *Dominici* caput cucullo monastico obtegeretur, quo ad tanti propositi executionem innumeros selectissimos sui Religiosi Instituti Imitatores invitaret.

293. Voluntas S. Dominici optima ad faciendum melius & perfectius.

Fidelis servus tam promptâ voluntate fertur erga Dominum suum, ut etiam paratus sit, vitæ, famæ & sanitatis dispendia subire pro obsequio, amore, vel honore Domini sui. Hanc promptam voluntatem erga Christum demonstravit Petrus, quando sanctè coram omnibus discipulis asseveravit, paratum se esse in mortem cum Christo, vel pro Christo ire; ideoque promptum se esse, durissima quæque aggrediendi pericula pro sui optimi Magistri obsequio. Exercet hanc promptam voluntatem Falco, cui, cùm propter incappallationem oculorum & pedum alligationem non pateat facultas evolandi & prædam capiendi *Domino suo*, *VOLUISSE* tamen *SATIS* est jactanti alas, & semetipsum ad aucupia excitanti. Rectè Propertius.

Propertius l. 2. v. 119.

Quòd si deficiant vires; audacia certè
Laus est: in magnis & VOLUISSE SAT est.

Quid de prompta voluntate S. Dominici profundam? qua in omne id ferebatur, quod melius ac perfectius suo Domino placeret, aggrediendum & perficiendum. Exinde tam insignia virtutum exercitia, tanti pro Ecclesia labores, tot contra inimicos veritatis exantlata pericula; & vel maximè ingens desiderium, ac frequentissimè tentata occasio profundendi sanguinis, & prompta Martyrij voluntas, aliíq; actus heroici, & Divinæ charitatis fortissima contestatio, *S. Dominico* patrocinantur. Agnovit hanc promptæ voluntatis ad sublimissimum Martyrij meritum directæ excellentiam (ut ab amplissimâ hâc materiâ citò declinem) Josephus Hebræus, qui ad initium libri de Machabæis pulcherrimè simul ac divinissimè scripsit. *Qui ad tolerandam omnem pro Dei gloriâ injuriam semel dicavit animum, is martyrium mihi videtur implesse. Summi ergo meriti est, semel fixisse sententiam; atque ideo, ut dixi, ratio principatum obtinet passionis: & si sors perpetiendi deneget facultatem, pertulit tamen cuncta, quæ VOLUIT PATI.* Voluit pati *Dominicus*, quando cruces & enses non sustinuit, sed quæsivit; quando in mortibus versatus est frequenter, & necis pericula pro Dei nomine exantlata evasit difficulter. Quadam die, cùm Dominicus improbas prædonum manus propè miraculo evasisset, ex eo non nemo quæsivit: ecquidnam verò fecisset, si in latrones incidisset? Cui ille: hoc unum, inquit, etiam supplex rogâssem, ut multis, lentis & longis mortibus me afficerent, membra sigillatim præciderent, aures mutilarent, eruerent oculos, pellemque detraherent; & postquam nihil à ferro ampliùs detrahendum esset, tum ad extremum capite minuerent. Tantus ei erat patiendi ardor, tanta cruciatuum fames, sitisque! Et hac patiendi voluntate imitabatur Christum suum, in quo à plantâ pedis usque ad capitis verticem non erat sanitas. Hunc nimirum spectabat, hunc amabat, & ad hujus instar omnem vitam suam exigebat, promptissimam suam benefaciendi voluntatem cum Divina prorsus conjungens.

Josephus Flavius l. de Mach.

Servus proinde fidelis ac minister utilis, non pingui assidet mensæ; nec inter bibones helluatur; non cum filio prodigo disperdit bona heri, quæ rectè & justè debet dispensare: sed tunc maximè ministerium suum implet, si sobrietatem victûs cum vitæ sospitate conjungit; & frequenter, alijs manducantibus, ille impastus rem domesticam suo appetitui anteponit; & quascunque corporis discommoditates aut afflictationes subit, ut Domini sui proventum adaugeat. Certè etiam Falco nunquam ita feliciter prædam apprehendit, quàm dum *ALTA PETIT IMPASTUS*, & gracili corpore perniciter in altum evolat. Rectissimè S. Joannes Chrysostomus dicebat: *Servos Dei, cùm iejunant, tunc fieri præstantiores.* Et ad propositum rectissimè

294. S. Dominici in mortificationibus & pœnitentiis rigor.

Chryfologus ferm. 2.

mè addit Petrus Chryſologus. *Vacuandus ergo venter moderatione iejunij, ut exoneratus animus poſſit ad alta pertendere, conſcendere ad virtutes; poſſit ad ipſum pietatis Authorem totus ALIGER pervolare.* Dominicus Servus Dei, non tantùm diuturnis iejunijs, mucido pane ac modicâ aquâ, ſuum exinanivit corpus, & Religioſiſſimos ſuos Aſſeclas ad frequentia & rigoroſa iejunia voto obſtrinxit: ſed etiam miro mortificationis ſtudio, auſteris pœnitentijs, cilicijs, flagellis, humicubationibus, aliisque corpuſculi afflictationibus, ſeipſum confecit. Annos natus non ampliùs decem ita durè in corpuſculum flagellis ſæviebat, ut videretur totum illud proſcindere, ac excoriare: & excrevit hæc laniena eò gravior, quò ætas provectior. Ætatis annum decimum tertium attigerat, & jam tum ſingulis noctibus cœperat in ſe cruentis flagellis animadvertere: & quidem, cùm decurrendo tria roſaria ad ſingula in ijs *Ave Maria* nodoſo flagello ſibi validum ictum impingeret, univerſim ad tot ſalutationes etiam ictus multiplicabat. Crevit proinde cum ætate decimi octavi anni hic ardor ſæviendi, quando pro funiculis catenulas accepit, iisque ſe fœdum in modum etiam ſingulis noctibus diverberavit. Nec tamen ſic lancinato corpori dabatur requies; duriore cilicio non tam tegebat illud, quam macerabat, frangebatque: nec illo tamùm, ſed ferreâ catenâ ad renes accinctus, dies totos ac noctes exigebat, verè dicendus DOMINICUS *loricatus aut catenatus.* Nuda humus & plerumque ſuppedaneum altaris, pro molli anſere, pro plumâ, pro cervicali ſerviebat; ubi deficiens ab oratione, corpuſculum tantiſper duro ſomno inclinabat. Et tamen hæc inter iejunia, hos inter pœnitentiæ modos atque rigores, vultu ſemper hilari atque jucundo prodibat *Dominicus*; ad alta pertendebat, ſuo extenuato corpuſculo ad virtutes conſcendebat, & tot tantisque mortificationibus totus aliger factus ad ipſum pietatis Authorem pervolabat.

295. Ex hac corporis velitatione reſultat alia eximia conditio Servumfamilias condecens: ut ſcilicet illibatam caſtitatis fidem ſervet domeſticis, præſertim Matrifamilias; neminem opprimat, neque ad laſciviendum nictu vel nutu inducat. Sic imitatione caſtiſſimus Joſephus, qui maluit pallij diſpendio, & mortis periculo, ſui Domini thorum inviolatum rueri, quam quidquam mali committere, etiam blandiſſimè ſollicitante Dominâ, in conjugale ſui heri vinculum. Eſt & illud Falconi glorioſè adſcribendum, quòd ſuâ inedia videatur caſtitatem corporis ſymbolizare: nam dum ſe ad venandum diſponit, licet ipſi recentes apponantur carnes, attamen venationis amore à carnibus abſtinet, & mordentis illicias famis *HAUD COMEDIT.* Propter quod Eccleſiaſtici cenſurâ, *Erit illi gloria ſempiterna: qui potuit transgredi, & non eſt transgreſſus; facere mala, & non fecit.* Tametſi communiter pulchritudo & caſtitas periculosâ ſocietate ſe invicem ſoleant concomitari, in *S.* tamen *Dominico* ſanctiſſimo nexu jungebantur: nam Theodoricus apud Surium, quod à nobiliſſimis natalibus ad indolis venuſtatem, & à præſtanti educatione ad corporis teneritudinem poſſet referri, ſic de eo ſpecioſiſſimè loquitur. *In eius ſanè utroque homine tantus inerat decor, & puritas, ut omnium in ſe & aſpectum & affectum provocaret.* Non poterat unquã celebratus Protogenes aut Ephranor diſquiſitis coloribus tam formoſam delineare imaginem, quàm erat *Dominici* aſpectus virgineus; qui omnes omnino videbatur ſuperare ipſius naturæ perfectiſſimæ magiſtræ, ſed & cujuſcunque excellentiſſimæ artis ſtatuariæ inventiones: quandoquidem relato Theodorico teſte, *Qui cælos colore pingit igneo, corporis huius membra finxerat omnipotens Conditor*, non in membranâ extensâ, ſed in diviniſſimo corde. Hunc enimverò *S. Catharina Senenſis* per extaſin vidit in ipſo æterni Patris corde, unà etiam cum JESV æterni Patris Filio; ſimulque audijt dicentem ſibi Pa-

S. Dominici pulchritudo cum caſtitate & virginitate conjuncta.

Eccli. 31. 9. 10.

Theodoricus l. 4. vita c. 8. apud Surium hac die.

Patrem. [*Vides, ô Filia, in corde meo, hinc IESUM, inde DOMINICUM: ille mihi naturalis, hic adoptivus est filius: illum ab æterno genui, hunc in tempore: & quia in hunc peculiari ferebar amore, volui, ut esset in corde meo simul cum IESU; ut sic mihi essent quasi gemelli Filij, naturalis ille, hic adoptivus.*] Hactenus Virgo Senensis. Et quàm puros eastósque ex hoc fonte *Dominicus* hausit amores? quos amores à Virginea Deipara, quam decimo ætatis suæ anno veneratus est Magistram: deinde verò etiam decimo octavo ætatis anno Sponsam? Potuitne hic castissimus Deiparæ discipulus, & Patris adoptivus Filius, aliud invenire quàm Rosas in Rosaria digestas? potuitne hic virgineus Sponsus aliud spirare, quàm castissimi amoris flammas, quàm vincula virginitatis? Exinde in *S. Dominico* à primâ ætate ad extremum usque spiritum, virginea corporis animíque puritas enitebat: exinde fragrantissimus odor promanabat in sæculares, qui forte reverentiæ causâ manum illi exosculabantur: exinde hæc pulchritudinis claritas in castissimam ejus generationem, Religiosos, inquam, Filios diffusa est; quibus & *Dominicus* jam vitâ functus, & ipsa Virgo Mater à Christo JESU castitatem petijt, atque impetravit; prout ex varijs devotissimis argumentis posset deduci. In hos rectè confero illud Sancti Petri Chrysologi disertè enuntiantis oraculum: *Semper est Angelis cognata virginitas; & in carne præter carnem vivere, cælestis est vita.*

S. Chrysolog. serm. 143.

Oportet insuper, ut Servus fidelis directè respiciat bonum Domini sui, sive in fortunis, seu in honoribus ac dignitatibus promovendum; ad hunc scopum rectâ tendit, & promptè paret ad nutum, utroque titulo commendandus servus. Quod etiam Falconi proprium esse observatur; qui dimissus ad venandum, non per gyros & inutiles vagationes, sed *TRAMITE RECTO* tendit sursum, ac prædam sectatur. Et licèt longè abeat in aëra, ita ut ab Aucupe vix amplius possit videri; audito tamen clamore, aut fistulæ clangore, *AD NUTUM* revertitur; imò etiam signo venatoris non percepto, recordatur Domini sui, & sincerâ mentis rectitudine fideliter redit, *ULTROQUE AD VINCULA RURSUM* venit.

296. Orationis & rectitudinis efficacia in S. Dominico.

De elevatione mentis in DEUM in orando, & rectitudine ejusdem in operando, appositè se reflectit Philo Hebræus ad migrationem Abrahami, & infert. *Debet curare mens, ut non modo indefessa & intenta sequatur DEUM, verùm etiam PER callem RECTUM INCEDAT, nec ad dexteram inclinans, nec ad levam.* Habuit *S. Dominicus* quatuor *RECTA* evolandi modos & scopos, ad JESUM, ad MARIAM, ad CRUCEM, & ad ANIMAS. Et quidem per orationem, ac contemplationem, ab his capitibus omnia referebat accepta; à *IESU* bonorum Largitore, à *Maria* peccatorum Advocata, à *Cruce* meritorum promotrice, ab *Animabus* Divinitatis imaginibus. Ad hos scopos intendebat directè *Dominicus*, & in hos fontes omnes suos refundebat amores; tum maximè ardentes, quando in oratione, & altissimâ cælestium rerum contemplatione, diu noctúque fixus hærebat: & non minùs lucrando animas, sectando Crucem, honorando Deiparam ac diligendo JESUM, *rectà* tendebat in DEUM, quàm *Oculi servorum in manibus Dominorum suorum* figuntur. Et hac mentis elevatione ac rectitudine, quantum emolumenti non attigit *Dominicus*? quàm certò futuros præsensit eventus? quot peccatorum greges ad meliora convertit? quot felices Catholicis armis obtinuit successus? quàm dulciter resolvebatur in lachrymarum voluptates? quàm delicatè sentiebat Divini Amoris operationes? quot mentis extaticos raptus alienato sensu sustinebant? quàm frequenter cælesti luce conspicuus apparebat? quàm amorosè sub orationis

Psal. 122. v. 2.

sua-

sua vitate in singulrus animæ colliquescebat? Denique quàm pura & rectâ intentione *non sibi, sed Domino* famulabatur, quando ipsemet Pater æternus castissimæ Virgini Catharinæ Senensi hoc consignavit S. Dominici testimonium? *Dominicus dilectus filius meus & tuus Pater, ordinavit naviculam suam ordine perfecto, ut videlicet attenderet solùm ad honorem meum, atque ad salutem animarum cum lumine scientiæ.* Et tamen in hisce eximijs supernæ gratiæ prærogativis ita *adnutum* Divinæ parebat volunrati, ut mallet cælestes consolationes dimittere, quàm injunctis obedientiæ munijs non prorinus deferre: mallet mille subire vitæ suæ dispendia, quàm Divinæ vocationis nutibus non solidè obtemperare: mallet extases & internæ consolationis influxus excludere, quàm ad Superiorum insinuationē mandativam non hilariter obedire. In ipsum cum laudis encomio reijcio tanquam in fidelissimum Dei servum, quod de S. Thoma Apostolo pronuntiat Metaphrastes. *Protinus nullâ dilatione usus est, nec cunctatione, nec tardavit ad vocationem; sed ideo celeriter fuit mutatus & vinctus verâ voce vocantis, ut DICTO CITIUS ostenderet obedientiam.*

S. Catharina Senens. dial. 158.

Metaphrastes de S. Thoma.

297. Generosa de concionibus S. Dominici emolumenta.

Præ omnibus in fideli Ministro requiritur generosus & cordatus animus ad repellendas insidiantium invasiones, ad tuenda Domini sui jura; qui præsertim instructus sit contemptis minutijs fortia aggredi, potenter resistere, validè operari. Facit hoc Falco nobilis, qui contemptis parvis avibus majores & armatiores aggreditur; eúmque *NON FUGA, SED CONTEMPTUS* animat, ut missis imbecillibus adversarijs, non muscas, non carduelesc, non paros aut fringillas, sed perdices, sed anates, sed ardeas, sed vulrures & milvos capiat. Acceperat S. Dominicus ministerium Verbi, quando à SS. Apostolis Petro & Paulo sibi apparentibus audivit oraculum: *Vade, concionare, ad id ministerium divinitus electe.* Hoc Apostolicæ missionis mandato animatus, dimissis communioribus pulpitis, generosissimè oppugnavit vitia, dæmonem, hæreses, rebelliones, totamque mali prævalentis voraginem. Agebat vigesimum quartum ætatis annum, quando in amplissimis Hispaniæ Regnis Romano Catholicæ Fidei potentissimos hostes, *hæreticos* inquam *Albigenses*, qui eas provincias longè latéque suis erroribus depravaverant, aggressus *Dominicus*; pariter Mauros, tum temporis longè maximam Hispaniæ partem occupantes, & fœdâ barbarie sævientes, Divini Verbi prædicationibus generosè impugnavit. Vt in præsenti nihil dicam de Catholicis propè innumeris, quos dissipatis peccatorum tenebris, à vitâ solutiore ad arctiorem & meliorem traduxerat. Non desunt magnæ fidei Authores, qui asserunt, *S. Dominici* prædicationibus potentissimis damnatos esse Albigensium hæreticorum errores, vineam Dei Sabaoth miserè depascentes; & ex ipsis hæreticis plùs quàm centies mille fuisse redditos Catholicæ Religioni: atque ex his præcipua capita, inprimísque *Rainerum* Episcopum Albigensem, & illius sectæ principem, quem non solùm Ecclesiæ, sed etiam Ordini suo addidit; deinde etiam *Alphonsum VIII* utriusque Castellæ Regem; & insuper *Alphonsum* alterum, Leonis & Galitiæ Regem, Romanæ Ecclesiæ adscivit. Quid per omnes ferè Hispaniarum Provincias, & florentissima Franciæ ac Britanniæ regna, totúmq; orbem Catholicum effecerit institutâ S. *Rosarij* Confraternitate devotissimâ; quantis miraculis passim suas prædicationes consolidârit; quâ vitæ innocentiâ & sanctitate verbis, ornatissimâ eloquentiâ prolatis, pondus & efficaciam addiderit; quàm immensos & necessarios labores pro Ecclesiâ Dei, in illo turbatissimo Europæ sistemate susceperit; quanta Religionis emolumenta in supremo Sacræ Inquisitionis officio, quod ei Innocentius III. ac Honorius III. Summi Pontifices injunxerant, suâ mansuetâ ac blandâ severitate induxerit; qua denique fortitudine ruinam collabentis Lateranensis Ecclesiæ suis proprijs, suique religiosissimi

ſimi Ordinis humeris vel ſuſtulerit, vel ſublevârit: minùs poſſum hæc omnia breviſſimæ orationis compendio complecti, quàm nobilis Falco captam aviculam ſuis unguibus comprehenſam ſine læſione ſuo Domino præſentare.

298. Admiranda cujuſdam maximæ peccatricis converſio, operatione S. Dominici facta.

Vnum eſt, ſi cætera taceamus, quod generoſitatem Falconis, & ſacerrimum zelum *S. Dominici* magnificè commendat. Etiam feris & quadrupedibus infeſtus eſt Falco, ijſque valido impetu ungues ac roſtra impingit. Sive Hydram immanem, ſive lethalem ſerpentem dixeris *Luxuriam*, ſeu inſaturabilem Rhinocerotem, aut Crocodillum; hanc beſtiam impugnavit & expugnavit *S. Dominicus* in famoſâ peccatrice, quæ ſe luxuriæ ſcortum, Florentiæ, nobiliſſimâ Italiæ urbe, proſtituit laſcivis corrivalibus venale. Baptiſmus *Benedictæ* nomen dedit, quod libidinoſa, & infamis vita in *maledictæ* omen convertit. Ergo hanc Jezabelem Dominicus impugnavit verbo ſalutis, & expugnavit armis orationis: queîs tandem machinis evicta *Benedicta*, accidit ad pedes Servi Dei, & peccata in aurem deponit, integerrimè & lachrymosè confitendo. Videbatur hæc animæ præda DOMINO capta, & apprehenſa; ſed infernalis Accipiter iterùm iterumque ſuis inſidijs eam avertit, atque in ſuos ungues retraxit. Deò permittente (prout ſunt inſcrutabilia judicia ejus) etiam poſtquam *Dominicus* Chriſtum & Deiparam pro ea rogavit, eò quòd animæ ſaluti expediret, in eam, velut paratam tabernam, quadringentorum & quinquaginta cacodæmonum caterva ſubintrat; eámque non ſine adſtantium commiſeratione, ſtupore & lachrymis fœdè torquet. Non tulit zelus *Dominici*, hanc creaturam Dèi dæmonum mancipatu torqueri; ſed poſt annum ex Hiſpania reverſus Florentiam, vexatam *Benedictam* crucis ſigno, ac ſacri ſui Roſarij virtute, infernalium inquilinorum evacuatione donavit; ita tamen, ut impoſterum potens contra dæmonem amuletum poneret, & tria Roſaria ſingulis diebus recitando devotè perſolveret. Paruit aliquamdiu *Benedicta*; ſed tædio evicta, paulò poſt ſancti Dominici diſceſſum, ad priſtinum libidinis genium redivit. Proinde Dei monitu reverſus Dominicus Româ Florentiam, iteratò ad pœnitentiam convertit recidivam; in quam poſt Sancti preces, ad Deum pro meliori ſtatu pœnitentis fuſas, priſtina dæmonum caterva ſecundò intravit, eamque longè ſæviùs excruciavit. Anno dum interim toto Bononiæ hæſiſſet *Dominicus*, & verò peſſimè à dæmonibus torqueretur Benedicta, hæc ad mentem divinâ illuminatione redit, & tam diu intermiſſum Roſarii penſum ingenti ſuo bono perſolvendum reaſſumit. Exinde enim primùm occulta DEI judicia conſiderando timere, deinde in ſpem erigi, tum amoris & miſericordiæ igniculos concipere, inſuper Deiparam impenſiùs in auxilium vocare cœpit. Quod dum facit, abripitur mentis exceſſu, & coram tremendi Judicis Chriſti tribunali conſtituitur: ubi in aperto quodam magno volumine vidit ſcripta mortalium ſcelera, ac decreta ijs ſupplicia; & in ſpecie ibi ſua omnia fœdiſſima legit peccata, cum tanta ſuæ miſeriæ cognitione, atque anteactæ ſpurciſſimæ vitæ horrore ac tremore, ut planè viſa ſibi ſit exanimis concidiſſe. Et ſub hoc terribiliſſimo horripilio dum propè fatiſcit, ecce apparet *Dominicus* (tantus flagrabat animarum zelus etiam in abſente!) & amicâ paternâque voce deſtitutam *Benedictam* compellat: Eccur, inquit, ad Dei Matrem, commune peccatorum refugium, non confugis miſera? illa, illa eſt, ad quam Roſarij preculas direxiſti. Viſa eſt ex his reſpirare *Benedicta*: cui Virginem Deiparam humiliter imploranti adſtitit miſericordiæ Mater, & coram Filio Judice ita peroravit efficaciter, ut permotus Judex rex *Benedictæ* vitam donaret, ac opportunum pœnitentiæ tempus ad delenda ſua peccata, magno illi libro inſerta, concederet. O indeficiens Dei miſericordia, etiam in de-

Vita S. Dom. l. 3. c. 7.

desperatissimos peccatores diffusa! ô vim Servorum Dei ad compescendum cælestis viæ furorem! ô generosa *S. Dominici* operatio in captâ prædâ tenendâ *Domino suo*! ô admiranda maximæ hujus peccatricis conversio! Paucis abhinc diebus post *S. Dominici* reditum sibi reddita *Benedicta*, & infernalibus hospitibus liberata, pijs monitis restituta, ac sacramentalibus gratijs illustrata, mirum est, quos cælo propitio experta sit favores conversa Peccatrix. Illa tunc elevata est ad mentis extasin per tres continentes horas, & tantos in ea sive amoris sive doloris concepit æstus, ut corde vehementiùs palpitante disruptæ sint venæ usq; ad copiosam sanguinis emanationem: illa tunc vidit *S. Dominicum* sacris Christi vulneribus stigmatizatum, procedere ad Aras: illa tunc experta est, sua enormia peccara per lachrymosam pœnitentiam in Libro Dei supra ostenso, & nunc totaliter dealbato, fuisse deleta: illa tunc Deiparam pro Magistra habuit, quæ se sæpiùs ei visendam exhibuit, edocuitque salutis ac perfectionis viam: illa tunc à Virgine Matre accepit *lilia* omninò *septem*, & in ijs melioribus cæli typis impressa præclara quædam morum sanctissimorum documenta. Quæ omnia B. Alano ipsamet *Benedicta*, Divinæ Prædestinationis prodigium, prolixè exposuit. In hac admirabili Divinæ electionis periodo, in hac miseriarum recurrentium pertinaciâ, & in hac stupendâ maximæ peccatricis in maximam Dei Amicam metamorphosi, poterat Benedicta cum S. Augustino ingeminare. *In omni amaritudine, quæ nostros sæculares actus de misericordiâ tuâ sequebatur, insuentibus nobis finem, cur ea pateremur, occurrebant tenebræ, & aversabamur gementes, & dicebamus: quamdiu hæc? Et hæc crebrò dicebamus, & dicentes non relinquebamus ea!* (S. Augustinus l. 6. Confess. c. 10.)

299. Sed & illud servum fidelem commendat, si cum alijs domesticis conservis benè convenit; si cum illis pacificè ac tranquillè debitas operationes præstat; si neminem contemnit, aut à proficuâ conversatione excludit; si vires conservis jungit, & ministris rectè ordinatis labores atque mercedes æquè distribuit; adeóq; cum conservis ad ministerium *NON SIBI, SED DOMINO* præstandum, placitè ac familiariter convenit. Idipsum regale ac sacrum Falconû genus observat, quod & diutissimè volat, & prædam sequitur, nec deserit ad duarum triúmve, aut etiam quatuor horarum spatium. Et licèt solitarium egregiè venetur, cum socio tamen venationem præstantiorem facit: nam dum unus inferiùs gyrando suas partes officiosè subit, alter superiùs insistens prædam ex omni latere circumvallat, & evadendi præcludit viam. Sed & Falco hominem ac canes venaticos amat, ac in eorû præsentiâ venatur libentius, tanquam vires suas illis ostentans. Erat *Dominicus* Servus Dei Altissimi, nec tamen ambitiosâ agebatur dominandi cupidine; libenter patiebatur secum conservum aliû, qui pari aut majori adhuc zelo famulabatur *NON SIBI, SED DOMINO*. Talis conservus *S. Dominici* præsertim erat S. P. meus *Franciscus*. Quem enim latet formidabilis illa visio, quæ fuit S. Dominico præsentata in oratione, quando anno 1216. cum *Falcone Episcopo Tolosano* venit Romam, ut suæ novæ Regulæ, ex Institutionum S. Augustini medullis combinatæ, à Sede Apostolica (cui tunc post defunctum Innocentium Tertium præerat Honorius Tertius) confirmationem impetraret. Exigebat *Dominicus* in Vaticano noctem insomnis, & orationibus cælos fatigans: tum ecce! subitò apertis cælis ei apparet Christus, habitu prorsus ad iram & vindictam composito, & tribus lanceis jam jam in sceleratum mundum propter superbiam, avaritiam, & luxuriam evibrandis armato; nisi derepentè supervenisset Augustissima cæli Regina, quæ ad Filij pedes supplex accedens, pronam in fulmina manum sustinuit, & illud miserentis adjecit: Tantisper siste, Fili, manúmque cohibe vindicem; néve perde humanum genus, tui pretium sanguinis: sit illi nunc locus misericordiæ, cui

Mira & gloriosa SS. Dominici & Francisci societas.

Gestum in Falcone.

nâ circumamictus, eò usq; se demisit, ut subdi hominibus non refugeret. Et hinc omnes omninò, ac ipsos etiam Principes, intendere animum necesse est, memores, se Dèo debere servitutem; nec esse cuiquam à servo vel famulo suo expectandam fidelem servitutem, nisi ipse Dominum ac Deum suum fideliter observet, & ei quàm demississimè serviat: prout passis facundiæ velis prosequitur S. Chrysostomus; & in specie S. Cyprianus ad Demetrianum, his verbis. *Ipse de servo tuo exigis servitutem, & homo hominem parere tibi & obedire compellis; & cùm sit vobis eadem sors nascendi, conditio una moriendi, corporum materia consimilis, animarum ratio communis, æquali jure & pari lege vel veniatur in illum mundum, vel de mundo postmodum recedatur: tamen nisi tibi pro arbitrio tuo serviatur, nisi ad voluntatis obsequium pareatur, imperiosus & nimius servitutis exactor, flagellas, verberas, fame, siti, nuditate, ferro frequenter & carcere affligis & crucias. Et non agnoscis miser Dominum Deum tuum, cum sic exerceas ipse in homine dominatum?* Hæc quidem servitutem in communi videntur bipartitam reddere: quomodocunque autem intelligatur, sive pro mancipatu civili, sive pro ministerio ingenuo, *S. DOMINICVS* servus est Domini ab utero matris suæ; cui carcer materni uteri, quo claudebatur veluti captivus infans, supernâ prodigiorum luce illustrabatur. Nam pientissima Joanna, *S. Dominici* Mater sibi visa est gestare utero *catulum*, præferentem ore accensam facem; manifesto prodigio effundendi partûs felicissimi, qui velut canis lupum infernalem à fidelium gregibus arceret, propelleret & fugaret; ac velut servus facem suo Domino præferret, vel ad instar facis meliore, hoc est, divino amoris igne Mundum succenderet. Si huic benedictæ matri fuisset ostensus *Falco*, qui ad pedem longissimo filo ligatus apparuisset in altum evolans ad aucupandam prædam; quantocyus visionem istam, non irritus augur futurus, de mancipato

S. Chrysostom. hom. 16 in 1. ad Timoth. in morali.
S. Cyprianus ad Demetrianum, n. 11.

In ejus vita cap. 4.

& compedito Dei servo *S. Dominicò* fuissem interpretatus, cum subscripta Epigraphe: *IN VINCVLIS LIBER*. Hoc est, *in vinculis* professionis religiosæ, qua se & innumeros Asseclas Divinæ servituti mancipabit, mansurus *liber* mente ad sublimia, & à mundo compeditos *liberaturus* ad cælestia. Est enim etiam in vinculis Christi, & Religionis sua libertas; prout Tertullianus de velandis virginibus ait: *Tantò magis liberæ, quantò Christi solius Ancillæ*. Et S. Cyprianus compedes SS Martyrum alloquitur: *O Pedes feliciter vincti, qui itinere salutari ad Paradisum diriguntur! O Pedes ad præsens in sæculo ligati, ut sine semper in cælis apud Deum liberi. O Religiosæ Professionis felix Mancipatus.* Si præsagiendo potuisset S. Dominicus tunc sese alloqui, ad Religionis alligaturam se reflexisset, exclamando,

Fascia chara & amara,
Pretiosa catena,
Pompa sacra, non pœna!
Quando regnare intendo
In Patria beata,
IN SERVITVTE LIBERA vivendo,
Per te volo & ascendo!

Tertullianus l. de velandis virg. c. 3.
S. Cyprianus Ep. 72. ad Mon.

Jam verò ea debet esse boni & fidelis Ministri seu servi conditio, ut se exhibeat in consiliis prudentem, in inveniendo solertem, in conversando versatilem, in tractando dextrum, in exequendo efficacem, in maturando celerem, in omni actione sapientem & fortem, in administratione bonorum fidelem ac probum, cæterùm verò optimæ indolis atque animi à tenerâ juventute; ut sit acceptus atque utilis regi, & ad omnia ejus negotia sapienter ac feliciter conficienda proficuus. Talem omnino sese exhibet Falco, qui verè à teneris unguibus ita suam demonstrat indolem, ut de eâ facilè possit à Falcanario denominari futurus *sacer, regius, atque nobilis*. Sed & in cicuratione sua discit *lentè consulere, & festinanter exequi* suam venationem: nam priùs considerat possibilitatē capiendæ prædæ, proinde de mediis consultat, usq; dum fortis evolet, nec desi- 291.

S. Dominici pueritia, indoles, præsagia, & vocatio.

desistat, quousque vulneratum deijciat, aut captum teneat hostem; ut ob tam eximias dotes meritò à suo domino in delicijs nutriatur Falco. Et quid de *S. Dominici* indole præsagire licebit Domino *Felici*, parenti ejus admodum nobili, qui apum examina vidit ad Filioli in cunis vagientis labella appellere? An non simili prodigio, ac D. Ambrosij parens, à melle eloquij suavitatem, à cerâ corporis virginitatem, & ab igne lucéque sanctitatem prognosticans, exclamabit? *Si vixerit infantulus iste, aliquid magni erit.* Adhuc crepundia tractans puellus *Dominicus*, animam bonam, quæ ei Divinâ sorte contigit, exercere incœpit tenerrimis pietatis ac devotionis argumentis: ita ut considerantes propinqui sancti pueri decoros mores, ac cælestis operationis radios, non nisi magna de ipso augurarentur. Et rectè B. Alanus de illo considerat, quòd *Altior homine pueri INDOLES, Deo fuerit digna, quæ haberet altiorem disciplinam Magistram.* Non Platonem, non Hortensium, non Tullium aut Aristotelem, sed *Magistram* dico *Dei Matrem*; quæ & in terris erat Apostolorum Magistra, & in cælis Angelorum Domina, & nunc parvuli DOMINICI Pædagoga. Qui decimum ætatis annum agens, velut virginea cera, omnem pietatis ac virgineæ venerationis formam in se tenerrimè suscepit; noctu diùque sine numero repetens illud Angelicum, *Ave Maria.* Probata erat hæc Puelli indoles Deiparæ Virgini: hinc ut eum virgineâ luce ac doctrinâ perfunderet, in quadam visione spectabilis ex tunc eum docuit Rosarij leges, queîs deinde universum orbem *Dominicus* informaret. Hæc erant prima virgineæ orationis ac scientiæ rudimenta, quæ Dominicus puellus ab ipsa Dei Matre hausit, & posteris omnibus cum copiosissimâ cælestium donorum ac gratiarum affluentiâ communicavit; quæ scilicet ab istis voculis, *Ave Maria*, ceu uberrimo fonte solent emanare. Ita *altior homine pueri indoles, Deo fuit digna, quæ haberet altiorem disciplinam Magistram.* Mirum præterea est, quòd, cùm aliquando eum pientissima mater ad Missam audiendam luce quadam solennissimâ secum eduxisset, Sacerdos, qui tum Sacris operabatur, ad populum conversus, cùm de more ritúque Sacrificij dicere debuisset usitatum illud, *Dominus vobiscum*; tertiâ vice, quantumcunque sive errorem, sive inadvertentiam corrigere volens, ad populum repetierit in medio altaris consistens, nutu, oculis, vocéque ad puerum conversus, *Ecce reformator Ecclesiæ!* Et reverà consensit præsagio effectus: quando *S. Dominicus* internis Divinæ vocationis stimulis cooperans, sese totius juventutis exhibuit exemplar; & eò unicè consultationis suæ designationes direxit, quo medio universum orbem posset ad Dei cognitionem atque amorem accendere, ac innumeram prædam animarum ex Orci unguibus eripere; sicque adeò *NON SIBI, SED DOMINO* lucrari atque aucupari. Expendit nempe *Dominicus* id, quod Agapitus ad Justinianum Imperatorem scripserat: *CONSULTA, quæ agenda sunt, CUNCTANTER; EXEQUERE autem, quæ decreveris, MATURE.* Cui non dissimile venit illud Imperatoris Leonis consilium: *DELIBERA TARDE, nisi aliqua necessitas celeritatem requirit; ubi consulueris, si nullum impedimentum sit, MATURE FACITO.* Toties *Dominicus* cum viris Deum timentibus atque intelligentibus tractavit, toties divina oracula consuluit, toties internos Spiritûs sancti enthusiasmos expendit; quousque tandem cælesti specie recreatus, toto orbe spargeret, quod in pectore germinabat. Ea autem fuit visio Apostolorum Petri & Pauli; è quibus ille scipionem, hic librum tradere videbatur, utrisque unà suum oraculum adijcientibus: *Vade, concionare, ad id ministerium divinitus electe.* Queîs dictis cælo se reddiderunt Apostoli, & *Dominicus* sibi redditus est ab illa extasi; quâ totus ardebat ad exequendum, ut Minister Christi ac fidelis servus inveniretur; nec occurrebat felicius medium, quàm ut prædas

Alanus l. p. c. 3.

Agapitus in Ep. Parent. ad Iustinianum Imperatorem n. 25.

Leo Imperator in Taktico c. 3. n. 9.

Chryſologus ſerm. 2.

mè addit Petrus Chryſologus. *Vacuandus ergo venter moderatione iejunij, ut exoneratus animus poſſit ad alta pertendere, conſcendere ad virtutes; poſſit ad ipſum pietatis Authorem totus ALIGER pervolare.* Dominicus Servus Dei, non tantùm diuturnis iejunijs, mucido paneac modicâ aquâ, ſuum exinanivit corpus, & Religioſiſſimos ſuos Aſſeclas ad frequentia & rigoroſa iejunia voto obſtrinxit: ſed etiam miro mortificationis ſtudio, auſteris pœnitentijs, cilicijs, flagellis, humicubationibus, aliiſque corpuſculi afflictationibus, ſeipſum confecit. Annos natus non ampliùs decem ita durè in corpuſculum flagellis ſæviebat, ut videretur totum illud proſcindere, ac excoriare: & excrevit hæc laniena eò gravior, quò ætas provectior. Ætatis annum decimum tertium attigerat, & jam tum ſingulis noctibus cœperat in ſe cruentis flagellis animadvertere: & quidem, cùm decurrendo tria roſaria ad ſingula in ijs *Ave Maria* nodoſo flagello ſibi validum ictum impingeret, univerſim ad tot ſalutationes etiam ictus multiplicabat. Crevit proinde cum ætate decimi octavi anni hic ardor ſæviendi, quando pro funiculis catenulas acceperit, iiſque ſe fœdum in modum etiam ſingulis noctibus diverberavit. Nec tamen ſic lancinato corpori dabatur requies; duriore cilicio non tam tegebat illud, quàm macerabat, frangebatque: nec illo tantùm, ſed ferreâ catenâ ad renes accinctus, dies totos ac noctes exigebat, verè dicendus DOMINICUS *loricatus aut catenatus.* Nuda humus & plerumque ſuppedaneum altaris, pro molli anſere, pro plumâ, pro cervicali ſerviebat; ubi deficiens ab oratione, corpuſculum tantiſper duro ſomno inclinabat. Et tamen hæc inter iejunia, hos inter pœnitentiæ modos atque rigores, vultu ſemper hilari atque jucundo prodibat *Dominicus*; ad alta pertendebat, ſuo extenuato corpuſculo ad virtutes conſcendebat, & tot tantiſque mortificationibus totus aliger factus ad ipſum pietatis Authorem pervolabat.

295. S. Dominici pulchritudo cum caſtitate & virginitate conjuncta.

Ex hac corporis veliatione reſultat alia eximia conditio Servum familias condecens: ut ſcilicet illibatam caſtitatis fidem ſervet domeſticis, præſertim Matrifamilias; neminem opprimat, neque ad laſciviendum nictu vel nutu inducat. Sit imitatione caſtiſſimus Joſephus, qui maluit pallij diſpendio, & mortis periculo, ſui Domini thorum inviolatum tueri, quàm quidquam mali committere, etiam blandiſſimè ſollicitante Dominâ, in conjugale ſui heri vinculum. Eſt & illud Falconi glorioſè adſcribendum, quòd ſuâ inedia videatur caſtitatem corporis ſymbolizare: nam dum ſe ad venandum diſponit, licet ipſi recentes apponantur carnes, attamen venationis amore à carnibus abſtinet, & mordentis illicias famis *HAUD COMEDIT.* Propter quod Eccleſiaſtici cenſurâ, *Erit illi gloria ſempiterna: qui potuit transgredi, & non eſt transgreſſus; facere mala, & non fecit.* Tametſi communiter pulchritudo & caſtitas periculoſâ ſocietate ſe invicem ſoleant concomitari, in *S.* tamen *Dominico* ſanctiſſimo nexu jungebantur: nam Theodoricus apud Surium, quod à nobiliſſimis natalibus ad indolis venuſtatem, & à præſtanti educatione ad corporis teneritudinem poſſet referri, ſic de eo ſpecioſiſſimè loquitur. *In eius ſanè utroque homine tantus inerat decor, & puritas, ut omnium in ſe & aſpectum & affectum provocaret.* Non poterat unquã celebratus Protogenes aut Ephranor diſquiſitis coloribus tam formoſam delineare imaginem, quàm erat *Dominici* aſpectus virgineus; qui omnes omnino videbatur ſuperare ipſius naturæ perfectiſſimæ magiſtræ, ſed & cujuſcunque excellentiſſimæ artis ſtatuariæ inventiones: quandoquidem relato Theodorico teſte, *Qui cælos colore pingit igneo, corporis huius membra finxerat omnipotens Conditor*, non in membranâ extensâ, ſed in diviniſſimo corde. Hunc enimverò *S. Catharina Senenſis* per extaſin vidit in ipſo æterni Patris corde, unà etiam cum JESV æterni Patris Filio; ſimulque audijt dicentem ſibi

Eccli. 31. v. 10.

Theodoricus l. 4. vitæ c. 1. apud Surium hoc die.

Patrem. [*Vides, ô Filia, in corde meo, hinc IESUM, inde DOMINICUM: ille mihi naturalis, hic adoptivus est filius: illum ab æterno genui, hunc in tempore: & quia in hunc peculiari ferebar amore, volui, ut esset in corde meo simul cum IESU; ut sic mihi essent quasi gemelli Filij, naturalis ille, hic adoptivus.*] Hactenus Virgo Senensis. Et quàm puros castósque ex hoc fonte *Dominicus* hausit amores? quos amores à Virginea Deipara, quam decimo ætatis suæ anno veneratus est Magistram: deinde verò etiam decimo octavo ætatis anno Sponsam? Potuitne hic castissimus Deiparæ discipulus, & Patris adoptivus Filius, aliud invenire quàm Rosas in Rosaria digestas? potuitne hic virgineus Sponsus aliud spirare, quàm castissimi amoris flammas, quàm vincula virginitatis? Exinde in *S. Dominico* à primâ ætate ad extremum usque spiritum, virginea corporis animique puritas enitebat: exinde fragrantissimus odor promanabat in sæculares, qui forte reverentiæ causâ manum illi exosculabantur: exinde hæc pulchritudinis claritas in castissimam ejus generationem, Religiosos, inquam, Filios diffusa est; quibus & *Dominicus* jam vitâ functus, & ipsa Virgo Mater à Christo JESU castitatem petijt, atque impetravit; prout ex varijs devotissimis argumentis posset deduci. In hos rectè confero illud Sancti Petri Chrysologi disertè enuntiantis oraculum: *Semper est Angelis cognata virginitas; & in carne præter carnem vivere, cælestis est vita.* S. Chrysolog. serm. 141.

296. Orationis, & rectitudinis efficacia in S. Dominico. Oportet insuper, ut Servus fidelis directè respiciat bonum Domini sui, sive in fortunis, seu in honoribus ac dignitatibus promovendum; ad hunc scopum rectà tendit, & promptè paret ad nutum, utroque titulo commendandus servus. Quod etiam Falconi proprium esse observatur; qui dimissus ad venandum, non per gyros & inutiles vagationes, sed *TRAMITE RECTO* tendit sursum, ac prædam sectatur. Et licèt longè abeat in aëra, ita ut ab Aucupe vix ampliùs possit videri; audito tamen clamore, aut fistulæ clangore, *AD NUTUM* revertitur; imò etiam signo venatoris non percepto, recordatur Domini sui, & sincerâ mentis rectitudine fideliter redit, *ULTROQUE AD VINCULA RURSUM* venit. De elevatione mentis in DEUM in orando, & rectitudine ejusdem in operando, appositè se reflectit Philo Hebræus ad migrationem Abrahami, & infert. *Debet curare mens, ut non modo indefessa & intenta sequatur DEUM, verùm etiam PER callem RECTUM INCEDAT, nec ad dexteram inclinans, nec ad levam.* Habuit *S. Dominicus* quatuor *RECTA* evolandi modos & scopos, ad JESUM, ad MARIAM, ad CRUCEM, & ad ANIMAS. Et quidem per orationem, ac contemplationem, ab his capitibus omnia referebat accepta; à *IESU* bonorum Largitore, à *Maria* peccatorum Advocata, à *Cruce* meritorum promotrice, ab *Animabus* Divinitatis imaginibus. Ad hos scopos intendebat directè *Dominicus*, & in hos fontes omnes suos refundebat amores; tum maximè ardentes, quando in oratione, & altissimâ cælestium rerum contemplatione diu noctúque fixus hærebat: & non minùs lucrando animas, sectando Crucem, honorando Deiparam ac diligendo JESUM, *rectà* tendebat in DEUM, quàm *Oculi servorum in manibus Dominorum suorum* figuntur. Psal. 122. Et hac mentis elevatione ac rectitudine, quantum emolumenti non attigit *Dominicus*? quàm certò futuros præsensit eventus? quot peccatorum greges ad meliora convertit? quot felices Catholicis armis obtinuit successus? quàm dulciter resolvebatur in lachrymarum voluptates? quàm delicatè sentiebat Divini Amoris operationes? quot mentis extaticos raptus alienato sensu sustinebant? quàm frequenter cælesti luce conspicuus apparebat? quàm amorosè sub orationis

sua-

suavitate in singulas animæ colliquescebat? Denique quàm pura & rectâ intentione *non sibi, sed Domino* famulabatur, quando ipsemet Pater æternus castissimæ Virgini Catharinæ Senensi hoc consignavit S. Dominici testimonium? *Dominicus dilectus filius meus & tuus Pater, ordinavit naviculam suam ordine perfecto, ut videlicet attenderet solùm ad honorem meum, atque ad salutem animarum cum lumine scientiæ.* Et tamen in hisce eximijs supernæ gratiæ prærogativis ita *ad nutum* Divinæ parebat voluntati, ut mallet cælestes consolationes dimittere, quàm injunctis obedientiæ munijs non protinus deferre: mallet mille subire vitæ suæ dispendia, quàm Divinæ vocationis nutibus non solidè obtemperare: mallet extases & internæ consolationis influxus excludere, quàm ad Superiorum insinuationē mandativam non hilariter obedire. In ipsum cum laudis encomio reijcio tanquam in fidelissimum Dei servum, quod de S. Thoma Apostolo pronuntiat Metaphrastes. *Protinus nullâ dilatione usus est, nec cunctatione, nec tardavit ad vocationem; sed ideo celeriter fuit mutatus & vinctus verâ voce vocantis, ut DICTO CITIUS ostenderet obedientiam.*

S. Catharina Senens. dial. 158.

Metaphrastes de S. Thoma.

297. Generosa de concionibus S. Dominici emolumenta.

Præ omnibus in fideli Ministro requiritur generosus & cordatus animus ad repellendas insidiantium invasiones, ad tuenda Domini sui jura; qui præsertim instructus sit contemptis minutijs fortia aggredi, potenter resistere, validè operari. Facit hoc Falco nobilis, qui contemptis parvis avibus majores & armatiores aggreditur; eúmque *NON FUGA, SED CONTEMPTVS* animat, ut missis imbecillibus adversarijs, non muscas, non carduelles, non paros aut fringillas, sed perdices, sed anates, sed ardeas, sed vulrures & milvos capiat. Acceperat S. Dominicus ministerium Verbi, quando à SS. Apostolis Petro & Paulo sibi apparentibus audivit oraculum: *Vade, concionare, ad id ministerium divinitus electe.* Hoc Apostolicæ missionis mandato animatus, dimissis communioribus pulpitis, generosissimè oppugnavit vitia, dæmonem, hæreses, rebelliones, rotamque mali prævalentis voraginem. Agebat vigesimum quartum ætatis annum, quando in amplissimis Hispaniæ Regnis Romano Catholicæ Fidei potentissimos hostes, *hæreticos* inquam *Albigenses*, qui eas provincias longè latéque suis erroribus depravaverant, aggressus *Dominicus*; pariter Mauros, tum temporis longè maximam Hispaniæ partem occupantes, & fœdâ barbarie sævientes, Divini Verbi prædicationibus generosè impugnavit. Vt in præsenti nihil dicam de Catholicis propè innumeris, quos dissipatis peccatorum tenebris, à vitâ solutiore ad arctiorem & meliorem traduxerat. Non desunt magnæ fidei Authores, qui asserunt, *S. Dominici* prædicationibus potentissimis damnatos esse Albigensium hæreticorum errores, vineam Dei Sabaoth miserè depascentes; & ex ipsis hæreticis plùs quàm centies mille fuisse redditos Catholicæ Religioni: atque ex his præcipua capita, inprimísque *Rainerum* Episcopum Albigensem, & illius sectæ principem, quem non solùm Ecclesiæ, sed etiam Ordini suo addidit; deinde etiam *Alphonsum VIII.* utriusque Castellæ Regem; & insuper *Alphonsum* alterum, Leonis & Galitiæ Regem, Romanæ Ecclesiæ adscivit. Quid per omnes ferè Hispaniarum Provincias, & florentissima Franciæ ac Britanniæ regna, totúmq; orbem Catholicum effecerit institutâ S. *Rosarij* Confraternitate devotissimâ; quantis miraculis passim suas prædicationes consolidârit; quâ vitæ innocentiâ & sanctitate verbis, ornatissimâ eloquentiâ prolatis, pondus & efficaciam addiderit; quàm immensos & necessarios labores pro Ecclesiâ Dei, in illo turbatissimo Europæ sistemate susceperit; quanta Religionis emolumenta in supremo Sacræ Inquisitionis officio, quod ei Innocentius III. ac Honorius III. Summi Pontifices injunxerant, suâ mansuetâ ac blandâ severitate induxerit; qua denique fortitudine ruinam collabentis Lateranensis Ecclesiæ suis proprijs, suique religiosissimi

ſimi Ordinis humeris vel ſuſtulerit, vel ſublevârit: minùs poſſum hæc omnia breviſſimæ orationis compendio compleĉti, quàm nobilis Falco captam aviculam ſuis unguibus comprehenſam ſine læſione ſuo Domino præſentare.

298. Admiranda cujuſdam maximæ peccatricis converſio, operatione S. Dominici facta.

Vnum eſt, ſi cætera taceamus, quod generoſitatem Falconis, & ſacerrimum zelum *S. Dominici* magnificè commendat. Etiam feris & quadrupedibus infeſtus eſt Falco, ijſque valido impetu ungues ac roſtra impingit. Sive Hydram immanem, ſive lethalem ſerpentem dixeris *Luxuriam*, ſeu inſaturabilem Rhinocerotem, aut Crocodillum; hanc beſtiam impugnavit & expugnavit *S. Dominicus* in famoſâ peccatrice, quæ ſe luxuriæ ſcortum, Florentiæ, nobiliſſimâ Italiæ urbe, proſtituit laſcivis corrivalibus venale. Baptiſmus *Benedictæ* nomen dedit, quod libidinoſa, & infamis vita in *maledictæ* omen convertit. Ergo hanc Jezabelem Dominicus impugnavit verbo ſalutis, & expugnavit armis orationis: quêis tandem machinis evicta *Benedicta*, accidit ad pedes Servi Dei, & peccata in aurem deponit, integerrimè & lachrymosè confitendo. Videbatur hæc animæ præda DOMINO capta, & apprehenſa; ſed infernalis Accipiter iterùm iterumque ſuis inſidijs eam avertit, atque in ſuos ungues retraxit. Deo permitrente (prout ſunt inſcrutabilia judicia ejus) etiam poſtquam *Dominicus* Chriſtum & Deiparam pro ea rogavit, eò quòd animæ ſaluti expediret, in eam, velut paratam tabernam, quadringentorum & quinquaginta cacodæmonum caterva ſubintrat; eámque non ſine adſtantium commiſeratione, ſtupore & lachrymis fœdè torquet. Non tulit zelus *Dominici*, hanc creaturam Dei dæmonum mancipatu torqueri; ſed poſt annum ex Hiſpania reverſus Florentiam, vexatam *Benedictam* crucis ſigno, ac ſacri ſui Roſarij virtute, infernalium inquilinorum evacuatione donavit: ita tamen, ut impoſterum potens contra dæmonem amuletum poneret, & tria Roſaria ſingulis diebus recitando devotè perſolveret. Paruit aliquamdiu *Benedicta*; ſed tædio evicta, paulò poſt ſancti Dominici diſceſſum, ad priſtinum libidinis genium redivit. Proinde Dei monitu reverſus Dominicus Româ Florentiam, iteratò ad pœnitentiam convertit recidivam; in quam poſt Sancti preces, ad Deum pro meliori ſtatu pœnitentis fuſas, priſtina dæmonum caterva ſecundò intravit, eamque longè ſæviùs excruciavit. Anno dum interim toto Bononiæ hæſiſſet *Dominicus*, & verò peſſimè à dæmonibus torqueretur Benedicta, hæc ad mentem divinâ illuminatione redit, & tam diu intermiſſum Roſarii penſum ingenti ſuo bono perſolvendum reaſſumit. Exinde enim primùm occulta DEI judicia conſiderando timere, deinde in ſpem erigi, tum amoris & miſericordiæ igniculos concipere, inſuper Deiparam impenſiùs in auxilium vocare cœpit. Quod dum facit, abripitur mentis exceſſu, & coram tremendi Judicis Chriſti tribunali conſtituitur: ubi in aperto quodam magno volumine vidit ſcripta mortalium ſcelera, ac decreta ijs ſupplicia; & in ſpecie ibi ſua omnia fœdiſſima legit peccata, cum tanta ſuæ miſeriæ cognitione, atque anteactæ ſpurciſſimæ vitæ horrore ac tremore, ut planè viſa ſibi ſit exanimis concidiſſe. Et ſub hoc terribiliſſimo horripilio dum propè fatiſcit, ecce apparet *Dominicus* (tantus flagrabat animarum zelus etiam in abſente!) & amicâ paternâque voce deſtitutam *Benedictam* compellat: Eccur, inquit, ad Dei Matrem, commune peccatorum refugium, non confugis miſera? illa, illa eſt, ad quam Roſarij preculas direxiſti. Viſa eſt ex his reſpirare *Benedicta*: cui Virginem Deiparam humiliter imploranti adſtitit miſericordiæ Mater, & coram Filio Judice ita peroravit efficaciter, ut permotus Judex rex *Benedictæ* vitam donaret, ac opportunum pœnitentiæ tempus ad delenda ſua peccata, magno illi libro inſerta, concederet. O indeficiens Dei miſericordia, etiam in *Vita S. Dom. l. 3. c. 7.*

de-

desperatissimos peccatores diffusa! ô vim Servorum Dei ad compescendum cælestis viæ furorem! ô generosa *S. Dominici* operatio in captâ prædâ tenendâ *Domino suo!* ô admiranda maximæ hujus peccatricis conversio! Paucis abhinc diebus post *S. Dominici* reditum sibi reddita *Benedicta*, & infernalibus hospitibus liberata, pijs monitis restituta, ac sacramentalibus gratijs illustrata, mirum est, quos cælo propitio experta sit favores conversa Peccatrix. Illa tunc elevata est ad mentis extasin per tres continentes horas, & tantos in ea sive amoris sive doloris concepit æstus, ut corde vehementiùs palpitante disruptæ sint venæ usq; ad copiosam sanguinis emanationem: illa tunc vidit *S. Dominicum* sacris Christi vulneribus stigmatizatum, procedere ad Aras: illa tunc experta est, sua enormia peccata per lachrymosam pœnitentiam in Libro Dei supra ostenso, & nunc totaliter dealbato, fuisse deleta: illa tunc Deiparam pro Magistra habuit, quæ se sæpiùs ei visendam exhibuit, edocuítque salutis ac perfectionis viam: illa tunc à Virgine Matre accepit *lilia* omninò *septem*, & in ijs melioribus cæli typis impressa præclara quædam morum sanctissimorum documenta. Quæ omnia B. Alano ipsamet *Benedicta*, Divinæ Prædestinationis prodigium, prolixè exposuit. In hac admirabili Divinæ electionis periodo, in hac miseriarum recurrentium pertinaciâ, & in hac stupendâ maximæ peccatricis in maximam Dei Amicam metamorphosi, poterat Benedicta cum S. Augustino ingeminare. *In omni amaritudine, quæ nostros sæculares actus de misericordiâ tuâ sequebatur, intuentibus nobis finem, cur ea pateremur, occurrebant tenebræ, & aversabamur gementes, & dicebamus: quamdiu hæc? Et hæc crebrò dicebamus, & dicentes non relinquebamus ea!*

S. Augustinus l. 6. Confess. c. 10.

299. Sed & illud servum fidelem commendat, si cum alijs domesticis conservis benè convenit; si cum illis pacificè ac tranquillè debitas operationes præstat; si neminem contemnit, aut à proficuâ conversatione excludit; si vires conservis jungit, & ministris rectè ordinatis labores atque mercedes æquè distribuit; adeóq; cum conservis ad ministerium *NON SIBI, SED DOMINO* præstandum, placitè ac familiariter convenit. Idipsum regale ac sacrum Falconũ genus observat, quod & diutissimè volat, & prædam sequitur, nec deserit ad duarum triúm(ve), aut etiam quatuor horarum spatium. Et licèt solitarium egregiè venetur, cum socio tamen venationem præstantiorem facit: nam dum unus inferiùs gyrando suas partes officiosè subit, alter superiùs insistens prædam ex omni latere circumvallat; & evadendi præcludit viam. Sed & Falco hominem ac canes venaticos amat, ac in eorũ præsentiâ venatur libentiùs, tanquam vires suas illis ostentans. Erat *Dominicus* Servus Dei Altissimi, nec tamen ambitiosâ agebatur dominandi cupidine; libenter patiebatur secum conservum aliũ, qui pari aut majori adhuc zelo famulabatur *NON SIBI, SED DOMINO*. Talis conservus *S. Dominici* præsertim erat S. P. meus *Franciscus*. Quem enim later formidabilis illa visio, quæ fuit S. Dominico præsentata in oratione, quando anno 1216. cum *Falcone Episcopo Tolosano* venit Romam, ut suæ novæ Regulæ, ex Institutionum S. Augustini medullis combinatæ, à Sede Apostolica (cui tunc post defunctum Innocentium Tertium præerat Honorius Tertius) confirmationem impetraret. Exigebat *Dominicus* in Vaticano noctem insomnis, & orationibus cælos fatigans: tum ecce! subitò apertis cælis ei apparet Christus, habitu prorsus ad iram & vindictam composito, & tribus lanceis jam jam in sceleratum mundum propter superbiam, avaritiam, & luxuriam evibrandis armato; nisi derepentè supervenisset Augustissima cæli Regina, quæ ad Filij pedes supplex accedens, pronam in fulmina manum sustinuit, & illud miserentis adjecit: Tantisper siste, Fili, manúmque cohibe vindicem; néve perde humanum genus, tui pretium sanguinis: sit illi nunc locus misericordiæ,

Mira & gloriosa SS. Dominici & Francisci societas.

Gestrum in Falcone.

cui fuit aliquando locus amori & dolori tuo: amori, dum in terrâ viveres; dolori, dum in Cruce moriens expirares. Cui Christus amanti affectu: An non indignaris, ô Mater, super sceleribus mundum involuentibus? quæ peccatorum in eo colluvies! Venit finis, quo vindex dextera mea deleat iniquitatis summam. Cui Mater: Justè, ô Fili, hæc tua Fulmina ferirent scelestorum capitum apices, nisi spes melioris aliquando vitæ superesset. Et unde illa spes, ô Mater? Cui illa: Sunt enimverò mihi in terris *duo famuli*, *fideles* in paucis, qui verbo & exemplo doceant Mundum pœnitere. Dixerat: & *Dominicum* manu prensans, Filio exhibuit & ostentavit, tum etiam *Franciscum*. Vterque proinde accidit ad pedes Christi, irâmque sedavit fulminantis. Peractâ verò amabili scænâ, faciem Francisci probè impressam servavit *Dominicus*: qui, dum illi Romæ post aliquot dies occurreret in Vaticano, speciei memor, in amplexus ejus pronus irruit, atque in hæc verba prorupit: *Tu es socius meus* (ô vox! ô societas nobili Falcone digna!) *tu curres pariter mecum: stemus simul, & nullus alius prævalebit adversum nos.*

Chron. Min. p. 1. l. 1. c. 46.

300. Dominicanæ & Franciscani Ordinum firma confœderatio.

Collatis tunc liberaliùs affectibus, pari voluntate, corde & spiritu uniti, suos religiosissimos Ordines sibi invicem sanxerunt confœderatos, charitatis ac familiaritatis fœdere usque in hodiernum diem, & semper perennaturo. Vt rectè cum suis sanctissimis Legislatoribus possint dicere: *Stemus simul*, & ad meliorem vitam prædestinatos è vitiorum flagrantissimis incendijs extrahendo, haud aliter libetemus, quàm *duo* illi *Angeli* justum Loth ejúsque selectam & probam familiam è Sodomæ incineratione protraxerunt. *Stemus simul*, & universum orbem ignorantiæ, errorum, scelerúmque obscurissimis hiatibus immersum, sanæ doctrinæ ac sublimium virtutum radijs illustremus; haud secus, ac *duo Luminaria* magna ad illucescendum cælo aperto lucent exposita. *Stemus simul*, & nostris prædicationibus zelantissimis per omnes Mundi plagas annuntiemus pœnitentiam in remissionem peccatorum, ex meritis Christi & misericordijs Dei; quasi *duæ tubæ* Moysis, à quibus omnis populus ad suum revocaretur principium. *Stemus simul*, & cælestium gratiarum affluentiâ præcellamus, quasi *duo ubera* Sponsæ propinantia sugentibus parvulis lac dulce Sancti Evangelij; unde & crescerent in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. *Stemus simul*, & veræ, Catholicæ, atque Apostolicæ fidei liquorem, ac miserationis oleum longè latéque diffundamus; tanquam *duo filij Dei*, ad ungendum & leniendum largiter instructi. *Stemus simul*, & sustinendis Lateranensis Ecclesiæ ruinis suffulciamus nostros humeros; non minùs, ac *duæ columnæ* Joachim ac Booz, quæ olim porticum Templi Salomonis in diebus suis fulciebant. *Stemus simul*, & percutiamus verbis exhortationum errantes in delictis suis: pascamus gregem nobis religiosè dirigentibus commissum, coërcentes ac repellentes lupos rapaces, quasi *duæ virgæ* à Zacharia assumptæ; quarum alteram vocavit *decorem*, ex amabili virginei candoris, ac nigræ modestiæ varietate resultantem; alteram verò *funiculum*, in signum austeritatis vitæ, ac pœnitentiæ cingentem lumbos. *Stemus simul*, & occultas producamus influentias in Ecclesiæ inimicos capitales; quasi *duæ stellæ*, à Sybillis prænuntiatæ, nostrâ luce & ardore Christianum orbem accendentes, contra horribilis Bestiæ, Ottomanicæ tyrannidis, insultus reprimendos, & evertendos errores. *Stemus simul*, & Ecclesiam Dei nostrarum operationum alis haud aliter in extremos orbes pervehamus, ac olim *duo Cherubim propitiatorij* Arcam Dei suis alis tegebant ac muniebant. *Stemus simul*, & exsiccatis mortalium cordibus atque animabus, quæ sunt *quasi terra sine aqua tibi*, exsuccæ & steriles, depluamus imbres divini Eloquij, & fœcundemus ossa arida ad spiraculum vitæ; tamquam *duæ Nubes*, quæ armatis Israëlis copijs superimpendebant & ad obtegendum, & ad irrotan-

torandum. *Stemus simul*, & non aliter pretiosam simul ac copiosam Animarum messem cælesti horreo invehamus; quàm *duo Institores*, in agro seminantes cum lachrymis, cum exultatione metentes & portantes manipulos suos. *Stemus simul*, & cælestem prædam infernalibus subtrahamus insidijs; sicut *duo regij ac nobiles Falcones* imbelles alaudas crudelibus abripiunt Circis, & captas *non sibi sed Domino* servant. Ita *simul stando*, & pariter currendo, junctimq; volando tantùm effecerunt, ut nullus alius prævaleret adversùm illos. Duo viri Apostolici simul compositi *Dominicus* & *Franciscus*, abjecti, pannosi, mundóque despicabiles; quorum apud Superos gratiâ ac favore respiravit orbis, totúsque in alium se convertit.

301. Gloria filiorum in Patrem, & servorum in Dominum redundans.

Denique id maximè consolatur Ministrum fidelem & servum utilem, ut, sicut ejus gloriosæ operationes ac fructuosa emolumenta redundant in Dominum, juxta illud tritum Jurisconsultorum: *Quod quis facit per alium, per semetipsum facere censetur*; ita vicissim magna Domini recognitio, affectio ac remuneratio, redundant in servum fidelem. Est & Falconi mira quædam gratitudo congenita: nam referunt Ornithologi, quòd Falco albus de Moscoviæ præruptis alpibus captus soleat ante noctis crepusculum unam minorem avem capere, quam altero ungue presse ad pectus ob extrinsecam frigoris intensionem calefaciendum & fovendum adhibe; manè facto avem illam, alioquin dilaniandam, *BENEFICII MEMOR DIMITTIT* in libertatem, ut recompenset servitium sibi præstitum. Dicebat Euripides: *Beneficium beneficio respondeat*. Et convenienti ratione argumentabatur Tullius: *Nam si his, qui imprudenter læserunt, ignosci convenit; his qui necessariò profuerunt, habere gratiam non oportet?* Et quàm necessariò profuit S. Dominicus Ecclesiæ Romanæ in se, & in suis religiosissimis Filijs? quos pectori suo suavissimè apprimit, velut pignus suæ sanctissimæ generationis; à

Euripides in He 10.

Tullius Rhet. 1. 1.

quo non tam recipiat alienæ sanctitatis redundantiam, quàm ei conferat suæ pietatis virtutem. Juvat hîc appositè in considerationem adducere factum aliquod ex libris Regum; ubi Elias jubetur Divino mandato Hazaëlem & Jehu in Regem ungere: & tamen refertur, quòd hi duo primùm post mortem Eliæ fuerint in Reges declarati. Scio bene, aliquos velle, quòd Elias ipsemet ambos illos adhuc vivens clàm in reges unxerit; at verò hoc non bene convenit cum sequente historia; nam in capite octavo narratur, quomodo Eliseus prædixerit regnum Hazaëli, de quo hic non somniabat; & in capite nono Eliseus hoc ipsum mandatum commisit alicui discipulorum suorum, ut ungeret Jehu in Regem Israël. Placet mihi expositio Hugonis & aliorum, dicentium, hanc unctionem ideò attribui Eliæ, quia per aliquem sui discipuli discipulum, quasi per suum nepotem facta est. Ex quo argumentor, posse S. Dominico in actis referri omnes operationes suorum, ac discipulorum, usque in hodiernam diem & in ævum; quia quod quis facit per suos, per semetipsum facere censetur. Hinc in Dominicum, tamquam gloriosissimum Patriarcham, redundant mirabiles & exciclicæ conversiones peccatorum factæ à S. Vincentio Ferrerio; erectæ Cathedræ & Scholæ Theologorum ab Angelico Doctore S. Thoma de Aquina; ferventissimæ conciones S. Petri Martyris; Apostolica conversatio S. Hyacinthi confessoris; virginea sublimitas S. Catharinæ Senensis; constans S. Raymundi in Deum fiducia, & tot tantorúmque Sanctorum hujus celeberrimi Ordinis insignia; ita quidem, ut quidquid in medium proferri possit de hujus Ordinis decoris, quod vel sit in Monasticâ disciplinâ ordinatū, vel in Prædicationis fructu gloriosum, vel in dicendi methodo angelicū, vel in conversationis suavitate eximium, vel in multitudinis amplitudine proficuum, vel in n talium splendore illustre, vel in operationum fructibus

4. Reg. 8. & 9.

matu-

maturũ, vel in sacramentorum administratione devotũ, vel in prædicationum effectibus præclarũ, vel in reprimendis ac confutandis hæreticis laboriosum, vel in propagando Rosario angelicum, vel in virtutum flore recens, vel in famæ integritate pulchrum, vel in Ecclesiæ conspectu plausibile, vel in Inquisitionis Fidei sacro Officio accuratum, vel denique in enarrandis laudibus desiderabile; id totum refundi possit, ac debeat, in honorem & gloriam magni illorum Patriarchæ *S. DOMINICI*. Magni enimverò hi sunt & eximij sanctitatis tituli, tot heroicis ausis proditi, & tot gloriosis prærogativis insigniti. Præstantissima sunt religiosissimi hujus, ac celeberrimi Ordinis Subjecta; quæ velut selectissima membra à suo sanctissimo Capite non discordant. Dedeceret enim Dei sapientiam, caput membris statuere monstrosum, aut membra supponere à capite notabiliter diversificata. Esset verò ejusmodi S. Dominicus, nisi membris præemineret, ac virtutes in membris sparsas, in se uno adunatas eminenter possideret. Decus hoc capitis corporei cuicunque mystico capiti à se delecto non negat Deus, cujus perfecta sunt opera, & omnia peragit quàm decentissimè. Itaque non cessisse gratiâ & opibus cælestibus Dominicum tam magnis illustribusque Dei servis, quos illi divina Providentia ut Capiti membra, ut Patri filios, ut Domino servos subjunxit, censeo exploratum.

302. Prodigia de Beatitudine S. Dominici gloriosa. Jam verò *his, qui necessariò profuerunt, habere gratiam non oportet?* & his, qui fideliter Domino servierunt, referre præmium, & mercedem solvere non oportet? Oportet omnino; nam dignus est mercenarius suâ mercede: & sicut *iracundiam regis sustinebit inutilis* servus; ita *acceptus est Regi Minister intelligens*, qui voluntatem Domini sui adamussim conatur perficere. Quàm acceptus fuerit *S. Dominicus* cælesti Regi, in fine vitæ ejus & tempore retributionis vel maximè patuit. Enim verò cùm *Dominicus* in altissima divinorum bonorum contemplatione, summóque adipiscendæ brevi felicitatis desiderio teneretur: ecce illi de cælesti palatio Nuntius aliger advolat, & quadam illustriore luce spectabilis, & angelicâ formâ conspicuus, eum verbis ad omnem mercedis & retributionis consolationem compositis quàm suavissimè invitat: *Euge serve bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Quàm non respirat hîc *Dominicus*, qui in patientiâ & amore portavit onus diei & æstûs? quàm gestit & exultat præ animi amplitudine, qui in diebus suis monstra placavit, & noctes integras divinis laudibus exegit? Prensabat jam propè manibus cæli gaudia; jam anima illa benedicta, in extremis labijs hærens, enitebatur ad Domini sui gaudium evolare; tum ecce novo spectaculo, novâque gloriâ, sese illi in conspectum dederunt *JESUS* & *MARIA*, gloriosissima Empyrei cæli sidera; in quæ tota cælestis Curia desiderat prospicere, tanquam inaccessi luminis & pulchræ dilectionis Principia! O quantos hîc patitur mox coronandus *S. Dominicus* animi sui æstus! quæ Divinæ voluptatis incendia? quot æternæ beatitudinis prægustus? Quos inter fidelis Domini servus *Dominicus* felicem exhalat animam, eámque Christo ceu optimo Parenti, Mariæ ceu clementissimæ Matri, Angelis ceu beatissimis Dei conservis, ante Divinæ Majestatis thronum præsentandam committit; sicque medius inter cælestes genios, solennissimo hoc apparatu cælos intrat, promerito gloriæ throno sublimandus. *Verè acceptus Regi est Minister intelligens*, & ei digna laborum præparatur retributio; quando non tantùm datum est manibus pedibusq; repete ad coronas gloriæ, & æternitatis retributiones; sed etiam amplissimis scalis patet ascensus, & renovatur spectaculum olim quiescenti Jacobo divinitus ostensum! Enimverò quàm certæ ac manifestæ visiones demonstrant, *S. Dominicum*, fidelem Dei servum & bonum, intrâsse in gaudium Dominî sui: quando circa obitûs ejus mo-

momentum venerabili Patri *Gaulla*, Conventûs Bressiensis Priori, derepente visum est aperiri cælum, & exinde binas ad ima terræ demitti scalas; atque in unius vertice eminere Christum, in alterius autem culmine DEI Genitricem MARIAM, atque ex utrâque scalâ ascendentes & descendentes Angelos: tum etiam in infimo scalarum pede quasi medium constitui thronum, auro quidem gemmisque elegantissimè nitentem; in quem sedere jussus Sanctus Dominicus, unàcum toto cælesti apparatu subitò è terris in cælum est sublimatus? Quàm gloriosa fuit illa exhibitio ocularis, qua venerabilibus Patri *Ro*, & Patri Tanared, viris Dominicanæ Religionis sanctitate & scientiâ inclytis, Româ Tyrolim meditantibus, & sub Sacrificio Missæ de periculosè decumbentis Patris Dominici restitutione supplicantibus, subitò in immobilem extasin raptis, ostensus est ipsemet sanctus Dominicus, coronâ aureâ redimitus, & ad instar solis omni parte illustratus Bononiâ excedere; ut cælo, suæ concentricæ sphæræ, immitteretur? Variæ sunt hujusmodi apparitiones, quibus cælestis *S. Dominici* remuneratio comprobatur. Vsque adeò *Servo sapienti prosperi erunt actus, & dirigetur via ejus* ad gloriam sempiternam. *Proverb. 14. v. 15.*

503. *S. Dominicus amicos Dei, cum Deo omnia communicat.* O quàm longè melior est servitus DEI, quàm servitus peccati! quàm securior conditio mancipatûs Divini, quàm infernalis; Quàm longè *Sanctus DOMINICVS* se alienavit à consortio illorum, qui non dicunt in corde suo ad Dominum: *Tuus sum ego, salvum me fac!* Expendit hæc verba Sanctus Ambrosius, & ad servos peccati ac ministros iniquitatis ea reducit. *S. Ambr. in psal. 118. serm. 12.* *Non potest*, inquit, *dicere sæcularis, Tuus sum; plures enim dominos habet. Venit libido, & dicit, Meus es; quia ea, quæ sunt corporis, concupiscis. Venit avaritia; & dicit, Meus es; quia argentum & aurum, quod habes, servitutis tuæ pretium est. Venit luxuria, & dicit; Meus es; quia unius diei convivium pretium tuæ vitæ est. Venit ambitio, & dicit: Planè meus es: Nescis, quod ideò imperare alijs te feci, ut mihi ipse servires? Nescis, quòd ideò potestatem in te contuli, ut meæ te subijcerem potestati? Veniunt omnia vitia, & singula dicunt: Meus es. Quem tanti competunt, quàm vile mancipium est?* Porro peccator, qui nequit dicere Deo, *Tuus sum ego*; audit à diabolo, *Meus es tu.* Nam ut subijcit sanctus Ambrosius: *Venit & introivit in eum Sathanas, & cœpit dicere: non est tuus, IESU, sed meus est. Ea quæ mea sunt, cogitat; quæ mea sunt, in pectore volvit: tecum epulatur, & mecum pascitur: à te panem accipit, à me pecuniam: tecum bibit, & mihi tuum sanguinem vendit; tuus est Apostolus, & meus mercenarius.* Ita quidem de homine subdito peccatis discurrit Sanctus Ambrosius. Ego verò de Servo fideli, & virtuoso hoc assero; quòd sicut quælibet virtus in sublimi gradu exercita potest dicere operanti, *Meus es tu*; ita vicissim *Sanctus DOMINICUS* ob incomparabilem virtutum splendorem, & vitæ sanctitatem, possit dicere non tantùm cuivis virtuti, sed etiam Ter Opt. Maximo Domino, *Tuus sum ego*; & omnia mea tua sunt. Quia nempe *Acceptus est Regi Minister intelligens*, qui in talentis Domini sui fidelissimè negotiatur ad lucri felicissimum proventum. O gloriosa subjectio, tali Domino servire; & servitute amicitiam promereri, quâ nihil in hoc mortalium cursu contingere potest opulentius! Neque enim inepta est illa, ex DEI, tanti Domini, in suos servos amore deducta illatio: *Omnia DEI sunt; DEI autem amici, sapientes sunt. Amicorum autem omnia communia: omnia igitur sapientum sunt.* *S. Ambrosius l. 2. de Abraham, c. 7.* Ex quo *S. DOMINICVS*, tanquam Minister & Servus DEI fidelissimus, ita intravit in gaudium Domini sui, ut simul etiam sibi communia fecerit illa prædicata, qui-

bus summos & maximos suos amicos dignatur DEVS, ut esset nempe Servus DEI, discipulus Deiparæ, Prædicatorum veritatis Dux, Religiosorum florentissimorum Legislator, vocatione Apostolus, sanctitate novus Ecclesiæ Lucifer, adoptione Altissimi Filius, gratiâ Magnus Sanctissimæ Trinitatis Amicus, Sacræ Scripturæ Cherub, Ecclesiæ Defensor, Fidei Promotor, cælestis Familiæ Inquilinus; denique nobilis, regius ac sacer. Falco, qui *NON SIBI, SED DOMINO* suo fidelissimè ministrabat.

Dum tantisper extollo Sanctum Dominicum in Prædicato *Servi Dominici*; reflecto me super id, quod Sanctus Antoninus aliique summi Theologi piè suspicando pronuntiant, de sanctissimâ Virgine DEI Genitrice MARIA; quòd dum consensum suum de Verbo Divino ex suis virgineis visceribus incarnando expressisset illis verbis, humilitate gravissimis, *Ecce Ancilla Domini*; protinus conceperit Filium DEI, & Divinam Essentiam, quam in se recepit, intuitivè viderit. Sancti Damascenus & Anselmus tradunt, Beatissimam Virginem illis verbis, *Ecce Ancilla Domini*, & concepisse Filium DEI in utero, & accepisse claram revelationem suæ prædestinationis, & exaltationis futuræ super omnes Angelorum choros. Quid putatis, AA. obtigisse *Sancto Dominico*, à suâ Virgineâ Magistrâ nihil adeò firmiter addiscente, quàm in Sanctitate & Justitia omnibus diebus vitæ suæ *servire Domino*, & esse Servus DEI? Obtigit nempe, de sua prædestinatione reddi securum, exaltari inter choros Angelorum, videre DEVM, frui beatitudine, intrare in gaudium Domini sui, & in eo æternaliter præmiari.

S. Antoninus 4 p tit. 15. c. 17 parag. 1.

S. Damascenus de dormitione Deipara. S. Anselmus de excellentia Virg. c. 3. 4. & sequent.

A M E N.



IN

IN FESTO SANCTI CAJETANI Confessoris, & Ordinis Clericorum Regularium Theatinorum Fundatoris.

CANARIA CANORA.

Das süßtrillende Zuckervögele.

LEMMA.

Voce allicit, atque afficit formâ.

THEMA.

Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: VOX enim tua DULCIS, & FACIES tua DECORA. Cant. 2. v. 14.

SYNOPSIS CONCIONIS XC.

S. CAJETANI Confess. & Ord. Cler. Reg. Theatinor. gloriosissimi Fundatoris apparatus, ex Canariensis Aviculæ voce & facie ita elucescit affectuosus, ut vel ipse cælestis Sanctarum Animarum Sponsus videatur ejusdem vocis dulcedine mulceri, & faciei decore amicabiliter delectari.

304. S. Cajetanus non nisi cælestibus dignus & insignis.



Visquis in rebus gestis S. Caietani legerit, eundem illustrissimû Adolescentem, in ædium suarum viridario cum socijs ludentem, fuisse tali prodigio cælitus recreatum. Nempe subitò circumfulsit Innocentem lux de cælo, & Avicula quædam candidissima advolans, Eum distinctâ & clarâ voce alloquitur: *Mi Cajetane, tibi sit perpetua pax & jugis tranquillitas, quam nemo ampliùs à te poterit auferre!* Quibus dictis, dum tertiâ vice attoniti caput circumvolâsset, protinus cælestis Avicula disparuit. Cajetanus verò tantam exinde per omnem vitam suam persensit animi tranquillitatem, atque extrinsecam conversationis pacem, ut nullâ passionum commotione, nullâ affectuum tempestate, nullo adversitatum impetu, nullis dæmonum suggestionibus, nullis apprehensionum cuniculis potuerit turbari, everti, vel labefactari; totus exinde tranquillus, pacatus, pacificus, æquanimis, amabilis, & delectabilis per omnem vitæ suæ periodum substitit CAJETANUS. (D. Stephanus Tepe l. 1. c. 2. de vita S. Cajetani.) Siquis, inquam, cæleste hoc prodigium perceperit, protinus sibi imaginabitur, vel reproducenda Halcyonia tempora, quibus *ÆQUORA TUTA SILENT*; & S. Ambrosio teste, (Æneid. 1. S. Ambrosius l. 5. Hexaem. c. 13.) *Omnes cadunt ventorum procellæ, flatúsque aurarum quiescunt, ac placidum ventis stat mare, donec ova fovet Alcyon sua*: vel redituram Columbam cum virente olivâ in ore ad arcam Noëticam; quæ Carduceo

 non

non ignobili ex Recentioribus Poëta testante,

Sicut læta refert oleam POST NUBILA ET IMBRES,
Florida sic bello Pax tibi parta redit:

Cass Sebastian ex variis l. 9. mirab. c. 27. Aut certè fragrantissimum Cinnamomum, ex Arabiæ vel Æthiopiæ montibus advolare: quæ avis ex præstantissimi cinnamomi surculis, nidum suum *in summis* excelsissimarum arborum *ramis* ita firmiter compaginat, ut & bestiarum & aucupum insidijs emineat longè superior, nec nisi plumbatis sagittis in pretiosam prædam possit deijci. Sed verò nihil horum; quamvis quodlibet eorum volatile pro *S. Cajetani* demonstrandis decoribus foret ingenuissimum. *Canoram* potiùs hodie mihi ex Magno Ornithotrophio discerno *Canariam*, à citrinis & zisalis nostris haud multò absimilem, paulisper tamen majorem, totam in caudæ & alarum pennis, cæteròque amictu viridem; & ex Insulis Canarijs, vulgò Fortunatis, primitus magno pretio per mercatores allatam, nunc verò passim domesticis prolificationibus auctam. Quæ quia *VOCE* canorâ *ALLICIT*, *FORMAQUE AFFICIT* viridi, ad eam me dulciter reflectit allocutionem, quâ Sponsus cælestis in Canticis suæ Sponsæ abblan-*Cant. 2. v. 14.* ditur: *Ostende mihi faciem tuam; sonet vox tua in auribus meis: VOX enim tua DULCIS, & FACIES tua DECORA.* Vbi quidem Caldæus interpretatur de Anima orante, quæ debet esse pulchra virtute, & voce suaviter sonora: *Vox tua suavis est in oratione, in domo sanctuarij modici, & aspectus tuus pulcher in operibus bonis.* Ita profectò & *voce* & *facie* munus Canariensis Aviculæ adimplevit *S. Caietanus*, ut eoram Militantis & Triumphantis Ecclesiæ conspectu æquè reluceat sanctitate gloriosus, quàm *facie* decorus, & *voce* canorus. Prout affectuosâ oratione, impare quidem tanti thematis amabilitati, tantæ verò Auditorum attentioni conformi proponam; & in nomine castissimarum Animarum Sponsi JESV ad notas redigam vel conspectu illustres, vel suavitate deliciosas.

305. *Symbolicè & moraliter vox dulcis, ac facies decora Sponsæ explicatur.* *Vox tua dulcis, & facies tua decora.* Ita verò tota viridis, tota canora est *Canaria*, quæ *voce allicit, faciéque afficit.* Concentu quidem est valde amœno & acuto, quem spiritu diu non interrupto, nunc in longum, nunc in altum, variâ vocis inflexione, & musicâ propè sanè lepidâ & artificiosâ melodiâ extendit. Sonus emissus omnino gracilis tàmque vibrans est, ut cùm parvos aliquando faucium nervos intenderit, auscultantium aures tereti quasi clangore percellat & obtundat. Ob hanc ipsam delicatam cantûs suavitatem, & quòd è remotissimis Insularum Canariarum terris, ubi copiosè in saccarinat eis arundinetis fœtificant, per mare procul, deinde terrâ quoque longè, summâ curâ & diligentia non nisi rara asportetur, *Magnatum ædibus alitur.* Saccaratam vocis dulcedinem, quàm hæc *Canaria* instillat auribus, poëtarum nonnemo *Gesnerus in Canaria.* arguto epigrammate delibavit apud Gesnerum.

Quid miror, digitis quando rudis organa pulso,
Suave tot è cannis ire redire melos?
PLURES UNA SONOS avis hæc, nec passere major,
Gramineis herbis æqua colore, dedit.
Illa tonos aptè medios, quos maxima moles,
Nec calami poterant mille sonare, canit.
Ergo chelys citharæq; fides, vos dicite nostram
Vel mutam si fas est, vel ἀμυλον avem.

Sic à *voce*, sic à *facie* commendatur Canaria, ut ei ob saccaratam vocis dulcedinem, & ob viridem faciei florem, possit dici illud Sponsi ad Dilectam: *Vox tua dulcis, & facies tua decora.* Requirit Deus in anima se diligente faciem decoram, & vocem so-

no-

noram. *Facies decora* significat speciem & elegantiam mentis, sanctè cum Deo conversantis: hæc enim est facies hominis interna, bonum facere, à malo declinare, & cum Deo ambulare. *Vox* autem *sonora* significat pios mentis gemitus, & suspiria ad Deum; ut Anima jugi amore ad Deum aspiret, sicut fugit saucius cervus ad aquarum fontes, aut sicut columba ab accipitre impetita se proripit in petrarum cavernas. Vtraque Deo gratissima & jucundissima est, adeò ut illâ se pascat &
Isa. 62.v.5. oblectet, juxta oraculum Isaiæ: *Et gaudebit Sponsus super Sponsam, & gaudebit super te Deus tuus.* Ita quidem symbolicè vox, & facies Sponsæ accipiuntur: in sensu verò morali Sponsus ab Ecclesiâ fidei & operum puritatem sibi poscit exhiberi, quasi *faciem decoram*; & prædicationem cælestis doctrinæ, quasi *vocem dulcem*. Et sic plures SS. PP. hunc locum interpretantur: ex quibus solum adduco S. Gregorium, qui more suo in genere moris omnium appositissimè commen-
S. Gregorius super Cant. tatur. *Quid enim per faciem*, inquit, *nisi fidem, quâ à Deo cognoscimur, accipimus? Et quid per vocem, nisi prædicationem intelligimus? Sed præcipit Sponsus, ut ei Sponsa faciem suam ostendat: quia quicunque se fidem dicit habere, necesse est, ut in bonis operibus se exerceat, ut in operibus exterioribus fides interior innotescat. Sed & opera necesse est ut vox prædicationis sequatur: quia quicunque in Sanctis operibus perfectè se dilatat, consequens est, ut ad eadem facienda proximos quosque exhortetur. Ideo sequitur: Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Tunc enim & vox placet, & facies decoratur, quando & opera prædicatio sequitur, & rursum prædicationem bona opera comitantur.* Itaque viri Apostolici prodeant in pulpitum ex foraminibus Petræ; id est, ex solitudine orationis & meditationis Passionis Dominicæ, ut Christum crucifixum magno pietatis ardore & spiritu intrepidè prædicent. Illi proinde ostendant faciem suam; hoc est, solius Christi intuitu, non proprij lucri causâ prædicent: ideóque faciem suam à creaturis omnibus avertant, & ad unum Deum per orationem convertant, ut ab eo illustrentur, illique faciem, videlicet conversationē suam conforment; sicut Moyses cum Deo in Sina colloquens, ab eo cornutam faciem, hoc est, cornua lucis afflata suæ faciei accepit. *Quoniam*, juxta Chaldæum relatum, *vox tua suavis est in oratione, in domo sanctuarij modici, & aspectus tuus pulcher in operibus bonis.*

Jam si dicatur S. nostro CAIETANO, *Ostende mihi faciem tuam; sonet vox tua in auribus meis*: quàm decoram is exhibet faciem *ad afficiendum*, quàm canoram & dulcem vocem prodit *ad alliciendum*? Reverà *Facies eius decora* admodum apparet, sive interior, sive exterior spectetur. Quæ externam *S. Caietani* faciem concernunt, illa virtute simul ac nobilitate resplendet: & parum foret *Caietano* alienâ nobilitate gloriari, nisi ipsemet Majorum suorum gloriæ proprias addidisset virtutes, in Illustrissimi sui Stemmatis dilucidationem. Enimverò antiquissimâ Romanorum Consulum, circa Arcadij & Honorij tempora, stirpe progenitus, usque ad *Athenium* suâ propagatione ascendit; à quo *Thienæi* descendentes, per plurima annorum sæcula, generosissimis factis in Europæ regnis & imperijs famosi eluxerunt. Ipsemet ejus Parens Casparus Thiene, Vincentiæ, florentissimâ Italiæ urbe, ex Maria Porta, pietate ac sanguine illustrissimâ fœminâ, tam sanctam Prolem procreans, nominis sui claritatem in togâ & sago plurimùm celebravit. Et quia ex hac nobilissimâ Thienæorum Prosopiâ duo prodierunt Cajetani, velut belli & pacis artibus in aulâ Ferdinandi I. & Maximiliani II. celebratissima Lumina; hinc ad prosequendum hoc Nomen etiam Dominus Casparus Thiene suo beatissimo Filiolo in Prosapiæ claritatem *Cajetani* appellationem contulit, ut in hæreditatis pignus cederet Majorum suorum *CVM NOMINE VIRTVS.* Quidquid in ortu hujus nobilissimi Sideris concurrit, affectuosam exhibebat faciem

306. S. Cajetani prosapia & externa conversatio.

 faciem

faciem; nam & Mater pientissima post effusum beatissimum partum, *non meminit pressura* à doloribus uterinis illatæ; sed lætabunda gavisa est, sibi cælitus donatam Prolem, quæ totam Ecclesiam suâ sanctitate illustraret: & gloriosa cæli Regina puellum *Cajetanum*, ex primo ardentissimo propriæ genitricis Portæ voto, in suum dilectissimum suscepit Filiolum; & unus ex Seraphicis Spiritibus tam nobilem Clientem in suam suscepit tutelam, ac protectionem; ut eum doceret amore Divino exardescere, *Martémque accendere campo* contra vitia & hæreses, quibus illud sæculum, miserandum in modum, depascebatur. Cæterùm tota *Cajetani* pueritia, conversatio cum coætaneis, inferiorum disciplinarum instructio, in pietatis ac religionis devotionibus exercitatio, spirabant gravitatem ante pondus, sapientiam ante ætatem, magisterium ante didascaliam, dexteritatem ante usum, circumspectionem ante visum, virtutem ante virilitatem, deniq; sanctitatem ante meritum: hinc inter coætaneos suos suspiciebatur pro instrumento Dei, quo virtus Altissimi esset mirabilia magna futuris temporibus operatura. Erat *Cajetanus* modestus in oculis, in colloquijs considerabundus, sobrius in vestimentis, in moribus gratiosus, in conversatione affabilis, in gratificando officiosus, innocuus in intentione, in actionibus castè venustus, & in toto corporis apparatu venustè castus atque affabilis. Cæterùm juvenis Comes *Cajetanus* suâ præsentiâ, quâ incarnatum potuisset Angelum æmulari, quoscunque obvios in sui affectionem rapuit: & virtuosos quidem ad piam imitationem incitavit, malitiosos verò à viâ iniquitatis occultâ quadam activitate retraxit. Vt meritò quivis potuerit desiderando dicere Cajetano: *Ostende mihi faciem tuam; facies enim tua decora nimis*, decora natalibus illustrissimis, decora partu gaudioso, decora consecratione Marianâ, decora protectione Seraphicâ, decora conversatione sapientiali, decora aspectu gratioso, decora affectu ad consolationem spiritûs delicioso usque ad medullas animæ.

Hæc sunt in extrinseco *B. Cajet.* decore suspicienda nimis, *præter id, quod intrinsecus latet*; nam reverà interior Animæ venustas, quâ S. Cajetanus corам Deo illustrabatur, exteriorem corporis, natalium ac conversationis humanæ ornatum, comparatione sui omninò videtur obstruxisse. Interno Animæ decore affectuosissimum se reddidit in *Oratione*; quæ est elevatio mentis in Deum, & conjunctio quædam intima potentiarum animæ cum Deo; quantùm possibile est pro hoc mortali statu, faciem Moysis cornutam reddi ex consortio divino, & clarificari Sanctos in oratione. Totus à pueritiâ Orationi deditus erat *Cajetanus*; nam & altariola erigere, coram ijs prostratus orare, alios domesticos ad similia exercitia invitare, sacras imagines exornare, & preces aut lectiones divinas prælegere, cum eximiâ ædificatione solebat sanctus Puer: qui etiam spiritum Orationis ab incunabulis primis attractum, usque ad vitæ felicissimum terminum non dimisit. Imo ut & alijs ad Deum piâ & dignâ mente orandi ansam præberet, in pago Rapazo, suæ jurisdictioni subjecto, Ecclesiam in honorem S. Mariæ Magdalenæ funditus erexit Juvenis Comes, ornavit, perfecit: ut & in loco tam devoto per intercessionem S. Magdalenæ, Patronæ suæ fidelissimæ, Apostolicæ vitæ ac innocentis pœnitentiæ principia auspicaretur; & subditis agrestibus ad frequentes orationis ac Religionis actus illicia pararet. De Pico volucre constat, eum tam diu rostro suo in exesam ac intus corrosam arborem impingere, quousque *PULSANDO TANDEM* prodeat vermis aut formica ad devorandum. Facit id ipsum oratio, ferventer & constanter ad Deum profusa, quæ *pulsando tandem* obtinet, quod intendit; ex ipso Christi oraculo: *Si perseveraverit pulsans, dabit illi, quotquot habet necessarios*. De Anna Prophetissa asserunt Regum Annales, quòd obtinuerit à Deo desideratam prolem, *cùm illa multi-*

307. Oratio S. Cajetani efficax & continua.

Luc. 11. v. 8.

1. Reg. 1. v. 12.

multiplicaret preces coram Domino; & hoc totum ideò, quia S. Chrysostomo interpretante, *Assiduè souabat eadem, nec destitit yisdem verbis iterandis multum temporis absumere, & crebris & frequentibus precibus adyt Deum.* Contigit, ut *S. Cajetanus* in mari Adriatico de naufragio vitæ & proræ periclitaretur: intumescentibus procellis, minantibus cælis, tumultuantibus ventis, dejectis omnium animis, remis & velis, solus noster *Cajetanus* magnanimus perstitit; sed *& crebris ac frequentibus precibus adyt Deum*, imaginem Salvatoris ceræ Papali impressum in abyssum projecit: *& facta est tranquillitas magna* subitò, ita ut omnes de superatis periculis ad cordis lætitiam & exultationem reviviscerent. Oriebatur in Regiâ civitate Neapolitanâ tam terribilis, tam insana & Insaturabilis seditio, ut amplissimæ Familiæ ferro cederent, & cædibus publicis plateæ cruentarentur, diris & iris irreconciliabilibus omnia paterent, totaque incomparabilis civitas ad intestinum exterminium properaret. Nihil tunc poterat Hispanici Regis suprema potestas; nihil tentatæ castigationes, ferro flammisque in factiosa capita sævientes; nihil ampliùs sacra, nihil profana: ignis in furore accensus stimulabat passim omnes ad intestinas cædes, & quidem tam copiosas, ut regiæ plateæ humano sanguine diffluerent. Affligebatur interim Cajetanus spiritu, & calidissimâ febri corripiebatur juxta compassionis excessum: noctibus integris in semetipsum flagellis dirissimè animadvertebat: *nec destitit yisdem verbis iterandis multum temporis absumere*, atque ad Altissimum exclamare, *ut civitatem istam defendere, pacificare, custodire & conservare dignaretur.* Et exauditus est pro suâ reverentiâ, dum *pulsando tandem* civitati internam pacem, compositionem, & tranquillitatem Christianam impetravit. Nec efficaces tantùm erant *Beati Cajetani* orationes ad obtinendum, sed & frequentes more Patrum, & attentæ, & reverentiales, & ardentissimæ. Quidquid temporis ab operibus charitatis exercendis superfuit, id totum orationi sine intermissione impendit. Tremendum Missæ Sacrificium celebrandum nunquam est aggressus, quin octo integris horis (stupendum, & incomparabile dictu!) ad tantum mysterium dignè tractandum se præpararet in oratione: & licèt corporis vires tantis vitalium spirituum exinanitionibus omninò deficerent, cælesti tamen virtute atque vigore animabatur, ut quotidie evaderet seipso fortior, & ad sanctas operationes, *velut Canaria*, semper viresceret. Cæterùm verò sicut *diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob*; ita diligebat *Cajetanus* Oratoria Domini super omnia habitacula mundi. Oratoria frequentabat devotus, in oratorijs pernoctabat hospes, in oratione serviebat infirmis, oratoria erigebat officiosus, in oratorijs suscipiebat Divinæ Gratiæ fluenta; & quidquid ardui pro Dei gloria restauranda, & reformandis Ecclesiæ ac Cleri moribus moliebatur, totum id in Oratorijs perficiebat: nec spiritum ab oratione remittebat, quousque *pulsando tandem* impetraret à Deo intentum, perfectè ubique insinuans Beati Basilij Magni instructionem. *Nulla laboris fatigatione deberè te à suscepto proposito desistere; ut videlicet quandocunque aliquid petieris, neque impetraveris, tamdiu perseveres, quoad impetres.* *S. Basilius Mag. Const. Monast. c. 2.*

308\. *S. Caietani extases & dignationes Divinæ incomparabiles.*

Veniam autem ad visiones, raptus & extases, quibus interna facies *Beati Cajetani* admirabili quodam & insolito splendore illustrabatur. Tribuit Sanctus Dionysius Amori vim causandi extasin, nec sinendi Amatorem esse sui juris; sed in jus eorum, quæ amantur, penitus transferendi. *Ob eam enim infixionem amantis in rem amatam, facilè obrepit amanti oblivio sui, rerúmque suarum neglectus, qui ad extasin pertinet.* Nec rarò eò usque crescit intensio, & efficacia adhæsionis ad rem amatam, per cogitationem validam & intensum amorem, ut sequatur institium in externis sensibus; ita ut homo vel tenuiter, vel ni- *S. Dionysius 4. divin. nom.*

nihil audiat, videat, sentiat. Imò ipsa vitalis facultas ita quandoque intercipitur, ut ambiguum sit, superstésne sit vita. Quia enim mensura virium animæ finita est, & spiritus, quibus vitæ actualis administris indiget, in contentissimam phantasiationem & appetitionem insumpti non possunt ad reliquas operationes suppetere; necesse est animam quoad eas feriari; nisi de ea contentione aliquid remittat, cessétque intercludere spiritibus aditum ad cætera sensoria; hisque cooperationem suam, in unam vehementem operationem vi amoris impensam, negare. Igitur Amoris vi rapitur homo extra se; & præsertim, quando cum Deo res agitur, non est secum. Atque in tali raptu animæ extra se, plerumque Deus ostendit cælestes visiones Amicis suis; inter quos *B. Caietanum* mirificis & inauditis apparitionibus dignatus est. Rectè scilicet dixit S. Gregorius: *Amor magna operatur, si est; si non operatur, ibi non est.* Et quid aliud potuit operari *S. Caietanus*, quàm amare Deum? quando pro Angelo suo Custode à Deo obtinuit unum *Seraphinum*, qui juxta D. Gregorij Commentarios *Incendium Amoris* interpretatur. Poterátne in aliqua comœdiâ elegantiùs exhiberi natura Extaseos, quàm eo modo, quo *S. Caietanus* aliquando in contemplatione positus vidit Cor suum proprium, duabus ignitis alis armatum, evolare sursum, & pernici motu ad cælestia sublimari. Ita certè *Alæ Seraphim, alæ ignis atque flammarum.* Et dum tacitè secum expenderet, quomodo vita sua sine corde subsisteret? quomodo Amor alas adderet? quantâ difficultate à reliquis corporis visceribus avulsum esset Cor? Sicque sibimet dum diceret
Psal. 39. v. 11. stupore cælesti plenus, *Defecit virtus mea; cor meum dereliquit me*: videbatur sibi vocem tenuem dicentem au-
Luc. 12. v. 34. dire, *Ubi thesaurus tuus, ibi & cor tuum erit.* Ita certè Cor S. Cajetani avellebatur à corpore, quando in oratione & contemplatione positus, animum suum in Divinitatis abyssum reponebat. *Ob eam enim infixionem amantis in rem amatam, facilè obrepit amanti oblivio sui, rerúmque suarum neglectus, qui ad Extasin pertinet.* Proinde si gratias adducam, quibus Redemptor noster Jesus, sanctarum Animarum Sponsus, *Caietanum* in oratione honoravit, videtur hic maximorum Ecclesiæ Sanctorum gloriam vel æquâsse, vel superâsse. Enimverò quòd *S. Caietanus* aliquando ab Angelo in disco præparatum cælestem cibum, & à Beatissimâ Dei Genitrice sibi deputatum acceperit; talique Elysio epulo recreatus sit, quo immortalis æternæ vitæ felicitas pro alimento suscipitur: quòd *S. Caietanus* ex adaperto vulnere Lateris Jesu, sibi præsentialiter apparentis, & hominum redemptorum ingratitudinem querulantis, pretiosissimum salutis nostræ lytrum adhaurire, ac sanctissimum Sanguinem gustare sit dignificatus: quòd *S. Caietanus* ab ipso Christo Redemptore sub Crucis mole graviter fatiscente, hos trabalis signi probrum in suos humeros susceperit; illúdque inter tenerrimæ compassionis gemitus, & interclusi spiritûs angustias bajulaverit: quòd *S. Caietanus* Romæ in festivissimo Redemptoris nostri Natali, in Ecclesiâ *ad S. Mariam Majorem* nuncupata, dum inter ardentissimos amoris & gratitudinis actus erga tantum Divinæ Nativitatis mysterium noctem illam insomnem duceret, dirigente S. Hieronymo; non tantùm oculis suis corporeis viderit Bethlemiticum Infantem a virgineâ Matre reclinari in præsepio, sed etiam ab Eadem ipsemet suis brachijs acceperit Jesulum, Dei Patris ac Virginis Matris Filiolum, suavissiméq; suo pectori appresserit, ac dulcissimis osculis sit abblanditus. Denique quòd paulò ante mortis, ex ardentissimo pro Proximorum afflictione amore causatæ, vestibulum Virginea Mater gloriosè apparens, dilecto Filio suo *Caietano*, largifluo affectu porrexerit lac sanctissimum ex prolibatis suis uberibus sugendum; & quòd ipsemet Christus circa idem tempus, *Caietanum* suum ardentissimum Amicum Cruci affixerit, iisque doloribus & ca-

lamis

lamitatibus configi permiserit, quibus Servator in monte Calvariæ confixus Cruci discruciabatur; ita ut nisi speciali miraculo circa pendentis vitam fuisset dispensatum, omnino *Caietanus* ferre non sustinens, fuisset à Christo ante naturalem mortem hoc stupendo Amoris Divini commercio extinctus. Quòd, inquam, tam Divinæ dignationes *Sancto Caietano* obtigerint, non tantùm arguunt internum mentis ejus decorem, harum gratiarum capacem; sed etiam vel adæquant Seraphici mei Patris Francisci vivacissimam pariter ac verissimam Bethlehemitici stabuli, ac mysterij in eo patrati exhibitionem; vel imitantur Sancti Antonij Paduani amorosissimas cum Divinissimo Puello abbianditiones; vel æmulantur Sancti Petri nostri Alcantarani epulas, cum Christo & Angelis familiariter sumptas; vel renovant Petri Apostoli Româ discedentis, & ab obviante Christo crucem portandam suscipientis memoriam; vel excedunt Thomæ adapertam lateris plagam palpantis diffidentiam, & Virginei Joannis fluenta Evangelij de ipso sacro Dominici pectoris fonte potantis dilectionem; vel tollunt S. Bernardi ex virgineâ statuâ lac sugentis miraculum; vel reproducunt novum S. Pauli cum Christi confixione stigmatismum. Hæc nempe sunt *canariæ* avicuiæ eiculenta, Divinæ dulcedinis ambrosiâ & cælestis suavitatis *saccaro* inescari. Sic *ob eam insixionem amantis in rem amatam facilè obrepit amanti oblivio sui, rerúmque suarum neglectus* præ dulcedinis vehementia, quam abscondit Deus diligentibus se.

309. *S. Caietani stupenda humilitas, & æquanimitas.* Quòd si præterea facies sit mentis fenestra, ex qua internæ animi passiones, inclinationes, affectus & virtutes relucescentes dignoscantur; tunc *facies* S. Cajetani *decora nimis* eam ponit obversari virtutum elegantiam, quæ & intuentium oculos ad imitationem alliciat, & ipsos Angelos possit rapere in admirationem. Quod enim verissimè à Gregorio Nazianzeno scriptum est, *Impossibile videri, sapere hominem, & defixus in Christi è Cruce inter latrones pendentis imaginem oculis superbire*; valuit multò magis in *S. Caietano*, qui vivum ipsum ac spirans humilitatis simulachrum, non adumbrationem ejus aliquam, usurpabat oculis: quando ab ipso Christo & crucem suscepit suis humeris portandam, & ex ejus latere profluentem sanguinem suis labijs excepit. Ipsum Christi Jesu Nomen, quod passionis & nostræ per Crucem salutis memoriam ingerat, malagma esse deprimendo humano tumori accomodatissimum; ideóque Apostolum tumentibus Corinthijs illud nomen propè ad fastidium ingessisse, notavit S. Chrysostomus. Hac Nominis dulcedine & humilitate inebriatus *Caietanus*, superba non sapuit, sed in spiritu humilitatis coram Deo & hominibus semetipsum exinanivit. Hinc illa tam generosa & heroica sui illustrissimi stematis præteritio, quâ invito patente & malè ferentibus cognatis obscuram elegit conversationem, atque Apostolicam assumpsit vitæ suæ religiosissimæ methodum: hinc illa stupenda sui ipsius abjectio, quâ assumptum sacerdotalem gradum Cajetanus in se pro perpetratâ ambitione castigavit, & cum despectis à sæculo hominibus familiariùs de Divinis mysterijs conferre dignatus est: hinc illa modestissima suipsius posthabitio, quâ omni superioritatis gradu in sua Religione sese existimabat viliorem atq; indigniorem, ac non nisi in suarum literarum expeditionibus *Caietanum miserum presbyterum* subscribebat: hinc illa cælestium gratiarum & miraculorum occultatio, qua *Cajetanus* semetipsum ignobilem & ignotum reddere, æterni Regis secretum abscondere, & quoscunque imputabiles errores suæ infirmitati imputare conabatur: hinc illud inauditæ humilitatis prodigium, quo S. Cajetanus id unicè à Deo precibus & lachrymis obtinuit, ut nominis ejus celebritas *centenis* omnino *annis* post ejus sanctissimam mortē à sæculo maneret sepulta, & prorsus non obstantibus quibuscunque beneficijs ac mi-

S. Nazianz. in orat. S. Basilii 20. n. 94

S. Chrysostom. hom. 1. in 1. Corinth.

miraculis ingloria, ac obliterata. Et hac humilitatis stupendæ assumptâ facie eò se sublevavit *Caietanus*, ut omnis virtutis ageret vivacissimum prototypon, & velut Fulica in medijs maris fluctibus alacriter natitans, *EXULTARET AD MOTUM PROCELLARUM*, atque in omni tempestate lætabundus, generosus ac tranquillus subsisteret. Vt meritò in illum possit S. Chrysostomi exclamatio redundare. *Tanta res est virtus, tam immortalis, tam invicta, tam nihil cedens huius vitæ varietatibus: sed super malitiæ fluctibus, quasi è sublimi speculâ quadam, sic omnia humana despicit, nihil quod alijs molestū est, sensit: & sicut is, qui super excelsam petram stat, fluctus ridet, quos videt ad petram magno impetu disrumpi, ac protinus in spumam solvi; ita & virtuti vacans in securo constitutus loco, nihil insuave fert à rebus turbulentis, sed tranquillus animo & quietus sedet.*

S. Chrysostom. hom. 23. in Genesin.

310. Quia verò paupertas Evangelica Christi monitis sæpè, & quod potentius laudationis genus est, factis â vitæ initio usque ad finem celebrata, de Sanctorum sensu fomes est humilitatis, & totius sanctimoniæ Mater, cujus è contrario noverca est ubertas rerum caducarum; mirum, quantùm *Cajetano* cordi fuerit, ut quos in suum consortium admittebat, Evangelicâ & verè Apostolicâ *Paupertate* insigniret. Et quia juxta insignem Sancti Basilij Philosophiam, *Vita studijs & exercitijs assimilatur anima; & qualia facit, talis etiam formatur, & ijsdem configuratur* (ex indumento siquidem & vasis domesticis, ac usu eorum, quæ adjacent, trahitur animi vel elatio vel demissio;) hinc volebat *Caietanus*, internam Deiformem faciem, externâ in vitæ utensilibus tenuitate, & cujuscunque juris politici abdicatione demonstrari. Nec tantâ Paupertate (qualem etiam Seraphicus Pater Franciscus suis Asseclis dictaverat observandam) contentus fuerat Sanctus Cajetanus; sed insuper etiam viam mendicationis interdixit suis Imitatoribus: quibus in suo Testamēto pro opulentæ hæreditatis pignore reliquit solius Divinæ Providentiæ largitionem, quâ *nihil haberent, & omnia possiderent*, ex S. Pauli doctrinâ; imò nihil peterent, sed verò benè acciperent, quidquid ex D. Providentiæ directione opulenti Magnates, aut quicunque Christi Fideles ijs liberali pietate largirentur, vel ad sobriæ ac religiosæ vitæ sustentationem, vel ad Ecclesiarum atque Altarium magnificum splendorem. Volebat S. Cajetanus ad Christi Servatoris sui imitationem assimilari Aviculæ implumi & tenui, nidulóque insidenti, cui *RELICTURÆ SATIS* sit, à Divinâ Providentiâ plumas & escas expectare, usque dum succrescat & evolet in libertatem; sciendo benè, quòd Tullio testante, *Commorandi nobis natura diversorium, non habitandi dedit: ex ipsâ vitâ discedendum esse tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo.* Proinde licèt sollicitus Pater suos Filios religiosissimos hanc Apostolicam vivendi regulam docuerit; quæ tamen Divinæ Bonitatis erat Providentia, excitabantur divino impulsu quàm plurimi, ad subministranda subinde Servis Dei necessaria. Et licèt nulla censuum ratio requirenda suppeteret, undecunque tamen affluebant requisita vitæ ac religionis remedia, non ad victum & vestitum duntaxat, sed etiam ad ædificandum, & advenas pauperes fovendos atque excipiendos cum charitate; divitibus plerisque certatim beneficentiam in Cajetani apiarium, quasi in Canariæ saccararium, exprommentibus. Ex quo subsidio salvandi sunt hujusmodi divites ad modum Gabaonitarum; qui Ruperto Abbate interpretante, sunt *Ligna campi*, saturanda uberi benedictione cælesti, ac etiam temporalium affluxu; quia illic nidificant Passeres, *qui non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater cælestis illos pascit*, interventu divitum de sæculo; in quorum largitate, velut Fortunatarum Insularum Canariæ Aviculæ in saccaratis arundinetis, copiosè nidulantur. Nec abludit Cæsarius, asserens, pauperem Religiosum in divite, esse sicut

S. Cajetani Paupertas Apostolica soli Divinæ Providentiæ innixa.

S. Basilius hom. de humilit. ad finem.

2. Corinth. 6. v. 10.

Cicero de Senect.

Rupertus in vita S. Heriberti, 12.

vitem in ulmo. Non errabo, si dixero, quòd Religiosis *S. Caietani* Asseclis, velut Ardeis, obtingat in *SUBLIMITATE SECVRITAS*; de quibus Hugo de S. Victore præclarum documentum ad moralem sensum reducit, dum inquit: *Hac Avis potest significare animas Electorum, quæ formidantes perturbationem hujus sæculi, ne fortè procellis persecutionum instigante diabolo involvantur, intentionem suam SUPER OMNIA TEMPORALIA effe- rentes, ad serenitatem Patriæ cælestis, ubi assiduè conspicitur Dei vultus, mentes suas elevant.*

Hugo de Victore l. 1. de Best. c. 47.

311. Hæc dum de externâ atque internâ facie *S. Caietani* disquirimus, quæ quoad omnem delineationem perfecta est, *pulchra & decora nimis*, etiam vox ejus in auribus nostris sonat; ut non minor nobis in percipienda ejus voce, quàm in inspicienda facie incumbat sollicitudo. Neque enim facies tam decora foret, si vox horrorem incuteret audienti. *Vox enim tua dulcis*. Intervenit S. Gregorius, & *quid*, inquit, *per vocem nisi prædicationem intelligimus?* Quod aliter longè opportuniùs addit: *Tunc & vox placet, & facies decoratur, quando & opera prædicatio sequitur, & rursum prædicationem bona opera comitantur.* Noster *S. Caietanus*, velut Canaria Avicula, simul *PVLCHER ET DECORVS*, quàm gratiosè opera sua virtuosa cum prædicatione externâ copulavit? Erat illud sæculum, quo vivebat *Caietanus*, ingentibus calamitatibus pressum: languebant studia virtutum; Religionis exercitia prorsus in Ecclesijs corruebant; decor templorum obscurabatur; Divini Verbi pabulum aut perfunctoriè, aut nugatoriè exponebatur; patebat vitijs quibusque & pessimis licentijs janua adaperta; Clerus Populúsque Christianus scandalosis corruptelis squallebant; bello ferroque sauciæ concurrebant Nationes ad cædem; & quod omnium deterrimum erat, Lutheri ac sociorum pestilentia hæretica totam pænè Europam deplorandis virulentijs infecerat; *Omnis denique caro corruperat viam suam*; & melior Ecclesiæ portio sopita erat in errorum tenebris, ac prorsus dejecta in caligine carnalitatis. Misit ergo Deus operarios suos, qui vineam suam spinis & urticis oppletam expurgarent, ac novis fructibus excolerent; misit Apostolicos Viros, qui contra Sathanæ Emissarios strenuissimè decertarent: inter quos vidisses plurimos sanctos, illo sæculo turbulentissimo millesimo quingentesimo exortos, de quorum Canonica Sanctitate omnium fermè Ecclesiasticorum Hierarchiæ sibi gloriosè aggratulantur. Hos inter depravatissimi Lutheri & infernalis Furoris Antagonistas, ac fortissimos CHRISTI milites, cæteris animosior prodijt *Caietanus*, arma Fidei assumpsit, galeam salutis induit, & zeli ardentissimi scuto sese protexit. Erat quasi Gallinaceus, qui in tertia noctis vigiliâ potenter evigilans, expansis igneis sui cordis alis sese concutit, iterùm iterúmque cantat, *JACENTES EXCITAT, SOMNOLENTOS INCREPAT, & NEGANTES ARGUIT.* Hoc enim munus esse debet Viri Apostolici, prout appositè S. Gregorius meminit: *Prædicator etenim sanctus, dum caliginoso hoc clamat in tempore, quasi Gallus cantat in nocte.* Quantâ contentione Cajetanus exaltavit vocem suam cum Paulo, vitâ & voce, verbo & opere conclamans: *Fratres, hora est, iam nos de somno surgere?* Ita clamavit *Caietanus* ad collapsas & omnino abolitas Ecclesiæ Cæremonias; ita clamavit ad denudata Altaria, ad Pietatis & Religionis exercitia neglecta; ita clamavit ad venerabilem Clerum, in sua provocatione plerisque locis deformatum: & exauditus est pro suâ reverentiâ. *Vox enim eius dulcis erat*, & potens ad capiendas animas; & opera ipsius sequebatur prædicatio, & rursus prædicationem bona opera comitabantur. Hinc tandem inter pertinacissimas difficultates id effecit Cajetanus, ut & sanctissimas in Ecclesia cæremonias resuscitârit, & quotidianum recitandi Breviarij pensum auxerit, & Dei Altaria ac Tabernacula exornârit, & destructos Christiani-

S. Caietani emolumenta in Ecclesiam præstita.

S. Gregorius 3. p. Pastoral. c. 5.

Rom. 13. v. 11.

tatis mores restaurârit; & denique novo suo Apostolico Instituto venerabilem Clerum reformârit, virisque doctrinâ, sanctitate, merito & sanguine illustrissimis exornârit, primitivum Ecclesiæ zelum restituerit, & Perfectionis Christianæ sublimitatem, ab ipsis Apostolis propagatam, Clericalis vitæ ac regularis disciplinæ conjunctione adæquârit.

512. Qui fuerit apparatus SS. Apostolorum ad præstanda pro Christo emolumenta.

Agnovit hanc Apostolicam in *Sancto Cajetano*, ejúsque religiosissimo Instituto sublimitatem Ecclesia Romana; ideóque communi oratione contestatur, quod ipse præstitit, ad Deum sic supplicando: *Deus, qui Beato CAIETANO Confessori tuo APOSTOLICAM VIVENDI FORMAM imitari tribuisti; da nobis eius intercessione & exemplo, in te semper confidere, & sola cælestia desiderare.* Inde mea arcessenda est oratio, ut liquidò perspiciatur, rectè S. Cajetanum ab Ecclesiâ pro *Viro Apostolico* honorari, imitatione suâ exprimentem sanctos Apostolos, Evangelij primos satores ac prædicatores. Expressit hunc Apostolicæ imitationis Apparatum S. Ambrosius, quem Innocentius III. interpretatur, cùm loquens in personâ mystici Corporis Christi, dixit: *de excelso misit ignem in ossibus meis, & erudivit me.* Ossa hujus corporis sunt Apostoli, juxta S. Augustinum ad illud Psalmi, *Omnia ossa mea dicent, Domine quis similis tibi?* Et ad illud prioris Psalmi: *Custodit Dominus omnia ossa eorum; unum ex his non conteretur*: nam quamvis hæc ossa dispersa sint, juxta alium Psalmum, nullum tamen ex eis est contritum. Quid enim fieret de corpore, si ejus fulcra jacerent contrita? Itaq; Ecclesiæ ossa sunt Apostoli. Et in hæc ossa missus est de cælo Ignis, *non consumens & vastans* (ut advertit S. Ambrosius,) sed illuminans & incendens, unde sequitur *eruditio* Ecclesiæ. Porrò verbum *erudiendi* memoriam ingerit veteris spectaculi, in Sacerdotis rationali observati; cùm duodecim lapides, tanquam duodenaria Apostolorum symbola, divinitus radiabant; ut propterea *fulgores* ac *splendores*, vel *doctrina & veritas*, vel *illuminatio & perfectio*, hebraicè verè *Vrim & Thummim* appellarentur. Sic ergo *eruditio Ecclesiæ* infertur per collustrationem & ardorem innoxium à molli flammâ. Missus est ab excelso jam Christo (juxta S. Ambrosium) in Apostolos ignis ille, verè *ex ultimis*, nimirum Patre Filióque, & *ultimis* Divinitatis recessibus; vel ut Paschasius legit, *ex intimis*. Ab hisce & *ultimis & intimis* prodijt in Ecclesiæ ossa (Apostolos, inquam) ignis erudiens; hoc est, luce & calore, & doctrinâ & sanctitate, illustratione & perfectione, ossa illa mystica perfundens: tantâ scientiæ ubertate, ut juxta Sanctum Cyrillum Alexandrinum, eorum cognitio ad instar fundamenti firmara sit Posteris: tantâ item sanctimoniæ & perfectionis copiâ, per vigorem & ardorem sacrum voluntati inditum, illis advenit; ut qui priùs infirmi erant ac debiles, & januis clausis se tutabantur, mox intrepidi ac exquisitè roborati & fervidi, pericula omnia, ipsamque mortem despicerent. Et hoc quidem factum est non tempore formidinis, pavoris aut fugæ, sed in Pentecoste; quando *Spiritus veritatis* Apostolos sese ad prædicationem accingentes docuit omnem veritatem, utilem ad fidem planè tradendam ijs, quorum Dominus corda aperiret. Tunc genua infirmata à jejunio, robore indito firmata sunt; & caro immutata est propter oleum Spiritûs sancti submissum. Tunc obvenerunt Apostolis plena lux intellectûs, & robur voluntatis, ac excelsitas animi ad omnia ardua imperterriti, cùm essent in procinctu ad prædicandum: eáque fuit aptatio Apostolorum, ad tam sanctas operationes, ad peccatorum & gentium conversiones, ad restaurationem morum & vitiorum extirpationem, ad veræ Religionis prædicationem, & Crucis Christi per omnes mundi oras erectionem. Quâ aptatione præmissâ quid non præstiterunt Apostoli, evangelizantes virtute multâ?

S. Ambrosius in psal. 118. Innocentius III serm. 3. de Pent.

S. Augustinus in psal. 34.

Psal. 33. v. 21.

S. Ambrosius l. de anima c. 8.

S. Ambrosius in prolog. operis de Spiritu S.

S. Paschasius in Threnos.

S. Cyrillus in Isaiam.

Has

313. Scientia & sancti as in S. Cajet. no conjunctæ. Hac aptatione informatus, quid non præstitit *S. Caietanus?* qua vocis dulcedine internum pulcherrimæ mentis sensum palam profudit? Scientiæ ubertatem, quia humanam diligentiam non aspernatur Deus, videri posset *Caietanus* Patavij comparàsse in florentissimâ Academiâ. Felix civitas, in quâ perplexa Sanctorum Codicum mysteria, & quarumcunque Sapientialium Facultatum & Scientiarum collegia, tanto superfusi Spiritûs dono & Doctorum diligentiâ celebrantur, ut in modum Cariath-sepher non immeritò posset *Literarum civitas* nuncupari! Hæsit ibi Cajetanus, & juventutem suam libris impendit, diligens in paucis, & gnavus literarum procus; ita tamen, ut nihil de pietatis studijs per literarias exercitationes remitteret; nec illi Academia, quod alijs plerisque, fieret *exilium animæ*, ut ad amicum expostulabat Petrus Cellensis; quin potiùs mirama teneris annis morum innocentiam generosissimus Comes inter domestica ceteræ juventutis pericula ita constanter retinuerit, ut omnium judicio & proloquio nuncuparetur *SANCTVS*. Juris Vtriusque Lauream Patavij adeptus, cùm videret hasce scientias suo proposito parum utilitatis præstare, toto conatu & studio Sacræ Theologiæ operam dedit. Romam deinde profectus, ob conjunctam cum eximiâ nobilitate ac virtute scientiam à Julio II. summo Pontifice inter Prælatos est collocatus, & Sacerdotio initiatus. Et quod verè Apostolicum erat, tanto magis & magis Divini Amoris æstu succensus est Cajetanus, ut relictis Aulæ & Ecclesiasticarum dignitatum splendoribus totum sese Divino servitio mancipaverit. Nec defuit altera ad munus Apostolicum requisita conditio, hoc est, *Sanctitas*; quæ velut scientiæ anima, *Caietanum* videtur defecisse nunquam. Honorabatur ab omnibus, quoniam & honorabilis erat: nam & Gratia Dei cum illo evidenter ambulabat, nec erat sermo illius sterilis aut otiosus, quem commendabat laudabilis & verborum & operum comitatus. Nosocomijs proprio ære liberaliter fundatis, & morbo etiam Pestilenti laborantibus, suis ipse manibus necessaria ministrabat: tantáq; allocutionis suavitate & spiritûs fervore proximorum saluti impendebat operam, ut propterea communi agnominatione *VENATOR ANIMARUM* audiret. Quod docebat, complebat operibus; ne fortè cùm alijs prædicaret, nec operaretur, ipsemet reprobus efficeretur. Hinc Corpus tenerum integras subinde noctes verberationibus affligebat: nec unquam adduci poterat, ut vitæ asperitatem emolliret, testatus, in cinere & cilicio velle se mori. Itaque sanctitudine, cujus bona opera germen erant, instruxit *Caietanum* Spiritus sanctus, ne fieret *velut æs sonans, aut cymbalum tinniens*; subnectuans viâ exlege, & moribus incompositis, doctrinæ & orationis efficacitatem.

Petrus Cellens. Ep. 63.

Sic in intellectu per scientiam, & in voluntate per sanctitatem, egregiè instructus & constitutus est *S. Caietanus*, ut etiam reliquos caracteres Apostolicæ imitationis prætulerit. Cùm enim Deus nusquam & nunquam possit esse otiosus, turbulentissimis evertæ pietatis ac corruptæ Religionis temporibus coram totius Ecclesiæ conspectu operatus est manifestiùs; quando Venerabilem suum servum *Caietanum* mundo dedit speculum, suffocatorem vitiorum, propugnatorem & educatorem virtutum, omnium desolatarum & erronearum personarum solamen ac præambulum. Ipse siquidem irreverberatus Lucifer, ut Occidentalem Orbis plagam irradiaret, ut divini cultûs studium repararet, ut domûs Dei nitorem reproduceret, ut sacrorum rituum observantiam induceret, ut Sanctissimæ Eucharistiæ frequentiorem usum promoveret, ut seditionum & bellorum motus componeret, ut hæresum monstra è latebris suis detegeret, & præsertim emissas perniciosissimi Lutheri vulpes cum ardentibus facibus profligaret, aut suffocaret, denique ut collapsam Ecclesiasticorum disciplinam ad Apo- 314. S. Cajetani Apostolicæ imitationis prærogativæ.

stolicæ vitæ formam instauraret, Ordinem Clericorum Regularium instituit; qui abdicatâ rerum omnium terrenarum sollicitudine, nec annuos possiderent redditus, nec vitæ subsidia à Christi Fidelibus peterent, sed solis Eleemosynis sponte oblatis victitarent: sicque ipso facto contrario Germanici hæresiarchæ Lutheri, omnem Dei Providentiam eliminantis, impudentissimum os obstruerent. Itaque approbante Clemente VII. ad maximam Vaticanæ Basilicæ Aram, unà cum Joanne Petro Carafa Episcopo Theatino, qui postea Paulus IV. Pontifex Maximus electus fuit, & alijs duobus eximiæ pietatis Viris, Bonifacio Colle, & Paulo Consiliero, solennia Religionis, rot præcedentibus controversijs agitatæ, vota devotissimè emisit. Cæterùm in sermocinando contra peccatores, *vox eius* alioquin *dulcis*, videbatur invectiva; sed verò erga peccati desertores, affectu paterno consolativa. Nullum remittebat errantem, sed pœnitentem in suo sinu & affectu confovebat: nec poterat vox ejus non esse efficax, quæ pœnitentibus lenis, vitiosis austera, lugentibus blanda & facilis efficiebatur, & omnibus *potestativa*. Nec deerat reliqua Apostolicæ vitæ imitatio; quoniã
Act. 5. v. 41. *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quia digni habiti sunt pro nomine JESV contumeliam pati*: nam & *Caietanus* in Vrbis direptione, quam infelicissimus Borbon ex hæreticorum stimulatione mollitus est, à militibus crudelissimè vexatus, ut pecuniam proderet, quam in cælestes thesauros manus Pauperum dudum deportaverunt, verbera, tormenta & carceres invictissimâ patientiâ sustinuit; gnaviter instructus, vel cum Canariâ cælestis visitationis saccara sorbillare, vel cum Struthione temporalium ærumnarum clavos *deglutire ac decoquere*.

315. Affectus & Hac vocis dulcedine totaliter à seipsâ alienatur Oratio mea, & in semetipsa persentiscit renovatum illud Eremitæ miraculum; qui à cælestis cujusdam Aviculæ cantilenâ ita in æternarum deliciarum contemplationem absorptus est, ut tria integra sæcula interim elapsa tanquam diem hesternam reputaret, atque interim in suavi sua meditatione fixus inter sylvarum recessus persisteret. *Alliciebat* me Canariæ aviculæ *vox dulcis*, & *facies* ejus *decora* suspensum *afficiebat*. Et ecce! recollecto sensu subrepit advertentia, me post tam laboriosam considerationem de laudibus & miraculis, de morte & meritis S. CAIETANI gloriosissimis hactenus tetigisse nihil, & non nisi in vestibulo sanctitatis ejus paulisper hæsisse. O utinam mihi — supplicatio memorabilis ad S. Caietanum.

PLURES UNA SONOS Avis hæc, nec passere maior,
Gramineis herbis æqua colore, daret!

Ergo ex hoc raptu me recolligo, & cum illo Eremita de Canariarum Insularum arundinetis, eorúmque oscinibus choraulis Canarijs, revertor ad civitatem; civitatem, inquam, Electoralem totius *Bavariæ Metropolim Monacensem*. Et quia ibi invenio mutatam rerum faciem in erecto magnificentissimo Templo, à Religiosissimâ Serenissimi Electoris FERDINANDI MARIÆ, ac Regalis suæ Consortis ADELHAIDIS munificentiâ ac Pietate, ad honorem S. CAIETANI dedicato: hinc *voce* citiùs, quàm *facie* aut affectu deficiens, ad te sanctissime Apostolorum Imitator supplex advolvor; instantissimè rogans, ut qui speciali Dei beneficio *protegis protegentes te*, florentissimos Bavariæ terminos tuo novissimo Patrocinio commendatos, & totam Serenissimam, tibique devotissimam *BAVARIÆ DOMUM*, tuis meritis & intercessionibus defendere, conservare & perennare digneris.

A M E N.

IN FESTO S. LAURENTII LEVITÆ, INVICTISSIMI MARTYRIS.

UTOPIA ASSATARUM AVICULARUM NIDORE FUMOSA.

Das gewünschte Schlauraffen-Land/ wo einem die gebrattne Vögel in das Maul fliegen.

L E M M A.

Sicut in lecto, ita in letho vertitur.

T H E M A.

Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina. Psal. 31. v. 4.

SYNOPSIS CONCIONIS XCI.

Cùm hujus sæculi Filijs, velut fictæ Utopiæ Inquilinis, diaboli *martyria* & passionum *vivicomburia* videantur *deliciosa*: omnino timendum, & S. Laurentij imitatione cavendum est illis, ne post internas cupiditatum exardescentias, externa & æterna flamma comburat peccatores.

316. Trochili ad S. Laurentium accomodatio.



Væso, quid de Vtopiæ delicijs referunt, qui cumensis plurimis itinerum curriculis illius felicissimæ regionis oras peragrarunt? Ibi laborat nemo, otiantur omnes; & duntaxat famuli *sudant, quando vorant*; ibi post infarcitam epulis ventrem dormitur bene usque ad præparatum novum convivium; ibi fontes & flumina spirituosissimo redundant ad compotandum vino: ibi pretiosæ, & ad splendorem compositæ vestes procrescunt ex arboribus: ibi gemmarum, & pecuniarum copia ex talparum colliculis consurgit: ibi Fortunati pileus nemini non imponitur, ut exinde sibi accipiat, quod quisque desiderat; ibi Thorax Schmausodiana omnibus justè adaptatur ad superioris corporis capacitatem: & quod omnium aiunt esse jucundissimum, ibi *assata Volatilia* nullius non ori involant, ut quicunque has Ornithologiæ cupedias vult capere, protinus possit rictante labiorum casse ea prensare. Felix Vtopia, tantarum ferax deliciarum, & assatarum Avicularum nidore fumosa! Credo, quòd Trochilus non rarò intersit hujusmodi assatis aviculis, ultrò in ora rictantium involantibus: nam Trochilus assatore non indiget, sed dum veru seu spinâ confixus erit, & ad ignem applicatus caloris penetrantiam ex una parte admiserit, ex naturali alteratione subitò à seipso *VERTITUR, SICUT IN LECTO* sese vertit dormiens; prout P. Casparus Schottus proprio experimento vidisse se, narrat taliter

Caspar. Schottus l. 9. Mir. c. 67. taliter. *Cùm Trochili in veruculo igni apponuntur assandi, sponte convertuntur cum veru: quod meis ipse vidi oculis Romæ, cùm simul cum P. Athanasio Kirchero experimentum sumerem in uno, ab Eminentissimo quodam Cardinali in hunc finem submisso, simul cum virgâ corylaceâ, quâ veru loco uti fueramus jussi. Deplumatam enim aviculam, sed non exenteratam, dictæ virgæ infiximus; virgam supra duo fulcra ferrea libravimus, carbones subjecimus. Erat iam desiccata penitus avicula & virga, nec tamen motum ullum in alterutrâ notabamus. Abit ergò moræ impatiens Kircherus. At vix quatuor aut quinque passibus aberat, cùm verti primò lentè, mox celeriùs incipit. Revocatus itaque experimentum videt, & causam indagat; quam & in Arte Magnetica litteris consignavit.* Gloriosissimus Christi Athleta, & fidelissimus Ecclesiastici thesauri dispensator LAURENTIUS, tanquam

> *Martyr ad extremum lecto prostratus aheno*
> *Vritur, & rabidæ pascuntur viscera flammæ:*

Ideóque dum impijssimum tyrannum Decium alloquitur impavidus, *assatum est iam, versa & manduca*; rectè sibi naturam Trochili attribuit, & supra ignitos carbones exultans generosè præfert Davidicam professionem; *CONVERSUS SUM in ærumnâ meâ, dum configitur spina.* Certè cùm *S. Laurentius* vivus pro Christi amore & confessione ad ignem torreretur, tanto perfundebatur gaudio, velut assatura butyro inuncta; ut pro deliciarum & majori sui gaudij incremento, in omni sui corporis parte torreri, ideóque in igne versari & gyrari valde desiderârit. Hinc rectè de illo Petrus Chrysologus, *Adstrictus*, inquit, *est ferro, sed ille craticulam supplicij, LECTUM quietis putabat.* Nec illud duntaxat *S. Laurentio* debet esse appropriatum, sed cuicunque Martyri in torturis suis exultanti potest convenienter apponi. *Cui comparabimus avem Trochilum?* interrogat Majolus in suis colloquijs Canicularibus, & respondet. *Martyrum voluntariam mortem significat, qui re-*

Chrysologus serm. 135.

Maiolus in coll. 6.

bus nudati & mente humiles, patienter omnia ferunt, & passioni cooperantur. Nempe perinde est invictissimo Levitæ, vel in *lecto* ferreo, vel in *letho* torrido verti: *cuius assatura*, dispensante Ruperto Abbate, *suaviter in totâ CHRISTI fragrat Ecclesiâ.* O acceptabilis & pretiosus nidor, non vanam aut nugaeem Vtopiam, sed sanctam Dei & veraeem Ecelesiam adimplens! Si hujusmodi *Laurentiana Assatura* Dei Ecclesiam recreando beatificant, benè omnibus esto, quibus propter generosum martyrium datur portio *in terrâ Viventium*! Quod eùm capere haud possint hujus sæculi Filij, quibus *Vtopia assatarum aviculârum nidore fumosa* sagaces nares irritat: hine brevi, sed jucundâ & emphaticâ oratione ijs apparabo assaturam, ex Vtopiæ culinâ ita liberaliter instructam, ut omnibus salubriter appareat, quibus *vivicomburijs* volatilia assata rictantis gulæ cupedias expleant. Vos, Auditores, aperto ore auscultate: erit enim hæc talis Concio, in qua multorum dentibus assatæ Aviculæ ad masticationem involabunt, in nomine Jesu.

Rupertus Ab. de S. Laurent.

317. Causa potissima, cur *S. Laurentius* à Decio Tyranno tam diris & enormibus discruciatus sit tormentis, specificatur ab Ecclesia varijs argumentis; quæ præsertim ipsemet Tyranno insultans, eique suæ fidei constantiâ opponens, improperat: *Deum meum colo, & illi soli servio; & ideo non timeo tormenta tua.* Adeóque propter Testamentum Domini, & leges paternas à Sanctis Apostolis prædicatione Evangelicâ acceptas, Sancti Dei perstiterunt in amore fraternatis: fortes facti sunt in bello, obturaverunt ora leonum, sustinuerunt impetum ignis; & in Idololatriæ opprobrium tormentis non cesserunt, sed ipsis potiùs tormenta cesserunt. Quia sancti Martyres Idola colere noluerunt, neque ijs thura cremare, flectere genua, aut alium quemcumque religionis actum exhibere; ideò ab idolorum cultoribus Tyrannis excarnificati sunt. Habet hoc præsens Sæculum nequam idola sua; & nec inter Christianos deficiunt, qui idola vene-

Christianorum idololatria in vitijs & passionibus.

venerantur; nam homo à virtute in vitiorum devio abreptus, statuit sibi idolum pro eo, quod non est ipse; v. g. *avarus* aurum & argentum pro idolo suo colit; *carnis* visco implicitus, Venerem veneratur; *superbus* honorem & gloriam pro numine suo adorat. Pereleganter Sanctus Chrysostomus hunc multiplicis, etiamnum vigentis, & universum propè orbem occupantis idololatriæ apparatum exposuit; confirmans enim, nefas esse Christiano, Idololatriæ detestari errorem, quamdiu ipse depravatos affectus Numinum loco & gradu habuerit; facileque Ethnicum, tali Christiano ad abdicandam idololatriam urgente, repositurum, ipsi priùs idola, quæ colit, quamvis Christianum ementiatur, esse abjicienda; antevertens personati Christiani causationem, subdit. [Mihi porro ne hoc „dixeris, te aureum idolum non ado„rare: quin potiùs illud mihi pro„bato, te ea non facere, quæ ipsum „aurum facienda jubet. Varij enim „sunt Idololatriæ modi. Et hic quidem „Mammonam sibi dominum, alius „autem ventrem sibi Deum facit, a„lius aliam concupiscentiam perni„ciosiorem. At non ipsis sacrificas „boves, quemadmodum gentiles? „Sed quòd multò pestilentius est, tu„am ipsius animam pro victima of„fers. At genua non flectis, nec ado„ras? Sed magis audiens dicto es, si „quid præceperint & venter, & aurum, „& concupiscentiæ id genus alterius „tyrannis; quando & gentiles hoc no„mine execrabiles sunt, quòd homi„num affectus, deos effecerunt; con„cupiscentiam, Venerem; iram, Mar„tem; ebrietatem, Bacchum appel„lantes. At non idola sculpis illorum „exemplo? Verùm majore cum ani„mi studio te ipse ijsdem illis animi „morbis submittis; quæ Christi mem„bra sunt, ea meretricis membra ef„ficiens, cæterisque sceleribus te co„inquinans.] Quæ cùm ad omnem vitiorum affectum possint extendi, maximè tamen in illis tribus veluti capitibus cæterorúmque fontibus, immodicâ nempe externorũ bonorũ cupiditate, carnis concupiscentiâ, & vitæ superbiâ, locum habere compertum est. Sunt enim hæc primaria tria Idola, quibus universum prope orbem accidere, & sub Christiano nomine nefariam exhibere idololatriam, Apostolicâ authoritate roboratur.

b Chrysostom. hom. 6. in Ep. ad Rom. in moral.

318. Quòd si verò Gentilium idololatria tot cruentos effecit Martyres, qui eam constanti spiritu detestabantur; posset hæc falsorum Numinum superstitio non planè perfecta videri, nisi suos etiam haberet Martyres, qui cruciari, torqueri, catastis suspendi, plumbatis cædi, ferro feriri, igne torreri, rotis & supplicijs damnari, vitam deniq; abjicere, pro Dei sui lege gratum censerent. Igitur hac quoque in parte non est passa desiderari studium suum; erga falsa illa Numina, idolomaniaca vesanorum hominum superstitio; sed accuratè perfecit, ut sui Martyres, & quidem quàm plurimi ac devotissimi, cuiq; illorũ idolorũ extarent. *Habet quotidie Martyres suos mundus, habet caro, habet diabolus*: verba sunt punctualissima Gersonis. Quæ pulchrè omninò deducta exhibentur à S. Brunone, suis passionibus quotidie majore: qui ingentem planè numerum discolorum, qui *Sathanæ Martyres* sunt, eique in hostias cadunt; varietatem quoque tormentorum, quæ perferunt, tali periodo describit. [Non sunt beati omnes, qui persecutionem patiuntur. Multas enim persecutiones & faciunt & patiuntur mundi hujus amatores, perjuri, adulteri, fornicatores, homicidæ, fures & latrones, avari, sacrilegi & raptores: tamen non beati sed miseri sunt, qui non propter justitiam, sed propter suas concupiscentias & voluptates, propter mundi honores & dignitates, & propter multas quas faciunt, iniquitates, talia multoties patiuntur. Quis enim eorum miserias & cruciatus, & exquisita omnium tormentorum genera valeat enumerare, quibus se vicissim isti filij iniquitatis excruciant & affligunt, ut alter alterius bona possideat? Hic obscuræ carceris tenebræ, fames & sitis, frigus & ca-

Martyres mundi & diaboli.

Gerson l. 4. de consol. Theolog. prosa 5.

c Brunò l. de ornatu Ecclesiæ c. 2.

calor, membrorum abscissio, oculorũ evulsio, fœtor intolerabilis, & cætera, quæ filij diaboli ejus Martyribus ipso cogente & instigante inferre possunt. *Nam & Sathanas suos Martyres habet, qui quantò majora tormenta in illius servitio in hoc sæculo patiuntur, tantò fortiora in altero sæculo eos expectant.* Hæc est ejus propria & singularis consuetudo, ut qui plùs ei serviunt, & majora & graviora ab eo tormenta patiantur. Hujus Martyres fuerunt Judas Iscarioth & Nero impijssimus, qui seipsos digno suspendio & interemptu suffocaverunt & occiderunt. Hujus & isti Martyres sunt, qui usque hodie contra se, non pro justitia ponunt; sed pro suâ avaritia & iniquitate se vicissim impugnant, & iniquo odio persequentes, se quasi bestiæ crudeliter interficiunt.] Hoc de sæculi, hoc de Sathanæ martyribus universè S. Bruno persentiscit. Hæc sunt illa interna *vivicomburia* malarum passionum, externis quibusque cruciamentis diriora. Et tamen filij hujus sæculi in talibus vivicomburijs deliciantur. Hæc sunt assata volatilia, quæ fumosæ Vtopiæ Inquilinis sponte in ora involant, eósque vel sæculi vel Sathanæ martyres designant. Quid enim est, uti frui delicijs sæculi, quam innumeris angustijs animæ atque corporis torqueri? & quid est aliud, sæculi sollicitudines & negotia tractare, quàm tantò æstimatas felicitates aucupari? Non sunt *Vtopiæ* deliciæ sine delirijs, nec deliria sine cruciamentis, nec cruciamenta sine desiderijs atque votis; ideoque veracissimè ex relato Gersonis sentimento, *Habet quotidie Martyres suos mundus, habet caro, habet diabolus.* Nunc paucos quosdam eorum exhibeamus. Et quidem

319. Guloso um martyriũ. Cùm Vtopia assatarum avium fumoso nidore redoleat, nemo priùs in hanc Martyrum sortem trahendus venit, quàm *Gulosus*; qui rectè profitetur se *in ærumnâ suâ conversum, dum configitur spinâ.* Ipsi fortassis nulla avium sapit meliùs, quàm *Ibidis* assatura; quæ cùm unico longissimo intestino polleat, & suæ voracitatis ingluviem onerosam rostro glysteriato diminuat, *GRAVARI, NON SATVRARI potest.* Exclamo cum Lucano. Lucanus l. 4.

- - - O prodiga rerum
Luxuries, nunquam parvo contenta paratu;
Et quæsitorum terra pelagóq; ciborum
Ambitiosa fames, & lauta gloria mensæ!

Quanta interim guloso tormenta in sufferendis cupediarum oneribus, in decoquendis durioribus, in digerendis crudioribus, in delicationibus præparandis? Guilielmus Parisiensis hoc martyrium considerat; & quod de Monachis gulonibus scribit, universim ad gulæ mancipia debet reduci. Sic autem is loquitur. Guilielmus Paris. l. de claustro animæ c. 18. [Væ Monacho, qui magis frigitur in patella, quàm ejus ova; non minùs fervet aut bullit in lebete, quàm carnes, quæ ei præparantur: non minùs teritur in mortario, quàm salsa sua. Quòd si adusta fuerit assatura ejus sive frixura, non minùs adustum videbis cor ejus. Quod totum ideo fit, quia ubi est thesaurus ejus, ibi est & cor ejus; ut habetur Matthæi sexto capite. Potéstne dicere hujusmodi Monachus; in lebete excoctus sui cum B. Gregorio? in sartagine frixus cum eodem? in craticulâ assatus cum bono Laurentio? Non potest utique. Et tamen omnia ista tormenta pro gula miser patitur. Martyrem igitur gulæ se confiteatur oportet. Infirmaria igitur non est locus alleviandæ & consolandæ seu reficiendæ virtutis, sed magis cruciatûs atq; martyrij: *Hi sunt Martyres coquinarij, martyres diaboli, qui infirmos se simulant, & sanguisuga filias, gulam atq; luxuriam, seu libidinem solummodo nutriunt.*] Hæc quidem ille de Monachis gulæ addictis, ac vel eo nomine morbum simulantibus, ut cibos alioquin aut ratione monasticæ apoches non inferendos, aut pretiosiores, ideoque pauperibus extra ægritudinem incongruentes acciperent, argutè disquirit; rectè verò ad quoscunque alios reducitur, qui ventre pro Deo colunt, abdomini sacrificant, & in farciendo suo intestino om-

omnem industriam consecrant, eoque præcisè conniuntur, ut explendis Vtopiæ municipalibus legibus sese strenuos Apicios aut Nomontanios demonstrent.

920. Martyres carnis quàm inter voluptates cruciientur. Non ita hisce gulonibus immoror, quin potiùs ad alios convertar, qui *vivitemburgis* dum internis aslantur, inter Vtopiæ externas concupiscentias deliciantur. Sunt autem hi *Martyres carnis*, *quorum* speciali absurditate *Deus venter est*, *& gloria in confusione ipsorum*: qui, inquam, fœdis & illicitis ignibus ardentes, consentaneum imputatum flammarum exitum & mercedem, quam oportuit in semetipsis recipientes, fœdâ & infami lue ætatis florem depascente, imò medullas omnes & universum illud radicale humidum exedente, cum ingentibus cruciatibus fœdis ulceribus obsiti, die noctúque conflictantur: & superadditâ, dum frustra levamen quæritur, immitis Chirurgi carnificinâ, nondum aditis vitæ metis, quas naturalis temperies præfigebat, præcoci obitu marcescunt in summis angoribus, & inexplicabilibus tormentis; confirmantes experimento suo, & muto saltem suffragio, verissimè S. Cyprianum de impudicitia dixisse, quòd sit voluptas, *obscœnum ludibrium reddens ministris suis, nec corporibus parcens, nec animis*. Addit alia in hanc rem peregregia. *Ruina melioris ætatis, blanda prius, ut plus NOCEAT, DUM PLACET*. Videtur his Martyribus aslatus *Caprimulgus* arridere, Avis apud Helvetios capris infesta; quibus, cùm eas ad mammas fortiter mulget, simul *CVM LACTE ADIMIT LVCEM*. Manifestum libidinosi symbolum à Gregorio Camerario versibus expressum.

Philip. 3. v. 19.

S. Cyprianus l. de bono pudicitiæ.

Camerarius in Embl. Amatoriis.

Hircorum stabulis volucris montana per umbram
Admissa, en audax ubera plena bibit.
Diu, sed & miseros pariter prædatur ocellos:
Ipsáque CVM dulci LVMINA LACTE RAPIT.
Tabis & afflatu sterilescunt ubera capris;
Et fert æternam lactea vena sitim.
Hircosi juvenis iam poto sanguine, tandem
Lumina prædatur cum ratione Venus.

Exinde Justus Lipsius dicebat: *Nihil est tam mortiferum ingenijs, quàm libido*. Et S. Hieronymus: *Amor formæ*, inquit, *rationis oblivio est, & insaniæ proximus: fœdum, miniméque conveniens animo sospiti vitium; turbat consilia; altos & generosos spiritus frangit; a magnis cogitationibus ad humillimas pertrahit*. Cedo, an non meritissimò Sanctus Augustinus ad illud Psalmi, *Ex usuris*, peccatum usuræ nomine à Spiritu sancto notatum dixerit, quòd supra sortem rependatur supplicium; & multò plùs infelix voluptati captator torqueatur, justum peccati, quo captatus est, stipendium excipiens, quàm hauserit delectationis in scelere? Et an non jure Boëtius turbidas has voluptates, cùm appetuntur, plenas anxietatis; cùm expletæ sunt, pœnitentiæ refertas appellârit: *quæ intolerabiles dolores, quasi quendam fructum nequitiæ, fruentium soleat referre corporibus*? Disputans Joannes Gerson contra luxuriam, & retundens vanam quorundam excusationem in peccato ob difficultatem frænandi carnem, sanctè contestatur, esse quidem aliquid laboris in carne domanda, &c. ne illicitis ardeat ignibus, temperanda; sed multò acerbiores pœnas ac dolores, ac cruciatus existere à spurco amore, quo carni habenæ laxantur: tantosq; esse agnoscit cruciatus illos, ut ad Diaboli martyrium possint sufficere. Hinc concludit: *Mercator & stultus amator, Martyres sunt diaboli*. Et quid in tormentis atque martyrio horum carnis mancipiorum diutiùs hæream, cùm constans sit apud gravissimos Patres sententia, de Divinis hausta Scripturis, hos peccantes in corpus suum demitti in infernum viventes; & gehennæ cuidam mise-

Lipsius in l. 1. Monit. Polit. c. 11. S. Hieronymus l. 1. adversus Iovinianum.

S. Augustinus in Psal. 71.

Boëtius l. 3. de consol. prosa 7.

Gerson p. 4. alphab. 33. lit. O.

Tt 2 ram

sam conscientiam inexplicabiliter torquenti, ad antevertendos æternos cruciatus, & prægustanda alterius vitæ tormenta, mancipari divinitus jam in hac vita. Videtur Seneca, sobrietatis & continentiæ studiosissimus, pro hisce carnis Martyribus etiam Mergum confixisse spinâ, & in carnis voluptatibus grande martyrium posuisse. *Seneca Ep. 39.* *Luxuriosi*, inquit, *homines dedissi, voluptatibus se immERGUNT, quibus in consuetudinem adductis carere non possunt: & ob hoc miserrimi sunt, quod eò pervenerunt, ut illis, quæ supervacua fuerint, facta sint necessaria. Serviunt voluptatibus non inviti; & mala sua, quod malorum ultimum est, diligunt.* Sicque pariter *VERTUNTUR IN LECTO ET LETHO.*

321. Martyres aureæ mammonæ quantùm inter divitias crucientur.

Paribus delicijs cruciantur, qui avaritiæ & oculorum concupiscentiæ addicti, opes in immensum congestas habent pro numine; atque ideò *Martyres mammonæ* nuncupantur. Nam avaritiam esse simulacrorum servitutem, Apostolus author est; eóque S. Antiochus illud veteris Testamenti aptat, *S. Antiochus hom. 8.* *Maledictus qui facit idolum, & ponit in occulto.* [Haud secus facit (addit idem S. Pater) qui vitioso affectu avaritiæ laborat. Ille quidem procidit idolo rubigine pallenti, ac prosus inutili: hic autem secum circumfert imaginem prorsus inanem, nempe divitiarum ambitiosam cogitationem. Atque ut venter suis ventricolis evadit in Deum, ita isti aurum pro Deo habent.] Huic proinde falso numini, ut plerique mortalium irreligiosum exhibeant obsequium, vitam in ærumnis multis & cruciatibus miserè prodigunt. Sanè Petrus Blessensis avarum quendam plusquam martyrem describit, his verbis. *Blessensis Ep. 31.* [In habitatione terrena nihil est nisi labor & dolor, & quædam imago miseriæ infernalis. In vitâ & operibus tuis tota ferè facies inferni depingitur. Nec enim deest tibi unda Tantali, Tityi jecur, rota Ixionis, urna Danaidum, saxum Sisyphi: dum inter divitias esuris, dum sollicitudinibus anxiaris, dum cupiditate torqueris, dum ad illicita raperis, dum in saccum pertusum congregas, dum congregando divitias labore continuo & supervacuo te affligis.] Etiam hi Martyres inter Vtopiæ Inquilinos censentur, quorum oribus variæ volucres assatæ videntur involare. Rictantibus dentibus plerique inhiant Perdici, quæ ova ab alieno nido *DIREPTA FOVET*: & juxta Sanctum Prophetam Jeremiam, *Clamavit perdix, congregavit QUÆ NON PEPERIT; fecit divitias suas non cum judicio.* *Ierem. 17. v. 11.* Vbi Sanctus Ambrosius luculentam addit expositionem: *S. Ambrosius l. 7 Ep.* *Avarus opes malis artibus conquisitas corrodit, quas tamen mox aut invitus veris possessoribus reddere, aut usum earum morte præventus amittere, & alys sæpenumero ingratis relinquere cogitur.* Nonnulli horum desideratur assata Pica, quæ ubique furatur fructus, panes & res quascunque obvias abscondit sibi, reservat in futurum, & paulò pòst oblita depositi *IGNORAT CUI CONGREGAT*: *Psal. 48. v. 11.* quia nempe juxta Psalmistam, *Insipiens & stultus peribunt, & relinquent alienis divitias suas.* Etiam Aquilas isti Martyres volunt deglubire, quibus pectus, dum à dipsade pungitur, *SEMPER ARDENTIUS* inflammatur: nam Isidoro Pelusiota teste, *Isidorus Pelusiota l. 5. Ep. 55.* *Absurdus avaritia furor, cui quidquid suppeditaveris, id materia ad fomitis instar habendi ardorem MAGIS magisque ACCENDIT.* Immensus forem in referendis Sanctis Patribus, qui hoc delectabile martyrium eloquentissimo stylo sunt prosecuti: ex ijs sufficiat Sanctus Augustinus, *S. Augustinus serm. 100. de diversis.* qui veridicâ inductione requirens. [Quid, inquit, miramini fratres, si amatores Dei Martyres tanta pertulerunt, ut acquirerent Deum? Amatores auri videte, quanta patiantur. Hyemalibus asperitatibus se navigando committunt; sic fervet avaritia, ut nulla formident frigora; jactantur ventis, suspenduntur & deprimuntur

flu-

fluctibus; ineffabilibus periculis usque ad mortem agitantur. Dicant & ipsi auro: *propter te mortificamur totâ die.* Dicant Martyres Christo: *propter te mortificamur totâ die.* Vox quidem est similis; sed causa est valdè dissimilis. Ecce utrique dixerunt, isti Christo, illi auro: *propter te mortificamur totâ die.*]

321. Comparatio & excessus inter Martyres Christi & martyres mammonæ. Et ut magis hujus martyrij crudelitas appareat, comparemus tyrannidem gentilis idololatriæ ad diritatem mammonæ; tunc videbimus, longè mitiùs actum cum S. Laurentio in craticula, quàm cum Lavernione in marsupio. Illud enim martyrium paucis diebus, horis aut momentis durabat, & inducebat in paradisum voluptatis; hoc autem plurimis annis durissimè perennat, & pro complemento, *nisi* martyr *convertatur in ærumnâ suâ*, infernali vivicomburio castigat. Si à tyrannis Martyres Christi, fame sitique, & longis ac miserabilibus mediarum exinanitionibus lentè excruciati, dixerunt cum Apostolo: *quis nos separabit à charitate Christi?* (Rom. 8. v. 35.) Dicit idipsum avarus in corde suo, quia fortè non audet linguâ: quis me separabit ab auri cupiditate? an inedia, an nuditas, an fames aut sitis? Si dicat Christi Martyr: *Judica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta.* Reponit idipsum martyr auri: [Discerne, inquit, tribulationē meam; tribulantur & avari. (S. Augustinus serm. 10. de Sanctis.) Discerne angustias meas: patiuntur angustias & avari. Discerne persecutiones meas: patiuntur & avari. Discerne famem meam: pro auro acquirendo esuriunt & avari. Discerne nuditatem meam: pro auro despoliantur & avari. Discerne mortem meam: pro auro moriuntur & avari.] Sunt enimverò apud avaritiam cruenta omnia, periculis, mortibus, præcipitijs plena. Et ut cum S. Chrysostomo in aureo suo tractatu, Cucusi in extremâ vitâ conscripto, supra titulum, *quòd nemo nisi à seipso læditur;* (S. Chrysostomus in tract. spectali.) totū avaritiæ tyran idem exhibeam: Stipatur avaritia pessimo satellitio, contumelijs, opprobrijs, livore, invidiâ, insidijs criminatricibus, & perniciosissimis curis, metu jugi, tremore frequenti, & mille alijs hujusmodi infaustis consortibus, velut anguium coronâ circumdatur. Fructum non alium profert, quàm interitum & perniciem, pœnámque perpetuam, subsequentem ad insanabilem rabiem, insaniam atque furorem. Tantopere verò fatigat animam, ut neque amicitiarum, neque propinquitatis, sæpè nè conjugij quidem aut prolis affectui det locum, sed omnia illa deijciat atque conculcet. Et videtur quidem mortalibus pænè omnibus (quæ summa eorum cæcitas, atque miseria est) melle ac favis dulcior; cùm tamen reverà sæviat ut barbarus, ferveat crudeliter ut tyrañus, debacchetur imprudenter ut fera quædam aut crudelis domina; nunquam misereatur aut flectatur: adsit ubique dura, dira, terribilis, inclemens, impia, truculenta, lupis & ursis ac leonibus ferociùs sæviens: in sibi adjectos acuat gladium; quotidie eis foveas & præcipitia paret, scopulisque eos mille & mille naufragijs illidat, cremet igne, quem ipsi studiosè succenderint. Affine est, quod idem Chrysostomus, homines addictos acervandis pecunijs idipsum pati docet à ferali tyranno avaritiæ, quod tres Pueri à Rege Babylonio: (S. Chrysostomus hom. 18. in 1. Corinth.) eo tantùm discrimine, quòd Pueri divinâ miseratione liberi evaserint, & ab igne tantam virtutem reverito indemnes fuerint, hi verò *vivicomburio* à Tyranno cupiditatis incinerentur. Denique quod inter horrendas tormentorum acerbitates, quibus olim Ethnica crudelitas in Sanctos Martyres grassata est, ea numeretur, non nisi tempore postrema, qua in Sanctorum pugilum corpora jam exanguia, jam spiritu destituta efferabantur hostes Christi; ne hanc quidem barbariem martyribus avaritiæ deesse passa est mortalium truculentia: prout agens de divitum sepulchris, ob simul conditum copiosum apparatum expilatis, & cadavere abjecto inhumato, imperioso eloquentiæ profluvio prosequitur idem Sanctus Chrysostomus. (S. Chrysostomus hom. 17 in 1. Corinth.) Et hi quidem, nisi in ærumnâ suâ fuerint con-

conversi, configentur *IN LETHO* damnationum, quia torrentur *IN LECTO* divitiatum.

323. Pari passu in Vtopiæ plateis & vijs publicis ambulant *honorum captatores*, qui superbiam vitæ colunt, & nullum venerationis aut demissionis genus refugiunt, ut hoc numine propitio utantur. Et quidem hoc martyrium in ijs illustrissimè proditur, qui per densas indignitates, ineptias atque inhonorationes, quas vir magnus magno redimat, & cruciatibus non levibus intolerabiliores ducat, ad honores eripunt. Exclamat hic S. Bernardus. *O Ambitio! O ambitio ambientium crux! quomodo omnes torquens, omnibus places? Nihil acerbius cruciat, nihil molestius inquietat, nihil tamen apud miseros mortales celebrius negotijs eius!* Non displicet bisce ambitiosis Vtopiæ incolis assatura *Pari parvæ aviculæ* quæ in ornitrophio suo inclusa & volubili rotæ inserta, quantò magis conatur currere aut ascendere, tantò præcipitantiùs *ASCENDENS FERTUR IN IMUM*. Est enim Senecæ in Agamemnone dictum.

Ambitiosi honorum & dignitatum Martyres.

S. Bernardus l. 3. de cons. c. 1.

Quidquid in altum
Fortuna tulit, ruitura levat.

Seneca in Agamem. Act. 1.

Et ut magis ad martyrij apparentiam fiat accessus: Tales, inquit S. Chrysostomus, *non sibi vivunt sed alteri, & mille crudelibus dominis huiusmodi homines premuntur.* Hoc ne quis ad minutiorum dignitatum & honorum captatores, non autem etiam ad eminentissimorum honorum possessores pertinere arbitretur, insignem Facundi Hermianensis de Regia purpura ad vivicomburium pertinentem sententiam nolo prætermissam: agens enim cum Zenone Imperatore, sic ait. *Si hoc ipsum, quòd tibi omnia liceat, caminum esse tuæ probationis intelligens, etiam ipsius purpuræ, qua vestiris, specie, id est, colore semper admonitus, velut in medio flammæ te crederes constitutum.* Suffragium quoque Petri Blessensis, qui in aulico pulvere bonam ætatis partem contrivit, & præfatione in suam Jobi explanationem ad Henricum II. Anglorum Regem, coronas, queis Regum capita cinguntur, vocavit *curialium sollicitudinum frixoria, & intricatos negotiorum labyrinthos*: ejus, inquam, suffragium inexperientiæ non poterit insimulari, quando in carmine de luctâ carnis & Spiritûs testimonium sic perhibet veritati.

S. Chrysost. hom. 59. in Matth.

Facundus l. 12. c. 4.

Deserta palatia; nam curia
Curis, imò crucibus, & mortibus
Semper est obnoxia.

Et ut propiùs ad nostram metam accederet, in quadam Epistola illustrissimè sic scribit. *Pro vanissima vanitate militant Curiales in labore & ærumna, in vigilijs multis, in periculis magnis; periculis maris, periculis fluminum, periculis pontium, periculis montium, periculis in falsis fratribus: in mortibus frequenter, in confractione & lassitudine corporis, atq; in alijs vitæ discriminibus, in quibus gloriam martyrij mererentur, si hæc pro Christi nomine sustinerent. Nunc autem sunt MARTYRES SÆCULI, mundi professores, discipuli curiæ, milites Herlinini. Per multas siquidem tribulationes intrant justi in regnum cælorum; hi autem per multas tribulationes promerentur infernum.* Nec est, quòd in hoc asserto consultū sit addere, ne Vtopiæ, hoc est, Aulæ fumosus nidor incipiat desipere multis: qui nolunt converti in ærumnâ suâ, tametsi etiam tribulationum & perpessionū spinis quotidie configantur.

Blessensis Ep. 14.

Non sunt ab Vtopiæ hujus finibus excludendi *Martyres iræ atque furoris*, quibus volupe est, ad quamlibet oppositionem exardescere *sicut ignis in spinis*, & omnia præcipiti cursu redigere in favillas. *Vehemens ira affectus est*, inquit S. Chrysostomus, *& omni flammâ vehementior.* Hujusmodi vivicomburio ignitæ iræ discruciatis cùm amplissimæ fauces sint ad devorandum, rectissimè involat Galli Indici assatura; cui appositè servit illud Claudiani de Honorij consulatu; quòd hæc avis, ad coleram summè proclivis, *RABIE SUCCENSA TUMESCIT.* Iræ in prædam cedere, terribilius est, quàm cum S. Ignatio aut S. Thecla leonum rictibus atque voraginibus objici. Hæc enim fera, inquit S. Chrysostomus, & ungui-

324. Iracundorum martyrium & miseria.

S. Chrysost. hom. 5. in 1. ad Thessal.

Claudianus de 4. Honorij consulatu.

S. Chrysost. hom. 4. in Matth. unguibus sævissimis armatur, & dentibus: nisi illam sollicitè mansuefeceris, cuncta simul disperdet & lacerabit. Nullus leo, nulla sic vipera viscera queunt humana lacerare; ut hominis iracundia, ferreis quibusdam unguibus universa confodiens. Neque solùm corpori nocet, sed ipsius etiam corrumpit animæ sanitatem: cunctas siquidem ejus omnino vires discerpit ac devorat, eàmque ad omnia inutilem reddit. Nonnulli homines vermes quosdam in inferioribus corporis nutrientes ne respirare quidem sinuntur, vexatis profectò obesisque visceribus: nos tamen venenatam in nobis alentes viperam, itam dico, quæ omnia hominis interiora depascitur, quid inquam sanum aut forte possumus cogitare? Et hæc omnium Philosophorum fuit sententia, experientiæ calculo contestata, quòd ira hominem succensum faciat flammâ voraciorem, & feris deteriorem. Concinit Ovidius eum Philosophis, & ait,


Ovid. l. 3. de arte.

Pertinet ad faciem, rabidos componere mores.
Candida pax homines, trux decet ira feras.
Ora tument irâ, nigrescunt sanguine venæ;
Lumina Gorgoneo sæviùs angue micant.

S. Chrysostom. hom. 27. in Acta. Et si S. Chrysostomum, zelo quidem divini honoris ardentissimum, infrenatæ verò iracundiæ passione infensissimum audiamus: *Quid*, inquit, *in iracundo non turpe? Oculi insuaves, os distortum, membra tremula, lingua infrænis, mens stupida, figura indecens, multa insuavitas.* Ad tantas nempe deformitates redigitur hujusmodi martyr, si iræ spinis ardentibus fuerit confixus. Et Seneca, arbitratur, non esse præsentius remedium contra iræ vivicomburium, quam hujus passionis fœditatem externis artubus diffusam opposito speculo considerare: nam, ut ait, *Quibusdam iratis profuit aspexisse speculum; perturbavit illos tanta mutatio sui.* Seneca l. 2. c. 36. de ira.

Nihil nobis eum hisce Vtopiæ cupedijs, Auditores; nihil cum *vivicomburijs* malarum passionum. Non inest huic martyrio salus, quæ *SICUT IN LECTO* cupiditatum bene strato, ita etiam *IN LETHO* pœnarum malè parato *VERTITUR*: sic enim dum *Ignis exarsit in Synagoga* concupiscentiarum, *flamma combussit peccatores.* Ps. 105. v. 18. Quotquot vivaci apprehensione ignitam *S. Laurentij* craticulam, & tormenta omni crudelitate diriora ab eo super vivos carbones allato generosissimè superata esse meminit: & verò etiam se in tot periculis interni *vivicomburij* per gulam, luxuriam, avaritiam, superbiam, iracundiam, atque alias effrænes passiones constitutum esse reflectit; omninò frequenter & efficaciter repetat deprecationem, ab Ecclesiâ fundi solitam. *Da nobis quæsumus Domine, vitiorum nostrorum flammas extinguere, qui B. LAURENTIO tribuisti tormentorum suorum incendia superare.*

AMEN.



IN

IN SOLENNITATE GLORIOSÆ DEIPARÆ in cælos Assumptæ.

UNIVERSALIS CÆLI VOLUCRUM APPARATUS.

Der Himmels-Vögelein allgemeines Ehren-Gepräng.

LEMMA.

Vt Solis comitentur Avem. Claudianus.

THEMA.

Assumpta est MARIA in cælum; gaudent Angeli: laudantes benedicunt Dominum. Antiph. Ecclesiæ.

SYNOPSIS CONCIONIS XCII.

Instruitur universus omnium cæli Volucrum Apparatus, qui inter Æthereos cælestium Plausuum occursus Gloriosissimæ Deiparæ, in æternam Beatitudinem Assumptæ, ex tota sua possessione tria præclarissima offerant munera; *Ovum* rore gratiæ & calore Charitatis plenum; *Pennam* pœnæ consciam, & immarcessibilis gloriæ *Nidum*.



325. Gloriosa Deiparæ Assumptio, quàm pulchrè ab aviculis decoretur?

VT regia Civitas Mediolanensis repræsentaret eximios honores, quibus summi totius Italiæ Primates inter publicos plausus & festivos apparatus exceperunt Serenissimum Cardinalem Ferdinandum, Hispaniarum Infantem, pinxerunt Phœnicem stipatam copiosissimo Aquilarum & aliarum Aviecularum comitatu, cum adjecto lemmate: *UT SOLIS COMITENTUR AVEM.* Verba sunt non claudicantia, sed volitantia Claudiani Poetæ, ad simile propositum concinentis.

Conveniunt Aquilæ, cunctæq́ ex orbe volucres,
Vt Solis comitentur Avem.

Ingeniosa inventio, quæ appositissimè gloriosam Virgineæ Deiparæ MARIÆ Assumptionem devotis objicit oculis. Hæc enim sola inter puros Adæ Posteros ab omni peccato originali, actuali & habituali immunis, non aliter inter cælestium Angelorum choros ad cælos assumpta evolavit, quàm sola & unica Phœnix inter omnes sylvarum aviculas, cælique volucres universas sublimis enititur. Ita enim S. Joannes Damascenus de B. MARIÆ Virginis dormitione alludit. *Choros ducunt Angeli, celebrant Archangeli, & Virtutes glorificant, Principatus exultant, Potestates collætantur, gaudent Dominationes, Throni festum diem agunt; laudant Cherubin, gloriam ejus prædicant Seraphim.* (S. Damascen. orat. 2. de dormit. B.V.) Similem applausum excitant Aviculæ, in ramis arborũ hilariter tripudiantes, quando soli super auroræ purpuram emergenti, & radijs suis vel cæli horizontem vel montium cacumina ferienti *EXULTANTES OCCURRUNT.* Quantus populi jubilus, quando victoriosi belli duces devictorum hostium trophæa ovando

intu-

intulerunt civitatibus? quando Salvator inter festivissimas acclamationes regiam Palæstinæ metropolim intravit? At verò super hæc omnia, quanta creaturarum solennitas, dum omnes cæli Incolæ *Mulieri circumdatæ Sole*, & circa caput duodecim sedimitæ stellis, *exultantes occurrunt*; & ubi *assumpta est Maria in cælum, gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum*? O cælestis Pompa! ô tripudium Electorum! ô gaudium Angelorum! ô Mater Dei, ad Divinum conspectum hodie Assumpta! *Omnis quam Chorus & socij COMITANTUR OVANTES.* Intervenit huic admirando sublimatæ Creaturæ dignissimæ epithalamio S. Bernardus; & interná animi dulcedine colliquescens, *Quis*, inquit, *cogitare sufficiat, quàm gloriosa hodie Mundi Regina processeris? & quanto devotionis affectu tota in eius occursum cælestium legionum prodierit multitudo? quibus ad thronum gloriæ canticis sit deducta?* Si id quidem, ô mellifluè Bernarde, requiras ab universo volatilium Collegio: ecce tibi! ex omnibus thesauris suis tria specialia, Cælorum Reginæ dum *exultantes occurrunt*, offerunt munera; ovum scilicet, pennam & nidum. Et quid aliud addere possent hi cæli Phonasci, nisi & beneluadum suum rostrum mihi? quo breviter persuadeam, Virgineam Deiparam tribus potissimùm medijs ad tantam gloriam evolâsse, quæ triplici illo ornithosophico munere symbolizentur, in nomine totius cælestis Curiæ triumphantis.

I. Georg. v. 346.

S. Bernardus serm. 1. de Assumpt. B. Mariæ.

326. Ovum, quod unicum est fœtificandi pulli receptaculum, dignum esse potest tantâ Imperatrice regalitiû; quando etiã apud Persianos, antiquo more, offerebant *Præmia, ex ijs Ova* Struthionis. Non Ovum Struthionis, quantumvis magnum & solidum, offerunt Deiparæ Assumptæ; neq; ovum cum vitello, neq; ovum Oromosij inanitate repletum; sed ovum *RORE ET CALORE* plenum, quod juxta comunem experientiam, si in fundo perticæ incumbat, à Sole ascendente elevatur in sublime; dummodo *rore antelucano* fuerit impletũ. Hinc nemo miretur, Virgineam Ma-

Deipara assimilatur Ovo, quod plenum est rore, hoc est, Christo.

trem fuisse tam gloriosè & triumphaliter assumptam in cælos: erat enim plena *RORE* gratiæ, *ET CALORE* charitatis. Agnovit vacuitatem suam S. Augustinus; ideoque ad Deum exclamavit in suis Confessionibus. *Quem tu imples, Domine, sublevas eum: & quia tui plenus non sum, ideo mihi oneri sum.* E contra quia Virginea Mater erat rore *Gratiæ plena*, ac calore Divini amoris accensa, cæterisq; virtutibus sublimata; hinc meritò Angelici Chori, tanquam volatiles Phonasci, eam salutando reverentur.

S. August. l. 10. Confess.

Salve quæ à terra rursus contendis ad astra,

Solarus Sponsi percita amore & rore *pio.*

Ioan. Geometra hym. 1.

Fuit Deipara plena rore nativitatis, & plena rore gratiæ. Ros nativitatis seu partûs subtiliter colligitur à Galatino, qui refert locum illũ Psalmi 109. *ex utero ante luciferum genui te*, fuisse à Mose Hardasan in Genesin hoc modo lectum; *De matrice auroræ, tibi ros nativitatis tuæ.* Non autem incongruè ibi Messias appellatur *Ros*: tum ob descensûs similitudinem; ros enim clàm è supernis defluit, verno tempore, quæ fuêre adjuncta descensûs Christi: tum ob efficacitatem non absimilem roris & Christi. Nam ros terram fœcundat & inebriat, facitq; germinare, fovens & benignè reficiens, quod diurna intemperies malè siccaverat. Vt propterea Constantinopolitanam illam, quæ Duci Venetiarũ nupserat, fovendo corpori nimiùm quantùm addictam, curasse sibi balneum de rore cæli, scribat Petrus Damiani; eò quòd ros benignè foveat ac reficiat, quæ perfundit. Quæ omnia æquè præstat Christus. Constat etiam rorem esse substantiæ altipetæ, ob tenuitatẽ & levitatẽ; ut propterea ferant, ovum rore plenũ, si ad solem applicetur imæ lanceæ, sub vehendum esse sursũ ad summam usq; lanceam, cùm primùm ros fuerit concalefactus à Sole: similiterq; Christus & animas ad cælum evehit, & corporibus resurrectionem confert: quia juxta Isaiam *Ros lucis ros* ejus. Alia veterum Rabbinorum loca, quibus Christus *ros* dictus est, adducit relatus Galatinus: è quibus illustrior restat præ cæteris locus Oseæ, *Ero qua-*

Galatinus l. 3. arcanis c. 17.

Petrus Dam. Opusc. 30. c. 11.

Isa. 26. v. 19.

Osea c. 14. v. 6.

quasi ros: Israël germinabit sicut lilium. Vbi *Israël* juxta Richardum à S. Laurentio significat B. MARIAM, quæ excepto cælico Verbi rore germinavit inaratum & incultum humanâ operâ Lilium convallium. Quia ergo *ros* per auroram decidit, éstque aurora velut mater roris, præsertim veris tempore; hinc meritò B. Virgo, quæ Christum rorem vivificum orbi affudit, auroræ nomen est sortita. Sed ut in nostro symbolismo maneamus: cùm Deipara fuerit Christo, velut ovum rore, plena, facilè persuaderi potest, quòd fuerit à Sole sanctissimæ Trinitatis assumpta in cælum, & directè elevata super omnes choros Angelorum.

Richardus à S. Laurent. l. 7. pag 403.

327. Alia suppetit *Roris* acceptio, quo Ovum in sublime elevandum repletum erat: & est *Ros Gratia Divinæ*, quo Deiparam superabundare pronuntiavit cælestis Paranymphus, dum negotium salutis humanæ enuntiavit dignissimæ Virgini, eam salutando: *Ave Gratia plena.* Et verò, ut Plinio testante, *Rores neque gelu, neque ardoribus, neque ventis, nec nisi serenâ nocte* solent cadere: ita Divina Gratia, tanquam Ros è cæli mammis stillans, non se diffundit in conscientiis turbulentis, inquietis & obscuris; sed in pacatis ac quietis, adeoque *TANTVM NOCTE SERENA.* Et sicut crystallinæ roris guttæ, quasi uniones, in humili gramine dispersæ conquiescunt: sic Deus *humilibus dat gratiam*, & gratia in viridi humilitate omnium optimè enitescit. Enim verò juxta Carducci poëma.

Gratia sanctificans Deiparæ quanta fuerit.

Plinius l. 2. c. 60.

Iacobi. 4. v. 6.

Carduccius.

Rorantes gemmæ demisso IN GRAMINE LVCENT:

Pectore sic humili cælica dona nitent.

Jam quis ignorat, gloriosam Deiparam fuisse repletam Divinæ Gratiæ rorantibus gemmis; utpote quæ se Ancillam Domini professa, suscepit in humilitate sua divinorum charismatum abundantiam? *Quia respexit humilitatem Ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Tanta fuit plenitudo gratiæ sanctissimæ Virginis MARIÆ, ut videatur omnium Hominum & Angelorum capacitatem superâsse. *Gratia* enim *prima sanctificans* ipsius Deiparæ, longè superavit primam gratiam cujuscunque Sancti; imò superâsse quoque gratiam consummatam cujuscunque singularis justi, sive Angeli, sive hominis, ut hâc ratione etiam fundamenta Deiparæ in montibus Sanctis fuerint, omninò piè à quibusdam statuitur; consenraneè ad optimi Filij amorem in optimam Parentem, in qua complacitum est ei. Cumulavit proinde tam plenam támque confertam gratiæ mensuram Sacramentorum quorundam susceptio, & præsertim frequens quoad Eucharistiam communio, quæ sola ei erat iterabilis. Item jugis & irrequieta meritoriorum actuum profusio, jam à primo conceptionis instanti usq; ad vitæ metam, tam in vigilia, quàm in somno, cum plenâ & accuratâ correspondentiâ ad omnem Dei impulsum; & cum majori semper fructu, quò plùs progrediebatur, ob majorem semper ac semper personæ ex gratiâ præhabitâ dignitatem ad meritum auctius conferentem. Quòd B. Virgo in vigilia & in somno quoq; semper elicuerit actum meritorium, non est quidem æquè certum de utroque tempore; est tamen admodum verisimile; prout agnoscunt graves Doctores; quorum aliquos adducit, & sequitur Antonius Fernandez: favetq; apertè Rupertus, tractans illud, *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Habuit quippe fidem, etiam quoad species infusam: usus autem talium specierum est independens à conversione ad phantasmata; ac proinde etiam in somno haberi potest plenus, & omnino expeditus: cùm pleno autem rationis usu jungitur libertas, sicut cum libertate supernaturaliter negotiante nectitur meritum. Hæc rectè æstimanti facilè patebit, Gratiam Beatissimæ Virginis post aliquot annos evasisse planè immensam; sub tempus verò Conceptionis Verbi Dei, fuisse magnam super omnem æstimationem nostram; necesse denique esse, calculos omnes & quascunque nostras Arithmeticas subductiones & numeros deficere, si ejus gratiæ cumulum spectare placeat in vitæ meta, post tam diuturnam annorum supra septuaginta, in jugi & ne per somnum quidem interruptâ tam

Luc. 1. v. 48.

Fernandez de monte in 1. præcept. Decal. c. 2. parag 1.
Rupert. l. 5. in cant. sub initium.
Theoph. Raynaud in Dyptychis Marianis.

tam pretiosorũ actuũ exercitatione, & tot Sacramentorũ susceptione cum lucuientâ semper dispositione. Et licèt gratia Virginis etiam in fine vitæ non fuerit infinita reipsa; tanta tamē fuit, ut conferta sit, & non possimus ad eam vel animo concipiendam, vel oratione exponendam penetrare. Gratiæ Virginis abyssum Sancti Patres admirandis concelebrant encomijs: inter quos solùm imitor S. Anselmum, & cum eo Virgineam Matrem alloquens dico. *Immensitatem gratiæ, & gloriæ, & felicitatis tuæ considerare cupienti, sensus deficit, lingua fatiscit.*

S. Anselmus in Excell. Virg. c. 8.

328. Calor charitatis Deiparam in cælos sublimat.

Non tantùm *RORE*, sed *ET CALORE* plenum ovum elevatur à Sole. Ovum, quod hodie cæli volucres universæ Assumptæ in æthera Deiparæ consecrant, plenum est *rore & calore*; rore gratiæ, & calore charitatis. Neque enim solum ovum rore plenum ascenderet, neque rore sine calore elevaretur, neque gratia sine charitate foret completa. Quin imò ova non frigore, non tepiditate, sed *CALORE FOETABUNT*. Ad hunc calorem ovi prolifici devotè alludit Rupertus Abbas, quando de gloria Filij Dei tractans ait. *Sancti omnes antiqui, sicut panem Verbi Dei, & sicut piscem, id est, Christum, ita & ovum à Patre misericordiarum desiderantissimè postulabant. Quod, vel quale ovum? Illud nimirum, cui Spiritus S. obumbrare dignaretur, superveniens in illud in modum volucris ovo suo supersedentis, donec pullus in eo formetur. Sic enim futurum erat, & sic factum est. Spiritus sanctus, O Beata Virgo Maria, supervenit in te, & virtus Altissimi obumbravit tibi: & ita concepisti, & peperisti filium volucrem, id est, non terrenum corpus habentem.* Erat utique hic calor admodùm activus, qui tam Divinum Pullum exclusit. Sed remansit semper in Ovo Virgineo *Calor* maximæ & intensissimæ *charitatis*, quo à primo suæ conceptionis instanti usque ad cælestem elevationem Deipara indesinenter exarsit. Ea enim virtutis hujus forma in Virgine enituit, suprà quàm dicere aut cogitare possumus, tam erga Deum, quàm erga Christum; ejúsque primariæ charitatis emanans

Rupertus l. 7. de gloria Filij Dei.

calor, fuit amor mortalium propter Deum & Christum. Deum, à quo se tot præventam beneficijs, tot donatam prærogativis agnoscebat, ferventissimo & flagrantissimo amore prosequebatur. Qui quidem Divini Amoris calor & splendor totius sanctitatis fons fuit uberrimus, omnem planè excludens labeculam, juxta Richardum Victorinum; cujus ea est extrema clausula. [Quis, inquit, illud primum & maximum mandatum sic unquam implevit? quis sic unquam implere poterit? *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua.* Ex hac utique exæstuantis amoris flammâ, exusta sunt scuta illa jam dicta.] Sed & Guilielmus Parvus in hanc rem insigniter disserit, ad illud *Una est columba mea.* Ubi monstrat, idcirco Virginem dictam esse unam & perfectam inter Dei sponsas, quia tam casto erga eum amore flagravit, ut se ad aliud diligendum nullatenus divideret; sed ei, cui se devoverat, tota adhæreret amore indiviso. Quò cùm pertingit amor, tum demum est castus & plenus. Nam qui cũ Deo aliquid amat, quod non propter ipsum amat, minùs haud dubiè, atq; adeo non plenè Deũ amat; juxta pronuntiatũ S. Augustini, à relato Guilielmo adductum ex libro decimo Confessionum. Castissimus igitur & plenus fuit Deiparæ in Deum amor, quippe nullatenus divisus, & perfectè Virginem nectens Deo, imò transformans in unum quodammodo spiritum cum eo; juxta illud Apostoli, *qui adhæret Deo, unus Spiritus est.* Hinc igitur præcellentissimũ Virginis in Deum amorem eruit Guilielmus; ratione cujus, ait, eam sanctis omnibus etiam anterioribus factam esse admirabilem, atque laudabilem supra omnem modum; cùm videat, quàm post se omnes Sanctos hac in parte reliquerit: ut meritò in Epithalamio specificetur adjectum; quòd *viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicaverunt.* Hoc igitur amoris igne & calore gloriosa Deipara velut Carbunculus *CUNCTIS SPLENDIDIOR*, inserta est cælestibus Choris; quasi pyrobolus ascendit sursum *ARDENDO*; quasi speculum ustorium ex

Richardus Vict. l. 2. de Emman. c. 29.

Guilielmus Parvus in c. 6. Cant.

1. Corinth. 6. v. 17.

Cant. 6. v. 8.

illustratione Deitatis in omnem circumquaque ferentiam *REFLEXIT SPLENDOREM*; quasi Sol suas ardentes operationes dispersit *OBLIQUE ET UBIQUE*; quasi aquila nubes transcendit & terrena despicit, Deoque appropinquat *SEMPER ARDENTIUS*.

329. Patientia Deiparæ ad cælestia enitens.

Ab Ovo ad Pennam; nam cæli volucres cælorum Reginæ, hodie inter Angelicas Hierarchias Assumptæ, in suæ submissionis pignus etiam offerunt unam selectissimam *Pennam*, ut contestentur, eâ mediante suam Serenissimam Dominam tam altè evolâsse. Non est hæc Penna Struthionis, nec alia quæcunque ad evanidam vanitatem capitis tegumento aptanda; nec est penna *scribæ velociter scribentis* leges, & dictantis mulctas legum transgressoribus: sed est selectior penna cujusdam cælestis Avis, quam antiquitas inter sydera reposuisse fertur, atque Orionem dixisse. Scribit autem Clitarchus, reperiri in India volucrem affectu amatorio flagrantem, nomine Orionem, magnitudine herodio similem, rubris cruribus, cæruleis oculis; sic musicâ instructum, naturæque munere tam suaviter canentē, ut ipsas Sirenes lacessere possit. Non displicebit Deiparæ, inter intensissimos amoris actus è vivis excedenti, hæc *penna Orionis* (qualecunque tandem sydus sit, sive Baculus Jacob, sive loricata constellatio nimbos & tempestates ciens, cujus Astrologi ortum & aspectus observant) præsertim si subscribatur symbolica interpretatio: *HAC AD ÆTHERA*. Recognoscit Petrus Damiani in pennis virtutes animæ, & scribit: *Et nobis pro modulo pennæ sunt insitæ, virtutes scilicet spirituales, quibus si VIRILITER utimur, AD COELESTIA sublevamur.* Magis ad propositum servit Aresii conceptus, pingentis fasciculum è spinis, flagellis, crucibus ac tribulis collectum; cui cùm *Pœnæ* serviant pro *Pennis*, quibus ad immortalitatem & gloriam sempiternam sublevantur afflicti, rectè iis subscribit: *his ad æthera*. *Penna* Orionis Deiparæ præsentata memoriæ objicit *PATIENTIAM* fortissimam & constantissimam triumphantis Deiparæ. O quàm verè dixit Sponsa in Canticis: *Fasciculus myrrhæ, Dilectus meus mihi*! Verè dolorosus fasciculus, quem patientissima Mater generosissimè toleravit. Cùm pro sua vel in Deiparam reverentia, vel in Dei Filium compassione, vel in Redemptionis nostræ mysterium gratitudine, copiosissimi pariter concurrant & eloquentissimi Patres ac Doctores, placeat unicum adducere S. Anselmum; qui alloquens ipsam Virginem, [Verè pertransivit, inquit, animam tuam gladius doloris, qui tibi amarior fuit omnibus doloribus cujusvis passionis corporeæ. Quidquid enim crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum, leve fuit, aut potiùs nihil, comparatione tuæ passionis: quæ nimirum suâ immensitate transfixit cuncta penetralia tua, tuique benignissimi cordis intima. Et utique pia Domina non crediderim, te potuisse ullo pacto stimulos tanti cruciatûs, quin vitam amitteres, sustinere; nisi ipse Spiritus vitæ, Spiritus consolationis, Spiritus scilicet dulcissimi Filii, pro quo moriente conquerebaris, tantopere torquebaris, te confortaret, te consolaretur; te intus doceret, non esse mortem eum absumentem, sed magis triumphum omnia ei subjicientem; quod in ipso fieri coràm moribundo videbas.] Et quia magis per compassionem elevamur, Apostolo teste, ad conglorificationem: hinc mirum esse non debet, si Deipara Virgo *Hac* Patientiæ pennâ *ad æthera*, & quidem ad sublimissimum cælestis gloriæ thronum fuerit assumpta. Inducunt hîc *rubra crura* Orionis ad *ascensum purpureum* Canticorum, quo Deipara gradus fecit ad cælestia regna: hæc enim speciositates ruboris purpurei in pedibus sunt argumenta itineris, quibus ad alta & sublimia paratur gradus. Rupertus Abbas in illud Canticorum, *Ascensum purpureum mediâ charitate constravit*, tantam adducit fuisse tolerantiā Virginis, ut SS. Martyrum aureolas adæquârit, aut superârit. Et in hoc argumento deducendo, difficile dictu est, quàm profusi sint Sancti Patres. Rupertum unicum adduco sic disse-

Gesnerus fol. 346.

Petrus Dam. l. 1. Ep. 18.

Cant. 1. v. 13.

S. Anselmus l. de Excellent. Virg. c. 5.

Rom. 8.

Rupertus in Cant. 3.

differentem. [Cùm pia Mater dicit, ascensum suum esse purpureum, se Martyrem profitetur, & sibi mori lucrum. Illustre ejus martyrium à prophetante Simeone evidenter insinuatum fuit, cùm loquens de Filio diceret: *Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit.* Planè gladius acutissimus, dolor Dominicæ passionis, animam piæ Matris penetrans atque transverberans, eam spiritaliter commori Filio fecit. Martyres alij fuêre moriendo pro Christo; hæc commoriendo Christo martyr fuit, & commartyr Christi. Illorum corporale, Matris spirituale,& proinde præstantius martyrium fuit Plus est, esse comartyrem Christi, quàm martyrem Christi. Martyres suo, hoc est hominum, foris sanguine; sed Maria Filij, hoc est Dei, sanguine intus rubebat.] Hoc autem martyrio gravius passa fuit,quàm ferro. Quantò enim incomparabiliter amavit, tantò vehementiùs doluit. Vnde sicut non fuit amor, sicut amor ejus, ita nec fuit dolor similis dolori ejus. In martyribus magnitudo amoris lenivit dolorem passionis: sed B. Virgo, quantò plùs amavit, tantò plùs doluit, tantóque ipsius martyrium gravius fuit. Vnde quia plùs omnibus dilexit, & juxta magnitudinem amoris erat vis doloris: hinc graviùs passa fuit mente, quàm Martyres carne. Adeóque *HAC* passione, compassione, patientiâ & tolerantiâ meruit Deipara *AD ÆTHERA* assumi.

330. Deiparæ assumptio & gloria quoad corpus. Vltimum, quod cæli Volucrum Apparatus Assumptæ Deiparæ in suæ observantiæ pignus hodie dedicat, est *Nidus.* Et fortè omnium optimè quadrat Nidus Manucodiatarum; de quibus Plinius meminit, quòd Paradisiacis avibus *his quies, nisi in nido, nulla;* adeóque huic pulcherrimæ Creaturæ *NULLA REQUIES EXTRA.* Et certè in solo Deo nostrum cor quietem reperit, extra Deum non offendit nisi inquietudines graves & inextricabiles afflictiones: prout S. Prosper eleganti carmine diluc idat.

Plinius l. 10. c. 49.

S. Prosper.

Instant terrenis infesta pericula rebus,
Fervent pro damnis prælia, próque lucris.
Et nihil est inter carnalia vota quietū;
Nec pax sollicitis, nec modus est cupidis.
IN SOLO est mens tuta DEO.

Et quantam putatis intrâsse requiem Virgineam Matrem in gloriosa suâ Assumptione, quando elevata est in sublimissimum Thronum, fundatum super Angelicos Choros, in Sanctissimæ Trinitatis & Filij sui Vnigeniti conspectu? In exequijs solemnibus Serenissimæ Isabellæ de Estè, Ducis Parmensis, quæ Puerperij doloribus extincta succubuit, quidam pro emblemate pinxit Aquilam, rupto funiculo de suo nido validè avolantem in sublime, cum acumine subscripto: *NEC NIDUS, NEC NODUS.* Ad insinuandum, quòd *nec nidus* lectuli puerperialis, *nec nodus* vinculi conjugalis cum Rannutio II. imò *nec nidus* Patriæ, *nec nodus* Familiæ, potuerint detinere Isabellam, quominùs *egrederetur de terra sua, & de cognatione sua*, & evolaret ad æternæ beatitudinis Nidum: ubi sine doloris periculo, sine afflictionis disturbio, sine expulsionis metu, sine lætitiæ & gaudij interruptione tranquillissimè resideret. Gloriosam Deiparam *NEC NIDUS* terreni incolatûs, *NEC NODUS* originalis aut cujuscunque alterius culpæ detinuit, quominùs corpore & animâ hodie assumeretur ad æternum Dei consortium. Et quidem fuisse Deiparam corpore ad cælestem gloriam assumptam, licèt nonnulli ex Patribus velint in dubium revocare, ita tamen propensus est Ecclesiæ sensus, ut non censeam à morigero Ecclesiæ filio posse aliud adduci. Triduo igitur post sepulturam surrexisse B. Virginem, & corpore animæ suæ denuò conserto assumptam esse in cælum, latissimè confirmat Author Libri de Assumptione B. Mariæ to. 9. Augustini; idémque tuetur certa Fidelium persuasio, cui obsistere quoad assumptionem corporis (dimissâ certâ temporis designatione) ingenti temeritate non vacaret. Certè cùm nullæ uspiam reliquiæ corporis B. Virginis inveniantur, præter nonnullos capillos, fascias, sudarium, sindonem, zonam,

Theophilus Raynaudus in Dypthicis Marianis, punclo 10.

vestimenta, & nonnulla alia extrinseca; de ea corporis Deiparæ resurrectione, & in cælestem gloriam assumptione, non est dubitandum. Erat olim in lapide sepulchrali cujusdam antiqui Metelli inventa inscriptio: ME TELLUS? Quasi diceret: Me Tellus angusto retineat sepulchro, qui inde jam in cælestes habitationes exilui? Rectiùs Avis Paradisiaca semper volans in sublimi, & nunquam ampliùs quiescens in terrâ, posset despectivè interrogare: *ME TELLUS?* S. Joannes Damascenus ornatè ad Assumptionem Deiparæ hujusmodi conceptum sic applicat. *Hodie virgo immaculata, quæ nullis terrenis inquinata est affectibus, sed cælestibus educata cogitationibus, non in terram reversa est: sed cùm esset animatum cælum, in cælestibus tabernaculis collocatur.* Et potest P. D. Salvatoris Carducci distichon rectè apponi.

Damascenus Orat. 2. de dormit. B. V.

Carduccius.

ME TELLUS tumulet? jam dixerat ille Metellus:
Digniùs id Virgo, dum subit astra, canet.

Quis enim non videt, benedictum illud Corpus, nullâ unquam labis fuligine maculatum, quod tantis sibi officijs Christum demeruit, cujus portio Deo ipsi conjungitur, insigni & præter communem morem cumulatâ gloriâ exornari debuisse? Nisi fortè non creditur Dei Filius honorare Matrem, aut ei, cui soli obstringitur, nolle impensas curas & beneficia rependere. Quis igitur illius corporis splendorem, nullis nostratibus comparationibus adæquandum; quis dotes illius Armarij vitæ; quis prærogativas, & ornamenta nullis aliorum Sanctorum corporibus vel concessa priùs, vel deinceps concedenda, profitendo explicet? Processionem solennissimam in hujus Arcæ deductione ad locum suum, per Christum & Cælites omnes obviam effusos peractam, quis condignè enuntiabit? Sint in hac triumphali Panegyri officiosi sancti Patres: latè deducat Dionysius Carthusianus, dotes corporum beatorum eò illustriùs viguisse in redivivo Deiparæ corpore præ corporibus omnium Sanctorum, quò gloria Animæ, ad quam hæ prærogativæ progerminant, in Virgine enitescit supra omnem comparationem perfectior.

Dionys. Carth. l. 4. de laud. Deip. art. 17.

331. *Deiparæ gloria quoad Animā.*

Principiavit autem gloriam Corporis gloria Animæ, quæ in puncto mortis Deiparæ est collata. Cùm enim nihil prorsus haberet purgandum, nullis eguit moris in Purgatorio; ideóque confestim à morte vidit Deum, eúmque vultum Domini, quem per totam vitam requisierat, contueri perenniter tunc primùm cœpit. Gaudium autem, quo Beatitudo Deiparæ completa est, visionem & amorem Dei veluti fontes suos consequitur, Christo in sinũ optimæ Parentis pro diebus, quibus viderat mala, dies bonos & meram lætitiam rependente. Quantum verò futurum sit hoc gaudium, æstimandum est ex quantitate gloriæ essentialis, cum qua proportionem servat; sicut & gloria essentialis cum gratia sanctificante expendenda venit. Tanta autem fuit Deiparæ gloria essentialis, ut infra Christum, supra omnes hominum & Angelorum choros, constituat specialem gradum: sicut in ordine gratiæ, quæ gloriæ semen est, omnibus plenè Justis Christo inferioribus supereminet. Et hoc quidem voluerunt Patres, tam magnificè támque sublimiter de gloria B. Virginis pronuntiantes: è quibus sufficiat Petrus Damiani, qui illud, *Pulchra ut Luna, electa ut sol*, optimè tractans, Deiparæ Assumptæ accommodat. [Quid, inquit, Lunâ pulchrius, cùm stellis coruscantibus insignifero limite reliquorum siderum splendorem excedit? Considera, quam stellaris & serena vibratio, quam luminosus fulgor circularem orbem tanti sideris superfundat, ut aliorum luminum claritatem non mediocriter offuscet. Sic & Virgo inter Animas Sanctorum, & Angelorum choros supereminens & evecta, merita singulorum & omnium titulos antecedit. Quantumlibet aliæ stellæ reluceant, luna tamen & magnitudine præeminet, & splendore. Sic utramque naturam Virgo singularis exuperat & immensitate gratiæ, & fulgore virtutum.

Petrus Dam. serm. 40.

Electa

Electa ut Sol. Hanc attende similitudinem, qua nulla in rebus mundi potest esse sublimior. Nihil enim habuit Spiritus in visibilibus creaturis excellentius, cui excellentiam Virginis compararet. Multò enim altiùs aliquid habet claritas Solis, quàm Lunæ: quia etsi illa minores stellas obscurat, non tamen penitus occultat: hic verò lucidiùs incandescens ita sibi siderum & Lunæ rapit positionem, *ut sint quasi non sint, & videri non possint.*]

Possunt hæc sufficere pro explicandâ gloriâ hodiernæ Solennitatis; quàm utique inter cælestes Alites noster universalis cæli volucrum Apparatus suis hisce tribus muneribus *ovi*, *pennæ*, & *nidi*, eximiè decorârunt. Nos certè *UT SOLIS COMITEMUR AVEM*, vota saltem & desideria nostra ardentissima ad Gloriosam Deiparam elevemus; & post ipsam, velut Cognatam & Sororem nostram, germanicè cum S. Germano suspiremus. [Nemo donum ullū consecutus, nisi per te, Dilecta Deo! Nullus est, qui salvus fiat, nisi per te, ô Sanctissima! Nullus est, qui liberetur à malis, nisi per te, ô Purissima! Nemo est, cui donum concedatur, nisi per te, ô Castissima! Nemo est, cujus misereatur Gratia, nisi per te, ô Honestissima! Et si corpus tuum dormiat, cor tuum tamen vigilat: & quamvis inevitabilem mortis necessitatem humanâ conditione acceperis, non dormitabit neque dormiet custodiens nos oculus tuus; custodiens velut vitellum in Ovo gratiæ Divinæ, elevans velut Pennam tolerantiæ & patientiæ adversorum, reponens velut pullos in Nido gloriæ sempiternæ! Amen.

S. Germanus orat. de Assumpt. orat. de zona & fasciis.

IN FESTO S. BERNARDI, CLARÆVALLENSIS Abbatis, & Cisterciensium Propagatoris.

APIASTER DELICATUS.

Der haiglich-gewöhnte Ymbenschlund.

LEMMA.

Tantùm sapit, quantùm capit.

THEMA.

Appetibilis autem omnibus & clara, etiam cùm sit robore infirma, sapientiam honorans evecta est. Proverb. 6.

Ibnta Apinagrata Interpretes in editione Romana, apud Cornel. à Lap.

SYNOPSIS CONCIONIS XCIII.

Cur D. BERNARDUS suaviloqui aut melliflui Doctoris prærogativâ gaudeat, omnium accomodatissima ratio inducitur, quod tanquam *delicatus Apiaster*, cujus guttur pro Alveario serviens, varias Apum species divinitus subingressas cùm decoxerit, non potuerit nisi mella ructare, & spirare dulcedines.

332. Meropis ad S. Bernardi laudes dispositio.



UBi de dulcedine styli & de melle eloquij, Sacri Oratores *mellifluum* ac *dulcisonum* prædicant BERNARDUM, Abbatem Claræ vallensem, ac celeberrimi Ordinis Cisterciensium gloriosissimum Propagatorem: Ego ab Apiastro seu Merope, ave apibus venandis infesto, dicendi seligo suavitatem. Est autem hæc avis ut plurimùm viridis; pallidas, cæ-

cæruleas ac rubras pennas distinguens submixtas. Ejus rostrum ab Aristotele & Aldrovando observatur esse longum, durum, ad instar messoriæ falcis arcuatum, & quasi triangulum. Dicitur autem Apiaster græco idiomate *Merops*, à merismo & ὠπὸς, id est, à partitione vocis; quoniam, ut Probus in Georgicis notat, Meropum vox multiplicem capit partitionem. Petrus Bellonius addit, longè audiri Meropem, ac vocem edere quodammodo ad instar hominis, qui ore in rotundum clauso *grulgrurnrurnl* exprimit; & quidem sono tam alto & longè repercusso, ut judicares Oriolum clamare, aut Quirapangam Brasiliæ avem tinnire; quæ, cùm tota alba & modicæ sit magnitudinis, stentoriam tamen edit vocem, ut instar tintinnabuli ad dimidiam penè leucam exaudiatur. Aliter Meropis vocem imitatur quidam Poëta.

Aristot. l. 9. hist. animal. c. 13. Aldrovandus in Merope.

Prob. 4. Georg.

Bellonius.

Gesp. S.hottus, l. 9 Mirab. c. 4q.

Regulùs, atque Merops, & rubro pectore Progne,
Consimili modo zinzinnlare sciunt.

Author Philomela.

Quæ autem præcipuè me movet, ut hâc festâ luce Meropem adscribam D. Bernardi Panegyri, censura Kiranidis est, ita apud Gesnerum asserentis: *Merops ad multa facit; & cor ejus ad nimium amorem aptum est.* Scio, S. Bernardum propter fœcunditatem ingenii, & amœnissimam virtutum omnium varietatem, ab Innocentio IV. appellari *Columbam, mitem, humilem, electam, Domini specialem, & pulchram per totum.* Nec me latet, quàm conciunè Theophilus Raynaudus D. Bernardum Api Gallicæ comparet, utpote quòd *breve* illud *volatile* in suis actionibus apprimè expresserit. Fuit enim abjectus & vilis in oculis suis, quantàvis potiretur prærogativarum omnium excellentiâ, eratque verè *Avis cæli*; prout de S. Dionysio quondam D. Chrysostomus asserebat: fuit verè infirmus robore, & attritâ semper ac quassatâ valetudine; fuit gnavus & indefessus operarius, *cujus operationem & labores, Reges & idiotæ ad sanitatem* animarum *afferebant*; ut de eo accomodatissimè possit Apis gnoma intelligi, quòd sit *Appetibilis omnibus & clara, etiam cùm sit robore infirma, sapientiam honorans evecta est.* Ut meritissimò in illo Divina Sapientia, non secus ac in Ape, unius licèt puncti animalculo, præ turrigeris Elephantorum humeris taurorúmque collis suspiciatur. Sed verò his consideratiónibus dimissis Meropem Melliflui S. Bernardi encomijs consecro: nam *Merops ad multa facit; & cor ejus ad nimium amorem aptum est.* Quidquid enim in Bernardo suspicimus, sive in aspectu decorum, sive in sciptione mellitum, sive in prolocutione dulcorum, sive in operationibus jucundum, sive in sanctitate fœcundum, sive in miraculis præclarum, sive in oraculis rarum, totum id *AMOR URGET HABENDI*: nam *cor ejus ad nimium Amorem aptum est.* Hinc non possum unà Ape, quantumvis fructus ejus *initium dulcoris* habeat, contentus procedere; nimis enim sobria audiretur oratio mea: ideóque Mellislophagum seu Apiastrum seligo, qui ex Alberto Magno *TANTUM SAPIT, QUANTUM CAPIT*; & rictum oris tantum habet, ut multas apes in os ejus gratiâ humoris insidentes capiat. Exinde producam mellis favos, & dulcoris scaturigines; tingam hoc litro orationem meam, & demonstrabo, ideò Melliflui Cisterciensium Legislatoris atque Doctoris animum dulcissimos ubique eructâsse amores, quia *Merops* delicata fuit, cujus guttur pro Alveario serviens, subingressa Apum examina divinitùs recepit, atque decoxit. Præstabitis placidas aures Oratori, non jam hodie Hibleas rosas loquenti, sed cum Meropis triangulo rostro vel Cecropios favos *grulgrulanti*, vel Claræ-vallenses dulcedines *zinzinnlanti.*

Kyranid. apud Gesnerum.

Raynaudus in Hag. Exotico in Triade Fortium.

S. Chrysostomus hom. contra Hæret.

Proverb. 6. juxta 70. ib.

333. Quidquid in Georgicis caveant Oeconomi & Naturalistæ, ne Meropes patiatur agricola propè alvearia, apúmque exâmina nidificare; eò quòd suâ capaci gulositate ingentem ijs stragem inferant, & mellifici operis dispendium causent singulare, juxta Virgilium.

Mellitui denominationis Bernardum ab Apiast. occasio.

Absint

a. Georgic. *Absint & picti squallentia terga lacerti*
Pinguibus à stabulis, Meropésque, aliaq́; volucres.
Ego tamen Meropem deliciosum longè tenaciùs attraho, quàm ulla Cretensium Puerorum astutia eos allicit; quæ apes ferreis uncinis seu hamis affigit, & longioribus filis eas alligatas in aëre trahit; videntes Mellislophagi delicias suæ gulæ positas, protinus advolant; & ubi apiculas, latentis hami malè conscij, in gutturis capacitatem traijciunt, pariter aculeum sentiunt, & incautè se deprehensos persentiscunt. Supra num. 66. & 67. Audistis alibi fausta, & infausta Apum omina; sed & earum examina, dum in nonnullorum oribus consedissent, mira quædam futurarum operationum præsagiisse indicia. Nemo admiretur ampliùs, Bernardum habuisse *cor ad nimium amorem aptum*! obstupescat nemo, Bernardum à communissimo Ecclesiæ sensu, & Oratorum proloquio nuncupari *Mellifluum*! Non enim poterat ructare aliud *Merops deliciosus*, quàm quod pro suo ordinario alimento sumpserat. Noverat enim, Apes varias & miras suâ laringe ad delicias concludere; & quia Apes *initium dulcoris* in suis braccatis visceribus, testante Siracide, efficiunt; hinc est, cur *Apiaster delicatus*, BERNARDUS MELLIFLUUS audiat, & suis scriptis, dictis, vitâ, factis, conversatione, & sanctitate mellitam quandam sapiat, spirétque dulcedinem: quêis enim vescitur apibus, has stomacho ructat, has ore delibat, has labijs allinit, his sermones & alloquia condit, harum virtute ac dulcedine mellificat, & ambrosiâ suavitate aures oculósque delectat. Neque enim saturatur Apiaster stridentibus muscis aut sonantibus cicadis, sed in virgineis Apibus delicias suas sectatur; nec unâ vel alterâ Apiculâ ex Cecropijs fœtibus collectâ saturatur, sed magis magisque irritatus *AMOR URGET HABENDI* novas cupedias ac mellis sapores: ut tandem Apiastri guttur assimiletur Leoni à fortissimo Samsone trucidato, in cujus demortui rictu consederat examen Apum, nova pretiosi problematis materia; cujus solutio vel ex his paucissimis elucesceret inscriptionibus, *DE FORTI DULCEDO.* Recensete nunc, avidissimi Auditores, tot mysticas Apes, quæ in gutture Mellislophagi nostri Bernardi ad nutrimentum consederant. O appetibilis omnibus, & clara hujus Claravallensis Apiastri ingluvies! quæ *tantùm SAPIT* dulcedinis, *quantùm CAPIT* ambrosiæ cælestis.

Et primò quidem *cerificam Apem*, in conficiendæ ceræ officinis sedulò atque industriosè laborantem, sexaginta circiter annorum disquisitione scrutetur Agrius quidam, aut curiosus Aristodemus: delicatus noster Apiaster dum hanc Apem avito gutture fovet, tenerrimas excoquit ceras; quibus corporis, animique dotes in nobilissimas imagines efformantur. Est enimverò *Cera* succus quidam terrenus, ad terrenas dotes, bona, inquam, generis, fortunæ, corporis, necnon ad genium, ad indolem, ad corporis temperamenti, & structuræ organorum conditiones consequens symbolizatio. Et quid dico, Bernardum hujusmodi ceram, quæ miras in se imagines, velut *figuras Deus aptus in omnes* recipit, suo gutture, vel animo liquare; quando deliciosus Apiaster potiùs despumat atque evomit ceras, ut depuratâ mellis dulcedine limpidiùs perfruatur? 334. Ceræ ad naturales dotes S. Bernardi symbolizatio. Venustè Sanctus Hilarius Arelatensis, æquè, ac verè Sanctum Honoratum eo duntaxat exornat nomine, S. Hilarius in Paneg. S. Honorati. quòd corporis ac natalium bona conculcans, gradum sibi inde ad summam sanctitatem ac gloriam effecerit. Corporis ac natalium bona vel venustate, vel flexibilitate, vel Ceræ liquiditate significantur. Et ceram quidem, ceratáque atria generis prærogativam notare, ac fumosam illustris stemmatis, obsolescentémque imaginem arguere, adeò vulgatum est; ut Tullius, meritis quidem in Rempublicam clarus, insolitum sibi Cicero orat. de leg. Agr. contigisse profiteretur, se *hominem novum & obscurum*, nullâque gene-

ris nobilitate ſplendentem, ad Conſulare decus abſque ceratis imaginibus fuiſſe evectum. Æquè *ceræ* nomine veniunt corporis bona atque virtutes; utpote ſanitas, pulchritudo, robur, & hujuſmodi: quæ juxta Gregorij Nyſſeni ratiocinationem cereâ affectione, nec fluxa nimis, nec nimis dura, probè nobis & corporum noſtrorum ſtructuræ congruunt. Inſuper ingenium ac indoles, bonúſque hominis genius, quæ ad corporis ſtructuram & temperamentum conſequuntur, *Ceræ* appellatione à Platone donantur. Nam labilis vel tenacis memoriæ cauſas inveſtigans, agnoſcit in hominibus vim quandam ceream, quæ præſtet vel celeritatem ad diſcendum, vel acumen ad intelligendum, vel aptitudinem ad memorandum. Quorum enim cera fluxior ſolutiorq; fuerit, ij obſoleſcentibus ob nimiam ceræ ſolutionem formis appreſſis, oblivione corripiuntur: & quorum cera fuerit durior, iis firmiter infiguntur, quæ tardè & ægrè didicerint: quorum denique cera ſolida quidem, non tamen adverſùm formarum impreſſiones nimiùm renitens, ſimúlque pura & munda fuerit, ij ingenio ſimul atque memoriâ, rarâ inter mortales mixturâ, inſigniuntur. Non deficiunt hæ Ceræ Bernardo. Natus quippe Fontanæ, paternæ ditionis oppido, pernobili ac illuſtri viro Teſſelino, ac ejus ſelectiſſimâ conſorte Aleyde ſeu Aletha, ab ijs virtutum ac ſanguinis claritatem hæreditavit. Fuit enim Teſſelinus homo, qui, ut ad Exuperantium ſcripſit Hieronymus, ſub paludamento & habitu militari opera Prophetarum egit. His autem coloribus eum depingit Guilielmus Abbas. [Teſſelinus vir antiquæ & legitimæ militiæ fuit, cultor Dei, juſtitiæ tenax. Evangelicam námque, ſecundùm inſtituta Præcurſoris Domini, militiam agens, neminem concutiebat, nemini faciebat calumniam, contentus ſtipendijs ſuis, quibus ad omne opus bonum abundabat. Sic conſilio & armis ſerviebat temporalibus dominis ſuis, ut etiam Domino Deo ſuo non negligeret reddere, quod debebat.] Non minori encomio celebrat Matrem, quòd & ipſa in ordine ſuo Apoſtolicam regulam tenens, ſubdita viro, ſub eo ſecundùm timorem DEI domum ſuam regebat, operibus miſericordiæ inſiſtens, filios enutriens in omni diſciplinâ; quos ſeptem non tam viro ſuo, quàm Deo genuit; ſex mares, futuros Monachos; unam fœminam, Monialem pariter futuram. Dotes corporis nactus eſt pariter S. Bernardus omnino ceratas, & luculentas. Et quidem ſpecies ejus externa, quam Tertullianus *urbanam animæ veſtem* vocat, fuit planè eximia, uſque adeò, ut nonnullæ lupæ, nec vulgaris ſortis, in fœdum ejus amorem turpiter exarſerint. Apparebat etenim in carne ejus quædam gratia, ſpiritualis tamen potiùs, quàm carnalis: præfulgebat in vultu claritas, potiùs cæleſtis, quàm terrena; in oculis angelica puritas, & columbina ſimplicitas radiabat. Tanta erat, ut ornatè loquitur relatus Guilielmus, interioris ejus hominis pulchritudo, ut evidentibus quibuſdam indicijs foras erumperet; & de cumulo internæ puritatis ac gratiæ, perfuſus homo quoque exterior videretur. Sed & ſtatura, color, ac totius corporis forma, planè exquiſita, eminentiam ſecuturæ dignitatis præfigurabant in membris; nec tamen modum ornatiſſimæ prolixitatis excedebant. Ingenium inſuper vividum ac perſpicax, decus inter naturæ dona maximum, indolem rectì ſuâ ſponte amantem, guttam mentis fortunæ dolio antelatam, verbo, *Animam bonam*, cumulatè ſortitus eſt S. Bernardus: qui etiamnum Puerulus ſuprà ætatem in litteris profecit, & omnibus condiſcipulis ingenio longè antecelluit, aſſimilatus Angelo humanæ carnis oſtreo amictus; ut non defuerint, qui tantam indolis à primâ ætate bonitatem demirati, Bernardum in matris utero ſanctificatum pronuntiarent.

Greg. Nyſſ. l. de hom. opif. c. 30.

Plato in Theæteto.

S. Hieron. Ep. ad Exuperant.

Guilielmus Abbas l. 1. vita S. Bernardi c. 1.

Ead. l. 1. vita S. Bernardi in fine.

Sed

335. Donorum naturalium S. Bernardi applicatio. Sed verò delicatus noster Apiaster Bernardus, quidquid de hujusmodi ceris in sese cum *Ape cerifica* absumplit, totum id velut à rectâ dulcedine evomuit, abjecit, atque vastavit. Enimverò Natalium decora, quæ Poëta rectè *vix ea nostra* esse dixerat, generosâ resolutione negligens, à maternis monitis & fraternis exemplis stimulatus, valedixit sæculo, totumque se JESV Christi Supremi Regis servitijs consecravit. Et quia novit, quòd fortunarum facultates nobis prorsus sint alienæ, & *sicut cera, quæ fluit*, possessori in ictu oculi *auferentur*; hinc gemmas conatus est sibi comparare indeficientes in cælis, *sinCERissimos* virtutum ac cælestium meritorum thesauros. Corporis pulchritudinem atque speciem, luparum plurimarum inescatricem, caducum extimæ superficiei bonum, tabi saccum, fluxissimam ac fugacissimam gratiæ brevitatem, temporis ac morbi ludibrium, modici temporis tyrannidem; multâ sui ipsius maceratione, multâ inediâ, & omni asperitatis genere contrivit, ac gloriosiore deformitate mutavit: nec minùs despexit, quàm Andreas S. Bernardi frater, cùm conspicatus ad monasterij ostium præstolantem Hemmelinam sororem, lectissimam fæminam, & pro gradu suo exquisitè comptam, insigni verò nativâ specie & pulchritudine illustrem, intendens quò brevis ea pulchritudo esset evasura, eam appellavit *stercus involutum*. Æquè corporis sanitatem & virium robur, personæque habitum, ac reliquas corporis dotes existimavit propter meliora consilia despiciendas, tanquam paucorum dierum vapoream stabilitatem, & momentaneam gratiam; quæ *manè* Psal. 89. v. 6. *sicut herba transeat, manè floreat & transeat; vespere decidat, induret, & arescat.* Ingenij etiam decus, genium atque indolem, cæterasque *bonæ animæ* prærogativas, tanquam ritè conformati ac temperati corporis consectaras, pro corporum defluxu facilè dilabentes, eò quòd animus per hujus vitæ tempus interjectu limosæ catenæ, ut Nazianzenus nominat, alligatus cochleæ S. Nazianz. carm. advers. carnem. corporis, ita functiones suas obeat, ut corporis conditionem necessariò redoleant; ita ab objectis caducis & futilibus abstraxit, ut videretur esse homo ambulans continuò raptus cum Paulo in tertium cælum; eòque vires omnes ac conatus intenderet, quò ad liquidiùs perspiciendum Numen, ejusque inter mortales gloriam promovendam & amplificandam, quantâ valuit contentione laboraret. Adeóq; ingenij acie, non more veteratorum ad nequitiam, & struendam alijs perniciem est abusus; quo nominatim ex capite forenses Accipitres, implicandæ producendæque litis subdolos artifices Nyssenus exagitat: neque illam ad Divinæ Gloriæ cladem & innoxiorum ruinam, sicut Achitopheles & Jeroboami, ac quæ à Spiritu sanctô per sarcasmum, interprete S. Basilio, dictæ sunt *magnæ mentes*, quibus Deus infatuationem & insipientiam rependendam denuntiat: nec eam fascinatione nugacitatis obscurante judicium distorsit ad improbitatem, *cereus in vitia flecti*: sed indolem suam felicissimam applicavit ad pietatem, acuit ad virtutum studium, extendit ad Sacrarum Scripturarum intelligentiam, perfecit ad sublimem sanctitatem, distraxit ad cælestes amores, consecravit ad honestatem & consolationem. Nyssenus hom. 5. in Eccles. S. Basilius in Is. 10. Isa.

336. Ex apum œconomia quomodo renuceat vita religiosa. Aliam Apem abligurivit noster Merops; unde non potuit nisi miras dulcedines ructare: *Apem*, inquam, *Religiosam*, in suis cellulis industriè laborantem. Ingenioso metro Virgilius in Georgicis hos religiosissimos apum labores sic describit.

Namque aliæ victu invigilant, & fœdere pacto Georg. 4.
Exercentur agris: pars intra septa domorum
Narcissi lachrymam, & lentum de cortice gluten,
Prima favis ponunt fundamina; deinde tenaces
Suspendunt ceras: aliæ spem gentis adultos
Educunt fœtus; aliæ purissima mella
Stipant, & liquido distendunt nectare cellas.

Sunt, quibus ad portas cecidit custodia sorti;
Inque vicem speculantur aquas, & nubila cæli.
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignavum fucos pecus à præsepibus arcent.
Fervet opus, redolèntque thymo fragrantia mella.

Porro Sectatores consiliorum Evangeliorum passim audire Apes, quis ignorat? Ampo Abbas Monachos componebat cum Apibus, quòd quemadmodum Apes, quocunquè pergunt, circa mel operosè negotiantur; ita & Monachi, quocunque pergant, dulcedinem sanctorum operum possunt congerere. S. Cassianus *tanquam veterem & admirabilem B. Antonij sententiam* refert, Monachum spiritualia mella condere cupientem, velut Apem prudentissimam debere unamquamq; virtutem ab alijs, qui illam familiariùs possident, deflorare, & in sui pectoris vase diligenter recondere: nec quid minùs aliquis habeat discutere, sed hoc tantùm, quid virtutis habeat, contemplari, studios èque decerpere. Cuncta námque si ab uno volumus mutuari, aut difficilè, aut certè nunquam, idonea ad imitandum nobis exempla poterunt reperiri. Sanè S. Hieronymus Rusticum informans, ut in sanctum ac perfectum Monachum evaderet, Apum ei exemplum proposuit, verbis illis. *Apum est fabricare Alvearia, ad quas te mittunt Salomonis Proverbia; & Monasteriorum ordinem, ac regiam disciplinam, in parvis disce corporibus.* Nec desunt tria substantialia Religionis vota, velut fulcra & bases religiosæ vitæ, quæ Apes suis moribus ostentant. Paupertatem religiosam in Apibus adumbrari, argumento est, quòd, sicut notavit Theodoretus, *Nihil apud Apes privatum est aut proprium, sed communis opum thesaurus, & indivisa rerum possessio.* Sed & Sanctus Ambrosius hanc Apum *in commune viventium* Paupertatem observat. *Sola in omni genere animantium communem omnibus sobolem habent, unam omnes incolunt mansionem, unius patriæ clauduntur limine, in commune omnibus labor, communis cibus, communis operatio, communis usus & fructus est.* Similia profert Hugo Victorinus. Vnam omnes incolunt mansionem; unius patriæ clauduntur limine domûs; *COMMUNIS* est *OMNIBUS LABOR*, cibus, operatio, usus, fructus & volatus. Castimoniam quoque Apum, Religiosæ integritatis antitypam, agnoverunt Sacri & profani Doctores; qui speciosis periodis amplificant, quod Virgilius tersissimis versibus comprehendit.

S. Cassianus l. 5. vita PP. n. 187.

S. Hieronymus Ep. 4.

S. Theodoretus serm. 5. de Providens.

S. Ambrosius lib. 5. Hexa. c. 21.

Hugo Victorin. l. 1. de Best. c. 38.

Illum adeò placuisse Apibus mirabere morem,
Quòd nec concubitu indulgent, nec corpora segnes
In Venerem solvunt, aut fœtus nixibus edunt:
Verùm ipsæ folijs natos & suavibus herbis
Ore legunt: Ipsæ Regem parvosq; Quirites
Sufficiunt, aulásque & cerea regna refigunt.

Georg. 4.

Tam castæ sunt Apes, ut Plutarcho teste ab ijs personis avertantur, quæ venereâ aliquâ labe sordescunt. Id quod Columella curatorem Apum maximè admonuit: nisi enim castus sit, & à venereis purus, dedignatæ Apes avertentur: imò hominem à venerea illuvie recentem agnoscent, nec aliter insequentur quàm infensissimum hostem. Sicut è contra à castis pudicisque corporibus nequaquam refugiunt: ut rectè veluti gemmâ hanc proprietatem obsignet Sanctus Ambrosius. *Digna Virginitas, quæ Apibus comparetur, sic laboriosa, sic pudica, sic continens. Rore pascitur Apis, nescit concubitum, mella componit.* Obedientiam, tertium Religiosæ vitæ columen, exquisitè etiam adamant Apes, indéque Doctores Sacri obedientiæ exempla & stimulos crebrò petunt. Sanctus Cyprianus obedientiam uni Antistiti debitam, firmat exemplo Regis Apum, cui examen universum accuratè obedientiam & cultum defert. Sic & S. Hie-

Plutarchus l. de conjug. præcept.

S. Ambrosius l. 2. de Virg.

S. Cyprianus Ep. 69.

Hieronymus Ep. 4. Hieronymus informans Rusticum ad Religiosam vitam, obedientiæ Rectori debitæ exemplum statuit animalia ducibus suis parentia: in quorum primo agmine locat Apes, quibus est Princeps, cui ita obediunt, ut nulli sint Populi Regibus suis promptiùs accuratiùsque dicto audientes, quàm Regi suo serviunt Apes. Sanctus Ambrosius, quod verbis in hanc rem egregijs notavit, eloquitur ornatè. [Apes illæ, quæ non obtemperaverint legibus Regis, pœnitenti se mulctant condemnatione, ut immoriantur aculei sui vulneri. Quod Persarum Populi hodiéque servare dicuntur, ut pro commissi pretio, ipsi in se propriæ mortis exequantur sententiam. Itaque nulli, sicut Reges Persarum, tam gravissimas in subditos habent leges. Non Indi, non Populi Sarmatarum tantam, quantam Apes reverentiam devotionis observant, ut nullæ è domibus exire audeant, non in aliquos prodire pastus, nisi Rex fuerit egressus, & volatûs sibi vendicaverit Principatum.] Perspicuè proinde videtur monstratum, quanta sit Apum & Religiosæ vitæ sectatorum analogia quoad religiosæ vitæ veluti bases. Quòdsi alia quædam Religiosi Statûs adjuncta considerare placeat, ut accuratam domesticæ disciplinæ observationem, communem mensam, commune item opus, habitationem unius moris in domo, & cætera, quæ in Religiosis suscipit Sanctus Augustinus, ne hoc quidem ex capite deerit analogia plena apes inter & religiosas personas; prout per varias comparationes posset deduci.

S. Ambrosius L. 5. Hexaem. — S. August. l. de morib. Eccl.

337. Religiosa vita à S. Bernardo apud Cistercienses fundata, & mirabiliter solidata. Hanc *Apem Religiosam*, ubi deliciosus noster Apiaster suo conclusit gutture, non potuit nisi mellitissimos Religiosæ vitæ labores & favos ructare atque spirare; quia Merops tantùm ructat, tantùm spirat, *TANTUM SAPIT, QUANTUM CAPIT.* Stupenda est illa Monastica Prudentia, quâ tam multa struxit, auxit & rexit Alvearia, ac rationabilium Apum cellas. Finxit enim intra perbreve tempus, certè non adeò longum, in varijs terrarum oris, centum sexaginta Monasteria, in quorum singulis populosissima Servorum DEI examina, sanctum Virum tanquam spiritualium Apum Regem stipantia, collegit atque recondit. Et quamvis Cisterciensis Ordo potiùs Beatum Robertum ex Molismensi Abbate primum novalis Cisterciensis agnoscat colonum, quàm Sanctum Bernardum; Roberto autem ad anteriores loci s. Molismam regresso; Albericus ac Stephanus Cisterciensem præfecturam objuerint. Tanta tamen sub Roberto, Alberico ac Stephano plantatoribus, per annos quindecim, Cisterciensis Familiæ fuit tenuitas & exilitas; à Bernardi autem auspicatis laboribus adeò diffusæ sunt illius propagines, ut meritò inter Cisterceij Fundatores locum præcipuum sortiri debeat præ Roberto, Stephano & Alberico. Subijt Bernardus tremum illam, comitantibus & idem institutum amplexantibus socijs circiter triginta; quos inter quatuor ejus Germani Fratres, & cognati secundùm carnem alij complures: omnes à Bernardo geniti, & adducti Christo; cùm non ampliùs quàm duos supra viginti annos eo tempore procrevisset natus. Benedixit autem Dominus Stephano, ejúsque Religiosæ Familiæ, ad juvenis ac stipati Bernardi appulsum. Exinde enim immensa multitudo, mundum & ejus caducitatem despuens, tangente corda Deo, auctior in dies, Stephanum Abbatem, ut tam sancto Cœtui adscribi liceret, enixissimè interpellabat. Nec ita multò pòst Stephanus, cùm ad levandam Cisterciensem Familiam à numerositate gravatam, tum ad amplificandi Ordinis studia, lectissimum Religiosorum manipulum, cui Bernardum tametsi juniorem præfecerat, destinavit ad Absynthialem vallem, latronum eo tempore speluam: cui ad Sanctorum adventum *Claræ vallis* appellatio fuit indita, felicissimo utique omine, ut ex hac *Clara valle* Viri religione, scientijs & sanctitate clarissimi prodirent. Elegit proinde Bernardus valles umbrosas, & profundas pro sua habitatione; vel in hoc ipso

Reymundus fil. Elog. Exor.

Gesnerus in Merope. ipso Meropem imitatus, qui solus ex Avibus subiens terræ cavernas, sibi construit habitationis cunabula; corporis quidem gravitate prohibitus sublime petere, sed tamen etiam securiora subintrans loca, quia humiliora. Nec tantùm in felici alvearium structurâ eximiam prodidit S. Bernardus prudentiam, sed & Apum inibi operantium providentissimâ directione talem se exhibuit, qui vel meritissimò audiret Rex Apum, vel mellitâ Apiastri ingluvie uteretur. Cùm ultra moram & morem innumera sint Doctorum & Patrum circa hoc regimen argumenta: unicum adduco Blessensem, Cisterciensium decora illustri compendio referentem. [Vna, inquit, omnium vox est, quia Cistercienses Ordinis Professores tantò differentiùs præ cæteris triumphales sanctitatis titulos referunt, quantò expressiùs Religionis Apostolicæ vestigiis inhæserunt; cùm in tenuitate ciborum, in asperitate vestium, in vigiliis, in confessionibus, in disciplinis, in psalmis, in humilitate, hospitalitate, obedientiâ, charitate, & cæteris, quibus fructus vitæ seminatur in terris, deprimatis carnem, spiritum erigatis.] *Petrus Blessen. in Ep. 82.* Non penetrabo justæ orationis punctum, sed fastidiosis excursibus longè ab oblatâ alienabor patientiâ, si de tenerrimâ castitatis ejus custodiâ, etiam solâ voce, *Latrones, latrones*, ab insidiosâ muliere tutatâ; si de exactissimâ obedientiâ, etiam post mortem de non operandis miraculis ad mandatum Abbati præcipienti præstitâ; si de abdicatissimâ paupertate, in minimis quibusque utensilibus observatâ, si denique de toto Religiosarum virtutum apparatu, vellem prolixiùs sermocinari

338. *S. Bernardi erga Deiparam amor.* Dum ex allatis constat, Apes castitatis ac Virginei pudoris esse amantissimas; hinc brevi ac volatili discursu adverto, Bernardum tanquam delicatum Apiastrum *Virgineâ Ape* fuisse admodum delectatum: quam cùm toto circumdedisset pectore, non poterat aliud nisi Virgineos favos ac Marianas dulcedines spirare; quia Merops TANTUM SAPIT, QUANTUM CAPIT. Loquor de sanctissimâ Dei Genitrice MARIA, omnis dulcedinis fonte; à quo DEI Filius humanæ Naturæ deprompsit initium. Hanc Virgineam Deiparam incensissimè amabat Bernardus; hanc optimam ac benevolentissimam, tot divinis honestatam muneribus, verè *cæleste prodigium, & sacratissimum spectaculum* (ut Deifer Ignatius illam compellâsse refertur) tot illecebris ad suaviter sed potenter inungenda piorum corda abundantem, pluribus aureis catenis ad pertrahendas mortalium voluntates, quàm commentitius Mars Gallicus, divinitus instructam, totis quantis dilectionis suæ prosequebatur visceribus. Et hunc quidem ille sensum atque affectum non aliunde conceperat, quàm quòd castissima Virgo fuisset unitarum inter se Naturarum, omnem humanum superantium captum Officina. *S. Ignatius Ep. ad Ioan.* Erat Bernardo congenita pietas Apiastri, qui quàmprimùm didicit volare ac escas capere, beneficij educationis memor, non solùm senescentes parentes, sed etiam, cùm datur facultas, benevalentes alit; nec patrem aut matrem exire permittit, sed in cubili manentes sustentat. *Arist. l. 9. hist. Animal.* Tantùm *Amor urget habendi?* Bernardus Virginem colebat ut suam in Christo Matrem. Virgo Bernardum habebat pro Filio, & tenerrimè fovebat. Vt monstratum esse aiunt insigni divino opere, quo sanctus Adolescens adhuc sæcularis, ante Beatæ Virginis imaginem, apud Castelliones ad Sequanam antiquitate & crebris miraculis jam tum venerabilem, pangens Prosam rhythmicâ à se elucubratam, cùm venisset ad ea verba, *Monstra te esse matrem*, lacteis guttis tribus, exporrectâ imaginis ad linguam orantis dexterâ, perfusus proditur. Voluit illum D. Mater in filium, cùmque charissimum adoptare, & lac Virgineum è statuâ in illius ceu filij os effudit. Lac, inquam, omni vino, omni nectare & ambrosiâ dulcius. Et licèt fuerint nonnulli, existimantes fuisse duntaxat expressionē hieroglyphicam affectûs Deiparæ erga Bernardum, & Bernardi erga

erga Deiparam; ei non absimilem, quâ Sanctus Augustinus exhibetur ante Christi patientis & Deiparæ imagines, addito eo lemmate: *Hinc lactor ab ubere, hinc pascor à vulnere.* Plerique tamen refragantur, & physicam lactei humoris intervenisse contendunt: quandoquidem universus Cistercensium Ordo decimo tertio Maij hoc prodigium quotannis speciali festo recolat; & multi Antistites, gradu ac doctrinâ insignes, etiam deprompitis ex Ecclesiæ Ærario Indulgentijs eam pietatem fuerint contutati. Non minoris pietatis argumentum visitur in Afflageniensi Monasterio: ubi extat etiamnum statua B. Virginis; cui cùm Bernardus de more salutans dixisset, *Ave Maria*; eadem Deiparæ statua illicò respondit, & sic resalutavit, *Salve Bernarde*; rei novitate & miraculo attonitis omnibus, qui aderant, ipsóque inprimis Bernardo, cui ea salutatio cælestium bonorum affluentiâ accidit fœcundissima. Honor itaque judicium diligens, & affectus Deiparam decens, Sancto Bernardo pientissimo Virgineæ Matris filio cumprimis cordi fuit; eúmque luculentis suis de Eâ scriptis, & sermonibus manifestavit. Et verò quoad hoc punctum pietas Bernardi in Deiparam veracissimo Petri Cellensis testimonio magis illustratur: is enim scribens ad Nicolaum Monachum S. Albani, D. Bernardo, à quo defecerat, admodum iniquum, postquàm multis in S. Bernardi decus prolatis durum pectus emollire tentavit, concludit in hæc verba. [Prætermitto ista omnia, si nondum emolliri cor tuum potuit. Vnum est, in quo clavis in altum defixis arbitror me te apprehensurum, & in amorem S. Bernardi liquefacturum. Alumnus enim familiarissimus fuit Dominæ nostræ, cui non unam tantùm Basilicam, sed totius Ordinis Cisterciensis Basilicas dicavit: ad cujus laudem politissimos tractatus & facundos composuit. Si ergo potes tangere pupillam oculi Dominæ nostræ, scribe contra Bernardum suum, cui loquitur ipsa: *Qui tangit te, tangit pupillam oculi mei.*] Pupilla oculi Deiparæ dicitur fuisse S. Bernardus; quia ut ipse eam ardentissimè dilexit, ita *Mater dilectionis* tenerrimo veréque materno prosecuta est optimum Filium: ita ut longè gratiùs hi veri amores certarent invicem, quàm illi apud Philostratum *Eros & Anteros* colludentes. Nec incongruè: nam Apiastro assimilatus est Bernardus, *& cor ejus ad nimium amorem aptum est.*

Ioannes Bertel Abbas apud Luxemburgenses tract. 2 in reg. S. Benedicti.

Petrus Cellensis Ep. 112.

339\. Ex quo ad aliam dirigimur Apem, quam Bernardus Apiaster pleno hausit gutture, & reverentiali ventriculo semper digessit. Enimverò si à S. Basilio, Gregorio Nysseno, & alijs Patribus, Christiana Plebs dicitur esse *Apiarium Christi*, quòd partim sapientiæ ornamentis, partim industriæ conatibus, partim etiam sanctissimorum laborum exemplis componitur: longè æquissimè CHRISTUS ab ijs nuncupatus *Apis Apum*, seu *APIS SUPER APES.* Origenes tractans illud Isaiæ, *butyrum & mel comedet*, Christum vocat Apum Principem; & quotquot Christiani ab eo denominantur, Apes sub illa primariâ Ape nominat. Versat ibi locum ex Proverbijs juxta Septuaginta, *Vade ad Apem O piger*: qui licet in vulgata editione desideretur, passim tamen à Principalioribus Ecclesiæ Patribus legitur. Enodat autem locum Origenes sic. [Quod dicitur, vade ad apem, istiusmodi est. Est quædam, ut ita dicam, APIS SUPER APES. Et quomodo inter Apes Rex quidam est, qui nominatur REX; sic Princeps Apum & Dominus meus JESUS Christus, ad quem mittit me Spiritus sanctus, ut comedam mel (bonum est enim) & favos ejus, ut indulcentur fauces meæ.] Et verò dum cæteri Patres in hac *Ape super Apes* disquirenda copiosissimè laborent, noster Sanctus Bernardus concinnissimè simul ac mellitissimè rem sic expendit. [Apis habet mellis dulcedinem, habet etiam aculei punctionem. Apis verò est, quæ pascitur inter lilia, quæ florigeram inhabitat patriam Angelorum. Vnde ad civitatem

Christus rectè dicitur esse Apis super Apes.

Origenes super Isa. in catena.

Prov. 6. v. 6.

S. Bernardus de adventu Dom. serm.

tem Nazareth, quod interpretatur *Flos*, advolavit, & ad suaveolentem perpetuæ Virginitatis florem advenit, illi insedit, illi adhæsit. Hujus Apis mel & aculeum non ignorat, qui misericordiam ei & judicium cum Propheta decantat. Attamen ad nos veniens, solum mel attulit, & non aculeum, id est, misericordiam & non judicium; ita ut suadentibus quandoque discipulis, ut civitatem quæ eum suscipere noluit, præciperet igne consumi, responderit, Filium hominis non venisse ut judicaret, sed ut salvaret mundum. Non habebat aculeum Apis nostra: quodammodo depofuerat illum, quando tanta indigna patiens, misericordiam exhibebat, & non judicium. Sed nolite sperare in iniquitate, nolite peccare in spe. Habet enim Apis nostra quandoque assumere aculeum suum, & aeriter nimis infigere illum in medullas hominum peccatorum. Quoniam Pater non judicat quemquam, sed Filio dedit omne judicium. Nunc autem Parvulus noster butyrum & mel comedit, quando bonum naturæ humanæ, Divinæ Misericordiæ sic univit in semetipso, ut esset homo verus, & peccatum non habens: Deus misericors, & judicium non exhibens.] Hactenus Bernardus manifestè describit Christum, eâ specie, quâ peritioribus *Rex Apum* exprimitur, habens scilicet in potestate aculeum, sed tamen eo non utens.

340. S Bernardi erga Christum crucifixum, & Eucharistiam admiranda operatio.

Jam verò si Christus à SS. Patribus habetur pro *Ape super Apes*, & hanc Apem Bernardus Apiaster totis animi sui visceribus conclusit, non potuit Bernardus aliud reddere, ructare aut spirare, quàm quæ sunt Jesu Christi. Tenerrima ejus affectio erga Patientis Dei mysteriū, quod meritò S. Ignatius appellavit *mysterium clamoris*, tunc maximè eluxit, quando ipsa patientis Christi imago in amplexus sese deliciosissimos resolvit. Agebatur dies 23. Martij mensis, quando in summo orationis æstu Bernardus supplex ad aras accidit: tum ecce, in pavimento apparet Crux ingens, & in ea affixus Christus, generis nostri Servator; quem dum pronus adorat, & magno pietatis exosculatur sensu,

S. Ignatius Ep. ad Ephes.

- - - - *Domini pendentis imago*
Solvit in amplexus brachia nota suos,

Philotheus Monachus. Menardus Abbas, L. de Exordio Ord. Cist. dist. 2. c. 7.

arctéque stringit Bernardum, insolito amoris prodigio. Quod iterùm iterúmque accidisse, juramento deposuerunt testes oculati. Tantùm *AMOR URGET HABENDI*. Hæc revulsa à Cruce brachia, hi amplexus, & hæc dilectionis oscula, quantum sunt amantium, & miror, quantum amantium argumentum! Jam vos Ascceticæ Animæ, quid tardatis Christi crucifixi brachia stringere, amplexus prosequi, vulnera scrutari, & cum Apibus mella de petrâ legere? Inde est, quòd Bernardus tam penetranter, tamque dulciter de Christi vulneribus scribens, tam cælestes semper refuderit ambrosias. Exponebat quodam loco, si innumera transgrediar, quæ essent foramina petræ, in quibus nidulari Columbam eastus Sponsus affirmat. Hæc foramina interpretatur pius Bernardus esse Christi vulnera, petram Christum contestatus, in petra tutamen & exaltationem, eandem refugium herinaciis præfatus, adjungit. [Et revera ubi tuta firmaque infirmis securitas & requies, nisi in vulneribus Salvatoris? Tantò illic securior habito, quantò ille potentior est ad salvandum. Fremit mundus, premit corpus, diabolus insidiatur. Non cado. Fundatus enim sum supra firmam petram. Peccavi peccatum grande, turbatur conscientia, sed non perturbabitur, quoniam vulnerum Domini recordabor. Nempe vulneratus est propter iniquitates nostras. Quid tam ad mortem, quod non Christi morte salvetur? Si ergo in mentem venerit tam potens tamq; efficax medicamentum, nullâ jam possum morbi malignitate terreri. Et ideò liquet, errâsse illum, qui ait: *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear*. Nisi quòd non erat de membris Christi, nec pertinebat ad eum de Christi merito ut suum præsumeret, suum diceret, quod illius esset tanquam rem capitis membrum.] Video, me dul-

S. Bernardus serm. 61. in Cant.

ce-

cedine orationis sancti Viri de tam suavi argumento inter urgentissimos amores, quàm destinaveram, longiùs abduci in foramina Petræ, & in divinas corruere suaviationes; hinc me ad propositum sermonem oportet reflectere, ut præsertim in sacratissimâ Eucharistiâ ostendam Apem super Apes, quam D. Bernardi orexis dignissimè semper sumpsit & administravit. Est enimverò *Eucharistia* Incarnationis Verbi Dei quasi corollarium, & cruciatuum supremorum ejusdem viva repræsentatio. Ibi namque sacramentaliter præsens continetur *Apis super Apes*, scilicet CHRISTUS

JESUS dulcis memoria,
Dans vera cordi gaudia;
Sed super mel & omnia
Ejus dulcis præsentia.

Quæ in hoc mellitissimo rhythmo, ac innumeris alijs locis de hujus mystici Cibi dulcedine à Viro Sancto sunt consignata, produnt apertè, quantopere erga illas vere cælestes delicias afficere- tur; quæ judice S. Chrysostomo *præstant, ut terra nobis fit cælum.* Prodant idipsum æquè luculenter, quæ mirabilium patrationi dum incruentum Sacrificium adhibuit, frequenter perfecit. Eucharistico hoc miraculo exoravit potestatem homini jamjam animam agenti, percipiendi Christiana Sacramenta; quas signorum Viri Sancti primitias exhibet Guilielmus Abbas, prolixiùs inductas. Hoc Eucharistico Ferculo, teste Bonæ vallis Abbate, frequenter ex humanis corporibus insidentes ejecit dæmones Bernardus, & energumenos domesticis hisce tortoribus evacuavit. Hoc interposito Divino remedio alia erga corpora & animas perfecit benè multa, quæ passim in Sancti Viri actis referuntur. Prodit denique luculentissimè Sancti Viri affectum objectu Eucharistiæ salubriter prostratus, & à tyrannidis crudelitatibus ad saniora consilia ac mentem sanctiùs dispositam conversus Guilielmus, Dux Aquitaniæ; qui ad omnes sancti Viri nutus se fingens, inauditâ metamorphosi lupus in agnũ transiens, Ma-

S. Chrysostomus hom. 24. in 1. ad Corinth.

Guilielmus Abb. l. 1. c. 9.

Abbas Bonæ Vallis l. 2. c. 2. & 3.

Theobaldus Ep. in vita S. Guil. c. 6.

jestatem Dei sacris illius Panis exuvijs abditam, utráque Beati Bernardi erga Deum sub eis verè absconditum affectûs flagrantiam patefecit. In summâ, tenerrimum Sancti Bernardi ergà Sacratissimam Eucharistiam pietatis sensum, ac devotionem suavissimam copiosè ejus scripta & facta testantur; in quibus omnibus Apiaster noster delicatus TANTUM SAPIT dulcedinis, QUANTUM CAPIT sanctitatis.

34. Ad *Apes* insuper *florigeras* nostra excurrit oratio, quas frequenti examine delicatus noster absumpsit Apiaster. Intelligo Sanctos Patres, structores illorum favorum, quibus pietatis & non adulterinæ sapientiæ mel plurimum conditur. Origenes certè, qui exponens mansionem in *Dibongad*, Apem esse ait laudabile Animal, cujus labores non tantùm mediocribus, sed & Regibus ad sanitatem sunt usui, juxta Sapientem, de quorumvis piorum Scriptorum laboribus accipiendum admonet; observátque, vocem *Dibongad*, quam sonare ait *apiarium tentationum*, probè concinere cum ea frequentia & gravitate tentationum, quæ resultant e scriptis Sanctorum, si improvidè & inconsultè evoluantur. Sanctus Chrysostomus sacros ac pios Scriptores, qui in doctrinâ laborant, vocat spirituales Apes, quòd non sibi sed publicò laborent. Magnum Basilium Sanctus Ephrem sic compellat, „[Quomodo te beatificabimus, ô Pater Basili! qui doctrinæ stimulo errorem pungis, & abigis; qui solvis atque discedis sagaciter cum Apibus, „& florida ac jucunda loca divinitus „inspiratarum Scripturarum inhabitas; unde nobis flores decerpis propheticos, rorem Apostolicum, vitam „Evangelicam: qui semper virtutum „alvearibus insides, & ex ijs divinam „nobis cupedinem paras; qui mel divinæ & immaculatæ fidei sapienter „in Spiritu sancto operaris; qui improbas despicere vespas, & fidem in „ipsum cælum facere nos doces: qui „eum Davide clamas, *Dulcia eloquia* „*tua gutturi meo sunt super mel ori meo.*]

S. Bernardi ex sacri libris singula sibendi suavitas.

Origenes hom. 27. in Num.

S. Chrysostomus hom. 12 ad populum.

S. Ephrem in encomio S. Basilij ad finem.

Simili præconio S. Augustinum donavit Severus, eum sic compellans. *O vere artificiosa Apis Dei, construens favos Divini nectaris plenos, manantes misericordiam & veritatem, per quos discurrens deliciatur anima mea, & vitali pastu, quidquid in se minùs invenit, aut imbecillum sentit, resarcire & suffulcire molitur.* Exinde etiam sanctos Patres Ambrosium & Augustinum Franciscus Petrarcha vocavit *Apes cælestis favi, & divini eloquij.* Et sic frequenter sancti Patres & Doctores florigeris Apibus comparantur, utpote qui passim ex floribus Bibliorum & sublimium scientiarum legunt dulcissimos favos, ac suavissima mella componunt. Hosce sacros Authores cùm pro jugi negotiorum mole legerit ac perlustrârit Bernardus, mirum est, quantos inde conceperit delicatus noster Apiaster favos? Nihil enim scriptionibus ejus omni sapientiâ refertis amœnius, nihil florulentius atque dulcius; ut rectè in ipsum possit refundi encomium simile, quo Plutarchum Eunapius, & Jamblicum Julianus compellavit, *Totius sapientia venus & lyra.* Cúmque Codices, quos evolveret, præter sacros libros & quorundam Patrum labores, haberet nullos; ijs tam disquisitè & erudite est usus, ut inter quercus & fagos, & impedimenta scriptionis nunquam deficientia, prætereà cogitasse vel molitus esse videatur nihil, quam sermones & interpretationes, epistolas atque exhortationes, divino quodam nectare affluentes. Quia nempe Apiaster, quod haurit, id ructat; & *Tantùm sapit, quantùm capit.*

Severus Ep. 17 ad August.

Petrarcha in Ep.

Eunapius in proœm. Julianus Ep. ad Iamblic.

341. Admiranda S. Bernardi vis in exhortando.

Quanta erat suavitas scribendi, tanta erat Bernardo virtus persuadendi. Vtramque enim ex sacris Biblijs, & Patribus hauserat; utpote qui probè novit, sugere *mel de petra, oleúmque de saxo durissimo.* Vidisses frequenter renovari in Bernardo Pentecostalia miracula, quando ex confertissimis multitudinibus ex omni natione, quæ sub cælo est, audiebat eum unusquisque suâ linguâ loquentem. Inde erat, quòd Germanicis etiam populis loquens, miro audiretur affectu; tametsi per interpretem loqueretur: inde salubris mentium contritio, inde ob scelera gemitus, & fontes lachrymarum ad eluendas noxas percussis his virgâ silicibus, duris, inquam, peccatorum pectoribus prorumpebant. [Quam „placabilem & persuasibilem, inquit „Goffridus Abbas, quámq; eruditam „linguam dederit ei Deus, ut sciret, „quem & quando deberet proferre sermonem, quibus videlicet consola„tio vel obsecratio, quibus exhortatio „congrueret vel increpatio, nosse po„terunt aliquatenus, qui ipsius lege„rint scripta, etsi longè minùs ab eis, „qui verba ejus sæpiùs audierunt; sic „quidem diffusa erat gratia in labijs „ejus, & ignitum eloquium ejus vehe„menter, ut non posset ne ipsius qui„dem stylus licèt eximius, totam il„lam dulcedinem, totum retinere fer„vorem. Mel & lac sub lingua ejus, & „nihilominus in ore ejus ignea lex, „juxta illud Cantici Canticorum: *Si„cut vitta coccinea labia tua: & elo„quium tuum dulce.*] Nullus erat nexus adeò arctus, non liberorum, non conjugum, non amicorum, cujus abruptionem mel de prudentis Bernardi ore procedens dulcem ac suavem non faceret. Nec ea tantùm vis permovendi inerat Bernardo jam Monacho, vel jam Abbati; adhuc vicennis circiter adolescens *vocem virtutis* dabat ad coætaneos suos. Enimverò Galdrico patruo suo, viro potenti, & militari gloriâ elato; sed & suis quatuor germanis, Andreæ, Bartholomæo, Guidoni, Gerardo, tandémque quinto Nivardo, suâ melleâ suadâ author fuit, ut secessionem à sæculo pararent, & divitiarum abundantiam ac mundi oblectamenta, voluptatúmque fucos, monasticis lubenter bonitatibus mutarent. Scribit Guilielmus Sancti Theodorici Abbas, Author gravis & oculatus, pauloque S. Bernardo præmortuus, rem propè incredibilem, nunquam certè alias visam vel auditam: Nimirum, Bernardo huc illuc ad homines vitæ monasticæ amore inescandos discurrente, & Evangelicorum consiliorum vexillum ubi-

Goffridus l. 3. vitæ c. 3.

Cant. 4. v. 3.

Guilielmus Abbas l. 1. c. 3.

ubique extollente, matres passim, ne à pio seductore ad monasterium pellicerentur, latebris obtexisse liberos; uxores, ne maritis audiendi Bernardi copia fieret, omni studio fategisse, quòd sæculi fastidium eo alloquio ingenerandum non dubitarent; amicos denique timuisse amicis, si Bernardum audirent. Innumera propè exempla mellis de ore Apiastri nostri procedentis, ad persuadendum efficacissimi, si premere silentio non liceat, juvabit saltem *in summitate virgæ attingere, et paululum gustare.* Vix aliqua ubique terrarum inter Magnates & Mundi Principes enascebatur contentio, quam mox interposita Viri sancti authoritas, & de prudentis ore manans mellea oratio, non componeret. Flagrabant incensissimis odijs, in funesta bella, publicas clades, ac vastationes prorumpentibus, Lotharius rex & nepos Henrici Imperatoris Conradus. Vrbes florentissimæ ac populosissimæ, Genua, Mediolanum, Pisæ mutuis inter se odijs ac contentionibus vix non ad excidium properabant. Metensis civitas circumjecta oppida atrocissimè affligebat. Vrbs Lingoniensis suum Præsulem inconciliabiliter aversabatur, pariter & Rhemensis. Insubrum Proceribus ab intestinis rixis atque dissidijs impendebat internecio. Intervenit his omnibus, aliisque dissidentibus permultis Sanctus Bernardus, posuitque manum suam in ambobus: abjecta illico sunt arma, & pax redintegrata affuso Viri sancti melle, & absterso discordiarum felle, pax plena animis redijt Inimicissimis. Recordamini funestissima illa tempora, & Christiano Nomini gravissima, cùm levissimi hominis ambitio Christianum scidit orbem! Illa loquor tempora, Auditores, quibus Petrus Leonis, potentissimorum inter Romanos sanguine cretus, & defosso jam pridem suo ac suorum auro largiter in profanum vulgus erogato, homo & avaritiæ facibus inflammatus, & immeriti honoris ambitione exæstuans, conatus est sub Anacleti personâ primum dignitatis locum arripere; & Innocentium II. verum Orbis Pontificem, ex eo Solio depellere, in quo illum & eximia virtus, & Bonorum vota, & Romæ preces, & Italiæ acclamatio, & Purpuratorum Patrum suffragia collocarunt. Et qui tum animus fuit Bernardo, Auditores? quæ in tantâ Christianæ rei calamitate propulsandâ industria? quæ in tam miserâ voluntatum dissensione constantia? qui amor in legitimum Pontificem? quæ cum bonis conspiratio, à Schismaticis fuga? num illum vel in errorem fraudes, vel preces in crimen, vel minæ in scissuram abripiebant Ecclesiæ? Indicto in eâ causâ Stampensi Concilio, post tricas & concertationes benè multas, de omnium unanimi sententiâ constitutum est, tanti momenti negotium ad Sancti Viri judicium oportere referre. Non ille, etsi rogatus, in factiosorum conjurationem, ne schismaticus; non in Schismaticorum sententiam, ne improbus; non in improbi hominis cæcam ambitionem, ne sacrilegus videretur, consensit. Omnibus ritè discussis D. Bernardus Innocentium ritè inauguratum, Anacletum verò alienæ Sponsæ insidiatorem pronuntiavit: Francorum primò & Anglorum Reges ad Innocentij partes suâ benesuadâ eloquentiâ inflexit; deinde etiam Lotharium Germanorum Regem, armorum ac pietatis gloriâ quàm clarissimum, ut arma in Schismaticum sumeret, atque in Italiam expeditionem susciperet, Romæ Innocentium, & Innocentio Romam restitueret, efficacissimè permovit. Nec mora, omnes contentionum fluctus illicò resederunt, serenitasque amœnissimum subsecutum; brevique effectum, ut Mysticum Christi Corpus cum visibili suo in terris Capite cohærens, eliminato schismate, sit servatum; illatâ luce, quæ dolentis Italiæ & orbis gementis tenebras dissiparet. Quanta D. Bernardus præstitit, quando Terra Domini improborum pedibus conculcata, & iniquorum manibus devastata fuerat? quando venerunt gentes in Dei hæreditatem, & quæ Loca sacris vestigijs Deus homo factus presserat,

Raynaudus in Hag. Exotico Apr. Gallica. n. 73.

spurci Agareni hostiliter occupata, in Christi contumeliam, & Nominis Christiani infamiam contaminabant? Tunc Bernardus profuso illo suo orationis melle, tantam multitudinem sub Crucis labarum coëgit, contra Saracenos certaturam pro Terrâ, ubi pedes Domini steterunt, ut referat Otho Frisigensis, conscriptorū unus, Orbem occiduum quam latè patet, personis ad bellandum idoneis propè evacuatum evasisse. Incredibilis potuit videri ardor ille, quo Fideles quasi omnes cum S. Ludovico Rege Gallorum, item cum Romanorum Rege Conrado, ejúsque Germano Duce Bavariæ, Præsules ac Principes innumeri in sacram militiam dederunt nomina; & ad recuperandam Terram sanctam commigrârunt, motum Aquæ sequentes factum ab hoc Angelo Domini Bernardo: quem in Carnotensi Conventu ad eam rem indicto, universi Reges ac Principes communibus suffragijs elegerunt, & declarârunt Christiani Exercitûs contra Saracenos Ducem. Tanta potuit & effecit suaviloquentia Bernardi, à multiplici *partitione Vocis* commendanda: qua Apiaster noster in perorando Augustini spiritum, Gregorij moralitatem, Hieronymi gravitatem, Ambrosij elegantiam, Chrysostomi fervorem, Origenis eruditionem, Tertulliani nervositatem, cæterorúmque anteriorum Patrum excellentias videtur explevisse, totámque vernæ concinnitatis amœnitatem suis scriptis ac dictis conclusisse.

Otto Frisingensis Feder.

343. Labores ingentes à S. Bernardo pro Ecclesia Dei exantlati. Elianus apud Gesnerum.

Videtur hæc mea Panegyris, Auditores, Meropem imitari volatu; de quo Elianus ait. *Et profectò naturam volatûs admiratione & insolentiâ pleni, quem facit hoc Animal, summopere admiror*: nam contrà volat, ac cæteræ Aves; cùm enim reliquæ Aves quasi sursum ad cælos versùs volitent, ille retrorsum caudam versùs volatum exercet. Et ego dum tanta hactenus dixi, non progressus mihi esse videor in laudibus S. Bernardo debitis, sed *volâsse retrò*; nam retrospicienti majora longè & gloriosiora occurrunt expendenda miracula. Enimverò altum hactenus advertebatur silentium de *Ape Argumentosa*, quam utique *delicatus* noster *Merops* Bernardus hiante semper continuit ore. Dum *argumentosam Apem* pronuntio, juxta nominis notionem intelligite *certatricem* atque pugnacem. Et est sanè Apum genus bellicosum ac pugnax ad tutelam bonorum, quæ habent asservata, juxta illud Papinij.

Papinius 10. Thebaid.

Sic ubi puniceo Pastor rapturus ab antro
Armatas exegit Apes, fremit aspera Pubes;
Inq; vicem sese stridore hortantur, ut omnes
Hostis in ora volent: mox deficientibus alis
Amplexa, flavámque domum, captiváque plangunt
Mella, laborantésque premunt ad pectora ceras.

Nullibi magis certis & perspicuis argumentis prodita est S. Bernardi exundans eruditio atque doctrina, quàm in plerisque Concilijs, Senonensi præsertim ac Rhemensi, cùm de hæreticis ac erroribus confutandis ageretur. Tunc enim verè se *Apem argumentosam* exhibuit Bernardus, quando Petrum Abelardum Philosophastrum, gloriæ humanæ animal insolentissimum; itémque Henricum apostatam nefarium, Apostolicos etiam Calvinistarum proavos, ferventissimis concionibus, disputationibus acertimis, ac scriptis pugnacissimis confudit ac confutavit; & sic Ecclesijs pacem, Sacerdotibus honorem, Templis frequentiam, Saeramentis cultum, Religioni splendorem atque nitorem reportavit. Gilbertum Pictavorum Episcopum, à multiplici scientiæ varietate dictum *Porretanum* seu *Universalem*, de Christianorum Mysteriorum vertice, Sanctissimâ inquam Trinitate, & Divinitatis simplicitate, non satis sobriè sapientē juxta Ecclesiasticæ doctrinæ amussim, coram Pontifice Eugenio & Synodo Rhemensi, biduanâ concertatione ita fregit, ita superavit Bernardus, ut retractare & damnare errorem suum Præsul debuerit; non exiguâ virtutis

Gil-

Gilberti, sed multò majori eruditionis ac sapientiæ S. Bernardi testificatione. Hanc *Apem argumentosam*, id est, sapientialem pugnacitatem dum Bernardus Apiaster in suum guttur trajicit, verè dici potest, *angusto in pectore ingentes animos versare*, quêis pro Dei gloriâ difficillima quæque aggrederetur fortiter, & sustineret patienter. Quo enim ille labore est absterritus, quominùs omnia, DEI gloriam & bonum publicum concernentia, intrepidè aggrederetur? quoties transcendit Alpes? quoties ruendæ vel erigendæ Divinæ rei causâ in varias Galliæ, Belgij, Germaniæ, & Italiæ excurrit oras? qui illum obices, quæ difficultates avocârunt à bene cœptis? qui tempestatum rigores, & intemperies sive æstivi sive hyberni cæli, eum sunt remoratæ? Adversùs hæreticos, & schismaticos certavit potentissimè; erga Catholicos, potentes licèt, & summum in orbe dignitatum verticem occupantes, nihil non molitus est, quo Divinæ gloriæ procurationem obiret strenuè, séque utilem Domino servum ac industrium Dominici Agri Colonum approbaret. Et respondit culturæ seges, labori fructus, conatui emolumentum. Oraculum hîc unicum sufficiat Alexandri III. Virum Sanctum inter Cælites referentis. *Fructum*, inquit, *quem servus Dei Bernardus in domo Domini & verbo operatus est, & exemplo; nullus ferè terminus sanctæ Christianitatis ignorat: cùm usque ad exteras barbarásque nationes sanctæ Religionis instituta transmiserit, atque Monasteriorum fundationem extenderit; & infinitam quidem multitudinem peccatorum, per via sæcularis latitudinem incedentem, ad spiritualis vitæ rectitudinem revocârit*. Et quod admirationem meritò auget, *fecit hæc omnia* S. Bernardus in vase fictili ac propè perdito, ac undecunque quassato; quo jam ferè ab auspicijs religiosæ vitæ morbis non attritus modo, sed etiam contritus, vix non succumbebat. Et tamen *in afflictione corporis sui*, quod idem Pontifex in diplomate Canonizationis addit, *usque adeo sibi mundum, séque mundo reddidit crucifixum, ut confidamus, Martyrum quoque eum merita obtinere sanctorum, quem confessionis ordine, & parsimoniâ vitæ, tam longum constat duxisse martyrium*.

S. Augustin. in cerei benedict.

Alexander III. in Bulla Canonizat.

Quidquid tandem sit de eximijs Scriptoribus, è S. Bernardi Instituto prodeuntibus: quidquid de maximorum virorum gloriâ, ex eodem Instituto in Ecclesiâ florescentium: quidquid de amplitudine Ordinis Cisterciensis, in tot alias Familias ac Congregationes transplantati, ac sub perpetuum Augustissimæ Cælorum Reginæ patrocinium acceptati; quidquid de virtutum præstantissimarum actibus, in heroico gradu ab eo exercitis: quidquid de consummatâ feliciter vitâ, & Animâ in Angelicos choros translatâ: quidquid de miraculis, tam in vitâ, quàm post mortem per ejus merita editis. Hæc omnia amplissima dicendi argumenta, dum prolixiori ampliùs sermone comprehendere tenuitas temporis prohibet; ita tamen altâ mente repono, ut aliâ occasione exhibeant patentissimum campum ad ulteriores flores, ac mellis liquores legendos. Apiastrum duntaxat statui inducere, qui *tantùm saperet, quantùm caperet*; & suâ escâ demonstraret scaturiginem, ex quâ Divi Bernardi melliflua suada promanaret. Neque enim ex tot cerificis, virgineis, operosis, argumentosis Apibus copiosè haustis, aliud ructari potest, quàm dulcis, virginea, sancta & Divina operatio, atque effluentia Divinorum charismatum inexhausta.

AMEN.



IN FESTO S. BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

LANIUS CRUDELIS
Der Blut begierige Dorndreer.

LEMMA.

Cruore notabilis ipso.

THEMA.

Cùm dies factus esset, vocavit discipulos suos: & elegit duodecim ex ipsis (quos & APOSTOLOS nominavit.) Lucæ 6. v. 13.

SYNOPSIS CONCIONIS XCIV.

Cùm Apostolicum Munus communiter Purpuratum, & Purpura *cruore notabilis ipso* resplendeat, sitque miris prærogativis Legati, Patris, Regis, Legislatoris, Judicis, Mediatoris, & Bellatoris *eminentissima*: S. BARTHOLOMÆUS tunc præsertim suspicitur S. Ecclesiæ Cardinalis, quando cruentâ suâ pelle tanquam Epomide insignitus honoratur.

344. S. Bartholomæus purpuratus Cardinalis.



Rata & distincta foret hæc mea oratio, si Josephum Authorem Græcum, cognomento *Humilem*, imitaretur: qui apud Lipomanum tribus præclaris epithetis *Sanctum BARTHOLOMÆUM* Apostolum ex nostro Ornithologico insignivit promptuario; vocans eum *Aquilam in altum volantem, suave canentem lusciniam, & cælestem cicadam.* Curiosa verò foret hæc mea oratio, si inter miras alcedinis dotes, non carnem à putredine præservatam, & delicato odore fragrantem; non nidum à fulminis ictu præcaventem; non plumas augentes peculium in marsupio, si apponantur; non cor, si è collo gestatur, ab omni veneno & necessitate hominem conservans: sed decoriatas ejus exuvias adducerem, quas aiunt nonnulli Ornithologi, quotannis nativâ virtute replumescere, & dimissis antiquis pennulis novas excludere. His, inquam, medijs rectè procederem ad S. Bartholomæi præconia: quem regijs natalibus ortum, quidam volunt inter Aquilas altè volantes suspicere; alij prædicationis officio velut Lusciniam suaviter canentem excipere; plerique velut cælestem Cicadam in oratione jugiter perseverantem observare: cujus insuper excoriata Pellis quotannis nova acquirit hoc festo die laudum præconia, velut pennas, quibus in altum evolat. Sed verò dimissis hisce dicendi ornamentis, occurrit hodie *Crudelis Lanius*, qui & rostri sui aduncitate, & invadendi indole, & discerpendi habitudine sanguinem duntaxat spirat, & decorticatas pelles inno-

Lipoman. 14. Aug.

nocentium avicularum comportat; purpureo madidus & recenti *CRUORE NOTABILIS IPSO*. Qui cùm propter sævitiam in cæteras aves ab Aristotele *Tyranni* nomen acceperit, non est, cur diutiùs de hujus *Lanij* symbolizatione inquiramus: nam primâ statim fronte *Tyrannidem* nobis objicit considerandam, quæ *cruore notabilis ipso* in excoriando *S. Bartholomæo* Apostolo omnem suam sævitiam exercuisse videtur; tantúmque effecisse, ut *S. Bartholomæus* cruento suo corio amictus, Cardinalitiam dignitatem primus fuerit auspicatus. Dum enim pro Christi amore tam sæva sustinuit tormenta, & pellem suam reliquit in contestationem sui Magistri, meruit non tantùm proprio cruore purpurari ad salutem, sed etiam cruore Christi rubescere ad authoritatem. Rectè enim S. Ambrosius ait: *Sanguis Christi purpura est, qui inficit Sanctorum animas, non solùm colore resplendens, sed etiam Potestate; quia Reges facit, & meliores Reges, quibus regnum donet æternum.* *Meritóque AD tantum ECCLESIÆ DECOREM, cui Christi sanguis irrutilat, Spiritus Sanctus inclamat: quàm pulchra & suavis facta es Charitas in delicijs tuis!* Videri potest ex hodierno Evangelio, Christum Cardinales suæ Ecclesiæ creâsse. *Cùm dies factus esset, vocavit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & APOSTOLOS nominavit*; & sicut oves in medium luporum, aut sicut alaudas in medium Laniorum misit, ut profuso varijs cruciatibus cruore Purpuram sui Apostolatûs acciperent, & Cardinalitiâ dignitate initiarentur. In quorum eminentissimo collegio præ cæteris hodie splendidiùs rutilare videtur *Purpuratus Pater S. BARTHOLOMÆUS*; de cujus corio aliquas portiones discindemus, demonstrando, quêis modis, coloribus & tincturis hæc Apostolorum & Apostolicorum Virorum Purpura resplendeat & exornetur. Non constabit vobis, Auditores, bona pelle, sed bonâ aure, in Nomine Jesu.

S. Ambros. in Psal. 118. Serm. 11.

345. Tyrannica crudelitas in Martyres

Rata esto Lanij crudelis cum Gentilium idololatricâ tyrannide, & Infidelium sævitiâ similitudo. Vivit enim non solùm ex scarabæis, papilionibus & grandioribus insectis, sed etiam avibus, more accipitris: occidit enim regulos, fringillas & turdos, picasq; sylvestres interdum jugulat, & cornices in fugam adigit. Aves autem, quas occidit, non unguibus, ut accipitres, volando perniciter assequitur; sed ex insidijs adoritur, & mox jugulum petit, craniúmque rostro comprimit & confringit. Ossa comminuta, & contusa devorat; & quando esurit, tantos carnis bolos in gulam ingerit, quantos rictûs oris angustia potest capere. Præter morem quidem reliquarum avium, quando uberior contingit præda, nonnihil in futuram penuriam reponit: muscas enim grandiores & insecta jam capta in aculeis figit, & in arbustorum spinis suspendit. Ferunt Ornithologi, plerumque hujates Lanios versari inter spinosos frutices, & cùm confident, caudam erigere; in ijsdem nidificare, fruticum & humilium arbustorum summis surculis insidere: *insanire novies de die*; & singulo mense horis viginti quatuor ægrotare morbo, à Germanis *S. Joannis lues*, ab Italis *malum terræ* appellato, quo tanquam mortui jaceant. Sed & multorum Aucupum est observatio, quòd Lanius insecta à se capta & aviculas veprium spinis infigat, & circumtorquendo occidat, simul etiam rostro laniet, & detractis exuviis devoret: ideoque dicatur *Enneactonos*, hoc est, Neun Tödter/ neun Mörder/ eò quòd singulis diebus novem alias volucres occidere credatur. Cæterùm cantillat, & varias avium modulationes imitatur latens in sepibus, ut aves ad se alliciat capiendas: nam alioqui parum valet volatu pernici, & ideo conatur in aëre sublimiùs volare super illas aves, quas capere conatur, ut illarum celeritatem varijs utens anfractibus impediat, donec defessas deijciat. Talis est Tyrannica Persecutorum Ethnicorum crudelitas,

Lanius exserta per Lanium symbolizatur.

Quam nec longa dies, PIETAS NEC MITIGAT ULLA,

S. Ovid. 2. Trist. 781.

Tametsi mille nocendi modis in insontes sæviat, & non novem duntaxat, sed novies novem de die hostias, imò no-

vies nongentas & nongenties millenas, immaniter cædat.

Bestia, stulta, rapax, crudelis, SANGUINE GAUDET,

Terrens voce, vorax, venatrix saltibus, ungue.

Nulli parcit; & si blanditur, dolosè blanditur, allicitque promissis, ut perimat. Insano æstro percita, si quos invenir hujus vitæ & nominis viros, suam exerit bilem, atq; irreconciliabili odio agitata *SÆVIT IN OMNES*, atque

Claudianus de Bello Gildon.

Instat terribilis vivis, morientibus heres,

Virginibus raptor, thalamis obscœnus adulter.

Nulla quies; oritur, prædâ cessante, libido,

Divitibúsque dies, & nox metuenda maritis.

Quisquis vel locuples, pulchrâ vel conjuge notus,

Crimine pulsatur falso, &c.

Ita Claudianus describit Tyrannidem pessimi Regentis, suos subditos opprimentis. Sed longè sævior & deterior est Tyrannorum immanitas, qui ad Christiani nominis persecutionem in carceribus & plateis erigunt lanienas, ut occidant & mactent; atque innoxio sanguine tingant constantissimorum Martyrum corpora, ut eo Purpurata adornetur horum invictissimorũ Athletarum Majestas. S. Gregorius Nazianzenus Christianorum Martyrum fortitudinem, longè alijs quibuscunque generosissimis factis anteponit: *Quia cum igni & ferro, & belluis & tyrannis, & præsentibus malis & denuntiatis, alacri animo velut in alienis corporibus, imò quasi corporum expertes dimicârunt, ne pietatem vel verbo tenus proderent.* Et mirabile sanè Divinæ virtutis specimen fuit, vasa testea, opus manuum figuli, in tam potenti collisione non fuisse confracta. Horrendum enim vel lectu est, quæ & quàm dira Sancti Martyres, molliter plerumque enutriti, imò puellæ interdum ac virgunculæ sustinuerint, ne Fidei Christianæ puritatem quoquo modo temerarent. *Quæ pœnarum genera non novimus*, ait S. Gregorius Magnus, *quæ non jam vires martyrum exer-*

S. Greg. Naz. orat. 3.

S. Greg. Mag. l. 12. moral. c. 13.

cuisse gaudemus? Alios namque improviso ictu immensus jugulo gladius stravit: alios crucis patibulum afflixit; in quo & mors provocata repellitur, & repulsa provocatur: alios hirsutis serra dentibus attrivit: alios armato ferro insultans ungula carpsit: alios belluina rabies morsibus detruncando comminuit: alios ab intimis viscerum per cutem pressa vis verberum rupit: alios effossa terra viventes operuit: alios in altum demersos, in mortem præcipitium fregit: alios in se projectos, aqua replendo absorbuit: alios edax flamma usque ad cineres depasta consumpsit. Hæc & his similia, aut diriora, sunt tyrannicæ crudelitatis argumenta, quibus Christi Confessores profuso cruore purpuravit, & Purpuratorum Patrum collegio associavit. Hæc Purpura præsertim *Apostolos*, quos hodie *vocavit, elegit* & *nominavit* tales Dominus, Reges fecit, & meliores Reges, quibus regnum donavit sempiternum. Hæc S. Bartholomæum invictissimũ acerbissimis cruciamentis dũ dilaniat, regio pingit & tingit colore *AD ECCLESIÆ DECOREM*, cui sanguis Christi irrutilat.

Vocavit discipulos suos & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit. 346.
Nemo sibi persuadeat, *Apostolum* vocari, eligi aut nominari, idem esse ac invitari ad epulas, aut ad sæculi hujus deliciosa culcitra applicari. Erat omnino res maximi & difficillimi momenti, & supremi muneris; dum ipsemet Servator vivæ vocis oraculo suos Electos duodecim non aliter invitavit ad Apostolatûs eminentiam & Purpuræ dignitatem, quàm *per lanienam. Hæc omnia*, inquit, ejectiones scilicet ex urbibus, incarcerationes, despectus, cruciatus, persecutiones, mortes & hujusmodi, *vobis facient propter me.* Et quidam ipsa vox *APOSTOLI*, si in cortice spectetur, idem est quod *Missus* sive *Legatus*: ut propterea S. Justinus Christum appellet Apostolum; qui dum multas conspipat Scripturas, sic inter alia scribit, [Est autem sermo Dei Filius ipsius, „sicut jam diximus, idem & Angelus „vocatur & Apostolus. Is enim nuntiat, „quæ sciri oportet, & mittitur ut afferat „nuntiũ, sicut ipse Dominus noster ait: „*Qui me audit, audit eum, qui misit me.*]

Apostolorũ vocatio, munus & qualitas.

S. Justinus Apologet. ad Anton. sub initium.

Imi-

Hebr. 3. v. 1. Imitatus est Justinus S. Paulum, qui Christum, quòd à Patre sit missus, *Apostolum Confessionis nostræ* nominat, atq; ideo noluit se inscribere Apostolum ad Hebræos, quòd Christum eorum Apostolum agnosceret. Eam vocis notationem spectavit Tertullianus, dicens, Christum duodecim præcipuos discipulos lateri suo adlegisse, destinatos nationibus magistros; significans, eos à Christi *Latere Legatos* ad erudiendum mundum regendúmq;, ac *missos*, sicut Pater Christum misit. Hos proinde *duodecim* Christus nominavit *Apostolos*, tanquam intimos suorum consiliorum Executores; ad distinctionem *Discipulorum*, quibus muneris Apostolici aliqua tantùm participatio concredita est. Præmittebantur enim discipuli à Christo in omnem civitatem & locum, quò erat ipse venturus: utique ut annuntiarent ipsi pro suo modulo, appropinquare ad eos, quos adibant, Regnum Dei. Quam in rem, aliquam etiam pellendorum dæmoniorum & curationum communicatam ijs esse facultatem, ex eorum redeuntium gaudio per Christum compresso discimus. Apostolis autem & potestatis miraculorum, & potestatis prædicandi, commissa est plenitudo; atque insuper collata eminentissima Authoritas tanta, quanta ad Ecclesiæ à Christo institutæ propagationem, ac directionem internam & externam poterat conferri. Quia verò nemo potest alijs commodare, nisi primùm ipse & ante omnia bonus sit; idcircò consequenter ad munus suum, SS. Apostoli egregiè sunt dotati opportuno tempore supernaturalibus donis, quibus homo in seipso valdè perficitur. Acceperunt in intellectu tam insignem fidem, & divinarũ rerum notitiam tam extensam, quantam nemo posterorum est assecutus: usque adeò, ut graves Theologi confirment, errorem esse, arbitrari quempiam posterorum plura de Divinis rebus aut perfectiùs novisse, quàm Apostolos. In voluntate eximiæ spei & charitatis, & moralium virtutum infusarum dotibus sunt exornati; quibus commensurata gratia velut essentia, & principium radicale correspondebat. Directè verò per ordinem ad bonum aliorũ, collata est ijs potestas prædicandi, potestas patrandi miracula, & plenitudo gratiarũ gratis datarũ; facultas insuper dispensandi Sacramenta, condendi leges, præficiendi Ecclesiasticos Ministros; ac deniq; quidquid ad bonam Ecclesiæ administrationem, & Fideliũ directionem, Deique gloriam pertinere poterat, quod potestate ordinis & jurisdictionis comprehenditur: quarũ utramque in Apostolis oportuit esse plenissimam. Et idcirco omnes Episcopalem sortiti sunt dignitatẽ, omnes universalem acceperunt jurisdictionem in universũ mundum: & quidẽ omnes à Christo *immediatè*, quamvis in solo Petro fuerit ordinaria cum jure transfusionis ad successores, ac etiam (quantùm probabile est) cum jure restrictionis ac suspensionis in alijs per Petrum, si fors tulisset ita esse necessarium. Expresso compendio insignia comprehendit S. Cyprianus ad rem præsentẽ documenta. [Quamvis Apostolis omnibus post Resurrectionẽ suã parem potestatem tribuat, & dicat: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: accipite Spiritum S. Si cui remiseritis peccata, remittuntur illi: si cui tenueritis, tenebuntur.* Tamen ut virtutem manifestaret, unam cathedram constituit, & unitatis ejusdem originem ab unò incipientem, suã authoritate disposuit. Hoc erant utiq; & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis; sed exordium ab unitate proficiscitur. Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur. Et Pastor sunt omnes, sed grex unus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur.] Quòd si verò Apostolus secundùm nominis etymon significet *Missum*, jam nemo ampliùs miretur, eos *laniena* esse traditos, & profuso cruore Purpuratos; ita enim prædixit illis Servator: *Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum*, aut sicut alaudas in medio *Laniorum*.

S. Cyprianus l. de unitate Eccl.

Matth. 10. v. 16.

347. Apostoli quomodo rectè dicantur Patres.

Elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos vocavit; hoc est, *Patres*, & quidem Par-

Purpuratos. Verè munus Patris importat Apostolatus; ipseq; Apostolus profitetur, se genuisse aliquos per Evangelium, & eorum non pædagogum sed Patrem fuisse. Illud etiam Psaltis, *dedit dona filijs hominum*, Tertullianus de filijs Apostolorum tanquam spiritualium Patrum exponit. Sic pari ratione apud Prosperum in egregio panegyrico Episcopatûs, Episcopi dicuntur *Patres Regeneratorum in fide Catholica.* Non nego, & Apostolos & gnavos Antistites nomen Patrum nostrorum esse sortitos; & extendi etiam eam appellationem aliquando ulteriùs ad quoscunque collaborantes Evangelio, non gravatè admitto: verùm ea Paternitas non est nisi ministerialis, quæ cum summo illo ac præcipuo jure, quo Deus Pater noster audit, nequaquã colliditur. Vnde in Breviculo collationis diei tertiæ, disertè dicitur, *Patrem ad fidem salutemq́, æternam, non esse nisi Deum*; honorificentiæ autem causâ propter Evangelicũ ministerium, quod dispensabat, Apostolum dixisse se Patrem, cùm profitebatur: *Quia per Evangelium ego vos genui.* Et in omni quidem rigore, quotquot Deo filios per doctrinam sanam & irreprehensibilẽ procreant, possunt eorũ *Patres* dici. Id quod etiam Philosophis ex usu fuit; apud quos, juxta Clementem Alexandrinum, *erudire* erat *generare.* Verùm licèt in rigore acceptũ nomen *Patris Ecclesiæ* in quosvis Ecclesiasticos Doctores cadat; usus tamen receptus non fert, ut quicunq; Sacri Doctores nomine *Patrum Ecclesiæ* insigniantur: sed necesse est, eos & antiquitate & doctrinæ abundantiâ præcellere, nec esse minutiloquio Scholastico addictos. Idcircò enim *Doctores*, qui *Scholastici* dicuntur, inter Patres Ecclesiæ non numerantur; quia neque adeò antiqui sunt, neque tam solidæ doctrinæ, qua præcelluerunt, neque simplicitatẽ tenuerunt, quæ à philosophico scribendi modo esset aliena: quin potiùs eo acumine & Philosophorum propriâ spinositate scripserunt, adhibitâ accuratione metaphysicâ & dialecticâ, ut eorum doctrina aliud non esse videatur, quàm Philosophia Christiana; ab illa quidem inani Philosophia, quam Apostolus sugillabat, longè differens; sed tamen etiam longè alterius rationis, quàm sit scribendi modus à Patribus adhibitus, subtili & philosophico minutiloquio vacuus, plenior q; majestatis & dignitatis. Cæterùm verò hæc quæcunq; *Patrum* denominatio Apostolis in excellentiori gradu conveniens, rectè derivatur à Christi Paternitate per Baptismũ in regeneratos filios comunicatâ; ut S. Macarius perpulchrè expressit his verbis. [Dominus noster Iesus Christus de humanâ salute sollicitus, dispensationẽ omnẽ studiũ'q; à principio, Patrũ, Patriarcharũ, Legis ac Prophetarũ ministerio peregit: postremò etiam ipse veniens, spretâ crucis ignominiâ mortem pertulit, totúsq; labor ille & studium in eo fuit, ut ex seipso, è suâ ipsius naturâ procrearet Filios è Spiritu superno; pergratũ habens, si nascerẽtur è sua Deitate. Et quomodo Patres carnis, nisi genuerint, anguntur; sic etiam Dominus, qui dilexit hominũ genus ut propriũ sanguinem, voluit eos ex ipso semine divino producere. Si qui ergo venire recusaverint ad talem generationẽ, & de ventre Spiritûs Divini nasci, dolorẽ non modicũ suscipit Christ, qui illorũ causâ passus est, ac mortem pertulit, ut eos servaret. Omnes enim homines vult Dominus hanc nativitatem adipisci, quia mortuus est pro omnibus, omnésque vocavit ad vitam. Vita autem est desuper ex Deo generatio, sine quâ vivere nequit anima; ut inquit Dominus: *Nisi quis renatus fuerit desuper, non potest videre regnum Dei.* Vt è diverso, quicunque Domino crediderint, & accedentes nativitatem hanc consecuti fuerint, gaudium & exultationem summam in cælis ingerunt parentibus, qui eos genuerunt. Cuncti denique Angeli sanctæque Virtutes lætantur de anima, quæ de Spiritu nata est, & effecta Spiritus.] Porro quod Christo Patri regenerationis nostræ contigit, dum à filio perditionis traditus est in manus peccatorum & persecutorum; idipsum fre-

Tertullianus l. 5. in Marc. c. 8.

S. Prosper l. 2. de vita cont. c. 2.

In Brevic. collationis diei tertiæ.

Clemens Alex. l. 1. Strom. & l. 5. c. 4.

S. Macarius hom. 30.

frequenter experiuntur Patres spirituales & Apostolici, ut ab ijs sustinere debeant tribulationes & lanienas, quos aliquando in Christo a se generatos fuisse gavisi sunt, licèt postea cum Juda proditore abierint in locum suum.

548. Apostoli qua ratione sint Legati Christi. *Elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos vocavit*; hoc est, *LEGATOS*. Hujus nomenclationis elegans testimonium reddit Paulus; qui dum præfaretur, datum Ordini suo ministerium reconciliationis, audacter postmodum subdit. *Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* (2. Corinth. 5. v. 20.) Quibus verbis Paulus Apostolatum suum, & cæterorum omnium, pronuntiat vicarium esse Apostolatus Christi. Certè Apostolatum Christi pro Patre celebravit Paulus in Epistola ad Hebræos, verbis illis: *Considerate Apostolum & Pontificem confessionis nostræ Jesum; qui fidelis est ei, qui fecit illum.* (Hebr. 3. v. 1. & 2.) Ad quæ verba S. Anselmus observat, meritò in fronte hujus Epistolæ ad Hebræos tacuisse Apostolum solitam epigraphem: *Paulus Apostolus.* Quòd enim sciret, Christum Hebræorum Apostolum fuisse, non ausus est sibi titulum *Apostoli* ad eosdem Hebræos arrogare: *Partim propter honorem*, ut scribit Clemens Alexandrinus, *quem Domino Hebræorum Apostolo tribuebat; partim ne, cùm gentium præco & Apostolus esset, præter officium ad Hebræos scribere videretur.* (Clemens Alexand. in lib. Hypotyposeon, apud Eusebiũ. l. 6. hist. c. 14.) Potuit etiam juvare ratio, quam ex se Clemens præmiserat: nempe exacerbatio Judæorum in Paulum, ob quam nihil fuisset profecturus scribendo, si nomen suum & Apostolatum fronti Epistolæ inscripsisset. Et fuit quidem principaliter Christus Legatus, & Apostolus Hebræorum; prout confirmant illa Christi verba, quæ in hanc rem creditus Anselmus ad cap. 2. Epistolæ ad Hebræos profert: *non sum missus, nisi ad oves, quæ perierant domûs Israël.* Concinunt item illa Pauli: *Dico, Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis, ad confirmandas promissiones Patrum.* (Rom. 15. v. 8.) Promissus enim fuerat antiquis Patribus Divinus hic Legatus, qui cum hominibus divina arcana communicaret, & negotium salutis humanæ cum Patre mediator conficeret. Interim verò, quia Apostolorum tanquam Christi Vicariorum, & ipsius Christi idem est Apostolatus; æquè ac Episcopi, & Vicarij idem est tribunal; Pauli autem & cæterorum, qui gentibus veritatem Dei annuntiârunt, Apostolatus transgressus finibus Hebræorum ad gentes quoque pervasit: non immeritò Christus Gentium quoque, atque adeo universalis confessionis nostræ Apostolus celebratur. Clarissimè S. Joannes Chrysostomus proposita Pauli verba expendit, & glossat sic. (S. Chrysostom. hom. 11. ad 2. Corinth.) [Misit Filium „Pater exhortari, & legatione fungi „apud humanum genus pro se. Quo-„niam autem ille occisus abijt, nos „legationem suscepimus, & pro illo & „Patre exhortamur vos. In tantum „honorat humanum genus, quòd & „Filium impendit, quamvis sciret oc-„cidendum, & Apostolos nos propter „vos fecit: Et ita meritò dicebat, *om-„nia propter vos.* Igitur *pro Christo le-„gatione fungimur*, hoc est, *illius loco.* „Nam nos, quæ illius officij sunt, su-„scepimus. Si autem magnum tibi „hoc esse videtur, audi & sequentia, „per quæ monstrat, quòd non solùm „pro illo, sed & pro Patre hoc faciant. „Nam propter hoc & subdidit: *tan-„quam Deo exhortante per nos.* Non e-„nim per Filium suum exhortatur so-„lùm, sed & per nos, qui Filij opus su-„scepimus. Ne igitur putetis, inquit, „quòd à nobis rogemini; ipse Christus „vos exhortatur, & obsecrat.] Quòd si autem *Legati* sint *Apostoli*, iterùm adverto, ijs deputatam esse Lanienam; quando circa ipsorum personas explera est ipsius Salvatoris lamentatio, ad civitatem Jerosolymitanam profusa: *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt*; (Matth. 23. v. 37.) dirisque afficis cruciamentis, Legatos meos, nuntios pacis, mediatores salutis!

349. Apostoli sunt Reges terræ. *Elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos vocavit*; hoc est, *REGES*. Neque enim Christo Regi nostro hac in terra

parte deest ornamentum illud, quod Rex Assyriorum iniquè sibi & impudenter arrogabat: *nunquid non principes mei simul Reges sunt?* Principes, inquam, regni Christi, quos adsciscit in Regiminis partem (non ex necessitate, ut Reges temporales assumunt præfectos; sed ex benignitate, & ad regni majestatem ac decorem ampliorem) simul Reges sunt, eóque nomine donantur in Psalmis; ubi post descriptam columbam deargentatam, sive Ecclesiæ Regnum, addit David: *dum discernit Cælestis Reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon.* Comentarius D. Augustini in ea verba, est hoc „loco appositissimus. [Ille, inquit, su„percælestis, ille qui ascendit super „omnes cælos, ut adimpleret omnia, „dum discernit Reges super eam, id „est, super eandem columbam deargentatam; sequitur enim Apostolus, „ac dicit: *Et ipse dedit quosdam quidem „Apostolos, quosdam autem Prophetas, „quosdam verò Evangelistas, quosdam „autem Pastores & Doctores.* Nam quid „est aliud, reges discernere super eam, „nisi in opus ministerij, in ædificatio„nem corporis Christi, quandoqui„dem ipsa est corpus Christi? Dicun„tur autem illi Reges, utique à regen„do. Et quid magis quàm carnis con„cupiscentias, ne regnet peccatum in „eorum mortali corpore ad obedien„dum desiderijs ejus, sed exhibeant „membra sua arma justitiæ Deo? Sic „enim erant Reges primitus discreti „ab alienigenis, quia non erant jugum „ducentes cum infidelibus: deinde di„screti concorditer inter se muneribus „proprijs. Non enim omnes Apostoli, „aut omnes Prophetæ, aut omnes Do„ctores, aut omnes dona habent cu„rationum, aut omnes linguis loquun„tur, aut omnes interpretantur. Om„nia autem hæc operatur unus atque „idem Spiritus, dividens propria uni„cuique, prout vult: quem dando ille „supercælestis discernit Reges super „columbam deargentatam.] Alia autem est Origenis illatio super illud: *Vos autem genus regale, sacerdotium magnũ, „gens sancta.* [Si ergo, inquit, illos „dicunt Reges, qui per Verbum ipso„rum crediderunt, quantò magis ipsi „Reges habendi sunt, qui faciunt Re„ges? Sed & inde facilè colligitur. Si „enim reges à regendo dicuntur, om„nes utique qui Ecclesias Dei regunt, „Reges meritò appellabuntur: multò „autem rectiùs illi, qui & illos ipsos di„ctis atque scriptis suis regunt, à qui„bus reguntur Ecclesiæ. Et propter „hoc meritò Dominus *Rex Regum* di„citur. Nisi enim & isti, & cæteri, qui „eos imitantur, Reges fuerint, ille non „videbitur Rex Regum. Sed & ipse „Apostolus Paulus Corinthijs scribens, „& velut per quandam ironiam corri„piens eos, ait: *Sine nobis regnatis, & „utinam regnetis, ut & nos vobiscum „regnemus.* In quo utique reges qui„dem debere esse Corinthios, & semet„ipsum cum ijs regnare velle pronun„tiat, sed elationem nondum pro me„rito assumpti honoris incusat. Fo„diunt ergo ijs omnes puteum istum „Principes, & excudunt eum Reges „gentium; Apostoli enim præcipuè sunt „Reges gentium, qui gentes ad obedi„entiam fidei congregarunt, & Christi „scientiam omnibus patefecerũt.] Sed neque hi Reges à vinculis & carceribus, à cruciamentis & lanienis tyrannorum erant immunes, quando nunquam non parata tenet vincula Crudelitas *Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis.*

Isa. 10. v. 9. — *Psal. 67. v. 15.* — *S. August. in Psal. 67.* — *Origenes hom. 12. in Num.* — *Psal. 149. v. 8.*

350. Apostoli sunt nostri Legislatores, Iudices, Mediatores, Bellatores.

Elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos vocavit; hoc est, *LEGISLATORES.* Nam ex varijs actionibus Apostolorum manifestè habetur, eos ita se agnovisse Christi Ministros, & dispensatores mysteriorum Dei, ut tamen simul agnoscerent, se non esse donatos nudo ministerio annuntiandi Evangelium; sed insuper sortitos à Christo esse potestatem jubendi, quæ essent ad salutem fidelium necessaria, & castigandi noxios atque infideles. Hinc Apostoli Actuum 15. mandant abstinentiam à certis cibis, relaxantes cætera onera. Et Paulus 1. Corinthiorum 5. vetat convictum cum ijs, qui indignè Christianâ professione se gererent;

rerent: qui etiam alibi dicitur jussisse custodire præcepta Apostolorum, & Seniorum. Et rursus alibi comminatur, se in virgâ venturum, nec parciturum, & in promptu habere ulcisci omnem inobedientiam. *Quos & Apostolos vocavit*; hoc est, JUDICES: nam hujusmodi electis Veritas dixit. *Vos qui secuti estis me in regeneratione, cùm sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Neq; enim solùm Dominus judicat, cui omne judicium dedit Pater; sed constituit sibi etiam alios Principes, qui judicent Populum de minoribus causis; verbum autem, quod gravius fuerit, referant ad ipsum: neque solùm de minoribus judicabunt causis, sed easdem etiam causas approbando decident, quas Christus attinget. Proinde fateri cogimur, honorariam esse participationem judiciariæ Christi potestatis, qua personæ illæ à Christo assumantur ad simul ferendam sententiam; ita ut intelligant ij, in quos fertur, sibi talem sortem cum Iudicis decreto, tum cæterorum ejus Assessorum suffragatione atque sententiâ obtingere. *Quos & Apostolos vocavit*; hoc est, *MEDIATORES*: licèt enim unicus, verus, & immediatus Mediator inter Deum & Humanum genus sit Christus; Apostoli tamen rectè Mediatorum nomine audiunt, & eos S. Bernardus tali charactere insignivit. [Hi, inquiens, traditi sunt in Magistros & in „*Mediatores*, quibus securè me committere possim; quia & notas mihi „fecerunt vias vitæ, & mediantibus „illis ad illum Mediatorem ascendere „potero, qui venit pacificare per sanguinem, & quæ in cælis, & quæ in „terris sunt.] *Quos & Apostolos vocavit*; hoc est, *BELLATORES*: nam specimen Pugnatorum Christi fuerunt Apostolorum Principes, quos ex strage in Impijs aditâ & *CRVORE NOTABILES IPSO*, esse divinâ purificatione mundatos, Origenes egregiè tradit, cùm varia purificationum genera à Moyse proposita discussisset. [Quis „nobis, inquit, enarrare poterit, quæ „sint purificationes, quæ parentur „Paulo vel Petro, vel alijs horum similibus, qui tantùm pugnaverunt, tot „gentes barbaras deleuerunt, tot hostes prostrauerunt, tanta spolia, tot „triũphos cœperunt: qui cruentis manibus de cæde hostiũ redeunt, quorũ „pes tinctus est in sanguine, & manus „suas laverunt in sanguine peccatorum? Interfecerunt quippe in matutinis omnes peccatores terræ, & „imaginem eorum exterminauerunt „de Civitate Domini. Vicerunt quippe, & exterminaverunt diversas Dæmonum Gentes. Nisi enim vicissent „eas, non potuissent capere ex eis captivos, omnem hunc credentium numerum, & perducere eos ad obedientiam Christi, & subdere eos jugo „ejus suavi, & imponere eis onus ejus „leve. Quis ergò ita beatus est, qui „succedat eis in his prælijs, & interficiat omnes Madianitas, & justificetur ex sanguine eorum?] Quæ omnia munera cùm importent Apostolica nominatio, electio, & vocatio; simul etiam Purpuratos Apostolos exponunt Bellatores cædibus, Mediatores discriminibus, Judices judicijs, & Legislatores rebellionibus atque oppositionibus, spirantibus cruorem.

Matth. 19. v. 28.

S. Bernardus serm. 1. de SS. Petro & Paulo.

Origenes hom. 15. in Num.

351. Apostolici du. denarij cong. ff. plurimi ty. pi.

Hæc omnia quidem de Cardinalitia dignitate liberaliter congesta sunt encomia, quæ Apostolica Sublimitas quoad suas prærogativas importat: sed verò cùm Cardinalibus in Ecclesia Viris etiam conferat *Eminentissimi* prædicatum, hinc restat, ut Apostolorum Eminentiam probroso silentio non prætereamus. *Eminentissimum* ijs prædicatum S. Hieronymus tribuit, dum Apostolos appellat *Principes disciplinæ nostræ, & Christiani dogmatis duces*: si quis tamen Apostolici muneris finem penitius inspexerit, & ad ea animum adjecerit, quæ SS. Patres de Apostolicæ dignitatis majestate ejusque amplitudine censuerunt, eorum decora in gloriosissimâ quâdam *Eminentiâ* contineri profitebitur. Vnicum hîc juvat adducere, & imitari Callistum Papam, qui *Apostolicam eminentiam* tersissimo prosequitur stylo; secundùm quem isti

S. Hieronymus l. 1. contra Iovinianum.

Callistus Papa serm. de vigil. S. Laurentii.

isti Apostoli prædicantur esse sal terræ; isti lux mundi, turres fortitudinis Dei, testes veritatis, radij veri Solis, milites cæli, nuntij regis summi, fenestræ nitidæ veri luminis, valvæ poli, claves regni, montes excelsi, tubæ Olympi, præcones Christi, prudentes serpentini, simplices columbini, agni novelli, arietis Nabaoth, veri cæli gloriam enarrantes, veri patres, sæculorum judices, labrum ablutionis animarum, aurum & argentum divinum, scripturæ divinæ thesauri, corbona veritatis & novi Testamenti, manna etiam Domini, pedes Christi, oculi Dei, & mammæ Ecclesiæ. De quibus verè per Psalmistā dicitur; *Cæli enarrant gloriam Dei.* Ij sunt cæli, in quibus Christus habitat & residet, in quibus verbis mitibus tonitruat, miraculis fulgurat, gratiâ rorat. Ij sunt duodecim horæ noctis mundanæ, & duodecim radij solis. Isti magnis mysterijs multisque figuris & argumentis, antequam etiam non essent in mundo, præsignantur per *duodecim* filios Jacob; per *duodecim* Principes, *duodecim* tribus Israël; per *duodecim* fontes viventes in Helim, scilicet in deserto; per *duodecim* lapides in rationali Aaron insculptos; per duodecim panes propositionis; per *duodecim* lapides, ex quibus factum est altare; per *duodecim* lapides sublatos de Jordane; per *duodecim* boves, qui sustinebant mare æneum; & per *duodecim* stellas, quæ ponebantur in corona alicujus sponsæ; per *duodecim* signa cæli; per *duodecim* menses anni; per *duodecim* Romæ Senatores; & per *duodecim* Sapientes ostenduntur. Et si hæc nondum sufficiant, restant in mysticam hanc eminentiam commendandam, juxta Tertullianum, *duodecim* fontes Elim, & *duodecim* gemmæ in tunica sacerdotis Aaron: juxta Justinum, duodecim tintinnabula dependentia è Pontificis stola; juxta Anastasium Sinaitam, *duodecim* signa Zodiaci, in Ecclesiæ cælo, sub Sole Christo: juxta Zenonem Veronensem, duodecim horæ diei à Sole Christo signatæ; juxta S. Augustinum, *duodecim* dentes Ecclesiæ, quorum authoritate ab errore gentilium variorúmque dogmatum præciduntur credentes, & in mysticum Christi corpus transferuntur: juxta S. Hilarium, *duodecim* oculi Ecclesiæ, lucidi & simplices, corpore toto lucido his simplicibus mansuro; juxta S. Augustinum iterùm *duodecim*, sagittæ electæ divini arcûs, & ardentes ad penetranda corda hominum: juxta S. Ambrosium, *duodecim* currus & equi Christi, evangelizando commoventes aquas multas, hoc est, populos multos; juxta Clementem Alexandrinum, *duodecim* pedes S. Evangelij, exeuntes in omnem terram, & odorifero Divinæ doctrinæ unguento delibuti: juxta Nyssenum, *duodecim* capilli seu cincinni capitis Christi, pariter & decori, & ad persecutionum indolentiam dispositi: juxta Eucherium, *duodecim* montes æterni, virtute stabiliti, & meritis sublimati, mirabilitérque illuminantes: juxta Origenem, *duodecim* nubes cæli, quibus mandat Deus pluere, cùm oportuerit, aut non pluere super vineam sine fructu; & in quibus Filius hominis ad judicandum veniet: juxta Prosperum, *duodecim* viri electi, à Josue ad terram Promissionis dividendam missi: juxta Blessensem, duodecim Leones de throno Salomonis, ad nullius occursum paventes; juxta Cyrillum, *duodecim* panes propositionis, ad pietatem nutrientes, verba vitæ præbentes, & ignorantiæ famem de animis credentium depellentes. In novo etiam Testamento, significantur Apostoli per *duodecim* cophinos fragmentorum; & per *duodecim* nomina, quæ Joannes in Apocalypsi vidit scripta supra portam Jerusalem; & per *duodecim* fundamenta, ejusdem urbis. His aliisque ex utroque Testamento petitis, & ad Apostolos translatis typis eorum dignitatem atque eminentiam celebrant Patres, recolentes actionem, quâ Christus *elegit DUODECIM ex ipsis.*

Psal. 18. v. 1. — *Tertullianus l. 4. c. 13.* — *S. Justinus Dialog. cum Tryphone.* — *Anastasius l. 4. de contempt. in hexam.* — *Zeno serm. 1. de Paschate.* — *S. August. in Psal. 6.* — *S. Hilarius in Psal. 118.* — *S. August. in Psal. 7.* — *S. Ambrosius serm. 4. in Psal. 118. v. 8.* — *Clemens Alexandrinus 1. pædag. c. 8.* — *Nyssenus hom. 13. in cant.* — *Eucherius hom. 3. in Dedic. Eccl.* — *Origenes tract. 35. in Matth.* — *Prosper p. 2. de promiss. c. 13.* — *Blessensis serm. 25.* — *Cyrillus l. 16. de adorat.*

352. Citra typos Apostolorum eminentiam ac dignitatem cùm celebrant Sancti Patres, in id unanimiter collimare videntur, ut ostendant, quòd Apostoli omnibus alijs Sanctis, quantumcunque præ-

Apostolica eminentia dignitas expensa.

prærogativa virginitatis, martyrij aut doctrinæ præfulgeant, sint præferendi; tanquam ij, qui abundantiùs gratiam & Spiritum Sanctum acceperint. Ex Patribus unicum adduco Proclum Constantinopolitanum; qui post floridissimè & comptissimè descripta horum, ut vocat, intellectualium Piscatorum instrumenta, concludit. [Nihil in vita est, quod Apostolorum gratiæ comparari possit. Multa quidem vidit humana vita miranda, quæque hominum captum excedunt. Vidit jam effusum clamare sanguinem, & sine lingua clamitare necem.] Ubi percurrit omnia insigniora prisci ævi mirabilia; & addidit. [Nihil unquam tale fuit in hac vita, quales Apostoli. Deo Verbo serviêre: palpavêre eum, qui nullâ unquam est figurâ affectus: eum, qui ubique existit, secuti sunt ambulantem: ejus audiêre vocem, qui verbo cuncta creavit: venati sunt linguâ mundum, verbo terminos terræ circuierunt; evulsêre fraudem quasi zizaniam, extraxêre ut spinas aras, mortua reddidêre idola ut bestias, conjecêre ut lupos in fugam dæmones, congregavêre Ecclesiam ut gregem, collegêre Orthodoxos ut frumentum, dispersêre hæreses ut paleam, exsiccavêre Judaismum ut herbam, combussêre gentilitatem ut sylvam, cruce aravêre terram, verbum quasi frumentum disseminavêre, omnia quasi astra lucem ferentia illustravêre: quare ad ipsos clamabat Dominus, *Vos estis lux mundi.* Oriens est vobis virgineus partus, diluculum baptismatis est uterus, splendor ipsius Crucifixi gratia, radij sunt admirabiles linguæ, dies futurum est sæculum, meridies crucis est hora, occidens sepulchri est habitatio, vespera mors est temporanea, fulgor è mortuis est resurrectio. *Vos estis lux mundi.*] Hæc quidem eleganter & copiosè Proclus de eminentia Apostolorum disserit; sed verò S. Thomas, Doctor Angelicus, præter sobrietatis & modestiæ suæ morem strinxit censuram severam in eos, qui quemcunque Sanctum novi Testamenti cum Apostolis compararent. Assumit autem illum textum Pauli, *sed & nos ipsi primitias Spiritûs habentes*, & exponens, cur Apostoli dicti sint habere primitias Spiritûs; id scriptum esse ait, [*Quia Spiritum sanctum & tempore prius, & cæteris abundantius Apostoli habuerunt: sicut & in fructibus terræ, illud quod primò ad maturitatem pervenit, est pinguius & magis acceptum.* *Hieremiæ 2.* Sanctus Israël Domino, primitiæ frugum ejus. *Hebr. 12.* Accessistis ad Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cælis. *Ex quo patet, quod Apostoli sunt omnibus alijs Sanctis, quantacunque prærogativâ præfulgeant, sive virginitatis, sive doctrinæ, sive martyrij, præferendi tanquam abundantiùs Spiritum Sanctum habentes.*] Addit verò rationem Doctor Angelicus hujus rei luculentam, petitam ex Apostolico munere, ratione cujus acceperunt gratiam uberiorem & fortiorem, quàm ullus purus homo, demptâ Deiparâ. Electi enim sunt, ut doctrinam immediatè à Christo haustam in alios transfunderent, essêntque quodammodò Ecclesiæ fundamenta. Unde quamvis aliqui Sancti plura, & acerbiora sustinuerint, quàm Apostoli; quia tamen mensura meriti est charitas, qua divinitùs excitati Apostoli præ omnibus alijs propter propositi muneris celsitudinem fuerunt; hinc liquet, neminem, quantùm & quomodocunque conetur, posse ad sublimitatem meritorum, atque adeo gratiæ & sanctitatis Apostolicæ *Eminentiam* pertingere.

S. Proclus in orat. panegyr. de S. Andrea.

S. Thomas lect. 5. in c. 8. ad Rom.

Dum crudelissima tormenta pro Christi nomine usque ad excoriationem cruentam, à Polymij Regis fratre Astiage illata, in majori Armeniâ generosissimè sustinet S. Bartholomæus; veniam precor ab hoc Purpurato Christi Martyre, & Ecclesiæ Cardinale, si ita longè in Apostolici Nominis & Muneris explicandum etymon sim digressus, ut & cruenti Lanij, & crudelis Lanienæ, & dilaniatæ pellis sim oblitus. Ita enim urgebat præsentis negotij ratio, ut ex S. Bartholomæi Purpura tincturas derivarem in Eminentissimorum Cardinalium Epomides; quibus hi

hi Maximi Ecclesiæ Præsules admonentur semper parati vivere, pro Religionis defensione sanguinem in occurrente necessitate fundere. Cæterùm à S. Bartholomæo vel ideo veniam promerebor, quia tractando de Apostolico decore in comuni, S. Bartholomæum cogitavi prædicare in particulari: neque enim moveri potest torques aurea vel gemmea corona, nisi singula membra aut singulæ gemmæ trahantur. Verissima est enim Petri Damiani ad præsentem epilogum determinatio: *Ita est omnis Apostolici Culminis Beatitudo conjuncta, & tot gratiarum compage vel glutino probatur unita, ut cùm eorum unius festivitas colitur, protinus omnium Apostolorum non diversa sublimitas interioribus obtutibus ingeratur. Una scilicet inter eos excellentia judiciaria potestatis, eadem dignitas ordinis, nec diversa in ligando sive solvendo virtutis habetur authoritas.* Petrus Dam. serm. 2. de S. Bartholomæo.

A M E N.

IN FESTO SANCTI AUGUSTINI

Episcopi & Ecclesiæ Doctoris, & Antiquissimi Ordinis Fundatoris.

ANAS PERSCRUTABUNDA.

Die Grundforschende Wild-Endten.

L E M M A.

Profunda quoque scrutatur.

T H E M A.

Venite & videte opera Domini, quæ posuit Prodigia super terram. Psal. 45. v. 9.

SYNOPSIS CONCIONIS XCV.

Invitantur Christi Fideles, ut veniant & videant excellentissima quatuor Prodigia super terram, Naturæ scilicet & Culpæ, Gratiæ & Scripturæ, quæ posuit Deus in S. AUGUSTINO Episcopo & Ecclesiæ Doctore, ad instar Anatis profunda fluminum scrutante, & abscondita producente in lucem.



353. Anati perscrutabundæ S. Augustinus meritò comparatus.

Fortassis vestrûm erit nemo, Auditores, qui hac luce, magno Ecclesiæ Doctori S. AUGUSTINO sacrâ, non *raram in terris Avem* provolaturam expectet. Nam & Ibides paratæ essent ad tollendos Africanos serpentes, & Aquilæ ad sublimanda nobilissima scripta, & Ardeæ ad deijciendos Ecclesiæ hostes, & Canarienses ad jucundandam vitam, & Psittaci ad excubandum in custodijs, & diversissimæ quæque volucres ad con-

conferenda sua decora huic Illustrissimo Ecclesiæ Doctori: si tamen tanti Nominis *Augusta Maiestati* aliquid superaddi possit à *Volucribus cæli* vel pro ingenij pernicitate volatile, vel pro virtutum studio imitabile, vel pro sanctitatis gloriâ illustre, vel denique pro sapientiæ sublimitate admirandum. In littore maris hodie cum D. Augustino meditabundus obversor, & ubi non licet contueri *Parvulum*, cochleari maris undas in modicam scrobem frustra transfundere conantem, favet saltem opportunitas observandi in mari *perscrutabundam Anatem*; quæ non tantùm in aquarum superficie jucundè natando circumnavigat, sed abscondita & *PROFUNDA QUOQUE SCRUTATUR*; rostro cœnum in aquis fodit, ibique herbarum radices, plantarum aquaticarum semina, vermes & ova marinorum animalium, & alia hujusmodi aquarum esculenta disquirit ad saturandam ingluviem, qua valido impetu *in profundum* mergitur ac deponderatur. Exinde subitò emergit Anas, præsertim si sit sylvestris, & tantâ subinde vociferatione se prodit, ut ad magnam viarum distantiam percipiatur. Posset hæc vociferatio ad eum versum deduci, quem Regius Psaltes nonum posuit in suo quadragesimo quinto Psalmo: *Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram.* Verè enim magnum & multiplex in *S. Augustino* Prodigium posuit; quando is inter doctos sanctissimus, & inter sanctos doctissimus Pater, *Profunda fluviorum scrutatus est, & abscondita in lucem produxit.* Rectè in S. Augustinum cadit, quod B. Laurentius Justinianus de Homine curioso & speculativo considerat. *Factus est Homo, ut cælestia consequatur, invisibilia concupiscat, & maiora se quærat. Impellitur igitur à Naturâ, ut summum videre appetat Bonum. Inferiora ideò tantâ cum aviditate perlustrat, ut si quid in illis summi Boni vestigium est, PERCUNCTANDO REPERIAT.* Fecit hoc S. Pater AVGVSTINVS, qui velut percunctabunda Anas *Profunda fluminum*, ac Marium abyssos *scrutatus est*, & ex ijs obscuris ac tenebrosis latibulis *abscondita in lucem produxit* Prodigia; quæ sui consideratione humanam admirationem videntur longè exsuperâsse. Quatuor autem potissimùm *posuit prodigia super terram* Augustinus, quæ in semetipso toti Christiano Orbi ad miraculum produxit. Prodigium *Naturæ*, quam excellenti quadam participatione penetravit: prodigium *Scripturæ*, quam clarissimis & sublimissimis libris comprehendit: prodigium *Culpæ*, quam publicis confessionibus deploravit: & prodigium *Gratiæ*, quam cælesti affluentiâ liberalissimè suscepit. Vos ergo, ô vos attentissimi Auditores, *Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram* in Maximo Ecclesiæ Doctore S. AVGVSTINO; qui velut perscrutabunda Anas *Profunda fluviorum scrutatus est, & abscondita in lucem produxit*, ut universam Ecclesiam de hisce quatuor prodigijs hâc suâ panegyri illuminaret, in nomine Jesu.

Iob. 28. v. 11.

Laurent. Iustin. l. de triumph. agon. c. 18.

S. Thomas de S. August.

354. Cordis & Capitis in Augustino optima sympathia.

Ex Anicij de arte coquina regulis *In Anate* duæ partes apparantur optimæ, *Caput* scilicet & *pectus*. Et has ipsas partes Martialis Poëta tanquam excellentiores supputavit in carmine suadens.

Anicius l. 6. de arte coquina. c. 1.

Martialis apud Gesnerum.

Tota quidem ponatur Anas; sed pectore tantùm,
Et cervice sapit: cætera redde coco.

Debet enim inter pectus & caput mitus esse consensus, ut inde proveniat sancta & laudabilis operatio. Vtrumque scilicet immortalis Anima, tanquam Regina augustissima, in hoc ordinatissimo Microcosmo sibi pro suo domicilio reservavit: in *pectore*, ut resideat, & omnem Potentiarum animalium atque vitalium apparatum, sibi obsequentem, dirigat ad pacis aut belli exercitia; in *Capite* verò, ut omnium facultatum dicasteria, & subjectarum ditionum tribunalia, adeoque expeditionum cancellarias paratas disponat. Vtrobique instructa promptuaria: ex corde enim prodeunt cogitationes, & affectiones moraliter ad laudem vel vituperium imputabiles, juxta illud Mat-

Matth. 15. v. 19. Matthæi; de pectore, hoc est, *de corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ*; quæ utique coinquinant hominē. Sicut enim ex fonte ebulliunt Aquæ, sic ex pectore, id est, ex voluntate pravo luxuriæ vel iræ affectu imbutâ, scaturiunt malæ libidinis vel vindictæ cogitationes, quæ ex corde in os ebulliunt, dum eas eloquimur; & ex ore in opus erumpunt, dum easdem reipsa perpetramus. Nec malæ duntaxat cogitationes pectore digeruntur; etiam optimæ & sanctissimæ virtutum theologicarum & sublimissimarum affectiones in pectore Rom. 10 v. 10. reconduntur: *corde enim creditur ad justitiam*; corde diligitur Deus & proximus; corde conjungitur cum Deo creatura limitata & infirma. Porro pectus, & quod in pectore præcipuum est, cor subministrat spiritus vitales & animales intellectui in cerebro capitis residenti necessarios ad intelligendum, & voluntati ad amandum. Imò Galenus docet, Sensum communem, qui intellectui proximè subservit, residere in corde; licèt Aristoteles verius censeat, eum in cerebro contineri. Quidquid sit: sententia potior Philosophorum adstipulatur, animam residere in corde, intra pectoris costas munito; operari autem in cerebro, intra capitis testas concamerato. Jam in nostro proposito

Tota quidem ponatur Anas; sed pectore tantùm,
Et cervice sapit: cætera redde coco.

Nec video, quomodo in S. Augustino nostro illustrior possit consensus prædicari, quàm *capitis* & *pectoris*. Vtrumque enim speciali tiarâ ornatum exhibet, & veneratur Ecclesia; & quantum decorem confert *Capiti* Infula Episcopalis, tantum *Cordi* ejus adjicit splendorem flamma pectoralis. Sic rectè Anati assimilatur Augustinus, quia *CERVICE ET PECTORE SAPIT.* Inspiciamus penitius consensum utriusque, & è cervice cerebrum, è pectore cor S. Augustini protrahamus. Pro crudelitatis refertur argumento, quòd Rex Saracenus, admodum barbarus, capto Tauromiio, erga illius Vrbis Episcopum *Procopium* virum sanctissimum demonstravit. Cùm enim Vir sanctus de Deo multa ex imo corde proloqueretur, & præ omnibus divinos amores commendaret, truculentus Rex ad lictores suos conversus: Eja, inquit, quantocyùs aperite illum in pectore, & cor ejus inde protrahite, ut arcanum mentis illius videamus, & intelligamus. Parent tyrannidis Ministri, & discisso per medium pectore, cor extrahunt; Sanctoque Antistiti, interea regem nefandum objurganti, suosque concaptivos, ne formidarent, animanti cæsum cor ejus in os edendum fulciunt. Quod illi efferâ manu ferroque, hoc nos piâ quadam æmulatione faciamus, protrahendo cor S. Augustini ex imo pectore, & conferendo cum capite: ut experiamur, quàm eleganter sedes amoris eum sede sapientiæ consentiat. Divus Augustinus à Lancilotto inducitur illum Amoris ludum recolligere, quo Petrus à Christo trinò interrogatur: *Simon Ioannis, diligis me plus his? amas me?* Respondente Petro omnino constanter, quòd sic; addit Christus, & trinò repetit: *pasce agnos, pasce oves meas.* Superveniens Augustinus admiratur, & : *Ecce*, inquit, *ut interrogatur amor, & imperatur labor?* Amor enim sine labore non solet consistere: prout simili casu in semetipso expertus est Augustinus. Audijt Is aliquando Christi vocem trinâ vice de cælo lapsam: *Augustine, amas me?* Cui ille: *Domine tu nôsti, quia amo te.* Cui Christus: *Et quantùm amas me, edissere Augustine.* Reddit is dignum tanto Dei amico responsum: *Domine, si omnia corporis ossa forent lampades aureæ, & sanguis omnis per venas, perque membra diffusus foret balsamum; et lampades arderent, & balsamum consumeretur in tui solius honorem: sicq totus in holocaustum tibi conflagraret Augustinus.* Rursus reponit Christus: *Num quidquam esset possibile ultra facere?* Respondit Augustinus: *Si & venæ meæ omnes, & nervi forent*

Bolland. Ian. in add. in translat. S. Severini Noric. Apost.

Ioan. 21. v. 15. & sequentib.

Lohbetius in glorial Patriarch. char. 4. 2. 5. 7.

forent aurea vincula, te utique illis cordi meo alligarem, & quidem alligarem aeternaliter. Ad hæc verò Christus illi tertiò: *Et maiorem insuper à te amorem exigo, quem mihi dones.* Reddit mox Augustinus illud paradoxum responsum: *Tantâ te, O Rex gloriæ, prosequor dilectione, ut si (quod esse nunquam potest) ego Deus forem, & Tu esses Augustinus; omnino vellem ego fieri Augustinus, ut tu fieres Deus.* Sic victus amore obriguit Christus: quid enim ampliùs aut cogitare, aut eloqui potuisset Augustinus? Summum nempe illud erat amoris fastigium, excessus, raptus & extasis amantis; à quo & illi relictum deinde pro insigni, scutóque amoris, *Cor sagittis transfixum*: ut exinde Orbis nosceret universus, COR AUGUSTINI Divini Amoris sagittis fuisse transfixum. Et quia mirus est capitis cum pectore, cerebri cum corde consensus; hinc ubi pectus abundat igne, etiam caput calore ardescit; & ubi cor Amores spirat, cerebrum non solet odia meditari. Et sic

Tota quidem ponatur Anas, sed pectore tantùm,
Et cervice sapit: cætera redde coco.

Cumque optimas duas partes ex Anate S. Augustini elegerimus, pectus & caput, in capite cerebrum, & cor in pectore; jam videamus, quæ Deus per Augustinum posuerit *prodigia super terram?* quàm *profunda fluviorum* sit scrutata nostra percunctabunda Anas? quàm *abscondita in lucem* produxerit naturæ, scripturæ, culpæ & gratiæ Arcana.

355. Dum de prodigijs agimus, quæ Deus in S. Augustino posuit super terram; non est, quòd cum Nonio Marcello prodigij nomine intelligamus Deorum minas vel iras: nec est, cur cum Virgilio prodigium portendat dictu nefas, prout Celæno Harpyia portendit.

S. Augustinus prodigium ingenij ac naturalium talentorum.

Æneid. 3.

Sola novum, dictuq; nefas Harpyia Celæno
Prodigium canit.

Nec prodigij nomine intelligimus monstrum aliquod terrificum, quod propter futurorum malorum significationem, juxta Paulum Jovium, etiam mentes sanas perturbare consuevit; sed accipimus *Prodigium* pro aliquo signo persuasibili, quod hominum perstringit oculos, & mentes reddit attonitas fulgore quodam extraordinario, facileque inducit ad credendum. Jam si de naturæ dotibus, quibus copiosissimè à Deo illustratus est Augustinus, promoveatur inductio; nescio, quid in naturalibus possit desiderari, quominus Augustinus esset *prodigium perfecta creatura*, in eo præsertim statu, quem corrupta per peccatum Mortalium conditio ingemiscit ut plurimùm infirmatum. Erant Augustino pulcherrima faciei venustas, vivacissima corporis valetudo, spirantissima personæ præsentia, oculorum gratia deliciosa, membrorum solidus vigor, expedita & benesuada loquendi facultas, corpus bene proportionatum, statura justa, aspectus imperio dignus, temperamentum optimum, totius denique Adolescentis habitus ad decorem compositus, & ad laudabilissimos mores decorus. Bona hæc Corporis extrinsecus suspicienda adhuc plebeiam duntaxat afficerent censuram, nisi illa, quæ in tam ornato domicilio latebat intrinsecus, selectissima Indoles, & incomparabilis Ingenij vis non tantùm humanam superaret admirationem, sed etiam omnem à se imitationem aut assimilationem removeret. Erat enimverò Augustinus tam Divino Ingenio ab Authore naturæ insignitus, ut vixdum annos viginti natus, sine magistro, sine interprete, Aristotelis categorias studiosè legerit & intellexerit præclarè: in quibus explicandis etiam defæcata, & non nisi improbis studijs expolita ingenia, laboriosè defecerunt. Parum est, hoc juventutis flore Aristotelicas categorias comprehendisse; etiam Mathematicam, Arithmeticam, Geometricàm, Astronomicam, Physicam, Metaphysicam, Musicam, & quascunque liberales Artes aut Philosophicas facultates, perfectò assecutus est complemento. Sed quod vel terribilem, vel prodigio-

P. Jovius hist. l. 11.

digiosum efficeret juvenem Augustinum: tam fœcundo erat ingenio, tam amplo mentis sinu, tantâ in dicendo facundiâ, tantâ solertiâ in argumentando; ut ejus Dialecticam, & arguendi convincendique vim indeclinabilem sustineret nemo, refugerent omnes, etiam potentissimi in Peripato Magistri expavescerent ac formidarent. Hac suâ terribili Logicâ instructus, hisce captiosis argumentis armarus, tam infestum atque molestum sese quibusvis etiam acutissimis Orthodoxis apposuit; ut D. Ambrosij, in illa ætate præstantissimi Antistitis, decreto in Litanijs Mediolanensibus addere- tur: *A Logica Augustini, libera nos Domine.* Quarum Litaniarum etiamnum Mediolani nonulla exemplaria supersunt. Vt mirum non sit, fuisse Ei collatum prodigiosum Nomen, *AURELIO AUGUSTINO*: ludit enim sæpè in nominibus Divina Providentia; quibus prodigiosas quasdam futurorum eventuum significationes concludit. *Aurelij* etymologiâ ipsis etiam antiquis fuit *augusta*; nam ut Alexander ab Alexandro refert, honorabatur Romæ quædam illustris Familia, dicta Aurelia, quasi Soli devota ac Soli dicata, cui proprium ac singulare erat, in Solis templo thymiamata & sacrificia offerre. Festus air, *Aurelium* dici, quasi *Ausedium*, id est, aureâ sede dignum. Rectè hoc nomen magno nostro Doctori convenit AVRELIO propter eminentem ingenij nitorem, & præclara doctrinæ lumina: erat enim *Aurelius*, quia DEO suo, ceu Soli atque omnis luminis fonti, totaliter dicatus: erat *Aurelius*, quia ab hoc claritatis abysso totus clarus, lucidus & solaris reddebatur: erat *Aurelius* seu *Ausedius*, quia longè magis aureâ doctoris cathedrâ celebrabatur dignus, quàm aureo Tripode Socrates inter Græcos, vel Aureo Solio Salomon inter Hebræos. Sed & *AUGUSTINI* nomen, ab *augendo* vel *augusto* depromptum, felicis ominis continet argumentum: quasi nempe ab ingenio, doctrinâ, gratiâ & cæteris eximijs talentis, mirum quantùm, augenda aliquando esset Religio, veraque DEI Ter Optimi Maximi Fides, ac vera Christi Salvatoris in terris Ecclesia.

Rivius l.1.c.1.

Alexander ab Alexandro l.1.c.9.

356. S. Augustini etymologia cum donis naturalibus correspondens.

Dum cum perscrutabunda Anate circa naturalia nostri Sancti decora negotiamur, & inde tanti Nominis consonam indagamus etymologiam; non possum tanti Patris encomium famelico silentio obtegere, quod Theophylus Raynaudus à novâ dexterrimâ manu deprompsit, & sic sonat. „[AVRELIO AVGVSTINO, summo ingeniorum Apici, & commu- „nem humanæ industriæ modum „longè supergresso, inter arbores Ce- „dro, inter aves Aquilæ, inter homi- „nes Augustino. Hoc qui dixit, di- „xit totum. Quæ in reliquis fuêre „summa, in ipso ut infima latent. E- „piscopus fuit; hoc bonum opus est. „Doctor extitit; hoc fuêre complures. „Humilis fuit; & nonnulli sunt. Do- „ctus; & innumeri. Sanctus; hoc & „aliqui. Sed hoc fuit, quod pauci, „*Humilidoctus*. Compendio dicam, „hoc fuit quod nemo, scilicet *AUGU- „STINUS*. Tertullianum aliqui nec „immeritò laudant, quòd nomen Tul- „lio longius habuerit, & *Ter Tullia- „nus* fuerit; tametsi stylo ne quidem „semel fuerit. Sed ego te, *Augustine*, „tantò meliorem *Augusto* arbitror, „quantò differentius maiùsque præ „illo nomen hæreditasti. Hoc tibi fuit „*Augustus* utriusque orbis Imperator „summus, quod *Iustiniano Iustinus*, „quod balænæ musculus, quod scabel- „lum ascensuro equiti, quod aurora „Soli, quod puer viro, quod vir He- „roi. Tibi, Virorum maxime post Chri- „stum natum, pono dicoque Aqui- „lam in nubibus. Nos in tenebris no- „ctuæ, in spinis reguli, papiliones in „aëre.

Theoph. Raynaudus in Hagiol. Lugdunensi. Titul. Spec. Sanct.

Aut passim sequimur corvos, testâque lutoq́,
Atque humiles reptamus humi: dum proximus Astris
Aut verum gremio Superum SCRUTARIS in ipso,
Vel quæ docta putant homines, mendacia calcas.]

Nimium hoc encomio comprehendi, & præ-

& prævertiorationis meæ periodum, quando poteram solâ deductione nominis *Augustini* ab *Augusto* contentus pergere. Nec tantùm creaturæ cujusdam excellentissimæ prodigium In semetipso exhibuit Augustinus, sed creaturarum PROFUNDA QUOQUE SCRUTATUS deprehendit, quæ præstantissimi Philosophi non sunt suis accuratissimis lucubrationibus assecuti. Præclarè Claudianus Mamercus naturalia Augustini dona exornando ait. [*Augustinus* & acumine „ingenij, & rerum multitudine, & o„peris mole, veluti quidam Chrysippus „argumentandi virtute, aut Zeno sen„suum subtilitate, aut Varro noster „voluminum magnitudine; & qui „profectò talis naturâ, attentione, di„sciplinis extiterit, ut non inmeritò ab „istis nostris corporalibus Epicureis ac „Cynicis spiritualis Sophista dissen„serit.] Hinc sicut creaturarum quarumcunque perfectiones in excellenti gradu participavit, iisque ante suam conversionem usus est fruendis, prout frequenter in libris Confessionum deplorat: ita etiam de quibuscunque creaturis perspectas comparavit cognitiones, & de ijs doctissimos libros reliquit. De *spirituali* quidem seu Angelica Creaturâ tractavit in libro de Hierarchia Angelica; de humana verò seu *corporali* in eo, cui titulum fecit, de Spiritu & Anima: denique de Creaturâ *compositâ* in libro de Genesi ad literam.

Claudianus Mamercus l. 2. de statu animæ c. 10.

357. A prodigio Naturæ seu Creaturæ tam nobilis, tam ingeniosæ, tam venustæ, tam omnibus numeris absolutæ, heu! quàm lubricus est lapsus ad *Prodigium culpæ*. Quærit percunctabundus Mergus, Anatis species non ignota, *AB IMO PRÆDAM*, dum sese in profundum demittit, & ibi desideratis suis cupedijs saturatur. S. Martinus Turonensis Episcopus, aliquando *Mergos in flumine conspicatus* (verba sic sonant Sulpitij) *piscium prædam sequi, & rapacem ingluviem assiduis urgere capturis: Forma, inquit, hæc dæmonum est, insidiantur incautis, capiunt nescientes, captos devorant, exsaturarique non queunt devoratis.* Quantâ contentione & studio Diabolus insidiabatur Augustino, defixo in limo profundi, & in substantiâ aquarum multarum? Non est, cur gravium Historicorum authoritates requiram: ipsemet Augustinus aliquoties In libris Confessionum sese profitetur fuisse prodigium culpæ. Au„dite confidentem reum. [Recorda„ri volo transactas fœditates meas, & „carnales corruptiones animæ meæ: „non quòd eas amem, sed ut amem „te Deus meus. Amore amoris tui fa„cio istud, recolens vias meas nequis„simas in amaritudine recogitationis „meæ; ut tu dulcescas mihi dulcedo „non fallax & secura, & colligens me à „dispersione, in qua frustratim disciс„sus sum, dum ab uno te aversus in „multa evanui. Exarsi enim aliquan„do satiari IN INFERIS in adolescen„tia; & sylvescere ausus sum varijs & „umbrosis amoribus: & contabuit „species mea, & computrui coram o„culis tuis, placens mihi, & placere „cupiens oculis hominum.] Sequenti mox capite perennat confessionem „suam. [Et quid erat, quod me de„lectabat, nisi amare & amari? Sed „non tenebatur modus ab animo us„que ad animum, quatenus est lumi„nosus limes amicitiæ: sed exhala„bant nebulæ de limosa concupi„scentia carnis, & scatebra pubertatis; „& obnubilabant atque obfuscabant „cor meum, ut non discerneretur se„renitas dilectionis à caligine libidi„nis. Vtrumque in confuso æstuabat, „& rapiebat imbecillem ætatem per „abrupta cupiditatum, atque *mersabat* „*gurgite flagitiorum.*] Fusior est in recensendis benè multis peccatis suis Augustinus, & varijs deplorandis delictis, quibus diabolo factus est in escam, colligenti *ab imo* & limo *prædam.* Cognovit autem miseriam suam Augustinus, & dum aliquando cum Alipio hortum deambularet, relicto eo ad interiora recessit solus; & sub ficu solitarius resedit, ipsemet factus *ficus arida & maledicta.* Ibi recolligens se intra conscientiæ suæ penetralia, & quamdiu, inquit secum, expectabit

S. Augustini peccaminosa vita propriâ confessione expensa.

Severus Sulpitius in ejus vita.

S. August. l. 2. Confess. c. 1.

Deus aliquem in te virtutis fructum, in hoc juventutis ceu veris ac æstatis flore? Quid cum hisce tuis inanibus folijs & cincinnatis vaniloquijs, ubi vera sanctitatis opera & virtutum fructus desiderantur? Quousque superaddes peccatis tuis iniquitates, & vanitatibus tuis in nihilum dissolvêris? Quanta te tandem manebunt Divinæ maledictionis jacula? quæ superventuræ sententiæ fulmina? qui ignes infernales contra te exardescent, insensate, quando contra te pugnabit orbis terrarum tuæ conscius iniquitatis? Ita secum fluctuabat Augustinus, velut Anas in alto mari; quæ dum *PRÆVIDIT SIGNA PROCELLÆ*, protinus avolat, ad littus sedet, & in petra se firmat. *Quis Mergus est*, inquit Glossa Magna, *nisi peccator, mortiferâ culpâ prostratus: qui dum memoriâ mortis angitur, è medio undarum, è medio voluptatum, ad Christum veluti littus, rupémque tutissimam, cum clamore pœnitentiæ properat.* Ita etiam Augustinus velut Mergus MERSUS EMERSIT, cùm ad se è profundo quodam sopore, & ad Deum rediit, jactans illud in cælum. *Et tu Domine usquequo irasceris in finem? Verè enim irasceris, dum sic perditum jacere permittis. Usquequò hoc in cœno potero hærere? usquequo & hæc mea calamitas?* Hæc ubi ad Deum; deinde etiam gravi suspirio ad se? *Quamdiu & quamdiu CRAS, & CRAS? quare non modo? quare non hâc horâ finis turpitudinis meæ?* Hæc ubi secum perpendit Augustinus, & suo pectore profundiùs scrutatur: tum ecce! vox è vicinis ædibus allabitur; *TOLLE LEGE, TOLLE LEGE.* Videbatur ea vox esse Pueri, aut Puellæ cantantis; sed erat vox cælestis Genij, iteratò & tertiò repetentis, *TOLLE LEGE.* Revertitur proinde ad charissimum suum Alipium Augustinus; cujus Bibliorum Codicem, quem casu secum is socius attulerat, manibus prensat, aperit, legit, & quod primùm in oculos incurrit, penitius attendit. *Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in contentione & æmulatione; sed induimini Dominum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desiderijs.* In his verbis consistebat cardo conversionis S. Augustini. Ait Ælianus de Anate: *Sapienter & merguntur, & emergunt.* Id quod frequenter contingit in magnis peccatoribus, quòd *immersi* vitijs ac concupiscentijs, Divinâ aspirante gratiâ subitò emergant, & sublimè inter Sanctorum Ordines evolent. *Lachrymæ tribuunt*, ait Petrus Damiani, *ut Negator Apostolus non modo non pereat omninò post lapsum, sed ultrò etiam, ut super cæteros cælestis curiæ Senatores obtineat principatum.* Cùm ergo hisce modis varias peccatorum species practicaverit Augustinus, ut rectè possit dici *Prodigium culpæ*; mirum non est, si is in libris Confessionum de culpa originali, de mortali & veniali, de actuali & habituali tam luculenter scripsit, abscondita & *PROFUNDA* mysteria ubique cum Anate *SCRUTATUS.*

Glossa Magna fol. 3580.

S. August. l. 8. Confess. c. 12.

Rom. 13. v. 13. & 14.

Ælianus l. 5. de Animal. c. 33.

Petrus Dam. Opusc. 13. c. 11.

358. Exinde facilis patet aditus à *Prodigio Culpæ* ad *Prodigium Gratiæ*, quod in semetipso omnibus peccatoribus exhibuit Augustinus ad consolationem & & ædificationem. Num existimatis, ideò Augustinum rectè à Deo positum esse *Prodigium gratiæ* super terram, eò quòd omnes hæretici eum aversentur ut portentum; ut possit sib. illud Isaiæ appropriare; *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum & in portentum?* Magna profectò laus est, à S. Hieronymo adstructa, ab hæreticis pro fatali prodigio abhorreri; quos omnes tunc temporis è profundo Erebi emergentes, Arrianos, Manichæos, Donatistas, Pelagianos, Massilienses ac Semipelagianos unus prostravit Augustinus. Sed maximè omnium his, qui gratiæ hostes erant, infensus fuit S. Augustin9, ut meritò ex hoc capite possit *prodigium gratiæ* appellari. Quæ enim, & quanta disputavit de gratiâ & libero arbitrio? quàm enormes passus est calumnias à gigantibus gementibus sub aquis, gratiæ inquam hostibus, qui vel hodie etiam sub Augustini umbrâ quiescunt, ac in Ecclesiâ grassantur? Voco *hostes gratiæ*, qui sta-

S. Augustin. auxilium gratiæ omnium tutissimè defendit.

Isa. 8. v. 18.

statuunt gratiam necessitantem, & planè libero arbitrio fatalem; qui negant Christum pro omnibus mortuum, sufficienter exsolvisse lytrum Redemptionis; qui nullam gratiam ponunt nisi efficacem, quæ tollat in voluntate libertatem sive contradictionis, seu contrarietatis; qui volunt, Deum ex seipso alios destinâsse ad gloriam, alios ad pœnam æternam. Et hæc omnia dicuntur nomine S. Augustini à Berengario, Wieleffo, Calvino, cæterisque hujus farinæ Novatoribus; ut tanto Doctore duce, per summam & inexpiabilem calumniam, peccati necessitatem refunderent in Deum, & propriæ saluti potestatem ac libertatem subtraherent. Noverant hoc multi coætanei Doctores & Patres, aut certè qui non multò pòst Ecclesiam suis doctrinis illustrârunt: unde hoc *Gratiæ prodigium* Augustinum ab innumeris calumnijs eidem enormiter impactis vindicare conati sunt. Certè S. Hieronymus Augustinum contra Donatistas concertantem sic hortatur. *Macte virtute, in orbe celebraris: Catholici te conditorem antiquæ rursum fidei venerantur, ac suspiciunt, & quod signum majoris gloriæ est, omnes hæretici detestantur.* (S. Hieron. Ep. 31. ad Aug.)

359. (S. Augustini prodigium gratiæ actualis.) Longè excellentiora prodigia gratiæ in S. Augustino objiciuntur suspicienda. Et quidem prodigia *Gratiæ actualis atque habitualis*; quæ utraque à Deo accepit in eminentissimo participationis gradu. Et quidem *Gratia actualis* interna victrix est cordium, sapor vitalis, benedictio dulcedinis, pigmentum suavitatis. Abundantia autem & pretium gratiarum actualium in S. Augustino possunt ex ejus conversione repentinâ & admirabili dignosci. Prodigus erat: non dubitemus hoc fateri; nam & ipsemet fatetur, ut artem Medici sui omnium oculis exponat. Impudicus, concubinarius, Manichæus, fur, & malitiosus erat Augustinus; sed *ubi abundavit delictum*, & ad malignitatem pronitas, *ibi abundavit & gratia* actualis, illum *præveniens* in lachrymis à Monica matre loquente cælósque inclamante profusis; cui matri pientissimæ pro filio lachrymabundæ, in consolationem prædixisse fertur D. Ambrosius: *Vade, impossibile est, ut filius tot lachrymarum pereat.* Abundavit in Augustino etiam *gratia concomitans*, quæ postquam illum efficaciter apprehendit, in toto reliquo vitæ decursu non dimisit. Erat in conversione sua Augustinus velut Anas periclitans ab insidijs Aquilæ, quæ dum aliud refugium evadendi non reperit, *HOSTEM* aquis altè *SUBMERSA DECLINAT.* Fecit id Augustinus: nam postquam efficaci gratiâ adjuvante à peccatis ad meliorem frugem conversus est, nunquā desijt infernalis prædonis insidias fugere; hinc ut securior evaderet, *hostes* animæ lachrymarum aquis altè profluentibus *submersus declinavit*: nam Petro Damiano teste, *Lachrymantes oculi diabolum terrent.* (Petrus Dam. Op. 13. c.) Insuper etiam *Gratia subsequens* nunquam Augustinum ex Pœnitentis ac Resipiscentis cancellis dimisit. Erat Augustinus antea ille procax Juvenis, quem in Proverbijs mulier irretivit multis sermonibus, & blanditijs labiorum protraxit: & qui statim eam sequutus est *quasi bos ductus ad victimam, & quasi Agnus lasciviens, & ignorans quod ad vincula stultus trahatur,* (Proverb. 7. v. 22.) Nec tantùm facilè seducebatur Augustinus ab alijs, sed & ipsemet alios frequenter *SUB RETIA DUXIT.* Similis prorsus illi Anati, de quo Alciatus pulcherrimum symbolum posuit.

Altilis allectator Anas, & cærula pennis, (Alciatus Embl. 50.)
Assueta ad Dominos ire redire suos.
Congeneres cernens volitare per aëra turmas,
Garrit, in illarum se recipitque gregem,
Pratensa incautas donec sub retia ducat:
Obstrepitant capta, conscia at ipsa silet.
Perfida cognato se sanguine polluit ales,
Officiosa alijs, exitiosa suis.

At verò nunc Augustinus per gratiam subsequentem quàm non in seipso damna-

damnavit suæ adolescentiæ corruptelam? quàm rigidè castigavit in semetipso? Vertit nunc stylum; & qui priùs Ovidium de libidinoso amore noverat scandalosè recitare, nunc acri orationis stylo in concupiscentias carnis invehitur: & purioris vitæ nitorem ac castitatis prærogativas maximè tum commendat, cùm integros libros *de Virginitate*, ac *de Bono Viduitatu* componit; quos castissimæ ac continentissimæ vitæ testimonio confirmavit. Vidisses eum tunc omnes libidinis illecebras, ac minimas etiam occasiones, quas *febriculam* appellabat puriori conscientiæ infestam, studiosiùs declinare. Mulierum proindè familiaritatem tam sedulò evitavit, ut non tantùm extraneas fœminas, sed ne quidem germanam sororem, viduam probam Deóque servientem, imò nec Patrui filias in suas ædes admitteret. Tum etiam nunquam solus cum sola fœmina colloqui, sed semper clericos adhibere testes, erat solitus; ne quid etiam aut secretorum, aut boni spiritualis specie intercederet familiaritatis; adhibendo rationem hujusmodi fœmineis frequentationibus operosam; quia scilicet *Amor spiritualis generat affectuosum, affectuosus obsequiosum, obsequiosus familiarem, familiaris sæpè generat carnalem.* Vnde ex hujusmodi incircumspectis conversationibus mulierum non rarò accidit, quod deplorat ac damnat Apostolus, ut cùm *spiritu quis cœperit, carne consummet.* Quæcunque tandem *subsequentis Gratiæ* prodigia tum vel maximè in S. Augustino eluxerunt, quando is per omnem reliquam vitam suam tanta sanctitatis ac meritorum sublimissimorum præstitit argumenta, quæ militantem Ecclesiam incomparabili Divinæ Lucis accessu illustrarent.

S. August. l. 3. de catech. rudibus c. 17.

Possidonius cap. 26.

Lancellotus in vita S. Aug. l. 3. c. 13.

Galat. 3.

360. Si insuper de prodigio *Gratiæ habitualis sit* perennanda admiratio; ex duobus capitibus eam juvabit omnium oculis, animísque exponere celebrandam. Et quidem *à priori* juvaret Gratiam ejus *sanctificantem* commensurare cum illâ Visione beatifica, quam saltem per transennam habuit, objectum illud amoris beatifici, Divinam scilicet Essentiam, intuitivè & clarè in seipsa videndo. Quam ut sibi certò certiùs persuadeant, ducuntur ipsâ D. Augustini confessione, in quâ meminit alicujus visionis ac momenti intelligentiæ, similis illi, quæ est in vitâ æternâ. Et quidem in colloquio, quod cum B. MONICA Matre suâ de Regno cælorum, déque æternâ Sapientiâ, primùm in creaturis, tum in seipsa cognoscendâ, instituit: *Subtrahantur*, inquit, *aliæ visiones longè imparis generis, & hacuna rapiat & absorbeat & recondat in interiora gaudia spectatorem suum, ut talis sit sempiterna vita, quale fuit hoc momentum intelligentiæ, cui suspiravimus: Nonne hoc est, intra in gaudium Domini sui.* Et licèt hæc visio ad momentum duntaxat collata fuisset Augustino, sufficienter tamen in hac vita submonstraret *gratiæ sanctificantis* abundantiam tantæ dignationi correspondentis. Juvaret hanc ipsam *Gratiam sanctificantem* S. Augustini in quodam eminentissimo gradu *à priori* inferre vel ex ardentissimo ergà Deû & Sanctissimam Trinitatem Amore, quo in terris cor ejus prorsus exæstuabat; vel ex sublimissimo gloriæ gradu, quo in cælis ante Sanctissimæ Trinitatis conspectum ejus anima fuit donata; cùm & Amor Dei in plurimorum sententiâ à gratia habituali tenuem subeat distinctionem; & *gratia* ipsa habitualis jus ad æternã gloriam conferre dignoscatur. Verùm non ex his fontibus promovebo *à priori* in S. Augustino gratiæ sanctificantis prodigium; sed ex *profundissima humilitate*, quâ Doctor iste sublimissimus super omnes Ecclesiæ Doctores videbatur eminere. Verè Deus sublimium Conditor *HUMILIBUS DAT GRATIAM.* Violæ, tenuissimi flosculi in montis radice enascentes, ab omnibus prædicantur *IDEO SUAVES, QUIA HUMILES.* S. Gregorius hanc odoris suavitatem expendit, & ait. *Illis respectum suæ miserationis Deus tribuit, quos in Humilitate persistere cognoscit. De quo per Psalmistam dicitur: quoniam excelsus Dominus,*

S. Augustini Prodigium Gratiæ sanctificantis ex variis capitibus, præsertim humilitate.

Lobbetius de gloria Patriarcharum, & ex Ægidio de Prasent. & de S. Martino.

S. August. l. Confess. 10.

S. Greg. Papa in c. 6. Cant.

nus, *& HUMILIA RESPICIT.* Et quæ posset generosior Humilitatis operatio exeogitari, quàm se usque ad publicam confusionem despicere, & sua anteriora dicta, scripta & sensa, velut immatura, erronea, suspecta aut falsa, etiam neglectâ decoris ac publicæ æstimationis notâ retractare? Fecit hoc S. AUGUSTINUS, qui Cassiodoro teste, fuit *Doctor eximius, bellator hæreticorum, defensor Fidelium, & famosorum palma certaminum.* Fecit hoc AUGUSTINUS, qui Juliano Pomerio edisserente fuit *Acer ingenio, suavis eloquio, sæcularis literaturæ peritus, in Ecclesiasticis laboribus operosus, in quotidianis disputationibus clarus, omni suâ actione compitus, in expositione sua Fidei nostræ Catholicus, in quæstionibus absolvendis acutus, in rejiciendis hæreticis circumspectus, & in exponendis Scripturis canonicis cautus.* Fecit hoc AUGUSTINUS, cujus doctrinam Prudentius Trecensis sanctarum Scripturarum authoritati in omnibus concordissimam commendat, tantóque Gratiæ cælestis munere donatam, & Sedis Apostolicæ sublimitate, ac totius Ecclesiæ Catholicæ unitate concordissimâ approbatam & roboratam, ut conamento quolibet impugnari, nec ullo cujusquam conamine ullatenus possit evelli: utpote quòd nullus Doctorum abstrusa Sacræ Scripturæ mysteria scrupulosiùs rimatus sit, diligentiùs exquisierit, veriùs invenerit, veraciùs protulerit, luculentiùs enodaverit, fideliùs tenuerit, robustiùs defenderit, effusiùs disseminaverit. Fecit hoc AVGVSTINVS, quem Hincmarus *Gratiæ cælestis Oratorem* appellat. Fecit hoc AVGVSTINVS, quem Cassiodorus in suis lectionibus celebrat hoc encomio. *Ipse etiam Doctor eximius Beatus Augustinus, bellator hæreticorum, defensor Fidelium, & famosorum palma certaminum.* Fecit hoc AUGUSTINUS, cujus libros S. Gregorius ita æstimat, ut illos præ suis, velut siliginem ad furfures collatam, anteponeret ac prænuntiaret. Fecit hoc AUGUSTINUS, Vir tantus: *Libros Confessionum* suarum, in publicum sui despectum, ad perennem suæ famæ labefactationem conscripsit, edidit, divulgavit; sine quibus latere potuisset, nisi maluisset præ humilitate confundi. Sed & cùm à S. Hieronymo scriptis appeteretur, plurimas suas sententias priores retractavit, adeóque *Libros Retractationum* scripsit: ut non immeritò à pluribus melioris censuræ Authoribus hæ retractationes perhibeantur fuisse heroicissimæ Humilitatis & Gratiæ sanctificantis operationes.

S. Cassiodorus l. divin. lect. c. 16.

Iulianus Pomerius l. 3. c. 3.

Prudentius Trecensis Ep. ad Hincmarum & Pardulum c. 10.

Hincmarus l. de prædest. c. 11.

Idem Gratiæ habitualis Prodigium colligo *à posteriori* ex eo, quòd Deus *Augustinum* ad tot & tanta pro Ecclesia, pro Fide, pro Dei Gloriâ impendent. Colligo hoc ex quadam publicâ oratione, quæ tempore S. Gregorij Magni in usu frequentabatur. *Deus, qui B. Augustinum, Confessorem tuum, & scientiæ documentis replesti, & virtutum ornamentis ditasti; quem ita multimodo genere pietatis imbuisti, ut ipse tibi Ara, & Sacrificium, & Sacerdos esset, & Templum.* Rupertus Abbas idipsum claris insinuat encomijs. *In Augustino spiritus scientiæ manifestè operatus est, quod se dignum fuit, ad laudem suam, ad Ecclesiæ suæ defensionem, Catholicæq; Fidei perpetuam munitionem. Iste est AUGUSTINUS, columna & firmamentum veritatis, & verè columna nubis, in qua thronum suum posuit Sapientia Dei, cujus ex ore non cessavit distillare pluvia salutaris; imò fluere impetus fluminis contra flumen illud hæreticorum, quod post mulierem, id est, Ecclesiam de ore suo Draco diabolus emisit.* Hæc quidem argumenta esse possunt, quibus prodigium Gratiæ sanctificantis in S. Augustino à posteriori adstrueretur: sed verò multò magis arguitivè infertur ex suâ sacrâ Regulâ, quam conscripsit prælucente sibi Divino amore; cujus in capite non nisi amoris frontispicium apparet. Sic enim legitur. *Ante omnia, Fratres charissimi, diligatur Deus; deinde proximus.* Hoc quippe est, Dei legem implere, & sese Divinæ Gratiæ sanctificanti conformare. Dum S. *Norbertus* meditaretur suis Religiosis Canonicis Præmonstratensis Instituti Leges dictare, visendum se illi præbuit *D. Augustinus*, & auream Re- 361.

S. Augustinus in rebus pro Ecclesia gestis, & religiosis Institutis inclytus.

S. Gregorius in Natali S. Aug.

Rupertus Abb. l. 7. de opusc. S. c. ultimo.

P. Bodan. l. 3. c. 1.

Lanellotus l. 3. c. 15.

Regulam dextrâ portexit, dicens: *AVGVSTINVS ego sum, Hipponensis Episcopus: Ecce habes Regulam, quam ego scripsi; sub quâ si bene militaverint Confrates tui, Filij mei, adstabunt securi in extremo judicij terrore.* Et quidni securi tremendo Judici adstarent, à quibus *aurea Regula*, *Regula*, inquã, *Charitatis* observanda vovebatur? Quam deindesecuti Ordines alij Religiosi circiter *Quadraginta* & ampliùs profitentes, D. AUGUSTINUM in terris, ceu Fundatorem ac Parentem suum cinxerunt, velut dilecta Filiorum corona; cingúntq; deinceps in cælis, & cingent in omnem retrò æternitatem. Præcipui verò Ordines à D. Patre AUGUSTINO nuncupati, duo præsertim in toto orbe antiquissimi, & longè celeberrimi recensentur. Primum profitentur *Canonici Regulares*: qui & Clerici nominati, videntur fuisse ab ipsis Apostolis instituti, deinde verò aliquot elapsis sæculis à S. Augustino propriâ Regulâ donati, & ad sublimius vitæ genus evecti. Et hi quidem per omnes cultiores Europæ partes diffusi, apud Principes, Reges ac Pontifices, mirum quibus gratijs, opibus, & favoribus fuerint aucti. In Lateranensem Ecclesiam à Leone Papa introducti, per octingentos, eoque ampliùs annos, sub sanctissimo D. Augustini Instituto floruerunt. Ex eo prodierunt *quinquaginta quatuor* Summi Pontifices; *mille, quingenti, ac sexaginta septem* Cardinales, Beatorum fastis adscripti *sedecim mille ducenti*; doctrinâ, virtute, & dignitate illustres *innumeri*: ita ut rectè Ticinensis in suo Propugnaculo dicat. *Breve elogium, sed prolixum totius laudationis, quæ nulli unquam religiosæ Congregationi attributa fuit, suffragium.* Secundum Ordinem S. Augustini gerunt *Eremitæ*: quorum laudes enarrent Populi, & vel invictissimorum Christi Martyrum examina, vel mirificorum Confessorum agmina, vel clarissimorum Doctorum collegia, vel sanctissimarum Virginum contubernia, vel denique Religiosissimorum Imitatorum sodalitia quotidianis fragrantissimis floribus ac decoribus exornent.

Ticinensis in Propugnaculo Ord. Canon.

Ad ultimum denique *Prodigium Scripturæ Sacræ* properantem diverto panegyrim, quod S. AUGUSTINUS plùsquàm cætera omnia, in suis Doctrinalibus & Theologicis Libris videtur erexisse. Doctorum est, primò profunda tum naturæ, tum gratiæ, tum etiam ipsius Divinitatis (quantùm mortali capacitati fas est) scrutari: deinde eadem è tenebris, altâque nocte, in publicam lucem producere: quod cæteris omnibus vel maximè fecisse visus est Maximus Ecclesiæ Doctor AUGUSTINUS, *qui PROFUNDA fluviorum scrutatus est, & abscondita in lucem produxit.* Communem omnium Ecclesiasticorum sensum compendio exprimat Rupertus Abbas suprà relatus; qui longam subdit expositionem præcellentis ingenij, quo pollebat *Augustinus*, notatis speciminibus, quæ ipsemet de se fassus est pœnitens Præsul, celebrans inde Deum in opere Confessionum. Nam & Philosophica, ad quæ alij prævijs Magistris ægrè pertingebant solus pervasit; & omnes libros artium liberalium ante conversionem per seipsum legerat, & intellexerat: & quæcunque ad artem loquendi & disserendi pertinent; divisiones item figurarum; & de numeris ac de musicis, nullo hominum tradente, absque magna difficultate perspexerat. Subdit post hæc *Rupertus* ex ipso Augustino quædam deflorata. „[Est, in quo jure sanctum scientiæ „Spiritum laudamus, quia virum ta„lem & sic foris præparatum reddidit, „& sic eo intus dignatus est uti, ut con„tra omnes hæreses totâ suâ vitâ de„pugnans voce & litteris, *tanta scribe„ret, quanta nemo in vitâ suâ legere suf„ficit. Vnde & quidam non inaniter dixis„se fertur: MENTITUR, QUI SE TO„TUM LEGISSE AUGUSTINUM, FA„TETUR.*] Idem volunt, qui de D. Augustino agentes, dicunt eum scripsisse infinita: aut qui dicunt, eum tanta scripsisse, quanta nec inveniri possunt. Victor Vticensis describens *Sancti Augustini* extrema, cùm eum appellasset Pontificem omni laude dignum, multorum librorum

362. *S. Augustinus prodigium Scripturarum & librorũ.*

Rupertus citatus.

Honorius de luminaribus Ecclesiæ. Victor Vticensis l. 1 de persecut. Vandal.

con-

confectorem, eloquentiæ flumen, quod ubertim per omnes Ecclesiæ campos decurrens suavitatis dulcedinem liberaliùs propinatam profudit. Tum etiam subdit, cum usque ad Hipponis Regij per Wandalos obsessionem, *ducentos & triginta duos* libros confecisse præter innumerabiles Epistolas, ac expositionem totius Psalterij & Evangeliorum, atque tractatus populares, quos Græci *Homilias* vocant; *quorum numerum comprehendere, satis impossibile est. Possidius* verò in calce indiculi, aggressus inire numerum operum *S. Augustini*, præ rerum incomprehensibilitate abjecit hastam. *Philippus Abbas bona spei* refert apparitionem quandam factam ab Angelo pio Viro ad extrema deducto, erga B. Augustinum optimè animato; cui sic de sanctissimo Doctore locutus fuisse proditur. [Dum in hoc mundo viveret Augustinus, summâ curâ, summâ diligentiâ incubuit verbo Dei; & non illicita modò, sed & licita perfectè postposuit ei. Hoc nimirum ardore non intermisso amplexatus, in hoc die ac nocte meditatus, in ejus radijs aquilinum intuitum fixit; & quamvis in terris corpore versaretur, tamen spiritu in cælestibus vixit. Ob hoc igitur etiam nunc eidem verbo Dei pleniùs incumbit, & æterni fontis fluenta sitienter hauriens, quasi super pectus Christi familiariter recumbit.]

Philippus Abb. in vita S. August. c. 33.

363. Ab his tantis Prodigiis redeo ad Anatem meam perscrutabundam atque sylvestrem, quæ cùm *Profunda quoque scrutatur*, nusquam profundiùs sese immisit, quàm in libris de Sanctissimâ Trinitate; cujus mysterium contra varios hæreticos acerrimis argumentis propugnavit, atque elucidavit. Porro ab hac Anate quid melius depromam, quàm Cor & caput? & vel maximè COR S. AUGUSTINI, quod etiam post mortem factum est *Prodigium Amoris, & SS. Trinitatis*. Rem stupendam percipite ex Lancelloto, fusiùs tradente donationem cælitus Sigisberto Lugdunensium pientissimo Episcopo factam. Is intensissimis votis aliquas de *S. Augustino*, quem tenerrimè venerabatur, a Deo sibi conferri reliquias dum expeteret, subitò in dulce somnum conquiescit. Tum ecce! dormienti adest Angelus, & vasculum perelegans, auro obrizo & pretiosissimis gemmis ultra stuporem enitescens, in Sacelli Altari reponit, aitque Episcopo *Ecquid dormis, Sigisberte?* Attonitus hac excitatione Præsul somnum excutit, & de loquentis conditione ac præsentiâ sciscitatur. Tum cælestis nuntius: *Ego sum*, inquit, *Angelus, Augustini quondam Tutellaris, qui & illius in vitâ curam habui, & à morte etiam CORDIS, quod Deus in cineres redigi non est passus. Quî enim in cineres iret cor illud, quod adeò arsit Divinis amoribus, quod DEI sedes, quod officina Altissimorum de Sanctissima Trinitate & sensuum & affectionum? Exurge igitur, & quod tibi cælum donat, munus accipe.* Hoc dicto evanuit Angelus; & Sigisbertus sibi redditus in proximo Altari urnulam vitream conspicit, atque in eâ *D. Augustini COR*, ita recens, ita integrum & vividum, ac si modò è pectore esset eductum. Ita pro tam nobili ac sacro pignore gratias agit, & universum Clerum cum Christiano illius Diœcesis populo ad solennissimam & publicam gratiarum actionem convocat. In qua cùm solenne illud ac lætum acroama, quod Divus Ambrosius cum Augustino post susceptum Baptisma alternatim pronuntiando composuit, *Te DEUM laudamus* accineretur; mirabile dictu! mirabile visu! Ecce cor palpitare, exilire, exultare & ebullire in DEUM suum, ac quasi mutâ voce eloqui & inclamare illud SS. Triadi *Sanctus, Sanctus, Sanctus*. Hoc *COR Sancti Augustini* perstare incorruptum, & crystallo inclusum, quoties coram eo Sancta Trinitas nominaretur, aut solenne Trisagium *Sanctus, Sanctus, Sanctus* decantaretur, vel liber ipsius Sancti Augustini *de Trinitate* expanderetur, aut illius festivo ac solenni die præfatio

Cor S. Augustini post mortem recens & vivum.

Lancellott. l. 5. c. 41.

de Sanctissima Trinitate in Missâ prælegeretur, solitum quasi vitaliter exultare, & ejusdem laudes atque encomia etiam post mortem eo cordis motu explicare ac pandere, quo doctis ingenij sui momentis explicuit vivum, tradunt plures gravissimi Authores, relati à Raynaudo. Et fortè hoc ipsum est, quod Divus Augustinus amore Divino saucius edidit, dum sic alloquitur Dominum, verbis in penetrantissima tela exacuatis. *Sagittaveras COR nostrum charitate tuâ, & gestabamus verba tua transfixa visceribus, & exempla servorum tuorum, quos de nigris lucidos, & de mortuis vivos feceras, congesta in sinum cogitationis nostræ, urebant & absumebant gravem torporem, ne in ima vergeremus, & accendebant nos valdè.* O felices sagittas! ô feliciores ab illis plagas! Vtinam & illis configi, & his sauciari posset cor meum, vestrúmq; Auditores! Vtinam hæreticorum omnium corda etiamnum audito hoc miraculo tangerentur, sicut olim contigisse scribit Hieronymus Romanus; quòd homo hæreticus, si Ecclesiam, in qua est Sancti Augustini cor, ingredi tentaverit, aut in vestibulo cadat, aut intus occumbat. Quam ferunt esse originem pingendi cor Sancti Augustini crystallo inclusum, jacentibus ac prostratis hinc inde fidei hostibus; ut sit indicio, quòd eos & prostraverit vivus, & prosternat etiam mortuus. Tanta & tam prodigiosa vis est amoris; qui etiam in corde exanimi & vivere, & spirare videtur!


Theoph. Raynaud in Philolog. de incorrupt. Cad.

S. August. l. 9. Confess. c. 2.

Hieron. Romanus l. p. chron. Augustin. c. 35.

Exhibui vobis, Auditores, quadruplex *prodigium, Naturæ* scilicet, & *Culpæ*; *Gratiæ*, & *Scripturæ*. Exhibui, quod est optimum in Anate, caput & pectus. Volo autem vos omnes vel Augustinos esse, vel Augustinianos: Augustinos amore, vel Augustinianos imitatione: præferre amorem pectore, & capite imitationem. Reducantur ad *Caput* prodigia Naturæ, & Scripturæ; ad *Cor* autem referantur prodigia Culpæ, & Gratiæ; ut si quid sit depravatum per *Naturam*, reparetur per *Scripturam*; & si quid sit contaminatum per *Culpam*, evadat illustratum per *Gratiam*. Et sic spero me præstitisse de operibus & prodigijs Domini, ad quæ videnda & considerandа vos invitavi. Quod reliquum est de Anate, si pectore & cervice saturatus fueris, non est, quod ultrò expetas: *Cætera redde coco.*

A M E N.



IN

IN FESTO NATIVITATIS
Gloriosissimæ Virginis MARIÆ.

PARUS PARVUS.
Das kleine Maisle.
LEMMA.

Pario, qui me parit.

THEMA.

Nativitas tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo Mundo. Cant. Ecclesiæ.

SYNOPSIS CONCIONIS XCVI.

Pro parvi Partûs paritate, hodiernâ Virginei Natalis solennitate parum dicitur, & multum universo Mundo Gaudium annuntiatur: cujus universalis lætitiæ præsertim Mundus Archetypus, Angelicus & Parvus participes efficiuntur.

364. Nativitatis Virgineæ gaudium universale, parvâ Pari aviculâ auspicatur.



DE *Paris parum* bene, parum amplè & honorificè dicturus esse videor. Si enim ejus intellectum consideret Ornithologus, stulta est hæc avicula; facilè enim capitur, eò quòd propter curiositatem mox ad eum locum accedat, à quo auceps abivit: si cantum audiat, ingrata est propter suam vocem; ut rectè dicat Author Philomelæ, *Parus quamvis per noctem tinninet omnem, vox tamen sua nulli jure placere potest*: si escas gustet, vermiculi sunt & canabina semina, suspendij bajula, sevum durum, & duri nuces: si sobrietatem advertat, temulentus est; quia gustatu farinæ vino dilutæ primùm inebriatus capite gravatur, denique cadit, & abjectus volare non potest, faciléque tollitur ab Apiariis, quibus summopere suâ furaci voracitate nocet: si colorem discernat, Paro maximo pectus luteum est, intercursante lineâ nigrâ majusculâ, & juxta oculos alba macula, utrumque obliquæ mentis nota: si omen observet, idem ei videtur esse, quod Parræ volucri inauspicatæ proprium, Horatius impijs imprecatus legitur:

Impios Parræ recinentis omen Horat. l. 3.
Ducat, & prægnans canis, aut ab agro
Rava decurrens lupa Lanovino.

Si denique nomen legat, *Parum* est, & significatione suâ *parvum* atque *parcum*. Ideóque de *Paris parum* bene, parum amplè & honorificè dicturus esse videor. Attamen quia *Parus*, præsertim major, animosa est avis, & ad se defendendum strenua, pro sua magnitudine vocalis, clamosa ac volatu impetuosa; & quia fœcundâ multiplicatione gregatim volans partus copiosos excludit: illud saltem meis hodie ingerit sensibus, quod Virgineam Infantem *Parvo Partu* effusam

in sua Nativitate glorificat; prout de ea S. Damascenus apposite loquitur. *Virginis Nativitas festorum est anteambulo, mysterij Christi præludium: oportebat enim prius palatium PARAri, atque ita Regem adesse.* Proinde animosâ *Pari* voce utar; & ad eam, quæ in Partu suo *velut Aurora consurgens* dicit, *PARIO QUI ME PARIT*, Ecclesiæ Catholicæ festivam acclamationem profundam: *Nativitas tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo Mundo*; utpote quòd omnis Mundus vidit diem gratiæ & salutis ortum. Nam ut Petrus Damiani de Nativitate Beatissimæ Virginis MARIÆ loquitur, *Natâ Virgine surrexit Aurora; quia Maria veri prævia luminis, nativitate suâ manè clarissimum serenavit.* Proinde amplificabo hoc gaudium præsenti oratione: & quia *Universo Mundo* annuntiatum esse gaudium percipio, omnino declarandum mihi restabit, quomodo hujus gaudij triplex Mundus fuerit particeps effectus, Archetypus scilicet, Angelicus & Parvus. Quod gaudium accipite diffusum in cordibus vestris in nomine gloriosi Partûs Virginei Mariæ.

S. Damascenus orat. de Nativ. Virg.

Petrus Dam. ser. ... in Assumpt.

365. Exactâ à conceptu novimestri periodo, in lucem prodijt *Parvus Partus*, Beatissima Infantula *MARIA*, Angelis (prout affirmat B. Birgitta in sermone Angelico) festivè plaudentibus, gloriámque in Excelsis Deo, & in Terra pacem hominibus, pro tam bonâ Dei Optimi Maximi voluntate concinentibus. *Nascitur* ergo, ut cum Isidoro Thessalonicensi loquar, *sacratissima hæc pulchritudo, expressissimè Deum referens, & summè Deiforme Spectaculum, divinitus micans splendor, Deum oblectans jubar, Deum condecens formositas, & sponsa, & filia Dei reservata MARIA; è sterili quidem & infœcundo Vtero, sed animâ fœcundissima, fructuúmque DEO placentium feracissima.* Mensem & diem compertum habemus ex Ecclesiastica traditione, quæ fert, editam Deiparam octavo Septembris: ac, ut mysterio responderet temporis circumstantia, Beatam Infantem, quæ Solis Justitiæ aurora in Canticis dicitur, ferunt illucescente *aurorâ* esse natam. Aluntenim, tres celebrari sanctas Nativitates, *Joannis* ut Luciferi, *Mariæ* ut Auroræ, & *Christi* ut Solis. Locus Nativitatis Deiparæ aut fuit Bethlehem, juxta Theophilactum & Truthmarum; aut fuit Sephorum Galilææ civitas, juxta S. Hieronymum; aut fuit Jerosolyma, juxta Damascenum & plures alios, referentes, demonstrari Jerosolymis domum juxta *Probaticam piscinam*, ubi Deipara affirmetur nata; imò non aliunde tunc primùm inditam esse, nec inde multò pòst ablatam Probaticæ illi piscinæ virtutem curandi ægros in illam demissos, quàm ex viciniâ domûs, in qua Deipara lucem primò vidit: aut fuit probabilissimè Nazareth Galilææ, quam fuisse sedem habitationis Joachimi, receptissimum est apud veteres. An autem eidem statim, ac nata est, pro cæterorum infantium more, Angelus Custos sit datus, variant sententiæ. Pelbartus noster eum Mayrone contendit, Deum seipso supplevisse munus Angeli Deiparam custodientis; ideóque non fuisse Angelum illi ad custodiam necessarium, sive ut averterentur pericula, sive ut conferrentur lumina, sive ut gustus bonorum curarentur: admittit tamen, datum esse Deiparæ à Nativitate Angelum ad famulatum; imò datos esse multos Angelos stipatores, quibus unus aliquis nobilissimus præesset; quem fuisse Gabrielem, ex communi existimatione tradit Pelbartus. Verisimilius tamen esse videtur, Deiparam Angelo Custode non caruisse; qui saltem averteret externa mala, edoceret de varijs rebus hîc & nunc faciendis, illustraret quoad varia pro divinæ Sapientiæ arbitrio. Hunc Angelum respectu Deiparæ fuisse Gabrielem, communissima est persuasio ex SS. PP. hausta. Editæ per singulare miraculum ex annosis & sterilibus parentibus Puellæ, ac in ipso ortu, præcellentissimo Angelo concreditæ, naturalem corporis perfectionem facilè est ex eo deprehendere, quòd DEUS opera sua perfecta efficiat: cùm ergo Deus ex hac Puella Christo suo carnem

Nativitas Deiparæ quoad circumstantias considerata.

S. Birgitta in ser. Angel. c. 7.

Isidorus Thessalonicensis orat. de Præsent. B. Virg.

Vide Raynaudum in Dipticho Mariano.

Pelbartus Rosario 3. V. Angelo, 10. §. 131. & l. 5. Stellarij p. 2. art. 1.

nem quandoque decerpturus esset, ita ut ejus aliqua portio futura aliquando esset caro ipsiusmet Dei, omnino statuendum est, Deum specialiter providisse, ut corpus illud in suo genere maximè perfectum & optimè constitutum evaderet. Non quòd Beatissima Infantula acceperit *temperamentum ad pondus*, ut loquuntur Philosophi, quasi scilicet in ea omnes primæ qualitates, saltem ratione totius corporis, habuerint æqualitatem; cùm humana vita ad tale temperamentum disputetur inepta existere: sed illud, in quo est æqualitas Justitiæ; ita ut & omnes partes singillatim, & corpus universum in B. Virgine exquisitè fuerit temperatum.

356. Pulchritudo extrinseca Deiparæ.

Quia verò temperamenti præcellentiam sequitur corporis sanitas, & venustas sive pulchritudo, meritò Doctoris passim agnoscunt, utrumq; illud decus humani corporis eximium in B. Virgine eminuisse: inde est, quòd de perfecta sanitate concludit ratio *temperamenti ad justitiam*. De altera autem non potest negari, quin B. Virgo fuerit corpore pulchetrima. Neque enim convenienter, ut argumentatur Richardus de S. Laurentio, *tota pulchra & sine macula* appellaretur, nisi secundùm dispositionem & figuram corporis, & colorem faciei, pulcherrima & sine macula appareret. Cùm in istam incomparabilem Deiparæ pulchritudinem venustissimis floribus loquantur PP. & DD. unica nobis præ cæteris arrideat persuasio Philippi Abbatis, sic ratiocinantis. [Quòd illa Virgo, „inquit, quam sibi ab æterno in Ma- „trem Dei Filius prælegit, in qua „tempore congruo sumens carnem „membris contractioribus se coëgit; „de qua nasci voluit, sepe carnis no- „vo genere non abruptâ; cujus factus „est filius, ante partum & post partum „castitate penitus incorruptâ: quòd „illa, inquam, Virgo inter cæteras, hoc „est, præ cæteris mulieribus fuerit spe- „ciosa, æstimo dignum credi, nec est „fides hujusmodi vitiosa. Neque enim „est credibile, ut Deus Dei Filius ma- „trem elegerit fuscam, luscam, stru- „mâ notabilem, vel gibbosam; & non „magis vultu niveo, colore roseo, gra- „tis oculis, pleno corpore speciosam: „ut quæ ad officium dignius præ cæte- „tis mulieribus est electa, esset non „solùm quavis turpitudine non infe- „cta, sed & specie corporali cunctis „pulchrior & perfecta.] Quod totum de naturali Virginis pulchritudine est intelligendum: nam *supernaturalem splendorem*, quem Dominus multò magis suæ Matri quàm Judithæ contulerit, etiam in corpore, nunc non observamus. Quamvis Liber de Infantia Salvatoris ita prodat de Virgine, Josephum post Christi conceptionem non potuisse in eam oculos defigere, præ micantibus inde radijs. Et hoc sibi facilè quis persuadebit, qui & Moysis vultum ex divino alloquio cornutum, hoc est, radiosum, & plerosque Viros sanctos radiante vultu visos esse apprehenderit. Quid? quòd S. Dionysius, ut ex Vbertino aliisque Recentioribus jactatur, cùm ad Deiparam accessisset, ex tanto fulgore vultûs ejus in tantam prorupit admirationem, ut professus postea sit, se eam pro Dea fuisse habiturum, præ tanta luce & pulchritudine, nisi fides obstitisset? Et verisimile est, hujusmodi radijs ex Deiparæ corpore collucescentibus internam animæ sanctitatem fuisse frequenter commonstratam. Quòd verò longè admirabilissimum est, nec citra speciale divinum beneficium toti naturæ indebitum contingere potuit, non erat ea pulchritudo libidinis illectamentum, quod est nævus exquisitioris corporeæ pulchritudinis; sed convertentes ad sanctum pudicitiæ & castitatis corporalis amorem inflammabat, impuris autem ignibus æstuantes, non secùs, ac ventus roris refrigerabat. Vt rectè quoad extrinsecam corporis pulchritudinem comparari possit munitissimo Castello, atque *ARTE ET MARTE* inexpugnabili: cui, cùm & præsidiarij Milites, & tormenta bellica, & subterranei cuniculi, & reliquus apparatus bellicus dent virtutem & fortitudinem, vel maximè provenit *A FORMA MUNIMEN*. Vnde non incon-

Richardus à S. Laurentio l. 5. Deipara tit. de pulchritudine.

Philippus Abbas. l. 2. in cant. c. 1.

Vbertinus l. 4. arboris vitæ c. 38.

incongruè in Canticis Pulchritudo prædicatur esse conjuncta cum Fortitudine: *Pulchra es Amica mea, & terribilis ut Castrorum Acies ordinata.* Et eodem capite paulò inferiùs: *Pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut Castrorum acies ordinata.*

Cant. 6. v. 3. & 9.

367. Quidquid sit de alijs ornamentis, Partum Electissimæ Dei Matris concomitantibus, illud præ cæteris Ecclesia concinit affectibus decorum. *Nativitas tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit Universo Mundo.* Non loquitur de Mundo hoc Magno, ex omni Entium corporeorum & spiritualium genere compilato; de quo Ægyptiorum Theologus, penè Moysis coætaneus, Mercurius Trismegistus dixit; quòd *Universum sit Liber Divinitatis, sæculúmque hoc fubillustre sit speculum Divinorum.* Sed de Universo Mundo tantæ lætitiæ & exultationis rationabiliter capace, Mundo scilicet Archetypo, Mundo Angelico, & Mundo Parvo. Primus est DEUS; secundus est Angelus, & tertius est Homo. Jam Nativitas Deiparæ gaudium annuntiavit *Mundo Archetypo*, qui est *Numen sacrum, increatáque Altissima Divinitatis sphæra.* Dum enim nascebatur hic sanctissimus Infans, non tantùm levabatur ab utero Matris *Filia* per gratiam sanctificantem *adoptiva*, sed etiam *Sponsa* Christi venturi parabatur, & verò Sponsa totius Sanctissimæ Trinitatis. S. Epiphanius hanc publicæ lætitiæ normam, Mundo Archetypo propriam, talibus tradit elegantijs. [Sancta, inquit, Puella, Virgo „MARIA est Sponsa Trinitatis, & Thesaurus dispensationis planè arcanus, „cui Gabriel inquit, *Ave gratia plena,* „*Dominus tecum,* Subjunxit Gabriel, & „Pater misit arrhabonem de cælo Spiritum Sanctum, præparavit Virginem „Unigenito Filio cælesti sponso, quam „Pater dilexit, Filius inhabitavit, Spiritus S. percupivit. Ipsa enim est „Sponsa & thalamus, & ex ea Sponsus procedit Christus, Virgineum indumentum, juxta suavem Davidis „Prophetæ cantionem; *In sole posuit* „*tabernaculum suum, & ipse tanquam*

Gaudium annuntiatum Deo in Nativitate Deiparæ ob varias prærogativas.

S. Epiphanius orat. de Laud. Maria.

„*Sponsus procedens de thalamo suo.* O „Sponsi desiderium summæ puritatis, „Propriam Ancillam, Sponsam & Matrem sibi despondet, Gabriel effectus „conciliator Virgineus cæli & terræ, „incensum atque suffimentum unà copulans. Quam quidem Virginem „Prophetæ clarè descripserunt, dum „prædicârunt seriem nuptiarum, nimirum quomodo Virgo inveniur esse „cælestis Sponsa & Mater: quæ donorum antenuptialium nomine, Spiritum sanctum accepit; dotis verò „gratiâ, cælum unacum Paradiso. „Quærebat igitur Virgo conspicere, „quem desiderabat, inquiens; ubi est „Sponsus, cujus pulchritudinem exopto?] Hæc omnia sic copulata lætitiæ motiva recolebantur tunc in præscientiâ Deitatis, quando sanctissimus Infans MARIA huius festivissimi diei lucem suo splendore nativo illustravit; tunc enim bonis avibus poterat dici Infantulæ beatissimæ, quod Chrysippus inducit, ad eam hodie præsagitum. *Ipse Pater te sibi ipsi desponsabit: Spiritus S. coëfficiet ea, quæ ad desponsationem pertinent; & Filius ipsum templi tui decorem assumet.* Mundo Archetypo gaudium annuntiavit Nativitas Deiparæ, quia typis tandem editus & absolutus est, juxta Andream Cretensem, *Liber verè vivus Verbi paterni, tacitè inscriptus vivifico calamo Spiritûs.* Aut juxta S. Damascenum, *Liber novus in quo inenarrabili modo Deus Verbum, citra omnem manûs operam inscriptus est.* Tomus purissimus & animatus, sine ordinarijs & consuetis characteribus hominis operâ in ea charta efformatis, continens Incarnationem Verbi Divini; traditus homini nescienti literas, hoc est, Josepho Virgini, citra omnem illibati pudoris violationem & labem. Scriptura verò Verbi Dei in Libro Deiparæ ejusmodi est, ut mundicordes tantùm de die & ad Solem legere possint, id est, affulgente pleno Christi lumine, ita ut dies diei eructet Verbum. Mundo Archetypo gaudium annuntiavit Nativitas Deiparæ, quia in ea perfectum est nobile Sanctissimæ Trinitatis Triclinium, quod

Chrysippus in. de Deipara.

Andreas Cretensis orat. de Assumpt.

quod totam Trinitatem ad se venientem, & mansionem in ea facientem excepit; quia Deum affectu maximo dilexit, cui affectui ea S. Trinitatis mansio à Christo est repromissa. In hac enim velut in lectulo, quietem alibi in omnibus mortalibus aliquando negatam, suavissimè cœperunt sanctissimæ Trinitatis Personæ. Cui illud etiam affine est Ruperti Abbatis præconium, *Exemplo Angeli salutamus illud Templum Domini, Sacrarium Spiritûs S. thalamum Sanctitatis, TRICLINIUM Divini Concilij, in quo, ut dictum est, Divinitas veniens ad nostram salutem nostrâ carne calceata est.* Sed verò præsertim Mundo Archetypo gaudium annuntiavit Deiparæ Nativitas, eò quòd ex Hesychij intentione importâsse videatur *Complementum Sanctissimæ Trinitatis.* Cujus rei cùm implexa videatur esse explicatio, non tamen videtur cedere contra Theologicæ veritatis rationem; quanquam in sensu accomodo debeat intelligi, ne videatur delicatis auribus parere difficultatem. Itaque sensus unus accomodus completi hujus gaudij, ex *complemento* enascentis SS. Trinitati, adstrui potest; quòd cùm Pater æternus Verbum generet, Pater autem & Verbum producant Spiritum S. quæ communicationes sunt infinitæ, ac perfectè complentes Patrem & Filium; solus Spiritus S. ut infœcundus, sic incompletus manere visus esset, nisi se B. Virgini eâ communicatione, cujus stillam Apostolus Corinthijs apprecabatur, mirabiliter infudisset, ostendens in eâ, quantum ipse valeret; ut egregiè dixit Beda: & quod maximè ad rem futurum videtur, producendo in ea Filium, cujus conceptione ex Spiritu S. propulsata ab eo, quantum fieri poterat, infœcunditatis nota videri posset, Sic enim Spiritus Sanctus, atque adeò Trinitas (quia is solus incompletus perstabat) complementum à Virgine accepisse dici potest. Alia non minùs hujus complementi accomoda interpretatio arridere potest; quòd Verbo, Patris æterni naturali Filio ex Incarnatione, atque adeò per Virginem accreverit nova filiatio naturalis, respiciens totam Trinitatem, cujus Christus est Filius; aut certè respiciens Patrem, ut terminum filiationis secundæ naturalis, & Spiritum Sanctum, ut nodum insolubilem, Patrem simul ac Filium in tempore colligantem. Hanc ergo Sanctissimæ Trinitatis capacitatem, ut supra relationes æternas hos temporarios respectus acciperet, complevit Beatissima Virgo, jam in sua Nativitate prædordinata ad hoc, ut Verbum Divinum ex ea procrearetur; indéque dici potuit ab Hesychio *complementum Trinitatis.* Concludit Salazarus hoc publici gaudij complementum, *Quid cum gravitate, quid cum subtilitate, quid cum Virginis gloria & splendore magis conforme & conjunctum dici, & excogitari potuit? Profectò nihil.* Sed verò etiam

Rupertus l. 9. de div. offic. c. 11.

Hesychius orat. 2. de B. V.

1. Corinth. 13.

Scipio Agnellus l. 1. de Dote æterna B. V. disp. 3.

Salazar. n. 305.

368. *Nativitas tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo Mundo*, hoc est, *Mundo Angelico*: qui Mundus totus spiritualis est, nihil de mole corporeâ ac materiali in sese continens. Quid enim corruptibilis materiæ in sese contineant Spiritus illi sublimissimi, & super omnem creaturam eminentissimi Angeli, qui statim in creationis principio, non aliter à Divinâ Substantiâ quàm lucidissimi radij ab inextinguibili Sole promanârunt? Proinde hoc Angelorum systema rectè dicitur *Mundus Hierarchicus*: pulchrè enim à Sancto Dionysio Areopagita explicatur, quòd Hierarchia idem sit ac sacer Principatus, seu Sacra Respublica, aut collectio Personarum aliquo modo sacrarum sub quodam Principe; quomodo Angelici Chori in suis hierarchijs continentur, & ex his tota Mundi Angelici constitutio exsurgit. Jam quantum gaudium, & tripudium Angelicis Spiritibus annuntiare debuit Deiparæ Nativitas? in qua singulis Angelicis Choris facta est participatio dignitatis. Enimverò venerabantur tunc *Angeli*, tanquam infimi Ministri, humilem Ancillam Domini futuram, quæ Incarnando Verbo purissimum sanguinem in obsequium humanæ Redem-

Angelicorũ Ordinum gaudium in nativitate Deiparæ.

S. Dionysius de cælest. hierarch. c. 6. 7. 8. & 9.

demptionis præstaret. *Archangeli* jam tunc concertabant votis de tanti Clientis suscipiendâ tutelâ,& annuntiando mysterij negotio: præsertim si Abulensis rectè commentus est de multiplici pro varijs temporibus Angelo Custode Deiparæ; quasi ab ortu usque ad Incarnationem Verbi, unum aliquem è minoribus Angelis habuerit Custodem; quia tunc non habebatur nisi ut privata persona: postea verò cùm concepit Christum, quia spectabatur ut Persona publica, Mater Dei acceperit sublimiorem Angelum; & sic pro sublimiori virtutum & munerum characterismo, etiam fuerit sublimioribus Archangelis concredita ad servitium. *Principatus* suspiciebant in recens nata Infantula Principatum Virginitatis, in omni beatissimi Partûs Divini circumstantiâ illibatæ mansuræ. *Potestates* adorabant Majestatem regiam, ad quam esset Infantula velut ad supremum puræ creaturæ culmen sublimanda, utpote quòd Ei cum Filio suo Vnigenito futura esset Imperij cælestis participatio. *Virtutes* collaudabant in Infantulâ illam singularissimam præeminentiã, quâ serpentis infernalis caput calcavit,& omnis peccati maculam à sese exclusit. *Dominationes* sua eidem deferebant obsequia,& consecrabant servitia, tanquã servi & vasalli auspicatæ Dominæ Angelorũ. *Throni* excipiebant Infantulam in suum consortium, utpote quòd esset erigenda in cælestis Regis Thronum, de quo olim Verbum Incarnatum prodiret, tanquam Sponsus procedens de thalamo suo. *Cherubini* in ea admirabantur *altitudinem*, ut loquitur Methodius, *cogitandi inaccessibilem, invisibile profundum Angelorum oculis.* Denique *Seraphini* cùm Supremi Spiritus inter Ordines Hierarchicos numerentur, singularissimo respectu reverebantur ardentissimam Infantulæ Visionem: quem enim dejectis oculis ob reverberatam aciem contueri nequeunt sancta Seraphim, eum noverant a Virgine multoculâ & palyonima, ut loquitur S. Epiphanius, pervadendum obtutu irretorto; imò quod plus est, blandè suaviandum & contrectandum ab effectâ Seraphim incomprehensæ visionis,& verè præstante id, quòd S. Seraphim in visione illa semiplena & incomprehensa præstare nequiverunt. Vbi intermittendus non est locus S. Epiphanij relati. [Virgo, inquit, plurium nominum & multocula, effecta est Seraphim incomprehensæ visionis: quæ inventa est velamentum quoddam intellectuale corporis universalis, Cherubim transcendens. Illa enim avertuntur, cùm nequeant spiritualem ignem Divinitatis fixis oculis intueri: hæc autem apertis oculis fixè intuens, incomprehensibilem & somni expertem oculum Christi, cum desiderio & osculo salutabat. Exercitus Angelorum (qui sunt scabellũ pedum Christi) procidentes nec videre possunt, nec contingere: hæc verò labra labris conjungens, incomprehensum salutabat.] Potuerunt hæ rationes in specie consideratæ Angelicis Ordinibus esse motivo, ut ij, quibus in Divinâ Essentiâ Deiparæ partus est revelatus, miris exultarent tripudijs,& ob adductas rationes diem festum in cælis concelebrarent. Et verisimile est, ortum Deiparæ fuisse pariter, ut mortem, ab Angelorum præsentia illustratum. Omnes Angelos adfuisse morienti Deiparæ, affirmat Suarez; & idem tradit Damascenus, adstantes Angelorum classes, Virginis è vitâ discessum expectantes describens: mox etiam Angelos partim præcurrentes, partim comitantes, partim subsequentes, nullum officij genus erga Dei sui Matrem prætermisisse, testatur. Cúmq; aliâ oratione descripsisset conventum Apostolorũ,& veterum Justorum ac Prophetarũ ad Virginem, subdit. [Quin ne Angelorũ quidem catervahujus cœtus expers erat. Quantumcunq; enim Summo Regi voluntate paret, ob idque dignum est, quòd ipsi adstet, id nimirum ipsius quoque juxta carnem matrem, illam, inquam, beatissimam, & omnibus generationibus, atq; adeò omnibus rebus conditis excellentiorem, stipare oportebat. Huic omnes astabant spiritus fulgore collucenti, splendidissimísque radijs eos illustanti, qui cum pudore ac metu

Abul. in Ex. c. 28. V.

Method. orat. de Hypap.

S. Epiphanius orat. de Deip.

Suarez. l. 6. de Ang. c. 10
Damascenus orat. de dorm.

tu, & constanti cupiditate, purum in eã mentis oculũ defigebant.] Hæc si contigisse verisimile est in obitu Deiparæ, nũ putatis, minorẽ fuisse inter Angelos festivitatẽ in Nativitate Deiparæ; quandoquidem in Nativitate hominis gaudeant vicini, & in morte lugeant?

369. Sed vel maximè *Deiparæ Nativitas gaudium annuntiavit universo mundo*, hoc est, *Mundo parvo*. Nihil sanctiùs Antiquis dictum est, quàm hominem esse μικρόκοσμος, seu *Parvum Mundum*, magno huic Mundo, scilicet Vniverso perquàm similem, imò hoc eminenter continentem. Quidquid enim Mundus magnus præbet conspicuum, illud Parvus intra suos conclusit terminos; miram scilicet quatuor elementorum temperiem, per omne humanum corpus diffusam; luminaria oculorum in cerebri cælo promicantia, veluti lucidissimas stellas; tot capillorum passim dispersorum profluvies, velut opacas & ferales sylvas; membrorum insuper articulos, velut trochleos, quibus hic Mundus agitur; item intricatam venarum, arteriarum, nervorum, cartilaginum convolutionem, velut indeficientia & continuo motu spirantia flumina, quæ omnia in cor tanquam in mare magnum redundant. Vt taceam de illis rationabilissimis Intelligentijs, quæ hunc Mundum ad rationabilia obsequia disponunt, eúmque ex serie irrationabilium brutorum extrahunt. Nec inducam prolixè statum supernaturalem beatificum, ad quem obtinendum à Primo Authore gratis est conditus. Ita nullum est creaturæ genus, quod in homine non possit cognosci: vegetatur enim cum plantis, sentit cũ brutis, ratiocinatur cum Angelis, locomovetur cum saxis, temperatur cum elementis, serenatur cum cælis. Vsqueadeo nihil est in hujus universi complexo, quod non contineatur in *Parvo Mundo*! Jam verò hic *Mundus Parvus*, hoc est, Homo, erat Integer per Justitiam Originalem, Corruptus per peccatum patentale, & Reparatus per Vnionem Hypostaticam!

Mundo parvo hodie universale gaudium, ob multiplicem futuræ maternitatis in Infantula Maria prærogativam.

Quantum gaudium annuntiavit Mundo Deiparæ Nativitas? quando *Integer* per Nativitatem aspexit unicum suæ originalis Justitiæ præservatum perfectissimum Subjectum? quando *Corruptus* in hac Infantula nobilissimum salutavit suæ prævaricationis remedium? quando Reparandus suscepit dignissimam Divinæ Incarnationis Parentem. Et quia Mundus Parvus sub hac triplici consideratione acceptus, in recens natã sanctissimâ Infantulâ felicissimam veneratur *Matrem*, à Prophetis præfiguratam, ab Angelis præhonoratam, & à peccatoribus pro sua salute præconcupitam: hinc tot tantisque titulis eam quotidie auditur salutare, ut Matrem, ut Parentem, ut Puerperam. Enimverò quando potiori jure salutetur ut Mater, quàm in Partu? in quo ipsamet electissima Creatura homini probavit suæ fœcunditatis auspicium? Exulto præ gaudio Parvus Mundus, & lætabundus Homo hodie cum Ecclesia cano: *Salve sancta Parens! Alma Redemptoris Mater! Ave maris Stella, DEI Mater alma!* Dum de partu loquor, effundo me in amplissimos Maternitatis titulos. Quid hoc, *Alma Mater!* si Martialis plausum de Domitiani Natali juvat suscitare.

Cæsaris alma dies, & luce sacratior illa, Martial. l. 4.
Conscia Dictæum quæ tulit alma Iovem.

Sic *alma* dies pro sanctissima & purissima accipitur, & Mater alma pro eximia illa Virgine, Virginum Phœnice, parente optima, altrice & nutrice. Solet titulus *alma* dari Academiæ, ingeniorum altrici, per quam doctrinæ lac suppeditatur alumnis. Beatissima Virgo hodie nata rectè salutatur *Alma* futura *Mater Christi & nostri*: Christi quidem; quem alet & fovebit, omnibúsque optimæ nutricis sive altricis officijs prosequetur: nostri verò, quos tanquam alumnos omni materni officij genere demerebitur, & quibus pretiosissimum lac, in quo crescamus in salutem, suppedita-

ditabir. Vos, quotquot spectatis Nativitatis tripudium, considerate & videte; quia hæc Infans erit *Mater gentium*. Si enim juxta Paulum ideò Abraham Pater multarum, imò omnium gentium dictus est, quia suâ vivâ fide promeruit ex se & Sara gigni Christum, quo omnes gentes sunt ad vitam renatæ; multò magis Beatissima Deipara, quæ credidit, *omnium gentium Mater* dicenda erit. Jubilate Auditores, quia hæc Infans erit *Mater omnium viventium*, juxta Chrysologi sententiam, accommodantis ad Beatissimam Virginem tanquam antistrophen prioris Virginis, quæ nos fermento iniquitatis depravavit, parabolam Evangelicam mulieris fermentantis farinæ sata tria. [Mulier, inquit, accepit à Deo fermentum fidei, quæ acceperat à diabolo perfidiæ fermentum. Abscondit in mensuris tribus, hoc est, in tribus hominum temporibus, quod est ab Adam usque ad Noë, à Noe usque ad Moysen, à Moyse usque ad Christum: ut mulier, quæ corruperat fermento mortis in Adam totam massam generis humani, fermento resurrectionis totam carnis nostræ massam redintegraret in Christo: ut mulier, quæ confecerat panem gemitûs & sudoris, panem vitæ conqueret & salutis: & esset *omnium viventium Mater* vera per Christum, quæ erat in Adam Mater omnium mortuorum. Ob hoc námque Christus nasci voluit, ut sicut per Evam venit ad omnes mors, ita per Mariam rediret omnibus vita.] Præstat hîc addere versus Joannis Bonivaleti, qui erat servus B. Virginis obsequio addictissimus.

Hebr. 11.

Chrysologus serm. 99.

Felix Mater ave, quæ Mundus solvitur à væ:
Quæ Genitricis Evæ væ facis esse breve.

Cantiprat. l. 2. Apum. c. 1. n. 20.

Quibus plausibus aliqui addunt piam infulsitatem, etiam Cornelio à Lapide non improbatam: quòd *Eva* nomen à Deipara mutatum, alludat ad ejulationem parvulorum, ejus posterorum: quorum masculi nascendo ejulantes dicant A, quasi in Adamum sua mala, quæ prænuntiant, referentes; fœminæ verò dicant E, quasi ab Evæ stultitia suam miseriam derivantes. Attendite & videte Auditores, atque huic Infantulæ natæ applaudite; quia futura est *Mater Matrum* præstantissima: cum qua infinitis propè parasangis comparari non possit quæcunque Mater, sive conceptus absque concupiscentia, & gravitas absque gravamine, & partus absque dolore ac sordibus attendatur, sive proles edita consideretur. Erit hæc *Mater honorificata*, utpote primaria Patrisfamilias Sponsa, & vera Materfamilias, omnibus alijs Sponsis, lectissimis scilicet Animabus, antepofita, & super omnes Dei thesauros eorúmque dispensationem constituta. Erit *Mater Gratiæ*, quæ divinâ gratiâ & miseratione egentibus, gratiam exoret; nec peccatores ad eam aspirantes unquam repellat, sed foveat ac juvet. Erit *Mater Lucis*, non tantùm quia pariet Christum, omnis lucis fontem atque originem; sed etiam, quia lucem inferet clientum suorum mentibus, & offucias à Sathanâ inductas, vel è caliginosa nostra concretione existentes, suâ deprecatione & suffragatione dispellet. Erit *Mater Misericordiæ* præ omnibus, & pro omnibus: quæ cùm erga quoscunque miseros abundet misericordiâ, erga peccatores tamen erit abundantissima & uberrima. In hac misericordiæ periodo intervenit Richardus Victorinus, & [Meritò, inquit, misericordia ejus cursui hinnulorum comparatur, & per mundum currit, mundum irrigat & infundit. Hinnulorum velocitati comparatur, quia velociùs occurrit ejus pietas, quàm invocetur, & causas miserorum anticipat. Hinnulis verò comparatur, quia dulcedinem bonitatis, quam impendit, ipsa desuper fugit. Hæc autem sunt ubera tua, ô Beata: id est, pietas, quâ miseros lactas, dum misericordiam eis impetras. Lactas miseros, & ab ipsa misericordiâ lactaris: ab ipsa percipis,

Cornelius in c. 3. genes. ad v. 20.

Richardus Victorinus c. 31. in cant.

„pis, quod refundis. Prærogativam „singularis gratiæ meruisti, quia pri- „vilegiata es præ mulieribus.] Et pau- „lò pòst. [Ad te ergo Matrem misericor- „diæ, Matrem miserorum clamant e- „xules filij Evæ, clamant ipsæ miseriæ „(habet enim miseria clamorem) & „vallis hæc lachrymarum. Vallis est „enim lachrymarum, adeò ut si ipsi „miseri non clament, ista auribus tuis „insonet.] Innumera sunt SS. Patrum encomia, quibus hanc natam Infantulam futuræ Maternitatis prærogativis conantur affectuosissimè venerari.

Hæc de gaudio, hæc de communi exultatione in universum Mundum, hoc est, Archetypum, Angelicum & Parvum, redundante ex gloriosissimæ Deiparæ Nativitate, paucis quidem, sed energeticis & nervosis dicta finto. Circumspectè enim in orationis meæ fronte præmonui, de *Paris parum* benè, aut absolutè non nisi *parum* dici debere. Cæterùm inter hosce publicos Virgineæ Nativitatis plausus, inter lætitiæ tripudia, quod adderem, cùm *parum* non sufficeret, dixisse omnia videbor, si parum dixi, & plurimùm eloqui cogitavi. Ad Thomæ Cantipratani professionem declino, & eâ restantem epilogum adorno. Quid conor, florentissima Virgo, Beatissima Infans, pia Mater & Domina, quid conor prosequi virtutes tu. s? Si cuncta mei corporis membra, & omnes guttæ vitales sanguinis mei verterentur in linguas, potiùs tamen mihi laudis tuæ verba deficerent, quàm exempla. Imò ut *parum* aliquid ex Petri Comestoris protestatione superaddam.

Cantipratan. l. 2. Apum c. 29. in fine.

Petrus Comestor apud Vincentium in Speculo hist. l. 10. c. 1.

Si fieri posset, quòd arena pulvis & unda,
Vndarum gutta, rosa, gemma, lilia, flamma,
Æthera, calicola, nix, grando, sexus uterque,
Ventorum penna, & pecudum genus omne, volucres,
Sylvarum rami, frondes, avium quoque pluma,
Gramina, ros, stella, pisces, angues & arista,
Et lapides, montes, convalles, terra, dracones,
Lingua cuncta forent; MINIME deprimere possent,
Qua sit, vel quanta Regina Virgo MARIA!
Qua tua sit pietas, nec littera, nec dabit atas.

A M E N.



IN FESTO S. MATTHÆI APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

CUCULUS EXCUCULLATUS.

Der gemauste Guguck.

LEMMA.

Non vano astu.

THEMA.

Non veni vocare justos, sed peccatores. Matth. 9. v. 13.

SYNOPSIS CONCIONIS XCVII.

Conversio MATTHÆI ex Publicano in Apostolum, & ex Teloniario in Evangelistam, majus probatur esse opus DEI, quàm cujusdam mortui resuscitatio ad vitam, aut mundi totius creatio.

370. Cuculi cum Matthæo comparatio, & præcellentia peccatoris.

Iscernite & dignoscite, Viri Probi, prudentes & circumspecti, an in re importanti & præjudiciosâ æquè & justè sit decisa sententia à non nemine Judice intra Cuculum & Lusciniam litigantes. Casus est taliter circumstantionatus. Obviabant sibi aliquando hæ duæ Volucres inter sylvarum recessus, & factâ familiari salutatione, cùm de varijs contingentijs contulissent sermones, circa nativas suas cantilenas controvertere incipiebant. Cuculus quidem suo cantui, tanquam omnium pulcherrimo & naturalissimo, principatum tribuebat: nolebat Luscinia cedere, & suam melleam melodiam universorum Volatilium garritibus, clamoribus & cantibus, quà arte, quà suavitate, quà hilaritate anteferebat. Ab hoc jucundo certamine dum devia & avia sylvarum resonarent, conventione denique initâ compromittebant ambæ in Judicem quempiam indifferentem, quem Deus ipsis in illâ solitudine esset designaturus. Eodem momento quidam longè auritus, & admodùm practicus Asinus illius viciniæ gramina deglubebat; ad quem ambæ litigantes advolant, honorificè ab ipso requirentes sententiam, de præcellentia suorum cantuum justè, æquè, & timorate ferendam. Oportet, inquit Asinus, servare Legem *Illicitas §. veritas ff. de officio præsidis*, sic præcipientem: *Judex, quæ certò non scit, debet judicare secundùm allegata & probata.* Allegate igitur, & probate vestras cantilenas, ut inter utramque æquo arbitrio discernam. Promptè paret Cuculus, & quantâ potest cuculationum dimensione frigulat eodem tono, atque mensurâ; ubi econtra Luscinia per omnes musicales scalas tam ornatè & suaviter discurrebat voce, ut omnes illius nemoris inquilinæ Aves præ admiratione conticerent, & ætheris choraulæ dulciter auscultarent. Acuebat

bat igitur aures suas Judex, & ut erat harmoniæ expertissimus dignam profert tali Asino sententiam. Esto, quòd Lusciniæ cantus sit artificiosior, cuculi tamen antiphonæ mihi magis arridet, utpote meis ruditibus conformiores. Sic sic, perdidisti causam, O charissima Luscinia; Cuculus victor evasit, judicio Asinino. Transeat hic Æsopi dialogus, ut ad moralem intelligentiam properemus. Sit Luscinia symbolum *Justorum*, qui in Apocalypsi unà cum vigintiquatuor senioribus *cantabant canticum novum*: & peccatores *injusti* sub Cuculo intelligantur, quibus à S. Jacobo comminatio denuntiatur *Agite nunc divites, plorate ululantes in miserijs vestris, quæ advenient vobis*. Fiat inter utrosque certamen de præcellentia vocis, & constituatur Christus DEI Filius Arbiter ad ferendam sententiam, audietis imitatione asini decisionem inexpectatam, *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Neque est hæc præcipitata sententia; nam facto comprobat mentis suæ sensum. Cùm enim tanquam expertissimus animarum Auceps passim ubique transiret oppida & solitudines, & suis prædicationibus alliceret cæli volucres, subitò juxta telonij prostibulum audit cuculantem Cuculum; replicat proinde vocem, NON VANO ASTU, imitatur, videt, apprehendit. *Vidit Iesus hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine; & ait illi: sequere me. Et surgens secutus est eum.* O quoties Matthæus negotiatoribus & viatoribus excuculavit monetas ex marsupio? quoties suo levissimo cantu superavit Luscinias? Obstupescite ô cæli volucres, ô Animæ immortales, super hoc, quod hodie contigisse advertitis. Ponite ex una bilance quæcunque Naturæ opera à Deo supremo Architecto unquam præstita, quæ ab inventione reputantur magnifica, à perfectione eximia, à proprietatibus speciosa: ex altera bilance ponite solam conversionem unius Matthæi, vel cujuscunque peccatoris; & observate præponderationem utriusque: videbitis quòd majus sit opus, conversio unius peccatoris, quàm creatio totius mundi, aut mortui cujusdam resuscitatio. Hoc quidem, si vobis primâ fronte videatur difficile captu, percipite hodie, & addiscite à *Cuculo excuculato*, in Nomine JESU, salvantis justos, vocantis peccatores.

Apocal. 5. v. 9. — Iacobi 5. v. 1. — Matth. 9. v. 9.

De Cuculi origine Ornithologi varias afferunt opiniones; sive ab Astu- 371.
re, sive ab Accipitre, sive Coccyce, sive à corniculâ aut columbâ originetur, aut in hujusmodi aves exculculetur, parum nostra interest; sufficit, quòd hæc avis à sua voce nominetur Cuculus, non tantùm apud Latinos, sed etiam apud Græcos & aliarum Nationum linguas; ut vix ulla alia inveniatur Avis, quæ similiter in tot linguis unam ac similem obtineat nomenclaturam, sicut Cuculus. Avis est pigerrima, nec loco stabilis, brevésque & parvos facit volatus, improba insuper & infausta: suum tamen retinet cantum, & à cantu nomen; quia cuculat, & cuculus manet. Infaustus olim advolavit Hildeprando Cuculus, cùm is à Luitprando Bavariæ & Lombardiæ Rege, jam nunc morituro, in Regni hæreditatem, porrectâ hasta, adsciceretur: tunc enim præsentibus, & homagium præstantibus Statibus, coram utriusque Regni exercitu, ejusdem hastæ in altum erectæ Cuculus insedit. Quod cùm singuli pro sinistro omine acciperent, dejecto protinus Hildeprando, Aripertum ad Regni thronum extulerunt. Sic solennitate regni conversâ in turbationem, Hildeprando pessimè cuculavit Cuculus. Hoc infausto omine non obstante, nolim bonum Cuculum adeò contemptum fieri, ut prorsus evadat ab ornithologico apparatu extorris: quidquid enim sinistrum afferatur, est tamen Avis verna & verni temporis nuntia, atque in mense Martio apparere incipit, ac annuntiare vernarum deliciarum ingressum. Et jucundum accidit, hujusmodi vernæ jucunditatis tubicinem audivisse, qui vel ipsos Agricolas segniores ad aratrum & stivam suo cantu solet invitare, imò corripere acriùs, si cuculante cuculo in excolendis agris non comparuerit. Ut rectè dum

Cuculi cum peccatore symbolizatio. — Paulus Diacon. lib. 6.

Vere

Emblem. Alciati.

Vere novo cantat Coccyx, quo tempore vites
Qui non absolvit, jure notetur iners.

Mirum est, quod de Cuculo tradunt: si quis enim in sylvis itinerans cuculum audit, ejúsque vocem imitatur, tam inadvertenter à regiâ abducetur viâ, ut non nisi post longum emensum iter advertat se aberrâsse. Quin imò tam superstitiosa nonnullis observatio Cuculi auditur, ut existiment, tot sibi superesse vitæ annos, quot Cuculus suæ vocis fecerit fracturas. Quasi de potestate Cuculi esset, suo cantu & astu vel viam vel vitam prolongare. Vnde antiquum Vespasiani Strozæ carmen.

NON illum Cuccus VANO deceperat ASTU,
Dum vagus incertas isque reditque vias.

Thomas Cantipr. l. 2. apum.

Thomas Cantipratanus notabilem de quodam S. Benedicti converso Laico refert historiam sic. [Narravit nobis anno præterito beatæ memoriæ Theobaldus Eberbacensis, quòd quidam Conversus, cùm nescio quò tenderet, & cuculum crebriùs cantantem audiret, vices interruptionis numeravit, & viginti duas inveniens, easque quasi pro omine accipiens, pro annis totidem vices easdem sibi computavit. Eia, inquit, certè viginti duobus adhuc annis vivam; ut quid tanto tempore mortificem me in Ordine? redibo ad sæculum & sæculo deditus viginti annis fruar delicijs ejus; duobus annis, qui supersunt, pœnitebo. Haud dubium, quin diabolus, qui hunc conversum, ut Episcopus fieret, ad credendum induxerat, aperto sermone & huic suaserit, ut tali augurio fidem adhiberet, occultâ suggestione. Sed Deus aliter dispôsuit: nam duos, quos pœnitentiæ deputaverat, annos eum in sæculo vivere permisit, & annos viginti delicijs ordinatos, justo suo judicio, subtraxit.] Quis non advertit in Cuculo Peccatoris imaginem? Hic enim in suis iniquitatibus aberrat à viâ veritatis, & alios facit errare, ut Cuculus; Pigritiam amat, parvósque facit ad virtutem volatus, ut cuculus. improbus est, nec vocem suam peccatricem mutat in melius, ut cuculus: timidus est, quia conscientiam non recti tenet, ut cuculus; in puncto descendit ad infernum, dum longam sibi & deliciosam promittit vitam, ut cuculus.

372. S. Matthæus ante vocationem publicanus. à cuculo symbolizatus.

Aliud longè superest argumentum, quo Peccatoris absurditas ex Cuculi scabrosa reluceat suppositione. Enimverò tradunt Ornithologi, quòd Cuculus non nidificet, sed in nidis alienis, præcipuè palumbium, curucæ, alaudæ & luscolæ, pariat unum ovum; nec ipse incubet, nec excludat aut nutriat, sed avis aliena, in cujus nido suum ovum posuerit. Cæterùm *NON VANO ASTU* suum ovum ponit in medio ovorum alienorum, ut sic Mater incubans præsertim Cuculi speciem foveat & excludat. Guilielmus Parisiensis hæc tradit. *ASTUTIAM verò avis, quæ Cucula nominatur, nolo præterire, quæ devorans ova quarundarum Avicularum, propria ponit in nidis earum, ut ea foveant sive cubent. Sic ergo decepta pullos cucula excludunt, & nutriunt, & tandem ab eis devorantur.*

Guilielmus Parisiensis l. 1. de universo. cap. 116.

Cùm in hac Cuculi suppositione varient Philosophi, præ cæteris Aristoteles & Plinius rectè observâsse ad verto. Prudenter sanè suæ prolis procreationem moliri videtur Cuculus. Cùm enim seignavum, minimeque opitulandi potentem noverit, facit quasi suppositios suos pullos, quò servari possint; timiditate quippe hæc avis excedit, quippe quæ ab Aviculis vellatur, & præ metu earum fugit. Vnde causa subijciendi pullos putatur, quòd sciat se invisam cunctis avibus: nam minutæ quoque infestant. Ita non fore tutam generi suo stirpem opinatur, nî fefellerit. Nullum proinde facit nidum, alioquin trepidum animal. Educat ergo subditum adulterato fœta nido. Ille avidus ex natura, præripit reliquis pullis cibos; itaque pinguescit, & nitidus in se nutricem convertit: quæ gaudet ejus specie, & sese ipsam miratur, quòd talem pullum pepererit; suos proinde comparatione

Apud Gesnerum in Cuculo ex Aristot. & Plinio.

ne

tione ejus damnat ut alienos, absumique etiam se inspectante patitur, donec corripit ipsam quoque jam volandi potens. Hæc ex Aristotele & Plinio Gesnerus de Cuculo. Sic Cuculus *PARIT* ova, *SED NON FOVET.* Et ad genus moris rectè ab Alciato tangitur.

Alciat. Embl. 60.

Fert ova in nidos alienos, qualiter ille,
Cui thalamum prodit Uxor adulterio.

Ab alio verò plùs succinctè, atque ad propositum nervosè.

Impius, ut Cuculus, generat Pater, atque relinquit.

Non dicam, Matthæum adulterijs fuisse fœdatum; hoc enim injuriâ gravi non careret: certum tamen est, Matthæum ante conversionem suam non fuisse probum & justum, sed hominem publicanum, qui benè noverat in alienis marsupijs nidificare, & ibi ova aurea & argentea ponere, ut suis quæstibus & usuris excluderentur. O quot, & quantis hic frigidus & odiosus Cuculus ad telonium suum peculium exculculavit? Erat Matthæus Publicanorum societati insertus: quorum officium licèt ex se justum fuerit, & sine peccato exerceri potuerit; quia tamen illo officio sæpè fungebantur homines quæstui & avaritiæ planè addicti, qui vectigalia æquo majora præsertim à pauperibus extorquebant; hinc apud Judæos Publicani reputabantur infames, & quasi publici peccatores habebantur, perinde ut apud Christianos publici Usurarij despiciuntur. Cùmque olim Judæi contenderent, se velut populũ Deo dicatum non debere Romanis utpote gentilibus & Idololatris subijci, nec eis tributa pendere; quod esset contra libertatem, & dignitatem filiorum Dei; hinc publicanos tributa exigentes detestabantur: imò hæc fuit causa rebellionis Judæorum, ob quam excisi sunt à Tito & Vespasiano. Proinde talis erat Matthæus; cujus domus verisimiliter traditur fuisse Capharnai, ad litus maris Galilææ, ubi naves & merces appellebant. Ibi publica Senatûs Populiq; Romani tributa & vectigalia à subditis pendenda, quæ

Adrichomius in descript terra sancta. p. 124. n. 92.

certo constituta pretio redimerent, à præterna vigantibus & applicantibus exigebat. *Vidit* igitur *Iesus hominem sedentem in telonio*, quasi Cuculũ in alieno nido; non stantem, sed sedentem & cuculantem usuras, & alienis ovis insidiantem. Observat hunc Cuculum sedentem D. Petrus Chrysologus, & mysticè volens ab alieno nido abigere, *Sedebat utiq;* inquit, *quia stare non poterat pondere cupiditatis oppressus, & ipsâ totus conscientiâ fraudis incurvus. Aurum naturâ grave, gravius fit avaritiâ nimis. Hinc est, quod plùs habentem deprimit; quàm ferentem, & vehementiùs aggravat corda, quàm corpora. Nascitur in terra profundi, per q. ima venarum cæcis discurrit anfractibus, & dum suam semper repetat ad naturam, cælestes animos ad infera deponit.*

Petrus Chrysologus serm. 29.

Jam ad propositum nostrum propiùs accedamus, & dum videmus, Matthæum tam solidè ac pinguiter sedentem, ad unicam Salvatoris vocationem, *sequere me*, ex nido alieno avolasse (*& surgens secutus est eum*) omninò ad propositum thema conformiter disquiramus, *an maius sit opus Dei, convertere peccatorem, quàm creare Mundum?* Doctor Angelicus S. Thomas statum quæstionis sub alijs terminis proponit: *An iustificatio sit maximum opus Dei?* Et assertivè procedendo, sententiam suam probat ex comuni Ecclesiæ oratione, confessionem publicam præstantis Altissimo: *Deus, qui potentiam tuam parcendo maximè & miserando manifestas,* Manifestè insuper favet S. Augustini, Ecclesiæ Doct. Illuminatissimi, ponderosa authoritas. *Maius opus est, ut ex impio iustus fiat, quàm creare cælum & terram: cælum enim & terra transibunt, & bonum naturæ mutabilis: at verò prædestinatorum salus & iustificatio, sicut & bonum æternum Divinæ participationis permanebunt.* Consideremus nunc Dei opera, qua facilitate e ex nihili abysso produxerit Altissimus inter sex dierum spatium, promptâ expeditione, ornatâ distinctione, & absolutâ perfectione, *ludens in orbe terrarum,* & verbo oris sui producens id totum, quod volebat: ut rectè S. Bernardus exinde desumat argu-

575. Quantum opus conversio peccatoris.

S. Thomas 1. 2. q. 113. a. 9.

S. Augustinus tract. 72. in Ioan. c. 14.

Proverb. 8. v. 31.

gumentum, à creatione mundi magni deductum ad Redemptionem mundi parvi, dicens. *Sex diebus condidit omnia, & te inter omnia; at verò per totos triginta annos operatus est salutem in medio terræ. O quantùm laboravit sustinens!* Hanc ipsam cogitationem olim expendit Regius Psaltes, ac sese accinxit ad discernendum, inter opus creationis & salvationis. *Videbo cælos tuos*, inquit, ô Domine, qui sicut pelles extensi hunc mundum inferiorem perillustri suâ pulchritudine in affectum & admirationem rapiunt. Videbo *opera digitorum tuorum*, in quibus producendis longè minor tibi intercessit operatio, quàm si digitis homo ad calatrum leviter operetur: neque enim ad tantas producendas moles, & tam magnifica opera, totam extendisti manum: videbo *lunam & stellas, quæ tu fundâsti*, & in suis cardinibus solidasti, sicut a pueris pilâ luditur. Hæc autem omnia facillima erant tuæ potentiæ, nec ullam sentiebas in perficiendo difficultatem. At verò quando per tuam infinitam misericordiam, bonitatem & clementiam, è cœno peccati commissi extractus, atque ad te à creaturis, quas inordinatè dilexi, planè conversus resipui, & in virum alterum mutatus *dixi, nunc cœpi* sentire Dei in me efficacem operationem, quæ tam potenter immutavit cor meum, & sensus concupiscentiæ meæ, tam validè à divinis abstractos, & tam viscosè ad passionum desideria implicatos; omnino tunc intellexi, hanc meam conversionem esse maximæ molis opus, quod non digitis tuis duntaxat perfunctoriè efficere tur, sed requireret integram potentiæ activitatem, & validissimam manum; ideóque *hæc mutatio dexteræ excelsi*. Quanta opera fecit Deus in Campo Taneos? quam mirabilia in terra Ægypti? quas plagas immisit, ut induratum Pharaonis cor emolliret; nec tamen effecit. quod per hujusmodi opera quæsivit. Quibus ritè expensis, Cassianus in admirationem decisivam excurrit. *Quod majus*, clamat, *potest esse prodigium, quàm sub momento brevissimo ex rapacissimis publicanis Apostolos fieri; ex persecutoribus truculentis, prædicatores Evangelij patientissimos reddi; ita ut eam, quam persequebantur fidem, etiam effusione sui sanguinis propagarint?* S. etiam Gregorius hoc tam divinum, tam admirabile, tam gloriosum expendit punctum, & ait, *majus esse miraculum, peccatorem convertere, quàm carne mortuum ad vitam resuscitare.* Hoc autem paradoxon facilè potest ex alio Sacræ Scripturæ loco probari. Dicebat enim Evangelica Veritas Populis circumstantibus: *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filij Dei: & qui audierint, vivent.* Textus omnibus videbitur incredibilis, quòd mortui audient, & quòd vivent, qui audiunt: neque enim mortuis cadaveribus ulla ampliùs sensatio potest competere. Quod ipsum mysterium dum expendit S. Augustinus, solvendo mysterio sic patrocinatur: *Non audiunt, quia vivunt; sed reviviscunt, quia audiunt:* vocatio enim Dei longè efficaciùs operatur in mente peccatoris, quàm potentia in corpore defuncti; & majores in anima metamorphoses excitat Gratia justificans, quàm in reducendâ vitâ corporeâ potestas suscitandi.

S. Bernardus serm. 11. in Cant.

Psal. 8. v. 4.

Psal. 76. v. 11.

Cassianus collat. 2. erat. 11.

S. Greg. l. 3. dialog. c. 17.

Joan 5. v. 25.

S. Augustinus tract. 19. in Joan.

374. *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Et hujus tantæ suæ charitatis experientiâ in S. Matthæo fecit Christus, cujus sapientiam atque potentiam in hujus peccatoris conversione facilè capiet is, qui Matthæum publicanum fuisse perspicuum habuerit. Est autem Publicanus, definiente S. Chrysostomo, *Limes improbitatis ultimus, libera violentia, rapina sine reprehensione.* Christus ipsemet apud Matthæum, ut deploratæ conscientiæ homines notaret, Publicanos protulit, dicens: *Si diligitis eos, qui vos diligunt, nónne & Publicani hoc faciunt?* quasi diceret, non esse id eximium, cùm etiam pessimi alioqui homines idem præstarent. Teterrima sunt, quæ de hujusmodi scabiolarũ & verè carnivorarũ avium, ac propemodũ Harpyiarum in Judæa factis recitat Philo disertissimus Hebræus, agens de pœna Dei in cognatos non transferenda; ubi describit Publicanos, ut genus barbarum, & colluviem hominũ invigilantiũ exsu-

Conversio S. Matthæi graphicè describitur.

S. Chrysostomus hom. ¿ Gratio log serm. 36. & 68.

Matth. 5. v. 46.

Philo de specialibus legibus Salvianus l. 5. de Provid.

fugendo generi humano, & ebibendo ejusdem sanguini. Ex hoc igitur hominum numero erat Matthæus. Quod tonitru, quisve fragor vehementis rationis, hunc in scelerosus excitavit e potem? Quanta, quam diuturna, quamque assidua necessaria fuerit industria ad persuadendum, ut alienum, cui cuculus insidiator, dimitteret? ut evaderet in virum frugi, & vulgari modo probum? En veri animorum Rectoris industriæ, simul ac potentiæ, specimen planè admirabile & præclarum. *Cum transiret IESUS*: neque enim diutius hæsit, nec longâ oratione aut stupendi cujusdam operis patratione hominem perculit; sed cum transiret, & Matthæum in telonio occupatum, ac de conversione nihil minus cogitantem advertisset, duobus hisce verbis, *sequere me*, ab auro suo, rationibus, à re domestica, quæ illi ut grande convivium mox exhibuit, deceti copiosa erat, hominem *non vano astu* avulsit. *Hæc mutatio dexteræ Excel*: nam ille non comperendinavit, aut componendorum duntaxat negotiorum gratiâ brevem moram poposcit, causatus debitores apud quos pecuniæ essent periclitaturæ, non recepit fortasse authenticis chirographis. Non expetiit observandi saltem telonij moram, non excepit deliberandi interstitium, non diffiderat, sed mox ut percepit transeunte & quatuor syllabas, *sequere me* fundentem, *surgens secutus est eum*, a toto priori censu & primâ Exuculatus; ac factus momento misericordiæ Doctor, qui avaritiæ fuerat institutor (ut loquitur Chrysologus & antecedenter *viam iniquitatis* valide *cucurrit*. Constat inter nos, qui in Christianæ fidei regulis vivimus eruditi à crepundijs, & ad vitam sanctam ac perfectam instructi; si orator dicendi facultate instructi simus, torrente verborum ac rationum apparatu, propositis etiam æternis [illegible] ex hujusmodi genere dis [illegible] pecuniæ, ut cum S. Cypriano loquar, [illegible] aliquem adortur, ægre [illegible] rum, ut alienis abstinens contentus suis viveret, aut de malè partis restituendis consilium acceptaret. Quæ igitur par sit oratio celebrandæ huic Christi in Matthæi pectus potentiæ, quæ hominem quæstu faciendi adeo studiosum, unâ & alterâ voce, ad rerum omnium abstractionem, & cælestium mysteriorum contemplationem adduxit? Nempe sicut magnes trahit ad se ferrum, ambra paleas, Sol vapores: sic Christi potens dextera, efficax vocatio traxit ad se Matthæum, atque hoc tractu suas ei virtutes communicavit, ac præsertim eximium Dei amorem, contemptum mundi, studium paupertatis, zelum animarum, ardorem prædicandi, & virtutem convertendi. Quad. at in Matthæum, quod de se Job in Christi persona cap. 29. pronuntiavit, *si volui*, *ire ad eos*, *sedebam primus*. Vbi S. Gregorius appositè sic commentatur. [Quia enim (sicut scriptum est) „omnes operantur eeundum consi„lium voluntatis suæ, non secundum „nostrum meritum; sed quia ipse ita „ut velit, vocatione sua nos Dominus „instituit. Itaque & cùm vult, venit; „& cum venerit, primus sedet: quia & „adventus ejus in corde nostro gratui„tus est; & appetitus ejus desiderij in „cogitatione nostra, æqualis cæteris „desiderijs non est. Sequitur. *Cumque „sederem quasi Rex circumstante exerci„tu, eram tamen mærentium consolator*. „Quasi Rex Dominus sedet in corde, „quia circumstiepentes regit animo„rum motus [illegible] cogitatione. In „mente quippe, quam inhabitat, dum „turpentia excitat, inquieta frænat, „frigida accendit, accensa moderatur, „se [illegible] da, si [illegible] git; ex ip„sa hac diversitate cogitationum qua„si quidam illum exercitus circum„stabat.] Ita operando Christus Matthæum ex Publicano fecit Apostolum atque Evangelistam.

Et quod post tantam metamorphosin, potenti Dei virtute obtentam, in S. Matthæi laudibus ponit Petrus Damiani præ reliquis suspiciendum, quod S. Matthæus post conversionem suam planè admirabilem *Exuculatus*,

Ddd 2 scri-

[Marginal notes: S. Gregor. moral. c. 4. — 37[illegible]. Prærogativa S. Matthæi primati Evangelistarum. — [illegible]]

scriptis Evangelium consignaverit omnium *Primus*, atque adeo fuerit Primus Scriptor Canonicus in novo Testamento. Nam licet Beatissima Virgo prodatur à nonnullis scripsisse aliquas epistolas, id tamen neque planè est exploratum, eas epistolas verè à Deiparæ calamo promanâsse; neque si ita esset, fuissent scriptæ nisi seró admodum, nec præ Evangelio Matthæi; quod scriptum esse anno Christi 41. censet minùs probabiliter; & ad [illegible] veritati historicæ magis conformiter S. Irenæus refert, Evangelium hoc scriptum esse eo tempore, quo S. Petrus & Paulus Romæ prædicabant. S. Petrus enim Romam non venit ante secundum Claudij Imperatoris annum, Paulus verò non ante tertium Neronis: unde sequeretur, quod decimo octavo vel vigesimo ab afcensu Christi in cælum anno scripserit S. Matthæus; quod constat esse falsum. Sed verisimilius scriptum esse contendunt illo anno quando Apostoli communium inierunt dedispersione & profectione d Gentes; qui juxta S. Epiphanium à Nativitate Christi fuit trigesimus septimus & ab ejusdem passione quartus. At B. Virgo litteras illas exaravit, non nisi multò post scripsit, ad confirmandos in fide recens conversos. Quantùm proinde ad gloriam S. Matthæi faciat, quod fuerit primus in novo Testamento Scriptor Canonicus, relatus Petrus Damiani [illegible] *Inter omnes planè Sanctos, qui [illegible] de triumphato Mund. victoriæ titulos intulerunt, B. MATTHÆUS mihi videtur insignis atque con[illegible], & quendam inter eos d[illegible] primatum; atque ut clarius dicam, nemo post Christum est cui magis debeat [illegible] universitas Ecc[illegible] nam quod Mundus vivit, hæc est causa, quia lux nobis Evangelica coruscavit.* Constat autem, quia primus omnium Matthæus Hebraico stylo Evangelium scripsit, sicque ijs, qui [illegible] ex circumcisione F[illegible]ibus, Neotericæ Fidei quoddam speculum [illegible]. Quia igitur ad S. Ev[illegible] conscribendum primus iste prorupit, & scribendi cæteris Evangelistis viam præcessor aperuit, atque ut relatus Petrus Damiani [illegible], *tanquam dux vexillum sequentibus prætulit, suoq; exemplo, ut scriberent, incitavit*: hinc debemus Evangelium, quem Evangelicæ narrationis constat in [illegible] principium & quem cæteris vimus primum, [illegible] ambiguis inter eos cujusdam privilegij [illegible] primatum. Cur autem Matthæus Evangelium scripserit, ad Author [illegible] Imperfecti *Matthæum, inquit, conscribere Evangelium causa compulit talis: cum facta fuisset in Palæstina persecutio gravis, ut periclitarentur dispergi omnes, ut carentes fortè Doctoribus fides, non carerent doctrinâ, rogarunt Matthæum, ut omnium verborum & operum Christi conscriberet eis historiam, ut ubicunque essent futuri, totius secum haberent fidei statum.* Hinc S. Bartholomæus ad Indos profecturus, descriptum S. Matthæi Evangelium secum detulit; & S. Barnabas illud ipsum suâ manu exaratum asportavit in Cyprum; quia & S. Hieronymus ingenuè fatetur se S. Matthæi Evangelium hebraicè conscriptum, vidisse Cæsareæ in Bibliotheca [illegible] inde [illegible] illud [illegible] denique [illegible] S. Matthæus de seipso revelavit S. Brigidæ oranti ad [illegible] rum ejus in urbe [illegible] *Cum illud* (Evangelium) *scriberem, tantus Divinæ inflammationis ardor perfervebat me, ut, quod si tacere voluissem, nullatenus præ ardore intenso potuissem.* Quantum ex hoc principio D. Matthæo accrescit ornamentum? Nam præterquam, quod [illegible] cæteris Evangelistis prius edendo Evangelio [illegible] obtinuerit [illegible] Canonicorum Principatum, & a Tertulliano nominatur *fidei [illegible] omnium Commentator*; profusi insuper sunt sancti Patres in ejus decora. S. Au[illegible] pluribus celebrat eum quod regi [illegible] Christi dignitatem præ cæteris ex[illegible] rit. S. Chrysostomus [illegible] maximè extollit, quanquam [illegible] ab [illegible] ad vita miracula reduc[illegible] S. Matthæus usu rerum & [illegible] valde excel[illegible] ad Christum conversus sit, non ex visis ejus miraculis, non ex

au-

Baronius anno Christi 41. S. Irenæus l. 3. c. 1.

S. Epiphanius [illegible]

S. Brigida [illegible]

Tertullian. [illegible]

audita prædicatione, sed unica ejus voce, *Sequere me*: cui promptissimè obediens, repente in alium virum, imò Apostolum est mutatus, & telonio, opibus, familiâ relictis Christum sit secutus, ejusque mores induerit; nec ab eo discesserit unquam; sed testis ac spectator signorum ejus & miraculorum, vitæ etiam imitator, socius itineris, laborum, curarum & angorum fuerit particeps; & qui toto tempore dispensationis cum eo versatus, ac in numerum summorum discipulorum relatus, procedentem tempore ob[illegible] vi[illegible]. At Origenes nomen ejus interpretatur *Donum*, seu *donatus*: ab Anastasio Antiocheno, *Mandatum Altissimi*. S. Gregorius explicans illud Job, *Ferrum de terra tollitur*, metaphoricè in S. Matthæum sic commentat. *An non Matthæus in terrâ inventus est, qui terrenis negotiis implicatus semper justitiis [illegible]ebat? Sed de terra sublatus in fortitudinem ferri convaluit, cujus videmus linguam, quasi acutissimo gladio, Evangelij administratione Dominus infide sum[illegible] transfixit: & qui infirmus prius de[illegible] [illegible]sque fuerat per terrena negotia, fortis postmodum factus est ad calestia prædicamenta.* Communiter S. Matthæus prædicatur Æthiopiæ Apostolus, & [illegible] victima: occisus enim est ab Hirtaco Rege, eò quod [illegible] iam [illegible] quæ Virginitatem Deo voverat, ipsi in uxorem dare nollet. Scripsit de eodem Evangelista Clemens Alexandrinus, quod seminibus, baccis & oleribus, non carnibus vesci soleret. Quoad utilitatem etiam videtur S. Matthæus primatum inter reliquos Evangelistas obtinere: nam ubi Lucas factis & gestis recensendis magis adhæret, & Joannes Divinitatem Christi adstruit, & Marcus abbreviator est ac subinde interpres Matthæi, ipse præ cæteris doctrinis & verbis Christi, ad mores hominum rectè formandos idoneis, se ordinatèque recensendo maxime in[illegible]grite p[illegible]m[illegible], ut ei facilis ho[illegible]s pr[illegible]vn[illegible] ap[illegible]ingeret[illegible].

Orig. [illegible] Anast. [illegible]

S. Gregor. [illegible] l. [illegible] c. [illegible]

Clem. Alex. [illegible] l. [illegible] pæd. [illegible]

376. *Non veni vocare justos, sed peccatores.*

De conver- Erecti exemplo Matthæi peccatores quicunque accedant ad Christum, si vocantur; accedant, ut sanentur: nullus desperet, quantumvis innumeris peccatis obnoxius. Miserationes ejus super omnia opera ejus, & gratia illius inexhausta quod in Matthæo effecit, etiam in alijs quibusvis abjectissimis hominibus poterit præstare. Vere peccator per pœnitentiam evadit aliquatenus Deum, consentaneè ad illud de S. Abercio, *Deus ad Deum migravit, & propè astitit*; sed Deus adoptione, non naturâ Deo. Altitudo foveæ usque ad inferos depressæ, & profunditas abyssi in quam facta sit dejectio, nemini debet adimere spem emersionis: cum nullum sit adeò irremediabile barathrum, quin interveniente Divinæ Gratiæ præveniente & excitantis ex eo liceat evadere. Aiunt, Ceadam altissimè dehiscentem foveam apud Spartanos fuisse, in quam maximè de criminibus damnati præcipites agebantur. Dejectus est in illud barathrum Aristomenes Messenius, prout Pausanias refert, post prælium captivus, una cum quinquaginta de ejus prætoria cohorte. Hi quinquaginta allisi omnes miserè perierunt: Aristomenes verò advolante aquilâ expassis alis subeunte cadentis corpus, ita illud libravit, ut omni ex parte illæsus ad ima barathri deferretur. Cumque jam triduum egisset in infimo illius tetri hiatus fundo, ac veste obvolutus decumberet, extremam vitæ horam expectans, audito quodam per sublustres tenebras strepitu, advertit vulpem cadavera appetentem [illegible] per ostiolum aliquod suspicatus, accedentem propriis manu alterâ apprehendit, alterâ quoties se vulpes converteret, chlamydem mordicus prætendens obijciebat, trahentemque dum se belluæ per invia præcedens; donec notato cuniculo, per quem posset vulpes evadere, veluti manum [illegible] sivit effugere, perque eam manibus grandefacto cavernulam ad suos evasit. Potens est dextera Excelsi, hoc est, Gratia Dei, prohibere alarum suarum [illegible]lero, ne [illegible], qui ceciderit, collidatur, & ne detrusi in barathrum pars vulpium infernalium fiant, sed quà

[illegible] nemini desperandū.

In vita S. Abercii 22. Oct.

Pausan. l. [illegible]

minus affulgere spes videbatur, exitum inveniat. Aliud Jacobus Bidermannus recitat exemplum Sarmatæ, qui in vastæ arboris emedullatæ, & nodositate cavatæ, biatum melle superexundante, explorans imprudens decidit; ubi per biduum hæsit, ærè tollens de summo melle caput. Cumque se ibi periturum arbitraretur, grandis Vrsa catulis comitata duobus prosilui melle captans, quam Sarmata ex lento visco brachia protendens, invasit tergum prehendens. Bellua verò dum magis viribus retinentem certat excutere, extraxit è profundo mellis laceu hærentem ibi vadere arrotatam, qui è mellico vado et ursæ se tam periculosè fugientem dimisit & sic redditus immunis metu est solutus. Non dissimiliter voluptuariis laqueis irretitas animas, si magno nisu prehendant oblatam evadendi opportunitatem, emergere, & impendens in melle exitium declinare erit possibile, si dexteræ Dei excelsæ, & potenti vocationi fuerint innixæ. Et asseruntad hunc modum ex abyssimatis iniquitatis fovea & nefariæ barathro, in quam prolapsæ erant, pleræque quondam miseræ animæ. *E malitia barathro inqu* it Chrysost omus, *rursum aliqui ascenderunt in cælum, ex scenaque & orchestra ad Angelicam migravere conversationem, ut expulerint Damones, & alia multa fecerint huiusmodi signa. Et his plena quidem sunt Scriptura, plena vero nobis exemplorum vita.* Vide fusiùs Chrysostomus, ubi probat consilium aliquorum, qui quasi verecundantes pro Davide premebant ejus casû, cum tamen Deus eà mente exarari, & in Sacris Literis conservari memoriam tam turpium factorum voluerit, ut nemo lapsus desperaret ere ctionem. Quod aliter Basilius Seleuciensis protulit, Deum in Davidis casu tam luculenter descripto valetudinarium omnibus spiritualiter ægris constitutisse affirmans. Id quod etiam ab alijs plerisque Patribus, Davidis in adeò horrenda scelera prolapsionem expendentibus, annotatum; alij quidem verbis, eodem tamen sensu. Nec unius Davidis, sed variorum Sanctorum lapsus & vitæ peccaminosæ actus, in eam rem fuisse in Sacris Litteris expressos, ad eò à eorum resipiscentia, exploratum esse debet. Prout de circumstantis vitæ ante actæ S. Matthæi luculenter constat, seipsum inter publicanos & peccatores collocantis. *Tu non poteris quod isti & ista? An verò isti & ista in se me ipsis possunt*, exclamat S. Augustinus [illegible] barathro [illegible] *non tu Domino Deo suo? Dominus Deus eorum dedit eis. Quid in te stas, & non stas? Proiice te in eum: noli metuere, non se subtrahet, ut cadas. Proyce te securus; excipiet te, sanabit te.*

Disputata sic est quæstio, decisa sententia problematis, an maius opus sit Omnipotentiæ Dei convertere peccatorem an creare mundum? Tu qui videns iniquitatem in vita [illegible] h[illegible] nunc [illegible] et in Matthæo ex[illegible] a Christo [illegible] ere, Christum sequere & [illegible], Christi vocem [illegible] ut [illegible] & iustificeris. Addat [illegible] Chrysostomus. *Itaque nemo, qui in profundum ipsum malitiæ venerit, salutis sua spem abjiciat; et incomparabilem Dei misericordiam e[illegible], audiat iterum Deum per Prophetam dicentem. Num qui cadit, non resurget? & qui avertitur, non revertitur? Et iterum. Nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat.* Fixa est cordi tuo sententia Servatoris: *Non veni vocare justos, sed peccatores.*

A M E N.

IN

IN FESTO SANCTI MICHAELIS ARCHANGELI

ARDEA ARDUA ET ARDENS.

Die hitzige Raiger-Bätz.

LEMMA.

Cælo vincendus aperto.

THEMA.

Factum est prælium magnum in cælo. Apocal. 12.v.12.

SYNOPSIS CONCIONIS XCVIII.

Per Ardearum ex alto deturbationem ab Hierofalcone fortiter & generosè factam, ardenti descriptione exhibetur prælium magnum, quod ab initio Mundi factum est in cælo inter S. Michaëlem Archangelum & Satanam.

377. Prælium S. Michaëlis cum Dracone symbolizatur in venatione Ardeæ.



SI quod est Aucupium, vel spectatu jucundius, vel conficiendi ardentius, vel diversione sublimius, vel Principum venatione dignius; illud certè in venatione Ardearum videtur exerceri. Quanta enim dimicatio inter pugnantes? quàm gliscunt oculi in capite bellatorum? quâ pertinaciâ enituntur in altum? quàm fortiter conantur nubes, velut latibulum suum transcendere? quàm acriter suis sese rostris impetunt ad sauciandum, & deijciendum? Aggreditur Falco bellum cum Ardea, quæ in sublimitatem aëris enixa *HUMILIA DESPICIT*, & super nubes exaltat volatum suum: interim dum *Ardua* de inimico suo circumspicit adventante, Falco venator adest, & ascendendo persequitur Ardeam: gyrat in circuitu, circumvenit volatu, & omni conatu superiorem occupare locum nititur, ut præcipiti ictu deijciat succumbentem, & rostro vulneret resistentem: econtra Ardea à Falcone depressa, rostro sub alis condito ac sursum elato, irruentem excipit. Ita subinde ambo dimicantes *tolluntur in altum, ut* unguibus & rostris se mutuò tenentes, ac *ardenter* persequentes, *lapsu graviore* pariter *ruant*. Dum prævalet Ardea sublimiori volatu, excrementis suis, quæ pennas & pedes Falconis inficiant atque exurant, eundem repellit: interim sagacior Falco continuò cavet, ne turpi excremento correptus ingloriâ fugâ deijciatur; quin potiùs *ardenter* instat, ut sublimior evolet, & Ardeam inferiorem impetuoso ictu in terram prosternat. Subinde in Ardeæ capturâ duo Falcones pariter relaxantur, quorum unus summa petit, alius juxta terram involat; ut videlicet ille volantem Ardeam impulsu præcipitet, hic præcipitatam arripiat. Jam quanta in animis pugnantium contumacia? quàm ardens inimicitia? quàm cruenta in unguibus & rostris crudelitas?

tas? quis conatus in impetu, casus in præcipitio, in dolo arrogantia, in volatu pernicitas, in aggressione virtus, in clamore livor, in motu violentia, in oppugnatione fortitudo, in dejectione lapsus? *Factum est prælium magnum in cælo.* Vultis scire, quale prælium? Prælium cruentum, universale, terribile, periculosum, turbulentum, *arduum & ardens*, verbo *MAGNUM*, inter Ardeam & Falconem; & ut cum Sacro textu apertiùs loquar, *MICHAEL & Angeli eius præliabantur cum Dracone.* Quàm arduè hæc Ardea superbissima & ardentissima, dum humilia despicit, evolavit! quando dixit in corde suo: *In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum; sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Sic Ardea diabolica, dum præ animi fastu intolerabili, & execrandâ arrogantiâ, *caput intra nubila condit*, seséque supra Verbi Divini solium erigit, *Altum superbo vertice attingens polum*; à cælesti Hierofalcone Michaële, celerrimo volatu impetitur; à quo virtute & magnificentiâ circúventus Lucifer, *quasi fulgur de cælo* exturbatus, & dejectus corruit. Sic dum Ardea ista stellaris ad Erydanum, cælestem illum fluvium, non aliter, ac nuper Octavianus

Isa. 14. v. 13. & 14.

- - - *Magnus ad altum*
Fulminat Euphraten bello; victorq́ volentes
Per populos dat iura, VIAMQUE AFFECTAT OLYMPO;

Virg. 4 Georg. v. 560.

momento à Falcone invaditur, clamore terretur: *QUIS UT DEUS?* potentiâ tenetur, impetu exturbatur. *Utq́ VOLANS ALTE raptum cùm fulva Draconem* fert aquila, eúmque velut parvulum *allidit ad petram*: sic Lucifer superbissimus, *COELO VINCENDUS APERTO*, quantò ascendit altiùs, tantò dejectus est profundiùs. Hoc fecit Michaël Archangelus, quando in prælio reportavit victoriam illam inclytam, quæ omnes Triumphatorum virtutes & majestate operis, & periculi difficultate longissimè superavit. Adverto vos ardere, Auditores, desiderio, ut multiplicem hujusmodi Falconis cælestis cum Ardea deturbata, hoc est, S. Michaëlis Archangeli cum Dracone infernali & ejus appendice devictis, congressionem ampliùs exhibeam spectandam; idcòque hoc arduè & ardenter præstabo in Nomine JESU.

11. Æneid.

378. Lucifer: superbia, pugna, tentatio & confusio.

Vix dum à Mundi hujus magni principio Divina Bonitas per creationem in suas creaturas, naturâ & qualitatibus tam absolutas, inexhaustâ quâdam liberalitate sese profudit, & sublimissimas illas cælestium Substantiarũ mentes Aulico suo apparatui consecravit; quæ gratiâ & naturâ ad numerum exornatæ, omnis maculæ, & sive moralis, sive naturalis obliquitatis erant immunes: tum ecce! in illo primo æviternitatis momento, in illo Divinæ Majestatis Palatio *factum est prælium magnum.* Magnum profectò prælium, imò maximum: sive consideretur à loco; ubi? sive à partibus præliantibus; à quibus? sive à causâ belli; quare? sive à trophæo reportato; quodnam illud? Locus prælij erat sacerrimus & dignissimus, supremi Numinis aula, castellum Dominatoris cæli & terræ, sedes Beatorum felicissima, Empyrea gloriæ domus, & Divinæ fruitionis paradisus. Partes litigantes erant mundissimi, purissimi, immortales & immateriales, à Divina Substantia promanantes Spiritus. Causa belli agitabatur gravissima; nempe adoratio Verbi Divini, & illius Incarnandi veneratio humilis ac dignifica; si tamen vellent æternæ beatitudinis præmio munerari. Proinde ad hanc belli causam accuratiùs disquirendam, aperuit Deus Angelis omnibus, in amore, reverentia & cultu Divinæ Majestatis debito bene constitutis, ad minimum quatuor decreta. Primò quidem beatitudinem supernaturalem ipsis præparatam esse, non statim tamen, nec aliter obtinendam, quàm observatis mandatis, non observabilibus sine auxilio Divinæ Gratiæ; quam tamen ipse Deus promptè sit collaturus orantibus, & humiliter pe-

petentibus: deinde etiam homines ad statum supernaturalem evehendos, ejusdem cum Angelis meriti & beatitudinis capaces, & ad unam cælestem Familiam cum ipsis constituendam idoneos futuros esse; insuper ex hominibus producendis nulli absolutè dominaturos esse Angelos, sed eorum gubernationem ad salutem ipsi Deo reservatum iri, quamvis & in hac Angelorum ministerio esset usurus: denique se quidem Angelicam Naturam assumpturum nunquam, assumpturum tamen humanam; ex cujus prævisis meritis ipsi etiam Angeli de facto jam haberent suam gratiam, & dona supernaturalia; quæque Natura humana Angelis quoque Regis loco sit suscipienda, colenda & adoranda; non quidem pro tunc, cùm nondum existeret (neque enim adorari potest, quod nondum existit) sed ut se jam tunc promptos exhiberent ad ipsam adorandam postea, cùm extitura esset. Ita se velle jubere; præcipere ex plenitudine suæ supremæ ac infinitæ Majestatis. Hisce veritatibus ac decretis cum Naturæ Angelicæ excellentiâ comparatis, per simplicem apprehensionem, apparuit Lucifero quædam inconvenientia; quasi de dignitate suæ perfectionis non esset, à Deo emendicare gratiam ad obtinendam beatitudinem; visionem beatificam diutiùs differri, quàm ipse vellet; homines animales creandos, merito ac beatitudine sibi socios, æquales, imò & superiores; suam potentiam in creaturas corporeas ita ligari, ut non ad libitum dominari possit omnibus; naturâ suâ neglectâ potiùs humanam assumendam à Verbo, cui postea in æternum ipse subesse deberet, & agnoscere ipsius merita ac beneficia. Atque hæc apprehensiò fuit gravissima Luciferi tentatio; ad quam superandam opus erat auxilio Dei, flectente voluntatem, & captivante judicium superbientis Angeli ad se submittendum Providentiæ ac Sapientiæ Divinæ, longè meliùs omnia perspicienti & ordinanti, quàm *arduum* ejus intellectus capere posset. Quare conatur protinus in altum eniti, & elevâte superbiâ Divino decreto obversari. Quid hoc in Deo æquitatis? exclamabat in corde suo. Ergóne Divinũ Verbum neglectâ & præteritâ Naturâ Angelicâ, tam sublimi & eximiâ, ad Unionem Hypostaticam sibi assumat despectam, humilem & mortalem Naturam humanam? æquúmne aut rationabile videri possit, ut cælestes Spiritus contemptibili terrei plasmatis servituti ac arbitrio subsint? Cúmq; suorum decorum excellentiam altiùs considerarет, altiùs etiam Philautia alas intendit ad evolandum. Ergóne, inquit, perplexis & ambiguis meritis sit venale, quod antecedenter tam eximijs naturæ ornamentis sit debitum? Præstitisset, aut Luciferum non fuisse in rerum existentiâ positum, aut existentem ultimâ felicitate non caruisse! Quàm tenuiter quietatur mens sublimissima, quæ, cùm solum Deum superiorem se agnoscat, adhuc corruptibili homini cogitur homagiũ præstare? *Quàm malè conveniunt*, quàm difficulter *in una sede morantur Maiestas, & Amor*? dives, & pauper? dominus, & servus? Angelus, & homo? princeps Angelorum, & mercenarius Dei? supremum esse, & superiorem sustinere? Et hoc tam diu, quousq; per pretium modicæ subjectionis, & per laborem servilium meritorum in libertatem vindicer? Nequaquam, nequaquam tam probrosâ notâ feriatur mens tam speciosa! Quòd si aliter æternæ beatitudinis securitate potiri non possim, quàm propriâ subjectione, & alienâ gratiâ; mihimetipsi ab intus & foris sufficiens ero, & in me ipso inveniam superabundans, quod indecorum foret à Deo recipere. Nemo mihi in naturalibus perfectionibus par est; cui ergo quidpiam de ijs excellentius concedam? nemo me sublimior minet; cur ergo arduitate meâ *humilia non despiciam? In cælum conscendam*, nec ero inter terricolas inglorius; *super astra Dei exaltabo solium meum*, & arduitate superabo cardines Firmamenti; *sedebo in monte Testamenti*, sublimissimo habitaculo supremi Numinis; *in lateribus Aquilonis*, & super pennas ventorũ evolabo sublimior: *ascendam super altitudinẽ nubium*, sub quibus me abscon-

dam, velut sub latibulo! Divinitatis: *similis ero Altissimo*, naturâ, perfectione, potentiâ, & independentiâ. Et hanc excellentiam nemo auferet, nemo prorsus diminuet à penetralibus meis. Ita volo, ita sentio & consentio, ita concludo & determino, æqualis Deus, æqualis Dominator, & mundi Rector LUCIFER.

379 Peccata malorum Angelorum graphicè describuntur.

Ita *arduè Ardea* Luciferiana ascendit: hæc conchilia suo ventriculo calefecit, ut postmodum ex apertis orificijs suas fœtentes ostreas, more Ardeæ, extraheret; hæc stomachatus est Lucifer argumenta; hæc iniquissima machinamenta ructavit. Talibus ratiocinationibus suum intellectum adstrinxit, & liberâ voluntate consensit, conclusit, determinavit. Et hactenus singulare duntaxat poterat videri certamen, si solus Lucifer ita arduè evolans provocasset Hierofalconem Michaëlem: at verò ubi Draco tertiam partem stellarum traxit, & Lucifer ex omnibus hierarchicis gradibus innumeras Legiones in suam collegit sententiam, quæ pari temeritate erigerent caput contra Altissimum, & arrogantissimâ malitiâ inflatæ insurgerent adversùs Dominum & adversùs Christum ejus; tunc *factum est prælium magnum* & universale *in cælo*: *Michaël & Angeli eius præliabantur cum Dracone*; *& Draco pugnabat*, *& Angeli eius*: *& non prævaluerunt*. Erant tunc prævaricantes spiritus in ardentissima odia distenti; perniciùs Euro sibi invicem loquebantur verba iniquitatis; hortabantur invicem ad malum; & consumatâ malitiâ de Deo judicabant, quòd stultè & imprudenter mundum conditum gubernaret: hinc sancito unanimi fœdere secum irrefragabiliter statuerunt, quidquid agnoscerent Deo esse injuriosũ, velle efficere. Adeoq; post simplicem apprehensionem difficultatis, ex decretorũ Dei revelatione, & promulgatâ legis observatione apparentis, oculos averterunt à firmâ Dei consideratione, magis ad propriam pulchritudinẽ attendentes, (ad quam intensiùs amandam naturaliter magis propendent, quàm ad bonitatem Dei) & in ejus pulchritudinis nimiâ contemplatione se complacentiâ

Apocal. 12. v. 7.

sic exarserunt, ut eorum Coryphæus Lucifer illam omnino summam, & quâ major cogitari non posset, vellet possidere; simulq; nulli legi, quamcunq; ex creaturis exituris adorare præcipienti, parere decerneret; ac nulli magis, nulli citiùs Dei visionem, & si possibilis esset, etiam comprehensionem, ac præsertim futurorum omniũ in eo prævisionẽ, summum in omnes creaturas dominium, Vnionem Hypostaticam, & similes excellentias conferendas esse, quàm sibi, exactè secum determinaret. Exemplũ Luciferi secuti sunt alij Angeli, ex omnibus choris collecti: quia tamen ipsum ut naturæ socium amabant, malebant Lucifero principatum, quem appetebant super alios, concedere, quàm homini vel alteri creaturæ. Et quod solet in prælijs injustis contingere, fortiores ac perspicaciores intellectu Spiritus, & qui clariùs intelligerent malitiam, etiam fortiùs atq; enormiùs peccabant. Proinde ex perversissimâ tam superborũ Spirituũ voluntate pullularunt odiosæ blasphemiæ, & invidæ cogitationes, quibus Deum malevolè & injustè sua disponere judicârunt; plenâq; deliberatione sanxerunt (Lucifero per loquelam hæc animi sensa primitus à se concepta manifestiùs declarante) decreta Divinis Ordinationibus planè contraria, nimirũ. Primò se Divinis dispositionibus, quoad possent, in omnibus esse obnisuros; secundò, se omnem Deo despectum ac contumeliam illaturos, & si fieri posset, ipsum etiam è cælo deturbaturos esse; nec quicquam studiosiùs facturos, quàm quod ipsi molestũ ac ingratum nossent: tertiò, omnem sese operam adhibituros, ut homines à Deo avertantur, & in turpissima quævis vitia projiciantur: quartò, se quoad possent, omnia susque deq; in mundo versuros, & eversuros esse: quintò, se pro Dijs coli, & ab hominibus adorari velle in idolis, ex ipsorum instigatione & machinatione exstruendis: 6tò, se sic totũ humanũ genus obscuraturos, ut id omne passim videatur longè inferius creaturâ Angelicâ, quàm sit de facto; imò, si possent, omnibus etiam tam naturæ, quàm gratiæ donis priva-

tu-

turos; septimò tandem, in hoc Dei hominumq; odio perpetuò sese perstituros. Hisce unguibus, & rostris dimicârunt Ardeæ diabolicæ: hisce peccatis, hoc inordinatissimo *suiipsius amore*, hac pudentissimâ *superbiâ*, hac turpissimâ *arrogantiâ*, hoc iniquissimæ *ambitionis* fastu, hoc expilato *vanæ gloriæ* typho, hac absurdissimâ *ingratitudinis* notâ, his tam horrendis *blasphemijs*, hoc ardentissimo *Dei odio*, hac internecinâ humani generis inimicitiâ, hac cupidissimâ vindictæ *irâ*, hac præsumptuosissimâ *temeritate*, hoc terribili & universali *scandalo*, hac effronte & insolentissima *inobedientiâ*, hac voluntariâ obstinatiâ & in malis formali *impœnitentiâ*, hac insanâ in mundum introductâ *idololatriâ* sævissimè pugnatum est à prævaricatoribus Angelis: qui brevissimè suam lamentabilem absolverunt tragœdiam, & propter hæc tanta scelera, non solùm implicitè & interpretativè, sed etiam formaliter & expressè, cum plenissima advertentia & explicita intentione, partim absolutè circa possibilia, partim conditionatè circa impossibilia perpetrata, justo Dei judicio *Lucifer perdidit, quod habebat; quia nimis magna petijt*, inquit S. Hieronymus; unàque cum suis Asseclis cælo deturbatus, & ad rogum infernalem æternâ sententiâ damnatus est.

S. Hieron. in c. 20. Ezech.

380. Intellectuali hoc certamine, *factum est prælium magnum in cælo*. Tota Angelicorum Spirituum multitudo in duos hostiles divisus est exercitus; quorum major pro Dei Omnipotentis gloriâ stetit, alter minor pro propriæ suæ excellentiæ possessione rebellavit. Verè tunc, ut Sanctus Augustinus loquitur, *Amores duo fecerunt sibi civitates duas, terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei, cælestem vero amor Dei usque ad contemptum sui.* Interim Hierofalco contra Ardeam gyravit in circuitu. Hierofalcones isti, sicut rariùs inveniuntur, ita pulchriores cæteris accipitribus dicendi sunt: nam etiam præter corporis formam, eo standi modo erecti permanent, eâque membrorum compositione hominum oculos ita delectant, ut quandam aucupandi majestatem præseferant. Sint hierofalcones rostro adunco, nec tamen nimis magno; sint unguibus validis, maximè posterioribus; sint planis cruribus, nodosis, nec longis; sint caudâ ad sui corporis formam decenti: alarum verò summitates ita sint fortes, ut facilè judicari & animadverti possint, eas in volatu quàm diutissimè perseveraturas. Vidimus, inquit Gesnerus, tempestate nostrâ peregrinos sacrósque accipitres, adnitentes ardeas volando persequi; illosque relictis tandem ardeis venatorum vocibus altis ad eos rediisse: emissúmque tandem è falconarij manu Hierofalconem, ita citatissimo volatu vagantem per aëra in gyrum crebriori alarum percussione perspeximus (ut filo in sublimi tractum censeres) derelictam ab alijs ad sydera ardeam vicisse, cœpisséque. MICHAEL, supremo Orbis Imperatori fidelissimus belli dux, ac perniciſſimus Hierofalco, unàcum suis armatis cohortibus impetum adversariorum non sustinuit, sed spectante prælium Altissimo rebellium Angelorum cuneos viriliter & invictè penetravit: cúmque adverteret, certaminis cardinem in æqualitate Dei versari, totus quantus huic execrabili fastui sese opponens, *QUIS UT DEUS?* clamat: quis es tu, perfide, detestabilis & nequissime serve? Creatoris tui ingratissime partus? venenatissime draco? deformate & monstrose Spiritus? Simili virtute pugnabant Angeli, in gratiâ & fide constantes; cælesti suo Duci adhærebant; fulminabant, indignabantur, conspirabant, conclamabant, *Quis ut Deus?* Hoc vocis sensu, Dei amicis tam delectabili, tam formidabili inimicis, ciebatur prælium, & ardentissimè instruebatur. Partes prælliantes suarum mentium *arduis* conceptibus longè acutiùs & instantiùs congrediebantur, quàm cruentè & cla-

Constantia bonorum Angelorum contra malos.

S. August. 14. de civit. c. 28.

Gesnerus fol. 63. de falc.

clamorosè unquam Moyses commisit arma cum Amalecitis, vel David cum Philisthæis, vel Publius Scipio cum Hasdrubale, vel Iphierates cum Lacedæmonijs, vel Pompeius cum Mithridade, vel Cæsar cum Allemanico Ariovisto, vel eum Saxonibus Carolus, vel quicunque alius belli Dux cum suis Adversarijs. Hæc illa tam celebris, & ardua Ardearum venatio; dum *factum est prælium magnum in cælo.* In quo prælio vicerunt Angeli boni, & fecerunt victoriam. Enimverò hi cum suo Antesignano Michaële per auxilium gratiæ Divinæ eò sunt progressi, ut duo maximè considerarent: primò, suas imperfectiones; & secundò, Dei perfectiones. In seipsis quidem viderunt Angeli boni, se ex se & à se esse prorsus effectivè nihil: à Deo se perpetuò, ac essentialiter tam in existendo, quàm in conservando pendere: ad claram Dei visionem obtinendam naturæ suæ vires cum generali Dei concursu minimè sufficere, sed insuper speciali auxilio habere opus: posse insuper se peccare, & Divinâ gratiâ excidere atque damnari; denique omnem suam perfectionem finitam esse, & in comparatione ad Deum quasi guttam roris antelucani, momentum stateræ, imò *NIHIL.* In Deo autem altiùs inspexerunt absolutum ipsius in omnes creaturas dominium, jure creationis, conservationis, & cooperationis; quo de illis statuere, producere aut corrumpere posset, quidquid vellet: sapientiam etiam infinitam, & omnis creaturæ captu superiorem; qua proinde nihil unquam nisi prudentissimè esset dispositurus, & ordinaturus: sanctitatem præterea, omnis malitiæ specie ac suspicione expertem ac carentem, ita ut nihil nisi pijssimè & justissimè facturus esset: voluntatis autem & omnipotentiæ efficaciam tantam, ut ei nemo possit resistere; justitiam item tam exactam, ut nihil iniquitatis impunitum relinquat: ipsum denique tanquam unicum summum bonum, omnium rerum creatarum ultimum finem esse; ad cujus honorem & gloriam omnia deberent ordinari. Quibus ita comparatis Angeli boni judicârunt, omnia justè, sanctè, ac sapienter à Deo ordinata esse (licèt ordinationes, & consilia sua complura clam teneret) ideoque meritò se in omnibus promptissimâ voluntate Altissimo parêre, ac subjici velle: quasi dicerent in mente sua. [Justus es Domine, rectum judicium, & æqua via tua: quoniam tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus; nos servi tui ad omnia parati; fiat voluntas tua; & exaltetur tuæ gloriæ Majestas in æternum.] In qua quidem resolutione continebantur actus fidei, spei & charitatis, humilitatis, obedientiæ & Religionis, ac sublimissimarum virtutum actus erga Deum: quibus boni Angeli non solùm in priori gratiâ perstiterunt, sed etiam constantiâ, tot nobilissimis virtutum actibus roboratâ, longè plus gratiæ & gloriæ prometuerunt, quàm ipsis antè collata vel debita fuerit. Id ipsum etiam adminiculante Dei gratiâ facere potuissent, ac debuissent Angeli mali; qui tamen longè alio ordine funestissimam suam tragœdiam & finem deduxerunt. Et quia, juxta Augustinum relatum, *amor sui usque ad contemptum Dei fecit civitatem diaboli*; ideo rectò Dei judicio, *ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem* ab initio; *expulsi sunt* ex Empyreis regnis, *nec potuerunt stare* felices in conspectu Throni & Agni: & non prævaluerunt, *neque locus inventus est eorum ampliùs in cælo.* Ita hæc peracta venatio Ardeæ; sic prævaluit Archangelus; qui propter hanc victoriam cælestem, & reportata ab hostibus trophæa, ab Ecclesiâ vocatur *Primas cælestis exercitûs (id est, diaboli) victor & calcator, militia cælestis princeps, paradisi Præpositus.* A S. Basilio verò sic interpellatur: *Tibi, ô Michaël, duci supremorum spirituum, qui dignitate & honoribus, cæteris omnibus prælatus es supremis spiritibus; tibi, inquam, supplico.*

Psal. 35. v. 11.

Apoc. 12. v. 8.

S. Basilius hom. de Angelis.

plico. A Niceta Choniate appellatur *Archistrategus divinorum exercituum.* (Nicetas Choniates l. 3 fol. 208)


381. (S. Michaëlis multiplex prælium contra Satanam & ejus appendicem. 2. Petri 2. v. 4.) Esset, cur ex relato prælio morales quasdam inducerem consequentias, quêis præsentem hominum statum ad frugem & officium reducerem. Promptus adesset Sanctus Petrus in suâ Canonicâ Epistola, & implicitam adduceret illationem. *Si DEUS Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari;* quid faciet circa mortales & corruptibiles homines? Suam etiam argumentationem inferret Sanctus Gregorius Magnus, prolixè disserens, DEUM ita disposuisse & permisisse, (S. Greg. l. 1. Reg. c. 2.) *Ut in lapsis Angelis disceret homo, quid timeret: nam quid de æreo vase fiet, si DEUS nec aureis superbiæ facere plenis ignoscit.* Argumentaretur idem Sanctus Gregorius: (Idem 4. in lib. Reg. c. 2.) *Cautela minorum sit ruina maiorum.* Esset, inquam, cur affectu energetico hunc miserabilem damnatorum Angelorum casum deplorarem: & suspicerem ad Elysios campos, ubi peractum est prælium; ad excellentiam beatitudinis, quam perdiderunt; ad temporis brevitatem, quo malum illatum est mundo; ad ruinam deplorandam, in quam Lucifer *cælo vincendus aperto* declinavit. (Isa. 14. v. 12.) *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris?* Vbi Syriaca legit: *quomodo cecidisti de cælo? ulula, manè* (in matutino) *corruisti.* Arabica autem versio sic: *quomodo cecidisti de cælo super terram? in aurorâ, manè corruisti.* Intervenit Sanctus Bernardus apposite, & in visionem ait: (S. Bernardus serm. 3. in vis. Isa. c. 3.) *Quid festinas manè oriri, ut Lucifer? quid gloriaris super sydera, quibus aliquando clariùs rutilare videris? Brevis omnino erit gloriatio tua. Sequitur Sol Justitiæ, quem te esse vanâ simulatione jactabas, cuius fervore pariter & splendore in nihilum redactus dispereas.* Et post pauca: *Bonum erat tibi, si ignifer magis esses, quàm Lucifer.* Quomodo ergò ô Lucifer factus es noctifer, imò furcifer? Quomodo de cælo in cœnum, de summo in imum, de vitâ in mortem, de gloriâ in gehennam corruisti? Nec prosequor Sanctum Bernardum, qui Serm. 17. in Cantica totus occupatus est in Luciferi dejectione. Venerabundus hæreo in Sancti Michaëlis officijs, ad quæ illum Divina Majestas evexit, ut victor evadens in primo prælio, nunc consequenter prosequatur continuum certamen contra dejectam Ardeam, infernalem Serpentem. Sanctum Michaelem esse Præpositum suscipiendis animabus, non quibusvis, sed justorum tantùm; ideoque per se, vel per subdelegatos à se Angelos exequi, unanimis est Ecclesiæ consensus. Et confirmari potest multis apparitionibus, quas colligit Albertinus de exceptione & deductione sanctarum Animarum à Custodibus Angelis factâ. (Albertinus de Angelo Custode, c. 16.) Nam quamvis non deducant per motum localem, adstant tamen deferentibus corpus; cùm tunc maximè agatur earum salus, & adesse Sathanæ impetum ac suorum, pulchrè tradat Origenes. (Origenes hom. 6. in psal. 36.) „[Eo tempore cùm anima „separata est à corpore, & occurrunt „ei peccatores dæmones, adversæ potestates; spiritus aëris hujus, qui „eam volunt detinere, & revocare „ad se; si quid in ea suorum operum, gestorúmque cognoverint. Venit enim ad unamquamque animam de hoc mundo exeuntem Princeps hujus mundi, & aëreæ potestates; & requirunt, si inveniunt in ea „aliquid suum. Si avaritiam invenerint, suæ partis est: si iram, si luxuriam, si invidiam, & singula quæque eorum similia si invenerint, „suæ partis est, & sibi eam defendunt, & ad se eam trahant, & ad „partem eam peccatorum declinant. „Si verò aliquis imitatus est illum, „qui dixit, *ecce venit Princeps Mundi „huius, & in me non habet quicquam,* si „se aliquis ita observavit, veniunt quidem isti peccatores, & requirentes in „eo quæ sua sunt, & non invenientes,

„tentabunt nihilominus ad suam partem violenter eum detorquere, sed „Dominus eripiet eum à peccatoribus.] Et quia inter Angelos omnia fiunt ordinatissimè, non dubium, quin ministeria obeant cum subordinatione ad aliquem superiorem Angelum, tanto negotio præfectum; qui convenientissimè affirmatur esse Sanctus Michaël, tanquam summus Ecclesiæ Christianæ protector, & inter cælestes spiritus eminentissimus. Qui etiam præpositus est animabus sanctis suscipiendis, & repræsentandis in lucem Sanctam: ad quem finem Theologia Symbolica ei appingit gladium & stateram, tanquam propria symbola: *gladium* quidem certaminum sancti hujus Principis cælestis militiæ adversus Sathanam, pro Ecclesia & animabus justis; *stateram* verò ministerij, quod per se suosque subdelegatos exhibet, aptans & disponens animas, ut compareant in particulari judicio; etiamsi judicium illud non exerceat. Insuper cùm Lucifer in dies gerat prælium contra fideles in Ecclesia, eorúmque tutelares Angelos; hinc quotidie S. Michaël unà cum bonis Angelis contra perfidos hos Ecclesiæ persecutores præliatur: & maximè circa extremū judicij diē præliabitur S. Michaël cum suis Angelis contra Luciferum ejúsque dæmones, adjuvando, confortando, & animando Christianos fortiores & constantiores, ut se cum Elia & Enoch apertè & generosè opponant Antichristo, perditionis filio; cum quo, & pro quo pugnabit Lucifer per blandiloquentiam, minas, fraudes, astutias, ficta miracula, hypocrisin, tormenta, cæterásque artes & arma, ac crudelitatis instrumenta, quæ ipse Lucifer parabit ac suggeret Antichristo. Rursum præliabitur Michaël defendendo suos hosce fideles in judicio Dei, & deijciendo Antichristum in barathrum damnationis. Quod prophetico prodigio præsignatū est in illa descriptione Apocalyptica: *Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Sathanas, qui seducit universum orbem: & projectus est in terram, & Angeli eius cum illo missi sunt. Et audivi vocem magnam in cælo dicentem: nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius; quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.* Apocal. 12. 9.

Raynaud. in attribut. sell. 4. c. 8. n. 640.

Dimitto, quæ de tutela Sancti Michaëlis supra Ecclesiam, & continuis ejusdem prælijs contra corporeos Ecclesiæ hostes continuò instruit; & dum venationem Ardeæ properanter ac ardenter, ut in hujusmodi certaminibus Hierofalconis cum Ardeis fieri solet, exposui, omnino me ad gloriosissimum Victorem Sanctum Michaëlem Archangelum, imò supremum & maximum Seraphinum converto, & inter acclamantium plausus supplicissimus precor. *Princeps gloriosissime, Michaël Archangele, esto memor nostri: hic & ubique semper precare pro nobis Filium Dei.* Denique cum Draco committeret bellum, & Michaël pugnaret cum eo, ac victoriam faceret, *factum est silentium in cælo.* Vos Auditores, hac Ardeæ deturbatione stupefacti, silete, & abite.

AMEN.



IN

IN SOLENNITATE SERAPHICI Patris nostri FRANCISCI, Ord. Minorum Fundatoris, 4. *Octobris.*

ALAUDA GALERITA
Die auffsteigende Himmel- oder Häubl-Lerch.

L E M M A.

Ad ardua gaudens.

T H E M A.

Misit Deus in corda nostra Spiritum Filij sui, clamantem: Abba, Pater. Galat. 4. v. 6.

SYNOPSIS CONCIONIS XCIX.

Magnificâ inductione ab inanimatis Creaturis usque ad Seraphicos Spiritus ascendendo ostenditur, S. FRANCISCUM specialibus encomijs rectè & antonomasticè prædicari COMMUNEM OMNIUM PATREM, & quidem Patrem verè SERAPHICUM.

382. Alaudæ ad exprimendas Francisci laudes invitatio.



Egotium omnium maximũ mihi hodie agitur inter cæli Volucres, Auditores spectatissimi; quas nunquam ita præstat cum invictissimis Dei Athletis in Babylonica fornace, ad benedicendum Dominum provocare, quàm dum Seraphicus noster Legislator ac Pater FRANCISCUS anniversariâ solennitate concelebratur: qui spiritu exultante plenus non quievit in proprijs conatibus, ad prædicandam Dei gloriam excitatis, sed *Laudans laudare studuit, laus illi semper adfuit; laus, inquam, Salvatoris: invitat AVES, bestias, & creaturas alias ad laudem Conditoris.*

Antiph. in laud.

Wolan ihr klein Waldvögelein /
die in den Lüfften schwebt:
Stimmt an / lobt Gott den Herren mein'
singt all / die Stimm erhebt.
Dann GOtt hat euch erschaffen
zu seinem Lob vnd Ehr /
G'sang / Federn / Schnabel / Waffen /
kombt alles von jhm her.

Et verò inter cæli Volucres à Francisco ad Dei laudes tam tenerè, támque animosè invitatas, si optio detur ad selectionem unius cujusdam cæterarum officio fungentis, non prodibit ex omnibus hodie vel ad propositum accommodatior, vel Francisco ad affectum charior, vel ad concinendas *laudes* delicatior, quàm à capitis *Galero Galerita*, & à gutturis *Laudibus Alauda*; cui tanquam Avium antiquissimæ Aristophanis regnum decernitur. Alaudam enim avem priorem terrâ enatam

tam fuisse, fabulabatur Comicus Aristophanes; cúmque mortuo Patre suo, ubi sepeliretur, tunc spatium non extaret ullum, nondum productâ terrâ, illum in capite contumulavit, cumuli signo seu vestigio adhuc in capitis apice surrecto. Non erit hæc nostra Panegyris morosa in conceptibus, nec squallida in enuntiationibus, nec coarctata in terminis; sed lætabunda in volucribus, canora in musicis, ampliata in apricis agrorum recessibus. Elevabit se velut Alauda, quæ ingenio ad cantum docili prædita, mirâ alacritate, exertis in aëre pennis, vocis modulatione lætæ temporis serenitati quasi applaudit; & suum deliciosum *tyrlliri tyrlliri* modulando, magis magisq; semper ascendit AD ARDUA GAUDENS: nam Plinio teste, *dum humi quiescit, aut nunquam aut rarò cantat.*

Galenus l. 11. simplicium ex Aristophane.

Das Lerchlein in den Lüfften schwebt/
vnd tröst den Ackersmann:
Vom grünen Feld es sich erhebt/
vnd singt den Himmel an.
Im Kraiß herumb thuts singen /
lobt Gott den gantzen Tag:
So hoch sich auff thut schwingen/
daß mans kaum sehen mag.

Alauda igitur nobis hodie eximias Seraphici Patris nostri FRANCISCI laudes meditetur, & decantet. Neque verò absterreor eâ consideratione quæ illicò se ingerit audito *Parentis* nomine, quasi id sit domesticis, atq; adeò proprijs ornamentis velificari: quando etiam Gregorius Nazianzenus non eximuit, roties domestica decora, exornatis fratre Cæsario, sorore Gorgonia, Nonna matre, Gregorio patre, admodùm festivè prosequi & celebrare. Sed & aliud mihi suppetit probandæ laudationis scutum, quo usum video Hilarium Arelatensem in encomio S. Honorati, sui in Christo parentis. *Non verebor, ne nimis forsitan favorabiliter de meo loqui credar, quia præterquam quod nihil non inferiùs dici suis virtutibus potest, nemo est, QUI NON ILLUM SUUM SENSERIT, SUUMQUE CREDIDERIT.* Quasi nempe domesticæ exornationis invidia satis inde imminuta appareret, quòd S. Honoratus *COMMUNIS OMNIUM PATER* haberi posset. Simslem prætexo in re præsenti paternis laudibus excusationem adversùs invidiam. Cùm enim *Seraphicus FRANCISCUS* erga omne hominum genus, imò erga omnem creaturam, paternæ charitatis ac sollicitudinis viscera communicârit, ut *communis omnium Pater* jure longè meritò audire possit, ac debeat; hinc non tam domestica, quàm communia, & ad omnes æquè pertinentia encomia protulisse videri potero, si Alaudæ Galeritæ de sanctissimo *Omnium Patre* FRANCISCO egregia decora exornanda suscepero: ut ita, *cùm miserit Deus in corda nostra spiritum Filij sui, clamantem, Abba, Pater*, & ex ipsissimo isthoc titulo *Optimo Parenti* omnia debeam, hoc munus unicum, ac debitum debitorum omnium justissimum, ei reponam in vicem qualiscunque panegyris ex filiali affectu depactæ ac consecratæ, & quasi falcidiatæ.

S. Gregorius Naz. orat. 11.

S. Hilarius de laud. S. Honorati.

383.

Benedicite omnes volucres cæli Dominum. Tres nobilissimi ex Israëliticis captivis Juvenes, dum ob legis accuratam observantiam ardentissimæ fornaci ad incinerationem injecti, sed paternâ Dei manu protecti & salvi in medijs subsisterent flammis; ob tam illustrem & miraculosam Paterni Numinis in se beneficentiam ut intimum cordis sui & jubilationis sensum, atque immensum gratitudinis, congratulationis, reverentiæ & Divinæ laudis, quo æstuabant, testentur & ostendant affectum, omnes omnino creaturas, etiam inanimes, tanquam admirabundos Divinæ Potentiæ, Providentiæ ac Beneficentiæ testes, ad benedicendum Dominum invitant: iisque, ut omnes in Alaudas evaderent, divinas concinendas laudes commendant. q. d. Vos ó Angeli, cæli, ignes, venti & bestiæ, quæ huic spectando prodigio interesse potuistis, naturali sensu & mutâ voce obstupescite Dei in nos clementiam & potentiam; congratulamini nobis, & nobiscum exultabundi laudate Deum: quod utique etiam faceretis, si rationali sensu, mente, & voce essetis præditi. Neque enim no-

Provocatio laudis trium Hebræorum accommodata ad S. Patrem Franciscum.

nostra tenuitas ad benedicendum DEUM pro condignitate sufficit; ideóque omnes creaturas ad ejus laudem nobiscum provocamus, cupientes omnium Angelorum, hominum, & creaturarum ore immensam DEI Patris in nos celebrare liberalitatem. Vos cæli sydera & ignes, pro perenni vestrâ in Creatorem obedientiâ, nunc vel magis laudate Deum; quia mirabilia in vobis operatus est Dominus, dum præter naturam suspendit vim activitatis vestræ, alioquin in nostra corpora dolorosissimè sævituræ. Vos, ô venti, laudate DEUM; quia in flammarum voragine nobis vestra ventilatio quàm suavissimè indulsit. Vos, ô vos omnes Creaturæ, dum vestro motu & spiritu huic cælesti prodigio cooperamini, pergite, uti cœpistis; quamdiu nos in hoc camino vivimus vestræ activitati expositi, & deinceps semper, vestrâ specie, actione & obedientiâ, cum naturali tum supernaturali, DEUM laudate, omnésque homines & Angelos ad DEI laudem provocate. Et vos, *omnes Volucres cæli*, quibus guttur ad modulandum, rostrum ad fingendū, indoles ad concipiendum, vox ad resonandum, & gratiositas ad collaudandum sunt cælitus collatæ, *benedicite Dominum, laudate & superexaltate eum in sæcula*: quia, qui vos pascit & nutrit beneficentissimus Pater, etiam nobiscum fecit misericordiam suam magnam, ut flamma ignis non noceret nobis. Ita laudârunt, ita ad laudandum Dominum provocaverunt omnes creaturas tres illi Heroës, à Regis tyrannide non concussi, ab ignis furore non incinerati. Quid non tentabo ego hodie ad invitandas cæli volucres, ut omnes commutentur *in Laudas*, ad laudandum & benedicendum Dominum, qui in Francisco fecit mirabilia, ut esset PATER VIVENTIUM, & per antonomasiam cognosceretur & honoraretur ab omnibus Christi Fidelibus, eo ipso, quòd nominetur *SERAPHICUS PATER*?

384. Avium mira familiaritas, & comis facies cum S. Francisco, admystit am laudem etc. ecta.

Ad prosequendum hoc propositum, dici vix potest, quàm promptas & obligatas sese profiteantur cæli volucres; quæ omnes extiterunt testes innocentiæ sanctissimi Viri, & in ejus paternâ jucundáque præsentiâ jugiter jucundârunt. Vix ubi Franciscus montem Alverniæ à Comite Orlando in possessionem accepturus suæ solitariæ & contemplativæ vitæ, paulisper sub umbrosâ quercu quievit; tum ecce! subitò advolabant avium lætissimi greges, cantibúsque ac lætitiæ signis tam diu novum hospitem demulcebant, quousq; impertitâ benedictione daretur libera avolandi facultas. Iter agebat Vir sanctus in Statu Veneto, & cum socio sub arbore considebat, dicturus Breviarij pensum: tum ecce! canora volucrum multitudo convênit; nec desijt miscellaneis suis cantibus concinere orantibus, quousq; & interponendi silentij mandatum, & abeundi daretur facultas. A quodam Senatum cive oblatus est dono Phasianus Viro sancto, cujus dulci & familiari consuetudine quandocyus ita captus est regius iste cupediarius, ut jam de nullius alterius manu quàm tanti Institoris accipere escam voluerit. In monte Alverniæ vicinus nidificabat falco, qui ita vigiles sui Ucalegonis agebat vices, ut statis clamoribus quiescentem ad Dei laudes excitaret; cum infirmante verò unâ, vel alterâ horâ, imò integrâ nocte dispensaret. Iter agens Servus Dei cum B. Leone confessario suo, sub arbore considebat, manducaturus panem: tum subitò adest luscinia, cum Francisco canente divinas laudes tam diu alternans, quousq; obtentâ victoriâ de manu ejus paratam acciperet mensam, & tandem dimissa ad sua vireta rediret. Erant hirundines sub concione ejus in oppido Alviani habitâ admodum clamosæ & insolentes, ideóque ad servandum sub tota concione silentiū obligatæ. Quare cùm vulgato hoc miraculo Studentium non nemo Parisijs aliquando in suis scrutationibus scholasticis à garrulâ hirundine molestaretur: &tu, ait, ex illis es, quæ Alviani venerando Dei Servo Francisco sub concione increpuisti molesta; veni igitur ipsius nomine, & taciturna in por-

recto hoc digito conquiesce. Dictum, factum: patuit hirundo, & quasi muta in ore, sese manui ejus tenendam commisit. Cicada etiam in loco de Portiunculâ iam familiaris erat Francisco, ut eidem hortum obambulanti in manus insilire, & suo resono plectro extaticæ contemplationis dulcedines oranti Viro S. concitare satagebat. Poterant hæc & his similia plurima facta, à cæli volucribus deprompta, devotis ac tenetis Auditorum cordibus stimulos addere, ut unàcum selectis cæli Phonascis non tantùm ad benedicendum Universi Conditorem concinerent; sed etiam Franciscum admirabili innocentiâ & sanctitate conspicuum, longè feliciùs inter illos *Principes, qui in avibus cæli ludunt*, requiterent, quàm poterat Propheta de vanis Aucupibus sollicitâsse. Ne vacat mysterijs hæc canora avium cum S. Francisco familiaritas. Nempe dulce erat *cælicolis aviculis* ab illius Viri manibus teneri ac demulceri, qui suis meritis & intercessionibus non solùm compedes incarceratorum aperuit, sed & peccatorum innumerabiliũ diabolica vincula dissolvit. Erat deliciosum *cæli volucribus*, Franciscum in montis Alverniæ vertice suo concentu salutare, qui tribus religiosis Ordinibus viam præpararet ad perfectionis Evangelicæ summarem. Erat opportunum avibus, Divinas laudes alternare cum Francisco, de cujus labijs vel ipsi Angeli suscipiebant versiculos, & tanquam rosas ac lilia fragrantissima Paradisi delicijs inserebãt. Erat appetibile, escam de manibus Francisci accipere, qui se suúmq; Ordinem pauperrimũ ita prorsus Divinæ œconomiæ cõmisit, ut nunquã de mensa Domini deficeret panis ejus. Erat illis honestissima familiaritas Francisci, qui abdicatis terrenis consortijs *Juris cæli* factus, & inter maximos Dei amicos est assumptus. Erat illis facilè, vigilias suas protrahere super Franciscum, qui mundum è profundissimo peccati somno suscitavit, & infernaliũ tenebrarum noctem desperatissimis peccatoribus dissipavit. Erat illis securissimũ refugium ad latera Francisci, qui non abijt in consilijs impiorum, nec divitias mundi quæsivit, nec Salomonis sapientiam affectavit, nec coronas Assueri, nec pensiles Semiramidis hortos, nec validos Artaxerxis exercitus somniavit, sed præcisè in vulneribus Jesu Christi habitare consuevit. Erat ipsis utilissimum, suas escas colligere in horreis Francisci, qui Josepho Ægypti Prorege liberalior, Christianum orbem amplissimis animarum atque virtutum fructibus implevit.

Baruch. 3. v. 17.

385. Alaudas præ omnibus avibus cur dilexerit S. Franciscus.

Sed verò ex omnibus volucribus cæli, quantumvis Dei in sese exprimentibus sapientiam, Franciscus sibi elegit adamabiles Alaudas; eásq; ad Dei laudes concinendas affectuosissimè invitabat, sed & Alaudæ tantum erga suum Chorulam Franciscum conceperant correlationis affectum, ut illi beatissimâ morte defuncto suis cantilenis suavissimè parentarent. Magna enim & mira earum frequentia ad tectum domûs in qua mortuus jacuerat, advolavit; & cũ insolita jubilatione gyrando, jucundissimo epicœdio S. Viri laudes & gloriam concelebravit. Solebat Vir Apostolicus sui Ordinis Fratres comparare Alaudis, eósq; ad imitandas Alaudas adhortari. Nam Alauda, inquit, *Galerita* est, cristámq; instar galeri gerit in capite: sic & Fratres Minores cuculum gestant, sive caputium; ut meminerint, se puerorum, caput suum cuculis involventium, innocentiam & humilitatem præferre. Deinde Alauda cinerei coloris pennulas excludit: cinereus est iisdem habitus Fratrum Minorum; ut vel in extrinseco vestimento demonstrent, se portare vasa fictilia, ex cinere & pulvere compacta, quæ iterùm in cineres olim sint resolvenda. Insuper Alaudæ vivunt in paupertate, sine sollicitudine crastini grana terræ colligendo pro quotidianâ annonâ; sicque in DEI providentiâ placidè conquiescunt, tantùmque volatui & cantui vacantes, tendunt *AD ARDUA GAUDENTES*; sic & Fratres Minores religiosâ suâ professione pauperrimi, accipiunt de mensa Domini & Fidelium charitate, quo vivant & utantur; reliquorum curam committunt cælis. Item Alau-

Plinius l. 11. c. 37.

Cornelius à Lapide super Matth. 6. v. 26.

Alaudæ comesto grano saturatæ, in cœlum feruntur directo & sublimi volatu, ita ut intuentium aciem fugiant, canentes & quasi gratias agentes Deo omnium Parenti & nutritio: faciunt idem Fratres Minores, manducantes panem Angelorum, hoc est, panem ex eleemosynis quæsitum; ad quem Fratribus mendicantibus liberalius elargiendum Angeli boni instigant Divitum Beneficentiam. Denique *Alaudæ* ita dicuntur *à laude*, quòd assiduo cantu Deum laudent: sic & Fratres Minores terrena despiciunt, cœlestia verò appetunt, quasi hospites terræ & cives cœli; sciuntque se a Deo vocatos ad hoc, ut in diurnis ac nocturnis psalmodijs Deum jugiter laudent, sed verò etiam prædicatione & sanctitate vitæ Christi Fideles ad benedicendum Dominum illuminent atque invitent. Propter hujusmodi rationes ita sibi dilectas fovit Alaudas Franciscus, ut dicere soleret: si Cæsaris mihi præstò esset authoritas, vellem per omnes gentes & urbes sancitâ lege cavere, ne quispiam sub gravi prohibitione præsumeret Alaudam occidere, utpote quòd mactando Alaudam tollatur vivum Divinæ laudis instrumentum.

Lucas Wadingus in Annalibus Mino. anno 1226, n. 19.

588. *S. Francisco nomine & re convenit esse militem Christi, instructum competentibus armis.*

Hæc dum simplici oratione prosequor, *Galerus Alaudæ* ad aliam me provocat Francisci laudem. Enimverò galerus in capite, signum militare est; & cassis martia decet capita, non imbelles opiliones. Vt quid ergo Alaudæ, tam imbelli & innocenti aviculæ, à naturâ de casside in capite provisum est? Nempe Alauda Francisci avis est, ut gallinaceus Martis, & pavo Junonis. Ergo galetus Alaudæ militarem symbolizat professionem Francisci, non ad cædes cruenti, non ad vulnera accensi, non ad percussiones insani; sed Francisci militis Christi, inducentis militiam novam spiritualem contra visibiles & invisibiles animæ hostes. Gerit Franciscus salutis galeam in capite; castitatis baltheum in fune lumborum; sagum militiæ in cilicio togæ; gladium Verbi Dei in ore prædicationis; clypeum protectionis in observantiâ S. Evangelij. Et ne aliquid desideretur tam strenuo militi, gerit Franciscus *bipennem* virtutis in proprio nomine. Mysterium acceptate. Erat S. Franciscus aliquando specie ensis objectus Fratri Pacifico, primo inter Minores in Francia Ministro Provinciali: cùm enim esset pangendis sæcularibus cantionibus addictus, & idcircò *Rex versuum* diceretur, ac ob eam causam ab ipso Imperatore fuisset coronatus, translatus est à sæculi vanitate in Sodalitium tunc superstitis S. Francisci. Is videbat aliquando, sancto Viro prædicanti ensem unum micantissimum à capite ad pedes commensum, & alium æquè splendidissimum à latere ejus ad latus tendi; ut eâ externâ gladij specie monstraretur, Hominem Dei esse fulgentissimum Spiritûs S. gladium, transfigendis mundanorum cordibus à Deo destinatum. Quid si verò ex illo viso ortum sit nomen FRANCISCI, quo Vir sanctus est donatus? Constat sanè, nomen ejus lustricum in Baptismo impositum fuisse *Joannis*, ut S. Bonaventura scribit, inditum ei hoc nomen ex matris voluntate referens; eoque collimat Alvarus Pelagius, qui idcircò S. Francisco aptat illud, *fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes.* Et neuter ait, fuisse eum vocatum ab initio *Joannem Franciscum*, prout aliqui de suo cerebro commenti sunt; sed fuisse vocatum duntaxat *Joannem*. Verisimiliùs Lotinus nomen *Francisci* Sancto juveni accessisse existimat, cùm curasset Pater ejus *Petrus Bernardoni*, filium suum imbui linguâ Francicâ, ad usum mercaturæ cum Francis faciendæ: sic Patre non refragante (cui plerique eam Filij nomenclationem tribuunt) vulgò audivit *Franciscus*; quod ex Villanio olim idipsum sonabat, ac nunc *Francese*. Potuit certè Pater ejus in Vmbria degens, nomine Italico *Francesco*, quod tunc *Gallum* sonabat, sive *Franciscum* denominari Joannem filium suum, cum Francis ob mercaturæ negotia agentem, & Francicæ linguæ peritiâ inter suos cives perspectum, aut voluisse, aut nequaquam ægrè tulisse: aut, utut pater rem acciperet,

S. Bonaventura in actis S. Francisci.

Alvarus Pelagius l. 2. art. 61.

Lotinus t. 16. art. 2. 14.

Theoph. Raynaudus in Asceticis, cent. hist. 38 & in Pontificio fol. 538.

ret, potuit ea denominatio ex linguæ Francicæ peritiâ adhærere filio, ex frequenti apud cives suos usu sic illum denominandi; quod sæpè alijs in adjunctis similibus videmus usu-venire. Et hoc non incongruè visum esse, communiter judicare quilibet potest. Salvator Vitalis dictum *Franciscum* contendit, quasi *Francum*; quia fuit *Francus*, id est, liber & immunis à peccato jam ex utero matris ante nativitatem, ob præmissam sanctificationem in utero: *Francus* enim immunem & exemptum, *franchisium* autem exemptionem & immunitatem significat. Sed verò ea præpropera sanctificatio & falsò invehitur, & si præfuisset, latuisset omnes; atque adeò non potuissent inde ducere nomenclationem Francisci: & oportuisset etiam simili ratione nomen Francisci tribuere Baptistæ, verè eâ præcoquâ sanctitate donato. Leonardus Vticensis insuetum tunc nomen Viro sancto tributum esse censet, ut insinuaretur insuetum ministerium, quo liberos & francos erat facturus Christi filios, à Sathana captivatos, per insignem magnanimitatem, & ferociam cordis nihil extimescentis; à qua denominatos *Francos*, observat idem Author cum Ivone Carnotensi, & authore vitæ S. Rictrudis. Nec istud omnino placere potest; nam alioquin eodem jure omnes generosi liberatores animorum, eo nomine fuissent insigniendi. Omnium pulcherrima est mystica nominis hujus impositio, petita ex eo ense, quem Fratri Pacifico objectum dixi. Nam *Francisci* nomen videri potest deductum à *Francisca*; quæ vox in actis Clodovei primi sonat *Spatham*, sive bipennem, quæ transversali sursum fuste porrecta, crucis imaginem præferebat; qualis erat ea spatha lucida fratri Pacifico obversata. Et sic exposuit eam vocem Hincmarus in vitâ S. Remigij, cùm dixit: *Vnus Francus levis, cum vociferatione, elevatâ bipenni, qua alio nomine vocatur Francisca, percussit urceum.* Is autem Francus à Rege impactâ Franciscâ trucidatus est.

Salvator Vitalis in floreto, Narcisso 5.

Leonardus Vticensis serm. de S. Francisco.

Hincmarus in vita S. Remigij. Flodoardus l. 1. hist. Rhem. Ec. cleß. c. 13.

Hinc ait paulò inferiùs Hincmarus: *Accepit autem Rex Franciscam ejus, quæ vocatur bipennis, & projecit in terram.* Aymoinus sic ait: *Extensâ manu Franciscam eius terræ dejecit, quæ spatha dicitur.* Nec placent, qui *Franciscam* interpretantur securim: licèt enim secures illæ, quæ ad terrorem ciendum in fascibus consularibus præferebantur, aliquando dictæ legantur *bipennes*; sicut & quæ in sacrificijs adhibebantur, *bipennes* item legantur appellatæ; magis tamen propriè bipennis spatham potiùs, seu ensem sonat. Itaque S. Franciscus quia fuit gladius seu ensis Dei, verbo & exemplo recîdens intemperatum fluxarum rerum amorem; prout eum Gregorius IX. & Alexander IV. magnificè celebrant: hinc meritò denominatus est nomine sonante gladium, sive bipennem; sub qua imagine F. Pacifico in visione fuit ostensus. Habetis mysterium, occasione galeri super caput Alaudæ inducti symbolizari Franciscum, cui nihil ad veram militiam spiritualem possit desiderari: ita ut haud mirum ampliùs esse debeat, si adeò in Francisci delicijs fuerit Alauda. Oportuit accuratiùs originem nominis FRANCISCI investigare, ut, dum ab eo tot tantique Francisci & Franciscani sibi decorum reputent appellari, cognoscamus petram, ex qua excisi sumus; & documenta demus, quo patre, & *qua simus origine nati.*

Aymoinus l. 1. de rebus Francorum c. 12.

Brissonius de sacrificijs.

Lucas Tudensis de stigmatisim.

387. Proinde *omnes volucres cæli benedicite Dominum*; quia elegit hunc parvulum Franciscum, ut *Communis omnium Pater* diceretur, & esset. Non est nobis cogitatio de *Paternitate carnali*, quæ de suâ physicâ substantiâ naturaliter tribuit genito, & facit, ut productum sit in specie simile producenti. Et hanc adeò frigidè respiciebat Franciscus, ut dum aliquando fomite concupiscentiæ stimularetur ad conjugale opus ratihabendum, protinus exutis vestimentis sese in algentissimis nivibus volutârit; & pro generandis filijs ac filiabus niveos globos compilârit, quibus calentem tentationem com-

Quomodo à Paternitate cælesti proveniat omnis Paternitas.

fmu-

mutaret in squallentem, & carnis pruritum converteret in mortificationis affectum. Igitur de Paternitate spirituali creata prosequimur laudis encomium: quam S. Dionysius fundat in illo loco Apostoli ad Ephesios. *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis Paternitas in cælo & in terrâ nominatur.* Vbi verisimiliùs Apostolus *Patrem Christi* accipit notionaliter, designatque solam primam in in sanctissimâ Trinitate Personam; ad cujus similitudinem dicantur Patres; quotquot in cælo & in terrâ donantur eo nomine. Nam Patres carnales, manifestè paternitatem Primæ Personæ erga Secundam imitantur; quatenus filijs creatis substantiam suam impertiunt ex sanguinibus, & ex viri ac carnis voluntate, in similitudinem naturæ. Qui verò *spiritu Patres* aut in cælo aut in terrâ appellantur, proportionalem cum æterno Patre obtinent paternitatem respectu eorum, quos filios habere dicuntur; communicato illis esse quoppiã, scilicet scientiæ, gratiæ, pietatis, imperij, & hujusmodi. Itaque dum Franciscus Assisiensis dicitur *Communis omnium Pater*, spiritualiquidam proportione intelligendum venit, ut omnibus omnino creaturis aliquid spirituale, vel de suis proprijs, vel de suis à Deo participatis, tribuere videatur.

Ephes. 3. v. 14. & 15.

388. Et quidem loquendo de Paternitate erga omnes creaturas inanimatas; erga elementa simplicia, & ex his mixta corpora; facilè ostendi potest, Franciscum esse communem *Patrem imperio* erga hasce creaturas inanimatas. Nam Chrysanthas apud Xenophontem ait, nihil differre Principem bonum à Patre; & esse publicos Patres nihilo naturalibus pietate minores, Philo agnoscit. Et alludit Poëta: *Imperiumq; Pater Romanus habebit.* Et illud ex Rege Latino: *Fer sacra Pater, & concipe fædus.* His ergo apprimè competit prædicatum, quòd sano & salubri imperio sin *Patres Patriæ*. Ex quo etiam advertit Macrobius, vocem *PATRIS* quandoque tributam esse Dominis, ad signandam humanitatem, qua Dominus subditos tractare debet; non agens cum eis ut cum mancipijs, sed ut cum filijs: unde ductum nomen *Patrisfamilias* resultat. Jam verò quis ignorat, Franciscum universis creaturis præcepisse ut Patrem, quando specialis de illo Antiphona testatur.

3. Franciscus probatur esse Patersfamilias creaturarum inanimatarum.

Xenophon l. 3. pædiæ.

Philo de creat. Princ.

Hic creaturis imperat,
Qui nutui subjecerat
Se totum Creatoris.
Quidquid in rebus reperit
Delectamenti, regerit
In gloriam Factoris.

Sing Lerchlein sing neu Mähr vnd Ding/
Vnd lob Francisci Macht;
Der so behendt die Element
In seinen G'walt gebracht:
Was für darinn er g'funden
Schön-Süß- vnd Lieblichkeit/
Jhn neu an Gott verbunden
Mit Hertzens Frölichkeit.

Et verò quantam humanitatem, quàm suave imperium Franciscus exercuit erga Creaturas inanimatas? quibuscum agebat familiariter, *tanquam potestatem habens*. Quàm affectuosè suspexit cælos, & igneos eorum carbunculos suis circumdedit tetigitque suspirijs? Quàm honorificè tractavit Solem, Divinæ Claritatis & Bonitatis ectypon, quando ad ejus gloriam prædicandam tam nervosum composuit; & frequenter in spiritûs exultatione cantare consuevit *Carmen Solis*; ità nuncupatum? ut adeò ex hisce visibilibus illustrissimis creaturis erigeret animum in invisibilem Deum; totùmque se in abyssum Infinitæ Sapientiæ submergeret. Quam amicabiliter tractabat flammas, & ignitos carbones, aut candentia ferra? ut suam insatur bilem mitigarent voracitatem; & de acutissimâ illâ remitterent acerbitate, quam solent in corporum sensationes cum stridore exerere. Applicabat Chyrurgus ignitum ferrum corpori ejus ad inurendum cauterium, propter nocivas humorum affluentias: imperabat rogando Franciscus, ut ignis dolorosam retraheret activitatem: paruit ignis, & dùm carnem pro cauterio disponeret; dolorem tamen nul-

lum causavit patienti. Illas præsertim res inanimatas familiariter disquisivit Franciscus, è quibus speciale aliquod Deitatis vestigium, aut certè Christi Redemptoris mysterium reluceret. Quàm reverentialiter figebat oscula petris; quia Petra erat Christus? Quàm compassivè intuebatur scissuras saxorum, quæ in morte Christi præ indignatione Judaicæ perfidiæ dissilierunt? Quàm purè & mundè applicabat aquas ad usum, in quibus recolebat regenerationis gratiam? Quàm voluptuosè ruebat in arborum amplexus, quia de infami arbore suspensus est Dominus Jesus? Quid non deliciarum inter flores in hortis quærebat, quando illum invenire satagebat, qui pascitur inter lilia, & ipsemet sese floribus camporum ac lilijs convalliũ comparavit? Et in hisce creaturis dum Deum inquirit, divinam ubique experitur virtutem: ut haud videatur insolitum, si hæ creaturæ erga suum Patremfamilias tam promptum exhiberent obsequium; si inversæ plantæ radices agerent in terrâ, & florescerent; si aquæ se ad ejus nutum in aliud, & alterum commutarent; si Terra & Petræ ad recipiendum placitè ejus corpus, velut cera fluens, emollirentur; si ejus imperio aër minaces tempestates subitò serenaret; si ignis ejus rogatu suam naturalem activitatem exueret; si ligna arida frondescerent, & viridia exarescerent statim; si denique elementaria corpora voluntati hujus Homuncionis obedirent. Erat enim super opera manuum Domini constitutus, & pedibus sanctitatis ejus subjecta erant omnia; & qui principatum Evangelicæ Paupertatis assumpserat, ut libertate spiritûs potiretur, jam servilibus creaturis ex voluntate dominabatur familiariter, *Imperiúmque Pater Franciscus habebat.*

389. S. Franciscus sibimet Pater est educatione durâ & mortificatoriâ.

Non ageret bonum Patremfamilias Franciscus ergà creaturas, nisi etiam sibiipsi in propriâ personâ foret *Pater educationis.* Pater educando filium, quem amat, castigat. Constat autem, quid damni inferatur filio, dissolutâ vel luridâ educatione neglecto. *Quemadmodum equus indomitus fit ore durò: sic filius indulgenter tractatus fit temerarius & praeceps.* Eccli. 30. v. 8. Novit hoc pœnitens Franciscus, qui jugi mortificatione corpus suum castigabat, & rebelles sensus in servitutem spiritûs redigebat, canente Ecclesiâ.

Hic carnis supercilium
Legi subiecit spiritûs;
Mundum vicit & vitium,
Se victo victor inclytus.

Sing Lerchlein sing / empor dich schwing
Vnd lob Francisci Arth;
Der jhm so streng / so scharpff vnnd eng
Mit Buß hat außgewarth:
Der war getödt im Leben
Von scharpffen Fasten-Zwang/
Im Todt sich thut auffheben
Vil hundert Jahr schon lang.

Et quis condignè explicet, quam rigorosâ mortificatione in suum corpus animadverterit Franciscus? qualem paternam curam adhibuerit in suis sensibus, ad virtutem & sanctitatem rectè educandis ac dirigendis? Ad hunc finem *mortificationem Iesu* jugiter in suo corpore portabat: quã assũpsit, tulitque invictus Christi discipulus; cui id unicum studium cordi fuit, corpus ieiunio alijsque afflictationibus macerare, ac penitus spiritui subigere. Funiculis & catenulis diverberabat corpus, ac propè lacerabat, dicendo ad semetipsum: *Eia frater asine, sic te decet tractari, sic subire flagella.* Vestis ei aspera & rudis, atque etiam intrinsecus intexa nodulis, ut durior ad carnem appelleret, & torqueret. Aqua frigida potus erat; cibaria ei vel incocta, vel malè cocta, eaque plerumque cinere aspersa, aut absynthio corrupta: ut corpusculi necessitati daretur parcitas, sapori autem & delectationi nihil. Cubile ejus aut nuda humus, aut durius lignum, & lapis pro cervicali: pluma nunquam admissa, nisi semel, ex dolore capitis graviùs laboranti non nisi ex pio fratrum studio affectúque supposita in cervicali: in quod illico (quod mirère) malus dæmon subintravit, & Servo Dei nocte totâ

fuit

fuit importunus; nec destitit, nisi cùm ejus jussu cervical è cellâ longiùs est exportatum, unâque illi insidens malus hospes: qui ut mollia amat, ita in mollibus & deliciosis conquiescit. Erat perpetuum in hac mortifica educatione vel videre miraculum, vel sustinere martyrium. Vt ignem aquâ, & libidinis ardorem deleret frigore, adultâ hyeme atrâque perfrigidâ in congelatas aquas sese immersit, ac in rigidis nivibus titillantes concupiscentiæ stimulos compescuit; sed & acutissimis spinetis, quibus implicabatur, cruentè hujusmodi tentationum ac petulantiæ genus vindicavit. Cadunt in hasce mortificationis inventiones, quæ pulcherrimè de quotidiano S. Eligij Noviomensis Episcopi incruento Martyrio scribit S. Audoënus. *Sic se exercebat, acsi semper inciperet; ita se præparabat, tanquam quotidie moriturus. Itaque repugnantem carnem inediâ subjugabat, & ultricis gehennæ sæva tormenta præveniens, ipse sibi persecutor & tortor extitit. Etsi quidem sors temporis ita tulisset, cupiebat Martyr pro nomine Conditoris fieri: sed quamvis eum gladius persecutoris non confodit, libens ipse sibi QUOTIDIANUM MARTYRIUM indixit; fuitque ei fames pro ungula, sitis pro flamma, mundi calamitates pro bestijs, abstinentia pro craticula. Atque sub quadam Martyrij specie, seu catenâ rigentis ferri, sic durâ Lege constrictus, semetipsum sibi abnegavit, ut Christum sequi posset.* Et rursus idem S. Audoënus prosequitur affectum. *Licèt ei ratio temporis non potuerit præstare martyrium, gloriam tamen Martyrii non amisit, quandoquidem pro spe æternitatis jugiter laboravit. Quòd si ei Neronianis aut Decianis temporibus, in illa quæ tunc extitit congressione, pugnare licuisset, securus dixerim, sponte suâ equuleum ascendisset, & ultrò se pro Christo ignibus intulisset, libénsque palmam sanguinis occupasset. Sed quamquam ista non pertulit, implevit tamen etiam sine cruore Martyrium, dum fortitudine roboratus, in vigilijs sedulus, in jejunijs assiduus, fidem servando, cursum consummando, coronam quotidie reddendam expectavit.* Quæ omnia tum de continuâ mortificatione in quotidianum martyrium excurrente, tum etiam de actuali martyrij desiderio, quo Franciscus ad Saracenos & Ægyptium Soldanum profectus est, non inconcinnâ comparatione intelliguntur. Proinde Franciscus in tam rigorosâ educatione & jugi mortificatione durus quidem sibimetipsi, sed simul etiam amorosus extitit Pater, ut filium, quem castigabat, ad tam sublimem gloriæ eminentiam sublimaret, ac ad receptionem Stigmatum Filij Dei dignificaret.

S. Audoënus l. 1. vita S. Eligij c. 38.

Idem l. 2. c. 3.

Ad aliam me Paternitatem conver- 390.
to, quæ à communicatione doctrinæ sacræ suum respectum accipit. Doctrina enim, seu Sapientia, novum quoddam homini confert bonum, quo is à bruto secernatur. Et propterea discipuli Magistros suos appellant *Patres*. Et concinit illud Nazianzeni.

S. Franciscus Pater est ferarum prædicatione.

Sed mihi Patres sunt, quotquot virtutem me docuerunt,
Filij autem, quos ipse docui.

S. Gregorius Naz. carm. de Virg.

Apostolus quidem videtur significâsse nomen *Patris* ei tantùm Magistro deberi, qui primus informavit aliquem sacrâ doctrinâ: propterea enim contestabatur Corinthios, quòd tametsi multos haberent pædagogos, à quibus exculti fuissent in sacra doctrina jam receptâ, *sed non multos Patres*; cùm ipse eos in Christo per Evangelium genuisset, id est, primus traditâ Evangelicâ doctrinâ effecisset Christianos. Licèt hic rigor vocis, etiam apud Profanos sæpè dimittatur, rectissimè & summatim S. Irenæus secernens duplex genus filiorum, eorum scilicet qui ex aliquo nascuntur, & eorum qui ab eo fiunt; hoc secundum, ait, vel pertinere ad effectionem extrinsecam absque subministratione propriæ substantiæ, vel ad effectionem secundùm doctrinæ magisterium; [*Qui enim ab aliquo edoctus est verbo, filius docentis dicitur, & ille ejus PATER.*] Sic à Rabbinis Moyses dicitur *Pater in sapientia, pater in Lege, Pater Prophetarum*: sic Joseph *Pater Pharaonis*; sic Jabel *Pater habitan-*

S. Irenæus l. 4. c. 79.

S. Hieronymus ad c. 16 Ezech. & in trad. ad 1. Reg.

Tirada l. 1. de Salom. c. 49. n. 9. *tantium in tentoriis*, & Jubal *pater canentium citharâ & organo* nuncupatur. Apud externos etiam, præsertim Lacedæmonios Apollonius appellatur *Adolescentium Pater*, Thessalus Hippodromus *gratiæ pater*, & Timocrates ob eloquentiæ magisterium *linguæ pater*. Ex usu item Athenis recepto Nazianzenus de Magistris, quos ibi docentes audiverat, loquens, vocat *communes eloquentiæ patres*. Et nunquid Franciscus hoc titulo *Patris* erga Animantia irrationabilia æquè ac rationabilia privabitur? Minimè verò. Nam quod Animantia irrationabilia attinet, Avibus & brutis novâ quadam emphasi atque eruditionis stylo Verbum DEI prædicavit Franciscus; & verificabat illud Pauli ad Corinthios, *Sermo meus & Prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis; sed in ostensione spiritûs & virtutis*. Hanc porro Divini Verbi virtutem etiam persensisse videntur ipsa Animantia, Aves inprimis libero v. gantes aëre. Iter faciendo Franciscus Carnerio Bannamum, copiosos diversorum volucrum greges in quadam arbore considentes offendit: ergò paulisper à socijs suis elongatus, ubi hisce volucribus, nunc fratribus nunc filijs compellatis, pacem, salutem & amicitiam dixisset; & illi varijs signis benevolæ atque cicuræ ad suscipienda mandata ejus se disposuissent, ita pennigerum hoc & in sile ntio compositum Auditorium affatur. *Fratres mei volucres plurimùm debetis Deo Creatori; qui vobis & pennarum remigium dedit, & explicata aëris spatia, & annonam ferè semper paratam atque obviam. Est proinde, quod Deo vestro & munifico bonorum Largitori accinatis.* Quod totum præmemorata strophe exprimit.

S. Nazianz. Ep. 3.

1. Corinth. 2. v. 4.

Wadding. to. 1. ex leg. S. Bonavent.

Wolan jhr klein Waldvögelein /
Die in den Lüfften schwebt:
Stimbt an / lobt GOtt den HErren mein:
Singt all / die Stimm erhebt.
Dann GOtt hat euch erschaffen
Zu seinem Lob vnd Ehr:
Gsang / Federn / Schnabel / Waffen /
Kombt alles von jhm her.

Ad hæc applaudere volucres, alas extendere, rostra pandere, & guttur in suavissimos cantus explicare, nec abire, nisi acceptis à Francisco veniâ & benedictione: quêis obtentis in altum evolarunt, atque per modum crucis se dividentes quaquaversum abierunt. In Castro Alquino (quod supra tetigimus) ad frequentem populum dicebat sacer Orator; cùm ecce hirundines in eo nidificantes suâ garrulitate obstrepunt. Tunc ad illas Vir sanctus sic: *Sorores meæ hirundines, jam tempus est, ut loquar & ego, quia vos modo garrivistis plùs satis: conticete, & Verbum Dei silentes audite.* Viden miraculum! silent & audiunt. Adeò potens & efficax est Verbum Dei, cui cedunt etiam animantia rationis expertia. Non tam potenter S. Ambrosius Theodosium Imperatorem, cædis Thessalonicensium reum, ab ingressu Ecclesiæ coërcuit, & ad pœnitentiam agendam induxit; quàm Franciscus lupum ferocem ac rapacem castigavit verbis, & ad restitutionem illatorum damnorum induxit. Vidisses Franciscum cum agnis & hædis, velut cum intelligentibus, negotia salutis tractare: vidisses eum in sylvarum recessibus congregare bestias agrorum, & coram attonitis verbum Dei admirabili energiâ tractare. Non erat hoc magisterium requirendum vel ab Aristotelis argutijs, vel à tropis Tullij, vel à Demosthenis periodis, nec à fidibus Orionis, neque à cymbalis Orphei, sed ab *ostensione spiritûs & virtutis*: quæ etiam brutis animantibus non poterat esse abscondita, sed debebat ipsis occultâ quâdam illuminatione aut elevatione esse cognita & manifesta. *Perpende*, inquit Seraphicus Chronista *quàm miranda fuerit vir iste munditia, quantaq; virtutis, ad cujus nutum suum ignis ardorem contemperat; aqua saporem commutat; angelica præbet melodia solatium: Viro sancto obediunt etiam feræ & immanes bestiæ atque volucres.* S. Bonavent. c. 6. vitæ.

391. Ab hisce brutis animantibus ad Homines me reflecto, rationis usu præditos, gratiâ sanctificante exornabiles, & Divinæ amicitiæ capaces: quos omnes cupiebat salvos fieri, & ad agnitionem veri Luminis deduci, Deóque gene-

S. Franciscus conatur omnes homines Deo generare Verbo vitæ & S. Evangelij.

generarî in Spiritu sancto; & quidem *viâ prædicationis* Evangelicæ, atque in eo sensu, quo S. Paulus dixit, *Per Evangelium ego vos genui.* Item, *Filioli mei, quos iterum parturio.* Item, *non ut confundam vos, hæc scribo, sed ut filios meos charissimos moneo.* Quadrat hîc discursus S. Augustini: is enim quærente Petiliano Donatista, an Catholici haberent Cæcilianum pro patre aut „pro matre, respondit. [Vbi se Pa- rem „dixit Apostolus, ne ipsius Paternitatis „velut basem, humanam infirmitatem „crederem⁹, addidit, *per Evangeliũ ego* „*vos genui.* Semen ergo, & vena seminis „mei, de Evangelio dicitur.] Jam quid mirifici & gloriosi de officio prædicationis S. Evangelij non potest adduci, quando de S. FRANCISCO Antiphona cantat Ecclesiastica?

1. Corinth. 4. v. 15. Galat. 4. v. 19. 1. Corinth. 4. v. 14.

S. Augustin. collat. carthag. 3. n. 142.

Hic prædicando circuit;
Et quem non homo docuit,
Fit doctis in stuporem.
Virtutum verba loquitur,
Novumq́, nova sequitur
Militia auctorem.

Sing Lerchlein sing / im Kreiß vnnd Ring /
Vnd lob Francisci Wort.
Die Welt er hat mit Mund vnd That
Zur Gottsforcht angespori.
Mächtig seynd seine Lehren
Zu schönstem Tugendsang /
Die Sünder zu bekehren
Göttlich in Predig-Klang.

Si venisset iterùm S. Chrysostomus, & hunc hominem DEI in cilicijs ac mortificationibus squallentem audivisset, & quos ipse ad dicendum de sacro suggestu informaverat; omnino miratus esset, repræsentatam ad vivum eam Christiani Oratoris ideam, summâ accuratione abs se propositam libro quinto de Sacerdotio. Nulla erat de verborum pampinis sollicitudo, nulla de applausu & laudibus titillatio (quod sacris Oratoribus, ne in sabulo ararent, & inani labore consumerentur, commendatissimum esse voluit Ecclesiasten informans S. Augustinus) & junctâ dictis facta pondus conciliabant orationi. Neq; enim erant strepentes vocibus, & muti moribus; sed quod vel maximè Augustinus optabat, vox eo-rum in factis erat. Dato, tametsi non capto plausu regressi, stipem ostiatim colligentes, panem ad victum emendicabant: erat eis diversatio in Nosodochijs, lectus solum nudum, ad imum lectum jacentis deterrimè. Ad ingestas infulas exhorrescebant, nec secus diffugiebant, quàm à presso angue incauti viatores; surdi ad convitia atque calumnias, vacui sensu ad irrogatas injurias; etiam in persequentes benefici, officiosi promiscuè erga omnes, *nullo alio pretio operæ, quàm Divinæ gloriæ ac salutis animarum.* Hoc verò erat, revocare in orbem, Apostolicum spiritum in Verbi Dei tractatione; & præstare agendo ad populum, ut Auditur non esset *vir considerans vultum nativitatis suæ in speculo, & illico abiens, oblitusq́, qualis fuerit.* Jam verò, quò spiritu Franciscus in suis prædicationibus parturierit universum mundum, eúmque generarit Christo & cælo eripere ex infernalis prædonis unguibus, virtutum pulchritudine imbuere, & vitiorum contagiosâ scabie liberare conatus fuerit quis digno prosequatur eloquio? Erat tunc videre, hominem velut alterum Eliam, aut Joannem Baptistam, in asperitate vitæ & religiosæ suæ conversionis paupertate circumire, disseminando verbum gratiæ & pœnitentiæ in remissionem peccatorum; cum tanto verborum ardore, junctis miraculorum operationibus eximijs, ut civitates & oppida in occursum ejus longè prodirent, eúmque sequerentur longè, tantùm ut verbi vitæ in sinum ab eo susciperent semen, & perfectè ad Deum converterentur. Verbũ ejus ut facula ardebat, & ut gladius Dei penetrabat usq; ad medullas cordium, ac dissipationem animæ à corpore. Nec continebatur admirabilis ejus prædicationis activitas intra solius Italiæ populosissimas Provincias: in omnes mundi partes Vir spiritu Dei plenus excurrebat, nunc in Franciam, nunc ad Regẽ Marochiensium in Africam; nunc ad Soldanum in Ægyptum, Asiæ Provinciam, martyrij desiderio ardens proficiscebatur; nunc suos primos discipulos per modum crucis in omnem terram ablegabat: ubique pericula quæ-rens,

S. Augustinus serm. 5. de de Verb Dom. & de catech. rudibus c. 9.

Idem serm 18. de Verb. Dom. c. 11.

Jacob 1. v. 23.

rens, fortia patrans, mirabilia subinferens, Evangelium prædicans omni creaturæ, parturiens Deo innumeras animas, & cælestis disciplinæ vitâ informans. Admiranda sunt, quæ solo suo silentio, solius taciturnitatis exemplo, modestè ac religiosè aliquando cum socio suo vadens per civitatem docuit, & effecit Franciscus! Admiranda sunt, quæ homo cæteroquin simplex & indoctus de sublimissimis mysterijs profundebat documenta! Admiranda sunt, quæ solius Dei virtute, non humanâ industriâ aut eruditione, docuit & effecit Franciscus! Summum appello Pontificem, & Purpuratos Patres, quantum verbo vitæ ab eo prolato perhibeant testimonium. Suaserat unus aliquis ex Cardinalibus Francisco, ut coram Pontificiâ Capellâ edissereret concionem, sicut prævio studio præmeditatã, ita tanto auditorio dignam. Cessit Vir Apostolicus vel importunis illius votis, vel authoritati, & quâ potuit industriâ, orationem elaboravit, ut scilicet ex decoro & dignitate, influeret in aures tanti Pontificis, atq; eminentissimi Collegij. Sed, ô hominum vana consilia! ô irriti conatus! ô viæ à vijs Domini alienæ! Non est *Pater luminum* passus, ut quod diu & operosè erat meditatus, eloqueretur palam; omnium quippe oblivionem induxit. Erat hic Franciscus, velut mulier parturiens præ dolore non valens effundere fœtum. Quid ergo? In simili casu alius seipsum texisset rubore & pudore; Franciscus demissione, & ingenuâ confessione: aperuit enim Pontifici, quod erat oblivionis vitium; tum Spiritûs Sancti gratiam supplex imploravit. Et ecce! derepentè verba erumpunt minimè præmeditata, & vis sacræ orationis tanta, ut & ipse Pontifex, & præsentes Cardinales, & Consessus omnis vehementissimè commoveri se senserit. Adeò etiam hic in Francisco verificatum est illud paulò antè adductum Apostoli: *Sermo meus & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritûs & virtutis: queis innumeros DEO progenerat, atque omnes omnino generare satagit, dum PRÆDICATOR GRATIÆ verbum vitæ proponit.*

Ad Paternitatem ex sapientia, & docendi ac dirigendi facultate ductam, reducitur Paternitas, quæ respondit Filiationi per *IMITATIONEM.* Sunt enim qui *Exemplo* docent, non minùs quàm qui verbo: & hoc titulo *Patres* appellari possunt, & qui eos *imitatione* exprimunt, *Filij* nomen haud injuriâ referunt. *Exemplum* reliquit Franciscus imitandum plurimis, qui vitæ perfectioris Christoque similioris æmuli, in aliquo trium Ordinum ab ipso institutorum, vitam religiosam, humilem & Apostolicam sunt professi, imitantes exemplum hujusce sui sanctissimi Legislatoris. Qui rectè cum Divo Paulo ad suos utriusque sexûs asseclas dicere potest, *Per Evangelium*, imò per *Medullam* sancti Evangelij, in meis sacris Regulis compendiosè & vivacissimè expressam, *ego vos genui*: prout in speciali de eo exprimitur Antiphona. 591. S. Franciscus quot & quantos filios generet imitatione.

Tres Ordines hic ordinat,
Primúmque Fratrum nominat
Minorum: Pauperúmque
Fit Dominarum medius;
Sed Pœnitentum tertius
Sexum capit utrumque.

Sing Leechlein sing / dein Schall erkling /
Vnd lob Francisci Gmein:
Dann er mit Weil zur Seelen-Heyl
Drey Orden setzet ein.
Minder / Arme / vnd Büessend:
Also er sie genandt;
Gar b'rühmbt all drey seynd wissend/
GOtt vnd der Kirch bekandt.

Quàm perfectos verò ac Religiosos Partus Franciscus ediderit, nullo meliùs monstrari potest argumento, quàm si *Fratrum Minorum Ordo*, cujus excellentiæ ac primigeniæ directioni reliqui duo, Pauperum scilicet Dominarum (hoc est, Clarissarum) & Pœnitentium (hoc est, Tertiariorum, seu tertiæ Regulæ) sunt eminenter subalterni, quoad sua speciosa decora & speciales formalitates consideretur. Tradunt autem Plinius &

& Tranquillus, Legioni cuidam Romanæ datum fuisse nomen *Alauda*: de qua Cicero ad Atticũ, *Antonius*, inquit, *cum Legione Alaudarum ad Urbem pergere, pecunias municipijs comparare, &c.* Potest hæc denominatio à galeis, quibus veteranorum militum capita muniebantur, suam traxisse originem; utpote quòd per has assimilarentur Alaudis à natura super caput surrectâ casside galeatis. Hinc Recentiores quidam scribunt, milites, qui galeis uterentur, dictos fuisse Alaudas, eo scilicet modo, quo aves ipsæ Alaudæ galeatæ sunt. Hodie quidem Alaudæ dici possent milites illi, qui ut excellentiores videantur, struthionum aliisque pennis pileos, aut galeas suas fastigiare solent. Vtut sit, numerat Franciscus Legiones suas in plurimis Provincijs collocatas, & viriliter pro Dei gloria & animarum salute verbo & spiritu decertantes; quas si propter cucullatum & galeatum incedendi modum, in caputijs observatum, Alaudas dixeris, dignâ quidem appellatione Minorum Fraternitatem consecrabis. Hanc autem *Minorum* Fraternitatem ad finem præstantissimum per accomodatissima media direxit. Proposuit autem Franciscus suæ Religioni finem, quo nullus potest excogitari perfectior aut sublimior, illum ipsum, quem Christus Apostolicæ vitæ præfixit, scilicet *Non sibi soli vivere, sed & alijs proficere*; adeóque suam propriam & alienam perfectionem obtinere. Quid enim reverà homine Dei dignius, quàm religiosarum virtutum exercitijs sibi primùm vacare; ita ut, juxta Richardi Victorini in Cantica interpretationem, hæc sint *labia distillantia myrrham optimam*? Ex quo autem ritè constituta est perfectio propria, nihil dignius, & ad vivendi formam à Christo initam accomodatius, quàm saluti & perfectioni proximorum navare operam. Hoc S. Chrysostomus, versans illud Pauli, *Imitatores mei estote*, assignat pro supremo perfectæ undequaque Religionis culmine; cum qua de dignitate nullum miraculum possit contendere. Fine

Cisterna in Alauda.

Rich. Victorin. l. 3. & 18. c. in Cant.

S. Chrysost. hom. 25. in 1. Corinth.

hoc perfectissimo Religioni Minorum præfixo exclamo verbis Eucherij: *Felices planè* Fratres Minores, & consequenter quicunque Religiosi simili de fine participantes, *per quos etiam in alienâ salute exundant propria merita! Felices, in quorum merita exundat salus aliena!* Fini adeò præcellenti media admensus est Franciscus, omnia nempe sanctimoniæ subsidia, quibus illi fini subservire liceret, adhibendo. Et quidem quoad propriam perfectionem (unionem dico cum Deo) curavit sollicitissimè, *sanctum Iesu Christi Evangelium observari*, à rebus temporarijs per altissimam & omnis prorsus Juris positivi expertem Paupertatem alienari; diurnis ac nocturnis orationibus atque meditationibus ad cælestia elevari; honestissimis studijs & laboribus *ad repellendam otiositatem* fatigari; jugi mortificatione per diuturna & frequentia iejunia, per disciplinas & rigores, corpus ad subjectionem spiritus debitam castigari; tanctam insuper externi hominis redactionem in servitutem spiritûs, cum subordinatione ad Dei & Proximi charitatem, iteratis recollectionibus exerceri. Per omnes denique vias, quibus illa cum Deo conjunctio parari potest, quæ Christianæ perfectionis apex atq; consummatio est, conatus est omni studio, ut ad eum pertingerent, quos in Christo genuerat, & imposterum generaturus esset Filios, *Fratresq́ Minores.* Insuper alia adhibuit media, magis extrinseca; sepes scilicet, quibus vineam suam circumdedit, eam custodiens ab irruptione malarũ bestiarum. Quas verò sepes? Occlusit honoribus aditum: nam Cardinali Hugolino sciscitanti, essentne Fratres ad Infulas & Ecclesiasticæ dignitatis gradus evocandi, ut olim Apostoli, licèt censu pauperes, simplici & humili stylo respondit: *Domine, ideo Minores vocati sunt Fratres mei, ut Majores fieri non præsumant.* Nihil temporarium ac fluxum captare indulsit, ut novacula super Nazaræi caput non ascenderet; hinc filios suos ad perfectam sæculi abdicationem exhortans, ait in sua Regula: *Hac est illa celsitudo altissima* pau-

Eucherius hom. de natiu. S. Ioan. &c.

VVadding. to. 1. Annal. n. 12.

Regula S. Francisci c. 6.

paupertatis, quæ vos charissimos Fratres meos hæredes & reges regni cælorum instituit: pauperes rebus fecit, virtutibus autem sublimavit. Hæc sit portio vestra, quæ perducit in terram viventium. Cui dilectissimi Fratres, totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri Iesu Christi in perpetuum sub cælo habere velitis. Curam mulierum ita à suis ablegavit, ut in sobriâ earum frequentatione etiam *à suspectis consortijs* cavere debeant; utpote quòd de S. Chrysostomi sententiâ, jugibus experimentis testatissimâ, nihil ea sit impeditius, nihil quod sacros homines periculosius implicet; nihil unde post longum tempus contritum operæ pretium tenuius exiftat. Otium tanquam pestem exegit domo suâ, certus muscas in ea non tolerare, eò quòd non nisi ad inquinandum & contaminandum possint conferre: unde si quos adverteret parum sedulos & laboriosos, eos *fratres muscas* appellavit, qui morientes perderent suavitatem unguenti. Regul. c. 10 Spiritum asperum zeli amari socium, & commotionis Deo improbatæ scatebram, noluit in suo cœtu habere locum; sed amandato ictu fluvij, & rectionis truculentiâ, spiritum amoris adamavit, quo Superiores, *qui sunt Ministri aliorum Fratrum, humiliter & charitativè eos corrigerent: non præcipientes eis aliquid, quod sit contra animam suam & regulam nostram.* Denique totum operis sui systema in eo posuit, ut profundissimâ humilitate, & sui ipsius ac rerum omnium terrenarũ contemptu, imitarentur Vnigenitum Dei Filium; qui propter nos *humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem.* Hac imitatione & sanctæ suæ Regulæ professione, quot Deo genuit Filios Religiosos, Filiásque Franciscus? *Et generationis eius non erit finis*, usque ad diem extremi judicij. Nihil hic mihi vel de incomparabili incremento, vel de eximiis meritis, nil de sublimibus prærogativis, nil de frequenti Sanctorum gloriâ hujus Franciscanæ Propaginis, in honorificam commemorationem adducere; quia id cavere videtur religiosa modestia, & paulò antè prædicata humilitas: relinquo, atque conscribo hoc negotium innumeris Fautoribus & Panegyristis. Collaudat *Minores* egregiè Pontifex, Clement. *Exivi de Paradiso.* Et c. *Exijt de Verb. signif. in 6.* Legenda insuper insignia in hanc rem diplomata Gregorij IX. Innocentij IV. Alexandri V. Nicolai V. quæ prostant in Bullarum collectione. Alvarus Pelagius de ejusdem nostræ Familiæ sanctitudine, varijsque ornamentis agit perhonorificè in opere de Statu & planctu Ecclesiæ l. 2. art. 67. Mihi hic Tertulliani dicto Religiosissimos meos Confratres satis sit illustrari. *Filij hominum, quibus Christus calos subiens dona contulit, sunt Apostolorum filij, vitam horum Patrum, quibus DEUS filios dedit ac generationem venturam, EXPRIMENTES IMITATIONE, & eorundem functionibus navantes operam.* Tertullian. l. 5. Marcion. c. 8.

593. Possum ex his collectis argumentis Franciscum nostrum longè æquissimè, eo modo, quo Sanctus Chrysostomus D. Paulum Gentium Doctorem, compellare *COMMUNEM ORBIS PATREM*: aut certè eo modo, quo Anastasius Sinaita S. Cyrillum Alexandrinũ indigitat *SIGNACULUM OMNIUM PATRUM.* Nam reverà ex relatis titulis tale sibi ab omnibus promeretur prædicatũ; si etiam titulos *honorum*, quos ab Ecclesia recipit, & *meritorum*, quæ in Ecclesiam refundit, modesto ac reverentiali transgrediamur silentio: ut ex ijs prolixâ inductione & dignâ compellatione, *Pater honoris, Pater meritissimus*, possit denominari. Vnica restat *Paternitas* communi omnium prorsus suffragio FRANCISCO competens, ac per eminentiam & dignitatem infra id, quod Deus est, omnia in se complectens; ut nominetur & sit *PATER SERAPHICUS.* Parum fuisset, prædicâsse Franciscum *communem omnium*, hoc est, creaturarum materialium *Patrem*, nisi etiam ejus Paternitatis eminentia Angelicas transcenderet Hierarchias, & à supremo earum Ordine, SERAPHICI splendorem sibi appropriasset; atque adeò communi omnium calculo, ore, consuetudine, intelligentiâ, encomio & voluntate dicatur *Pater Seraphicus*, vel

S. Franciscus verè insignitus stigmatibus Christi. S. Chrysostom. hom. 1. de S. Paulo. Anastasius in Dux c. 8.

Sera-

Seraphicus Franciscus. Et unde hoc? Vel ideò, quòd propter profundissimam suam, Deique Verbo lectissimam Humilitatem, nunc in cælis ad eam sublimatus sit sedem, ex qua propter fœtentissimam superbiam ille primus Seraphinorum prævaricator deturbatus est Lucifer? aut certè ideò, quòd non nisi more Seraphinorum Franciscus arderet jugi Divini Amoris incendio? Dum varias elegantias ex Seraphicis actionibus depromptas in Officio suo Ecclesia in Franciscum refundit, inter alia eundem etiam sic honorificentissimè affatur.

Tu contuens in aëre
Seraph in cruce positum
Ex tunc in palmis, latere,
Et pedibus effigiem
Fers plagarum Christi.

Sing Lerchlein sing / mit Seraphin /
Francisco newes Lob:
Dem Gott vertrawt in Fleisch vnnd Haut
Fünff Wunden / Liebes Prob.
Schmertzlich seyno jhm d'Wundmahlen
Von Seraphin gesetzt:
Göttlich sie jhn bestrahlen /
Vnd zieren vnverletzt.

Apage cum calumnijs, sive veritatem sive formam stigmatum S. Francisci obscurantibus. Procul ad mali dæmonis signaturam spurcus Beza, omnibus tetris notis alioquin insutus; cui Sanctus Franciscus est *Idolum stigmaticum horrendum*, & vulnera ejus *figmenta*! cujus impietatis, ac petulantiæ in Virum sanctissimum, ex asse evasit hæres Philippus Mornæus in tetro opere, quod inscripsit *Mysterium iniquitatis.* Procul à sanctitatis gloria Balæus scriptorum omnium ut misertimus, ita impudentissimus, narrationem de S. Francisci stigmatibus *fabulosum portentum* appellans! Quando B. Francisci stigmata, admiranda illa Dominicæ Passionis insignia, quæ in ejusdem Sancti corpore, dum adhuc vitali spiritu foveretur, manus cælestis operationis impressit, viderunt dum viveret plurimi Fratres; qui licèt essent propter sanctitatem præcipuam viri per omnia fide digni, ad omne tamen dubium amovendum, sic esse, ac sic vidisse, tactis Sacrosanctis juramento firmârunt. Viderunt etiam ex familiaritate, quam cum Viro sancto habebant, aliqui Cardinales, laudes sacrorum stigmatum prosis, hymnis & antiphonis, honorificè ac veraciter inserentes; qui tam verbo, quàm scripto, perhibuerunt testimonium veritati. Summus Pontifex Alexander IV. coram amplissimo populo prædicans affirmavit publicè, se, dum Sanctus viveret, illa sacra Stigmata suis oculis conspexisse. Viderunt in morte plùs quàm quinquaginta Fratres, virgoque Dei devotissima Clara cum cæteris suis sororibus, & sæculares innumeri; ex quibus ea quàm plurimi & osculati sunt ex devotionis affectu, & contrectaverunt manibus ad testimonij firmitatem. Accedunt innumera alia, irrefragabilia Pontificiæ authoritatis & palmariæ veritatis argumenta, quæ collectivè prosequitur Theophilus Raynaudus in Phylologicis. Quare non abs re Leo X. in Bulla *Vnionis*, post Seraphicum Doctorem Bonaventuram accomodavit illud Apocalypticum, & dixit, S. Franciscum esse *Alterum Angelum, ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi.*

Theodorus Beza in c. 6. ad Galat.

Mornæus pag. 141.

Balæus in Catalog. script. Angliæ in appendice. n. 37.

S. Bonavent. c. 13. vitæ.

Raynaudus in Philologicis de Stigmatismo.

394. Nec tamen hactenus omnino patet SERAPHICI prædicati in Franciscum redundantia: unde omnino fas est, etiam de modo & ordine, adeòque de causa efficiente inquirere, ut tandem prædicatum SERAPHICI PATRIS originaliter assequamur ex *insigni*, ut vocat Petrarcha, *stupendo sacrorum stigmatum*. Et quia non potuit ex solâ validâ Passionis Dominicæ imaginatione hæc stigmatum impressio provenisse, extra dubium esse debet, stigmata S. Francisci fuisse opus Dei supra naturam. Quanquam controverti possit, fuerintne hæc stigmata immediatum opus Dei, an verò jussu ac decreto Dei per Angelum quempiam impressa; juxta divinum agendi modum, adhibendi Angelos tanquam Administratorios Spiritus ad ea, quæ per ipsos effici possunt: etiamsi plerumque,

S. Franciscus à stigmatibus impressis rectè Seraphicus dictus.

Franc. Petrarcha l. 2. de vita solitar. c. [illegible]

quia operantur in Persona Dei aut Christi, dicatur Deus aut Christus talia fuisse operatus. Hanc autem sacrorum stigmatum impressionem in corpore B. Francisci factam, non excedere virtutem Angelicam, motu locali & activorum idoneorum applicatione ad passiva operantem, pono ut perspicuum. Proinde S. Angelum Michaëlem S. Francisco stigmata impressisse, affirmant nonnulli graves Authores apud Raynaudum citatum: tunc enim, quando S. Franciscus stigmata excepit, fuerat per antecedens rigorosissimum quadragesimale jejunium S. Michaëlis cultui impense addictus. Verisimile ergo est, S. Michaëlem in personâ Crucifixi, & ipsius Christi nomine apparuisse S. Francisco, & illi sacra stigmata impressisse. Id autem non est intelligendum de inferiore aliquo Angelo, Michaele denominato, juxta novam distinctionem à Suario allatam; sed de S. Michaële Angelorum supremo ac Seraphim, cui supremo & cælestis belli in rebellem Luciferum Duci, tametsi uni ex Assistentibus, hoc ministerium extra ordinem tribui convenienter potest. Desunt quidem plerique ex Nostris, quibus in hoc negotio sufficiat S. Michaëlis Seraphini opera; ideoque stigmatizationem istam immediatè ad DEUM ut causam referunt: & nominatim in Ecclesiastico officio asseritur, Christum stigmata impressisse S. Francisco. Vrget item ipsiusmet S. Francisci revelatio, qui prodidit, Christum sibi stigmata benedictis suis manibus impressisse, primùm manibus, tum pedibus, ac denique lateri. Verùm ultrò concedo, piè asseri, Christum ipsum immediatè suismet manibus S. Franciscum bisce Redemptionis nostræ signis bonestâsse: pro neutra tamen parte liquida subsistit veritas. Nam Deus in Officio Ecclesiastico dicitur dedisse legem Moysi; & tamen Apostolus docet, Legem *ordinatam* seu *traditam esse* per Angelos. Et sexcenta occurrunt alia, in quibus Angelus in personâ Dei pleraque obit officia, quæ Deo tribuuntur; quamvis immediatam causam physicam effectricem habeant Angelum. Potuit ergo in hoc ipso negotio Angelus Stigmata imprimere B. Francisco, & tamen dici Christus ea impressisse; quia Angelus nomine Christi, & in ejus personâ operabatur. Vtrumque dixeris, nihil de sacrorum hujusmodi stigmatum venerabilitate, nihil de terrestris hujus Seraphini gloriâ decedit. Ex mille Oratorum ac Poëtarum elogijs in venerationem horum Sacrorum Stigmatum editis, pium adduco sensum Francisci Bencij è Societate Jesu, Patronum suum hisce vocibus metricè affantis.

Blasius Viegas in c. 12. Apocal comment. 1 sect. 18 n. 8. Iacobus Hautinus tract. de Angelo Custode. c. 2. §. 1 n. 3.

Suarezius l. 6. de Angelis. c. 10. a. num. 24.

Waddingus to. 3. Annal. anno 1224. n. 16.

Pisanus lib. conform. p. 2. fruct. 39

Apud Bosium 15. de sign. c. 3.

SANCTE PATRUM, spirans Christi exspirantis Imago,
Tempore quam nullo deleat ulla dies.
Quas etenim fers ipse manus, fers ipse pedésque,
Has tulit ille manus, has tulit ille pedes:
Nec minùs & teli transfixum cuspide pectus,
Quale tibi patulo pectore vulnus hiat.
Cuncta estis similes: Illum qui fortè verentur,
Reddere te, similem, cur imitentur, habent.

Jam per omnia Franciscus dispositus erat, velut capacissima materia ad recipiendam aliquam denominationẽ; debebat igitur aliqua forma vel extùs imprimi, vel intùs infundi; qua moveretur ab intrinseco, aut certè ab extrinseco denominaretur. Non poterat autem pro hoc ardentissimo DEI Amico dignior forma adduci, quàm *Seraphica*; quia hæc propter intensissimum Amorem summè unitiva affectuum, & assimilativa morum Amantis cum Amato. Hinc ut denominatio correspondeeret formæ, & opus esset proportionatum artifici, in illo ignitissimo amoris & compassionis æstu, quo Franciscus in monte Alverniæ erga Christum pro generis humani salute crucifixum usque ad intimas animæ suæ medullas ardebat; venit Seraphim visibiliter cruci affixus, sex alis tectus (ô miram, & hactenus in terris

ris

tis non visam cæli volucrem!) quarum duas super caput erigebat, duas ad volandum extendebat, duabus reliquis totum corpus circumplectendo tegebat. Obstupuit Franciscus, mixtùmque dolori gaudium mens ejus incurrit. Post arcanum verò colloquium, quod cum illo Seraphino in infima spiritûs sui humiliatione contulit, mens ejus ardentissimo amore erga Crucifixum suum Salvatorem interiùs inflammabatur, & caro exteriùs quinque recentissimis plagis, ad intensissimos usque dolores perforatis, configebatur: ut adeò jam videretur Christus in Francisco, & Franciscus in Christo vivere. Mox in manibus ac pedibus ejus apparuerunt & eruperunt signa clavorum, & in ipso latere dextro obducta est rubra cicatrix, quasi recèns esset à lanceâ transfixum; è quo & tum, ac deinde sæpiùs, copiosus effluebat sanguis. O prodigium nullis retroactis sæculis concessum! O admiranda Divini Amoris transformatio! O renovata salutis nostræ signa! Prædicabat hoc miraculum à sæculis inauditum B. Bernardinus Senensis, & ubi hujusce impressionis seriem expresserat, magnâ virtute addebat. *Sicut B. Franciscus fuit vexillifer JESU CHRISTI in Ecclesiâ militante: sic post resurrectionem, remanentibus in corpore suo prædictis signis, vexillifer erit in Ecclesiâ triumphante.* Non tam gloriosè Serenissima Domus Archiducum Austriæ suis vexillis & insignibus olim quinq; deauratas Alaudas extulit, quàm Franciscus quinque Christi stigmata in suo corpore conservat, velut indelebilem denominationis *SERAPHICÆ* formam; per quam ab omnibus Christi Fidelibus per antonomasiam concelebretur ac compellatur *PATER SERAPHICUS*, & consequenter ex inductis demonstrationibus *COMMUNIS OMNIUM PATER.*

S. Bernardinus Senensis de S. Franc. art. 2. c. 4.

Abrahamus Ortelius in descript. Austriæ.

395. Affectus Filij ad Patrem.

Feci quod spopondi, & minùs unicum ac debitum debitorum omnium justissimum exsolvi, dum *FRANCISCUM, communem omnium Patrem*, & quidem *Seraphicum*, nomine omnium creaturarum compellavi hâc qualicunque panegyri. Et hic quidem honor debebatur Patri à filio, Legislatori à subdito, Christi Vexillifero à milite gregario, Generali Majori imò Maximo à Fratre Minore, Ornithophilo ab Ornithologo, Viro Seraphico à suspirante homuncione. Et quid dico, exsoluisse me debitum, quod renovavi? quod triplicavi? Sunt isthæc mantissæ quædam publicis & communissimis Seraphici Patris FRANCISCI laudibus appositæ, ideoque ad debiti substantiã non nisi per modum adjacentium attinentes. Possem pro complemento Alaudæ nostræ, quæ inter cæli volucres ad benedicendum Dominum ac Patrem invitatas, tirilando ascendit *ad ardua gaudens*, Ornithologorum Principi Aldrovandi hortamentum pro coronide imponere, ità jubentis. *Facessant omnes curæ, omnes libidines, omnes livores omnis superbia, omnis avaritia, omnis fastus omnia denique, quæ vos ad terram detrahunt, & terrenis affigunt: sumantur Alæ Alaudæ, quas Socrates dixit nos perdidisse, cùm terrenarum rerum & caducarum cupiditate à cælo descenderemus. His unàcum Alaudis subvolemus, nullis nixi terrenorum adminiculis, aut potiùs retenti impedimentis.* Sed verò hoc hortamento transeunter succiso, conceptos spiro amores erga Patrem. Est enim vel sola Patris appellatio fomes amoris; ut rectè S. Augustinus neget, necessarium fuisse imponi nobis explicitè præceptum de solis ipsis Patribus amandis, ad quos quisque absque lege & monitore (& ut Philo loquitur, propter communem sanguinem, ac latentem quandam generis rationem à majoribus dimanantem) propensissimè fertur. Ergo ad te quoties me reflecto, O PATER SERAPHICE, quoties te compello, quoties invoco & requiro, quoties audio & pronuntio, quoties scribo, & hoe dulcissimum PATRIS SERAPHICI nomen scriptum lego, aut pronuntiatum recogito: toties Filium tuum validissimus Relationis stimulus ad honorem & amorem, ad laudem & reverentiam erigit, ut animum suum ad Te & ad

Aldrovandus l. 18.

S. Augustinus l. 1. de doct. Christ. c. 26.

Philo l. de mon. sacerd.

ad ardua gaudens sublimet; sibíque persuadeat, *PATRIS* nomen non esse accomodatum incutiendo pavori sed favori, non horrori sed amori, ideoque cum omni confidentia & pietate Te inclamet, Te salutet, Te imploret, *PATER NOSTER*:

- - - - PATER adsum, Plautus in Trin.
Impera, quid vis: neque tibi ero in mora, neque latebrosè me abs tuo. Conspectu occultabo.

A M E N.

IN FESTO SANCTI BRUNONIS
Confessoris, & Fundatoris Ordinis Carthusianorum.

IBIS ÆGYPTIACA.
Der Aegyptische Schlangen-Tödter.

L E M M A.

Ibis ibidem sibi.

T H E M A.

Serpentes tollent; & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Marc. 16. v. 18.

SYNOPSIS CONCIONIS C.

S. BRVNO, Carthusianæ Religionis Fundator clarissimus, & incomparabili sanctioris vitæ austeritate illustrissimus, dum DEO, Ecclesiæ, & sibi soli in solitudine vivere eligit, non minùs à venenatissimis defectuum pestibus se & suum florentissimum Ordinem præservat, quàm IBIS volucris Ægyptum à serpentum incursibus expurgat.

396. Aves aliquot S. Brunoni in symbolum datæ, præsertim Ibis


Vi Sanctorum ac Religiosorum Ordinum Fundatores Ornithologicis symbolis vellent exornare, pro S. BRVNONE Carthusianorum inclyto Legislatore eximia appropriarent volatilium argumenta. Alij fortè ejusdem insignibus inscriberent volantem, & à facie Accipitris fugientem *Columbam*: nam & Honorius III. Summus Pontifex Carthusianos commendavit veluti *Columbas*, *quæ in arâ cordis mactatis desiderys carnalibus, in mentis fortitudine evolârint, illûque pro suis gemant & aliorum peccatis.* Nonnulli intelligerent *Aquilam* cum Clemente IV. (ut qui Patrem suum *Petrum Frecoldum* inter Carthusianos piè obiisse diem meminisset) eique Carthusianos conferrent, qui nidum posuerunt in arduis, in prætuptis silicibus & rupibus inaccessis. Possent aliqui *Anserem Magellanicum* implumem, & erecto capite incedentem, & plerumque in maris salsedine SOLIS PISCIBVS victitantem S. Brunoni in strenam designare. Possent *Eritha-*

Lubbetus de gloria Patriarch.

Schottus l. 9 mirab. c. 10.

thacum aviculam parvam (quam Theodorus Gaza nunc *Sylvam*, nunc *Rubeculam* nominat) Carthusianis consecrare, viris in silentio & cellâ solitariè viventibus; cùm vulgatum in Chiliade proverbium consonet: Arbustum unum non alit duos Erithacos; nec in eodem saltu temerè nisi una reperitur. Ego verò S. BRVNONEM & totam religiosissimam simul ac rigorosissimam ejus Familiam honoro tali Alite, quæ à longe allata, colore & virtute Carthusianorum Institutum speciosè exornet. Si Alciatum in suis Emblematibus imitarer, qui hujus peregrinæ Avis nomine sordidos, spurcos, & impudentes homines compellat, omnino peccarem contra reverentiam tanto Ecclesiæ Lumini debitam. Sed verò remoto Alciato, invenio passim, hanc Avem tanto Sancto esse dignam, quando etiam Sacerdotes illius terræ, unde affertur, non omni aquâ se aspergunt, sed eâ duntaxat, ex qua hanc Avem bibisse credunt: nam planè sciunt, ab hac aquam impuram, aut veneno infectam nunquam hauriri; & ab eâ sacram quandam divinandi virtutem resultare. Cùm securissimam vivendi methodum SIBI elegerit S. BRVNO, ut sæculares vanitates perfectissimè declinando, non sese immisceret humanis controversis, non in sordido pulvere mundanarum cupiditatum se inficeret, non externis & inquietis ergà Proximum operibus insisteret; ne dum aliorum salutem promoveret in hoc periculosissimo insidiarum latibulo, *SIBImet ipsi* perniciosus evaderet, & aliorum procuratâ salute *SIBI* præjudicaret; adeoq; consultissimum duceret, *SIBI soli* perfectè vivere unitum Deo: hinc ampliùs expectatione ne sitis suspensi Auditores, quâ volucre insigniantur S. Brunonis ceræ. Nam ex hoc *SIBI* tam maturè electo, tam sobriè custodito, tam feliciter observato, tam gloriosè coronato, retrogradâ lectione provolat *IBIS*, Avis Ægyptiaca: cui proprium est, totam Ægypti Regionem à venenosis serpentum, propter soli caliditatem maximâ numerositate generantium, infestationibus immunem servare. Rectè igitur *Ibin* seu *Ibidem* S. BRVNONI, Carthusianorum Fundatori clarissimo, dedicat mea Panegyris; eique supponit Thema, ex signis credentium Fidei à Christo collatis, deromptum: *Serpentes tollent; & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit.* Sustulit serpentes BRUNO de hoc mundo, & magnâ Ægypti partem ab hisce venenosis animantibus ita purgavit, ut non sit ei Cerastes in viâ, qui calcantis pedem admordeat. Et si explicandum restet, quosnam serpentes, quas aspides sustulerit Sanctus BRUNO, vos compendiola edocebit Panegyris in nomine JESV.

(Plinius l. 10. c. 10. — Gesnerus in Ibide. — Alciatus Emblem. 87.)

397. Ægyptij quotundam animalium figuras non sine humani generis emolumento Dijs tribuerunt; cùm enim eorum regio adeò scateret serpentibus, ut nulla major Pestis incolas soleat infestare, providâ Natura Deúsque malorum depulsor aves quasdam illuc immisit, *Ibes* appellatas, quæ serpentes interimunt. Narrat Strabo, quòd Ibides pestilentes volucrium anguium catervas prohibeant ingredi intra Ægyptios fines, & pro terra sibi amicâ pugnantes, illud universum agmen interficiunt atq; consumunt; aliæ verò *Ibes* ex Æthiopia, Nili alluvionibus conterminâ, serpentes Ægyptum appetentes interficiunt, eorum conatibus obviam pergentes; quæ causa prohibet Ægyptios, ex accessu serpentium perire. Idem faciunt, cùm volucres angues ex Lybiæ vastitate vento Africo invectas in Ægyptum, conficiunt ac deglubant. Sed & Ibides serpentum populantur ova, gratissimámque ex his escam nidis suis deferunt, ut rarescat noxiorum fœtuum proventus. Nec intra fines tantùm Ægyptios hæ Ibides prosunt, sed etiam cùm Arabicæ paludes pennatorum anguium mittunt examina, quorum tám citum virus est, ut morsum antè mors insequatur, quàm dolor: sagacitate, qua ad hoc valeant, aves incitatæ, in procinctum eunt universæ; & priùs quàm pro-

(Ibidis avis prolixa utilitas & descriptio. — Strabo l. 17. — Cicero l. de Nat. Deor.)

Solinus, & Ammianus. Marcellinus.

Philes & Zoroastres apud Gesnerum de Ibide.

Herodotus l. 2.

prios terminos externum malum vastet, in aëre occursant catervis pestilentibus, ibique in occursum volando agmen devorant universum. Quidquid de Ibide est, serpenti adversatur: nam testibus Philete & Zoroastre, *quilibet serpens Ibidis pennam vel intueri timet: si attigerit, obstupescit; si comederit, ventre dirupto moritur*; sed & ab Ibidis tostæ nidore, à crematæ cinere, & ab expurgatæ fimo serpentes moriuntur. Quamobrem Ægyptiorum Sapientes, ut homines Ægyptios ab interficiendis hujusmodi avibus suæ gentis conservatricibus deterrerent (neque enim deerant, qui eis mortem molirentur) lege caverunt, ne cui Ægyptiorum liceret *Ibidem* interimere; subjectâ causâ, quòd Dij, si quibus apparerent, in Ibidum formâ sese eis ostenderent. Vnde Herodotus tradit: *Si quis in Ægypto aliquam de feris sacris volens occiderit, morte mulctatur; si invitus, plectitur eâ mulctâ, quam sacerdotes statuerint. Ibin verò quisquis necaverit, sive volens, sive nolens, necessariò morte afficitur.* Et ut neminem lateat, quam sacræ & quàm religiosæ sint Ibides; tradunt celati Authores, quòd religiosissimi sacerdotum non aliâ lustrali aquâ purgentur, quàm de quâ Ibis biberit: neque enim unquam illa insalubrem aut venenatam aquam gustat, cùm ne accedat quidem. Hæc etiam designatis inter se pedum gressu distantium & rostri intervallis *triangulum æquilaterum* efficit: & *nigra* ejus pennis *alba* (ciconiæ enim non multùm dissimilis esse videtur) ita appositæ sunt, ut Lunam amphicyrton referant. Denique ita Ægypti aëris assueta est *IBIS*, ut maneat semper *IBI*, nec patiatur extra solum patrium se deportari; & si per vim efferatur, protinus moritur. Vnde *SOLI PATRIÆ* familiaris ac proficua est, & *IBIDEM SIBI* ac Patriæ vivit. Hæc pro tam peregrinæ Avis commendatione prolixiùs.

398. **Peccata à serpentibus** Jam non ita res agitur de Ægypto, regione calidâ, & versùs Æquatorem consistente, nonnunquam tam copiosos germinante serpentes, ut in cumulos sese convolventes videantur eminus montes & colles æquare; quin potiùs *Ægypti* nomine *Mundum* in maligno positum, superstitionis & maledictionis elogio, cum Tertulliano intelligamus, juxta illud Isaiæ: *Spiritus Ægypti ac vertiginis, qui fecit errare Ægyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius.* Jam verò hic Mundus in maligno positus, in periculis fundatus, in occasionibus fascinatus, & in peccatis enutritus, quantos germinat serpentes? quot aspides & cerastes? Si quælibet peccata & peccatorum circumstantias sub serpentum symbolis explicarem, negotium proponerem, quod Sancti Patres & Doctores copiosis suis allegorijs & tropis pertractarunt. Clarissimus Oleaster peccatis obnoxios non minùs remittit ad Christum Crucifixum intuendum, quàm olim ab anguibus morsi remittebantur ad æneum serpentem: utrumque enim *ASPICIENTES VIVENT. Quantumcunque*, inquit, *à serpentibus peccatorum sis morsus, si postmodum ea quadam animi pœnitudine consideres, facillimè sanaberis. Recogitabo, ait quidam, omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Tu verò dic: considerabo omnes serpentes meos ad sanitatem animæ meæ.* Sanctus Augustinus pari accentu ad sanationem à morsibus serpentum hortatur sic. *Fratres, ut à peccato sanemur, Christum Crucifixum intueamur. Quomodo qui intuebantur illum serpentem, non peribant morsibus serpentum: sic qui intuentur fide Christi mortem, sanantur à morsibus peccatorum.* Et ut clariùs agnosceremus vulnerum morsus ab hujusmodi venenosis animalibus illatos, Sanctus Ambrosius paulisper deducit expressiùs similem adhortationem. Habentes Dominum JESVM, qui nos passione suâ liberavit, in ipsum aspiciamus semper, & de ipsius signis speremus nostris vulneribus medicinam: hoc est, si fortè in nobis venenum avaritiæ se diffundit, ipsum considerem?, & sanat. Si scorpionis nos libi-

symbolizata S. Bruno fugat.

Tertullianus cont. Iud. c. 9. Isa. 19. v. 14.

Oleaster in l. Num. c. 21.

S. August. in Ioan. tract. 12.

S. Ambrosius serm. 31.

libido compungit, idipsum rogemus & curat. Si terrenarum cogitationum nos morsus lacerant, eundem precemur & vivimus. Hi enim sunt *SPIRITUALES SERPENTES* animarum nostrarum, propter quos conculcandos Dominus crucifixus est. Non tolerat hujusmodi fœda & venenosa animalia S. BRVNO Ibis nostra in sua Carthusiâ; quando nec *ibidem* cimices, animal fœdissimum & dictu quoque fastidiendum, ut Plinius ait, apud Carthusianos nascuntur. Non enim locum apud eos habuit, habétve situs, & pædor putredinem & corruptionem consequens; cùm hic Ordo nitens semper & purus, & sitûs expers perstiterit.

Plinius l. 29. c. 4. Cardanus l. 10. de subtil. commeminit Carthusia.

Et hæc non exigua est de S. BRVNONE Fundatore prærogativa, cui singulariter benedixit eâ in parte Dominus; non tantùm honestans illum in laboribus, quod alijs omnibus sacrorum Cœtuum Institutoribus obtigit; sed etiam complens, id est, indeficienter conservans, & ad ultimum usque (uti spes est) promoturus labores illius; nullo fœtido, nullo putri humore, unde mystici cimices protuberent, ad Corp᷒ mysticũ semper purum ac nitens subnascente. Cum his fœtidis, molestis, aut impuris animantibus non est nobis negotium singulare; quando Sanctus BRVNO tanquam *Ægyptiaca Ibis* etiam maxima quæque & perniciosissima *VENENOSA PROPULSAT.*

399. Sunt enim verò serpentes in triplici differentiâ; nam aliqui præcisè in terris gradiuntur; alij etiam super terram *saliunt*; nonnulli etiam in aëre perniciter *volant*. Hos omnes *Ibis* nostra fatali odio aversatur, & à terminis suæ Religiosæ Professionis, quâ SIBI IBIDEM manens in suâ Carthusiâ spiritualiter vivit, ac jugiter Divinis contemplationibus instat, longissimè propulsavit, ejecit, interfecit, annihilavit. Serpentes in terrâ *repentes* sunt *Carnalia desideria*, quæ militant adversùs spiritum. Queîs enim escis vescitur serpens in terrâ gradiens, ijs etiam carnalis homo imodicè delectatur. Super pectus enim suũ graditur serpens, & in limoso terræ substratorio relinquit suæ tortuositatis vestigia. *HÆ ILLI OPIPARÆ DAPES.* S. Ambrosius hanc similitudinem prosequens, *Non immeritò*, inquit, *Sanctus Moyses delectationem serpentis figuravit similitudini. Prona est enim in ventrem, sicut serpens; ei terra cibus est, sicut serpenti, quoniam escam nescit cælestem. Corporalibus enim pascitur, atque in varias mutatur species cupiditatum, & tortuosis angulatur anfractibus.*

Carnalium desideriorum mortificatio à S. Brunone facta ratione Carthusiæ.

S. Ambrosius Ep. ad Sabinianum.

Non disparem de Dipsade, virulentissimo & mortificentissimo serpente, qui Lucano teste *INCENDIT VISCERA TABE*, S. Hieronymus instituit considerationem; dum ait, *quòd libido furtiva nunquam satiatur: & cùm videtur extincta, reaccenditur, usu crescit ac deficit, nec rationi paret, sed impetu fertur.* Jam quanto hostilitatis affectu hunc serpentem *Carnalium desideriorum* propulsavit & annihilavit à Regione viventium, à Carthusiâ Electorum, *S. BRUNO* per varias corporis afflictationes ultrò assumptas, queîs petulcum & lascivum animal severissimè coërceret; corpus, inquam, ad omnia vitia projectum compesceret? Noverat BRVNO antiodum hujus veneni esse juges corporis mortificationes, & concupiscentiarum ac sensualiratum refrænationes, atque universim austeritatum gravissimarum ubertatem. Hinc assumptæ in editissimis illis Carthusiæ montibus quotidianæ cruces & mortes, à loco horridissimo & frigidissimo, à penuriâ commodorum propè omnium, a ferè jugi inediâ, ab apoœhâ æternâ, à vestiũs asperitate, à cilicij perenni usu, à perpetuo in Deum annisu per orationem: ut omnes vulgares religiosæ vitæ cruces, ad perpessiones à S. BRVNONE & ejus devotissimis Professoribus exceptas, non accedant. Tota vita ejus conformabatur loco, ubi Ordinis sui primordia posuit S. Bruno. Erat is frigidissima ac horridissima sedes, in editissimo & maximè aspero monte, ad fontem, qui à Viri sancti commoratione etiamnum S. Brunonis fons appellatur. Incommodior profectò ad habitandum locus, quàm vel quævis Ægypti tesqua, vel avia Palæstinæ deserta. Ino-

Lucanus l. 9.

S. Hieron. Ep. ad Matrem & Filiam.

tâ acerrimis frigoribus horrente, *in qua vix unquam solvitur acris hiems gratâ vice Veris aut Favonij*, casas verius quàm cellas extruxerunt, ac principio vix casas; cùm intra rupium ac petrarum ibi admodum præruptè horrentium cavitates quasdam, aut hiatus paucis stipitum longurijs vel asfulis opertos degerent, nivium mole aliquando obruti. Has petrarum fissuras elegit sibi Bruno ad habitandum, ut saxorum sublimitas esset averticulum claudenti oculos suos, ne videat malum; qui ambulet in justitia, & renuat videre populum impudentem. *Iste* juxta Isaiam, *in Excelsis habitabit; munimenta saxorum sublimitas ejus: panis ei datus est, aquæ ejus fideles sunt. Regem in decore suo videbunt oculi ejus, cernent terram de longè*. Ibidem *inter medium montium* volucres cæli *habitabunt, de medio petrarum dabunt voces*. Ibidem *IBICES* (& quanta inter *Ibices* ac *Ibides* differentia!) *in petris parientes*, inter dura & aspera, anteriorum Sanctorum imitatione, copiosam bonorum operum sobolem educabunt. Et quod S. Maria Ægyptiaca, apud Sophronium ex Jobo philosophatur, *Non habentes vestimentum, induuntur petrâ, cùm se vestimento expoliaverint iniquitatis*: idipsum S. Bruno, & ejus primi Socij, in primis illis rigoribus exhibuerunt. Tandem cùm terra illa habitatores suos devoraret, nec possent sine quotidiano sanitatis dispendio, ob cæli ac soli rigorem, vitam commodè aliquamdiu prorogare, delectus est medius totus montium sedem illam circumcingentium locus pauxillo quidem mitior, & ad hanc diem frequentatus; sed tamen tantâ ipse quoque cæli inclementiâ, ut mulcendis incolis & ad durandum animandis, decretum sit per omnes Ordinis Domos anniversarium Sacrum ijs omnibus, qui per sexennium illam stationem sine interruptione prosequerentur. Et quia terra illa nec vinum, nec frumentum, nec poma, nec alia progignit edulia, sed tantùm CARDVORVM spinis acutis horrentium ferax est, hinc non nemo illum locum CARDVSIAM nuncupat; quanquam rectiùs *Cartusia* videatur nuncupari à *carne tusâ & maceratâ*. Vt meritò ex hoc capite *S. Brunoni* pro symbolo debuissem attribuere *CARDUELEM*; utpote quem inter tam hispidos carduos & tribulos *NON TERREBAT ACUMEN*, sed potiùs *aculei acuerunt* ad parandam mortificationibus virtutem, & configendum malarum concupiscentiarum serpentem.

Isaia 33. v. 16. 17.

Psal. 103. v. 12.

S. Gregor 30. moral. c. 17.

400. S. Bruno concupiscentias coercet corporis castigatione, & coërcitione mulierum.

Et si pauca videantur ista, quæ de rigore & horrore loci, quem sibi S. Bruno pro habitatione in suâ sæculi recessione elegerat, hactenus à longè perspecta sunt; etiam alia longè exima adhibuit remedia, quibus se & suum Ordinem ab omni venenoso afflatu concupiscentiæ velut Ibis Ægyptia purgaret. Quid enim non poterant ad extinguendos latentes in sanguine igniculos tot continuæ corporis afflictationes, quibus Sanctus Bruno sibi irreconciliabile bellum indixit? Dictavit sibi suisque Asseclis perpetuam à carnibus comedendis abstinentiam; ita ut ab hac obligatione eorum exsolutus sit nemo, nisi ad eum statum deduceretur, ut defectu cujusvis alterius cibi ei fame pereundum esset, quantumvis alioquin sano, nec ex vi morbi occubituro, nisi carnes comederet. Absunt inter eos dulces affatus; desunt Aviariorum deliciæ; ignoratur venatio & aucupium; liberæ, ad quæ libuerit loca, vagationes negantur; omnium denique carni extra necessitatem abblandientium exilium adest inter rigidissima cilicia, & durissimas humi cubationes, genuflexiones prolixas, & mortificationes ac castigationes carnis rigorosissimas. Jodocus Marchio Brandeburgensis eo diplomate, quo anno 1406. Olomuciensem Carthusiam in Moraviâ constituit, verbum audax, sed tamen verum, in hanc rem protulit: cùm enim dixisset, se omnes Religiosos Ordines circumspexisse, subjungit. *Inter horum verò cœtum devotissimum, strictiorem vitam ducentes Fratres Carthusienses animadvertimus, quorum esui caro abominabilis, cogit singulos Professo-*

Reyn. in Hist. Eccl. fol. 289

fessores, mundi delicias cum corporalibus voluptatibus, ultra (sicut opinamur) humanam patientiam, spe salvificâ penitus refutare. Verè Carthusianæ perpessiones humanam patientiam excedunt; licèt non ultra eam, quam Spiritus Sanctus suis pugilibus de cælo aspirat, martyrij æquiparationem. Insuper per *fugam* omnimodam *mulierum* id assecutus est Bruno, quod Sanctus Gregorius Nazianzenus his versibus expressit.

S. Greg. Naz. in sententijs tetr.

Difficile est carnibus bellum prope existentibus.
Quare à fæminis, ò Monachi, longè abeste,
Quorum aspectu anima polluitur.
Ignis propè paleam, res non tuta.

S. Basilius c. 4. constit. Monast.

Similem comparationem instituit sanctus Basilius, dum contestatur Monachos, ut non secus à conspectu mulierum caveant, quàm ab igne, aut à facie colubri; eò quòd vel solus earum contuitus connatum nobis ignem incendat, eásque excitet cogitationes, ac motuum tumultus; quibus necesse sit universim animæ regnum agitari; turbari atque everti. Et hoc juxta Platonis apologum ab eodem Basilio allegatum, propter nativam viri ad mulierem tanquam ad alterum dimidium ab eo avulsum proclivitatem; quâ sal aquæ injectum facilè diffluit, & pluvia decidens in terram ex commixtione fit lutum, quo homo conspurcatur, & divino consortio redditur indignus. Ideóque supra colubrum & basiliscum, extimescendam esse Solitario mulierem, tradit ex sensu Patrum Franciscus Petrarcha. Imbutus hoc Sanctorum spiritu Sanctus BRUNO, mulieres quascunque aditu Carthusiæ prohibuit: hinc in primævarum consuetudinum Domûs Carthusiæ collectione, compilatâ à Guigone Generali non ita multò post Sanctum Brunonem, ex spiritu Sancti Institutoris sic decernitur. *Mulieres terminos intrare nostros nequaquam sinimus, scientes, nec sapientem, nec prophetam, nec judicem, nec hospitem Dei, nec filios, nec ipsum DEI formatum manibus Protoplastum, potuisse blanditias evadere vel fraudes mulierum. Salomon, David, Samson, Loth & qui acceperunt sibi uxores, quas elegerant, & Adam, in mentem veniant. Nec posse hominem aut ignem in sinu suo abscondere, ut vestimenta illius non ardeant; aut ambulare super brunas plantis illæsis; aut picem tangere, nec inquinari.* Fecit & alias constitutiones; quibus cavebat, ne fœminis daretur eleemosyna vel stipendium pro labore, nisi vel per tertiam personam, vel in domo à Carthusia longiùs distante: imò etiam Principes fæminas, ex Summorum Pontificum indultis quantumvis privilegiatas, omni modo conatus est ab ingressu Carthusiæ coërcere; satiùs statuens, aditu protsus occluso arcere sedium suarum ambitu, quàm positâ tantùm de eis sobriè admittendis sanctione improvidis decipulam relinquere, & insaturabilem molliotis sexûs curiositatem in vetita magis nitentem acuere; si spes fieret legis aliquando perrumpendæ. Hisce medijs, hac sequestratione à mundi periculis, hac carnis jugi castigatione, hac muliebrium illiciorum fugâ, *carnalium desideriorum* serpentem, in terrâ ac terrestribus sordibus repentem extinxit, & profligavit *Sanctus BRUNO.*

S. Basilius l. de verâ Virginitate.

Petrarcha l. 2. de vita solitaria c. 3.

Constitut. Carthus. c. 21.

Est & alia serpentium species, quæ fortiter salit super terram: volare conatur, sed pondere deijcitur; insidiatur homini, quem vel potenti impetu transfigit, vel suâ tortuositate *AMPLEXATUR, UT PERIMAT.* Talis est *Mundi Vanitas*, quæ inter plurimos saltus, quos promovet, hominem, cui infesta redditur, *amplexatur*; comprimit & constringit, *ut perdat.* Serpentis hujus facies blanda (prout in simili de scorpione discurrit Petrus Cellensis) ut decipiat; sed in posterioribus circumfert acumen veneni, *ut perimat.* Et quidem *PERIMIT INFLANDO*: nam tanta est hujus serpentini morsûs pestilentia, ut animal quodcunque

401. Causæ secessionis à sæculo S. Brunonis inducuntur.

Petrus Cellensis l. 3. Ep. 1.

 ta

eo sauciatum protinus intumescat, & tandem præ tumore dissiliat atque disrumpatur, desoletur ac destruatur. Seneca quendam Amicorum hortatur, ut omnino sibi à veneno vanitatis & ambitionis caveat. *Relinque ambitum,* inquit; *tumida res est, vana, ventosa; nullum habet terminum -- Prateri istos gradus divitum, & magno aggestu suspensa vestibula: non in prarupto tantùm isthic stabit, sed in lubrico.* Et clarissimè Benedictus Fernandius, dum in Genesin commentatur, observat responsum Evæ, *Serpens decepit me*; & ait, quòd in radice hujus responsi contineatur soboles superbiæ, ambitionis & vanitatis, quâ tumescebat oblatâ Deiformitate. *Serpens igitur (ait) me decepit, me desolavit & destruxit: serpens me sublevavit, scilicet in superbiam, fecit me ardere, combussit, PEREMIT INFLANDO.* Fugit S. BRUNO Mundi vanitatem, haud secus, ac qui se proripit ab impetuosis insidijs tortuosi & insequentis Serpentis. Nec enim aliter S. Ambrosius fugiendum ac secedendum docuit, si velimus puri & nitentes servari; eoque retulit toties indictam, toties commendatam in divinis Literis *Fugam. Hoc est enim fugere*, ait, *scire quò tendas, ablevare se à sæculo, ablevare se à corpore -- Mori elementis istius mundi, abscondere vitam in Deo, declinare corruptiones, non attaminare cupiditates, nescire quæ sunt mundi istius. -- Quis ergo non fugiat malitia locum, officinam improbitatis, qua interire nesciat?* Poterat ipsa fluxa, nugax, perniciosa & venenosa Mundi vanitas, poterat inevitabilis mortis ac imminentis judicij certitudo, poterat tanta ac tam densa Orbis in maligno positi iniquitas esse urgens motivum Brunoni, ut crederet, ea mala tutiùs declinari non posse, quàm fugiendo & secedendo; sed verò fuit alia adhuc secedendi ab imis, & sursum sese efferendi, eidem peculiaris & propria causa, ad hos ferè dies tam indubitata, quàm protrita; licèt inter Doctores & Historicos de veritate facti gravissimè disceptetur. Hæc autem causa ducta est ex manifestatâ divinitus clade æternâ Doctoris illius Parisiensis, non *Iurisperiti*, ut visum est Hieronymo Plato, sed *Theologi*, ut disertè referunt Richelius, & alij. Hic igitur Doctor Theologus, cùm Sacramentis Ecclesiasticis communitus migrâsset è vivis, & in speciem piè ac sanctè obijsset; tamen cùm publicè in Sacra æde prostante cadavere celebrarentur exequiæ, sustulit è feretro caput: & stupentibus ac horrentibus cunctis, primò se coram justo Dei judicio accusatum, tum ritè judicatum, ac denique æternaliter damnatum renuntiavit. Aderat horrifico spectaculo cum paucis socijs *Bruno*, & soluto denique quasi stupore linguæ ac membrorum omnium, quem tam repentinus & insolitus eventus injecerat, vitæ hujus lubricum ac salutis æternæ incertum infelicissimi capitis exemplo demonstrans, persuasit socijs eò secedere, ubi quantùm humanâ posset prospici diligentiâ, æternam salutem, qua infelicissimus Doctor exciderat, in tuto præsidio collocarent, & vanitatis venenum, quo alius inflatus crepuit, à scipsis averterent. Fuit planè comminatione repletus S. Bruno, cùm latissimum deprehendit discrimen humanorum judiciorum à divinis, patefactâ hypocritæ Doctoris per incorruptum Judicem damnatione; cujus judicia obscura nobis videri possunt & inscrutabilia, nunquam verò iniqua.

Seneca Ep. 84.

Benedictus Fernandius in 3. Genes. sect. 29. n. 1.

S. Ambrosius l. de fugâ sæculi c. 7.

Theoph. Raynaudus in Mag. Exotico de S. Brunone.

Hieronymus Platus l. 2. de bono statu relig. c. 20. Richelius l. 1. de vita Carthus. tract. 2. c. 4.

402. S. Bruno omnem sæculi vanitatem generosè despexit.

Jam verò ab hoc *mundana vanitatis* serpente, tam irrequietè exsiliente, tam perniciosè inflante, & tam irremediabiliter perimente, non poterat S. BRVNO securior subsistere quàm *in arduis*, ad quæ non posset hujusce serpentis malignitas sese attollere, vel attactu penetrare. Hinc ergo antiquos Ægypti & Thebaidis Stylitas imitatus, & elevatus *super altitudines terra* Bruno, suâ à vijs sæculi recessione auspicatus est Sabbatum delicatum, tenerè scilicet & delicatè observando quietem Domini ad eum glorificandum, nec non refugiendo à propriâ voluntate; ut non loquatur sermonem, sed in silentio ac spe hujus fluxæ vitæ exigat dies, ad suscipiendas

das delectationes Domini, humanis omnibus puriores. Et quidem locum quod attinet, elegit sibi S. Bruno secessionem à terrenis, & sublimitatem omnibus caducis eminentem, ac insistentiam in Deo altissimo & excelsissimo; quando (ut Abbas Guilielmus in Carthusianis celebrat, excitans spiritū suum ad gaudium in Deo) *Christiana Religionis ac devotionis speciosissima portio, quæ cœlos propinquiùs tangere videbatur, subitò inventa erat in monte Dei, in monte pingui, in campis sylvæ.* De quo monte ad modum præcelsæ columnæ consurgente, cubitis circiter quadraginta altitudinis, & ad quindecim circiter latitudinis passus dimensurato, jam superiùs sufficienter fuisse illata suppono. Vbi duo eximia S. Brunonis miracula vel hodie Natura superstes demonstrat, fontem scilicet perennem sancti Viri precibus prope suum spelæum promanantem, & curandis quibuscunque infirmitatibus præsentialiter medentem: deinde etiam herbam ibi ad fontis limbos feraciùs sobolescentem, ab ipso S. Brunone *Eptafolium* dictum; quorum unum cæteris omnibus eminet, quatuor secundæ sunt magnitudinis, postrema duo cæteris omnibus minora. Diceres, Deo in rebus loquente, expressisse in ea herba S. Brunonem eum sex primis socijs; quorum quatuor è Clero S. Brunoni suppares, duo postremi laici. Ac ne externa Carthusianorum species desideraretur, herba exteriùs candet, & amaranthinâ ac semper vivâ amœnitate renidet. Sic sedula pietas in naturæ lusibus ipsisque herbulis invenit, unde suaviter pascatur. Vtrique nomen, & *Fonti*, & *Eptafolio*, S. Brunonis. Et quidem, ut alio etiam argumento pateret, quàm sublimè S. Bruno cum suis socijs à terrâ & mortalium frequentiâ secederet, exhibiti sunt stellarum altè emicantium species; quando adventantes ex pij Viri monito Gratianopolim Brunonem ac socios S. Hugo, eorum adventum per visum edoctus, septem stellarum specie conspicuos habuit: & spectare ad nos objectam speciem non dubitavit, cùm primùm in vigilia usurpavit oculis. Erátque stellarum imago sancto Antistiti objecta, ad negotium, quod agebatur, peropportuna: nam quantùm absunt à terrà stellæ, tantùm S. Brunonis & sociorum affectus supra caduca quæcunque efferebatur; ut non posset vanitatis coluber erigere in tantam altitudinem caput suum, & viros in sanctitate ac sæculi contemptu tam altè eminentes vel inficere lambendo, vel perimere osculando. Neque erat unus ex fæce mortalium quispiam S. BRVNO, sed homo stirpe nobilis, de illustri familia *Hardefaust*, latinè *à Duro pugno* denominatâ, quæ, restantibus præstantissimis Historicis, de primo Romanæ Coloniæ plantario extitit. Nec tantùm nobilissimâ stirpe oriundus erat S. Bruno; sed etiam nobilissimæ Ecclesiæ Rhemensis Canonicus, Sacræ Doctrinæ Interpres celeberrimus, & Vrbani II. Romani Pontificis aliquando Magister. Is verò tam fuit erga Magistrum Vrbanus, ut nihil ei posset acceptius contingere, quàm gratum se discipulum profiteri, evehendo ad dignitatum eminentissimarum apices hominem quibusvis sublimibus sedibus dignissimum, & ad omnia illustria munera peridoneum; cujusmodi Bruno erat. Huic cùm omnia plenis cornibus affluerent, fortuna, genus, census, dignitates, nominis fama, graduum celebritas, & in spe multò auctiora ac grandiora: quia tamen hæc omnia calcavit & quasi subtus jacentia despexit, regio & sublimi animo fuisse debuit, qui *vanitatis serpentem* tam generosè profligavit.

Guilielmus Abbas de Carthusianis.

Sigebertus anno 1084. Naucleru generat. 139. f. o. Chron.

Guido in rebus SS. Brunonis & Hugonis.

Et in hac à sæculi secessione heroïcâ, ac illius ab imis sursum subvectione, ad quam non posset exsilientis Serpentis proeacitas penetrare, omnino se & Carthusiam suam sancto Legislator BRVNO firmavit, solidavitque in silentio; quod humanarum necessitudinum ac dejectionum ad inferiora vacuitatem infert, eóque ipso sustollit ad DEUM, & super caduca quæque evehit hominem, ut conversatio ejus in cælestibus perennet. Est enimverò *Taciturnitas in cogitatione,* 403.

S. Bruno silentium & solitudinem eximiè tuetur.

ut cum optimo spiritualis vitæ Magistro, & ascetici juris eximiè consulto Joanne Climaco loquar, *mater orationis, captivitatis revocatio, ignis divini amoris observatio, cogitationum diligens inspectio, specula hostium, carcer luctûs, lachrymarum amica, memoriæ mortis operatrix, suppliciorum pictor, judicij indagatrix, sagax mœroris subministratrix, inimica fiduciæ, quietis conjux, ambitiosæ doctrinæ adversatrix, scientiæ adjectio, speculationis opifex, secretus in Deum profectus,* OCCULTUS ASCENSUS.

Ioannes Climacus grad. 11 de Spirit. perfect.

Petrus Damiani, ut leniret dolorem Agnetis, ex Imperatrice Sanctimonialis, cui durum videbatur Piorum conversatione fraudari, & ad arctum silentium adstringi; eruit ex Threnis Jeremiæ super illis verbis, *Bonum est præstolari cum silentio salutare Domini. Bonum est viro, cùm portaverit jugum ab adolescentia sua; sedebit Solitarius & tacebit, quia levabit se supra se*, tale argumentum, quo eam consolatur, hortando ad studium virtutis. [Necesse „est, ut purus homo ab hominum frequentiâ se subtrahat, quatenus superni muneris capax fiat; sicque mens „humana, dum vacat ab aspectibus „hominum, Sancti Spiritûs mereatur „ingressum. Forum ergo, qui tecum „conversabantur, absentiam noli deputare jacturam; imò salutis occasio, „perfectionis lucrum, & propensio nostri meriti deputetur argumentum; „quia dum strepitus humani cessat alloquij, construitur in te per silentium „Templum Spiritûs Sancti; hinc est, „quòd de Israelitici templi constructione sacra testatur Historia, quia *malleus, & securis, & omne ferramentum „non sunt audita in domo Domini, cùm „ædificaretur.* Templum quippe DEI „per silentium crescit; quia cùm mens „humana per exteriora se non fundit „verba, in sublime fastigium spiritualis ædificij structa consurgit, tantóque succrescens in altiora sustollitur, „quantò per silentij custodiam circumclusa, sese extrinsecùs fundere prohibetur: custos enim justitiæ silentium.] At silentij quàm fuerit tenax & studiosus S. Bruno, ejusque hoc studium quàm sit posterorum pectoribus infixum, nemo ignorat, qui S. Brunonem & ejus Religiosos novit: quibus præcipua laus à tam stricto & prolongato silentio accrescit. Est verò quasi individua silentij comes SOLITUDO, quam sibi & suis Asseclis S. Bruno dum elegit, id maximè assecutus est, quod S. Gregorius tractans illud Jobi, *Nunc dormiens silerem, & somno meo requiescerem, cum Regibus & consulibus terræ, qui ædificant sibi Solitudines*, pulcherrimè expendit. Ibi enim commentatur S. Doctor, expostulare Jobum de amissâ per primi Parentis lapsum regiâ hominis in seipsum & externa quæque potestate; qua homo si potiretur, valeret pro potestate intra mentis secretum ad Conditoris contemplationem secedere, ut faciunt Angeli, & omnes cælestes Spiritus, verè Reges & Consules terræ: cùm nunc è contrario misera mens turbis & populis frequentationum calcata, & insolenti cogitationum tumultu vastata, multiplici tyrannidi fœdè substernatur, absque quiete & veluti somno animi. Qui enim somno mystico ac quieti esse possit locus, ubi tantâ turbarum frequentiâ premitur homo, tantâ turbarum importunitate laceratur? Cùm ergo S. Bruno avulsus planè fuerit à quibusvis sæculi desiderabilibus, eaque tanquam infra se posita regiâ celsitudine erectus despexerit; hinc manifestè constare debet, quàm propè Angelicam vitam æmulatus, in suas cogitationes & affectus, ac consequenter in externa & inferiora omnia altum imperium obtinuerit. Spiritu enim & voluntate quàm longissimè super terram extitit, nihil habens commercij cum sæculi fæculentijs, ut illimis ejus ac nitens animus, per secretionem à sordibus inferiorum, exquisitè purus coram Deo præstaretur; nec deprimeretur per divulsionem in multa, quæ prima est inquinationum mortalibus origo, sed in uno primario ac sublimissimo objecto, quod Deus est, sedem erectam & tutam collocans, super omnia caduca emineret: sicque adeò in silentio & solitudine contempla-

Petrus Dam. l. 7. ep. ad c. 3. Thren.

S. Greg. ... l. 4. moral. c. 3. 36 & 14.

plabundus viveret, maneretque velut Ægyptiaca *IBIS IBIDEM SIBI.*

404. S. Bruno diabolum humilitate & sanctis occupationibus profligat. Ad serpentem denique volantem transit Oratio, sub quo infernalem intelligo præstigiatorem, mendacij patrem, perfidum Cacodæmonem; qui nullam adeò ambit figurã, ac serpentinam. Hinc tot in Sacrâ Scripturâ mentiones de larvato isto colubro, verè *volante in die*, & non tam pernici quàm pernicioso: qui *PASCIT VENENA VENENO*, atque ex uno malo progerminat mille, eo modo, quo Paulus Maccius emblema ponit.

Paulus Maccius embl. 13.

Deprensum Hydrus aquis buffonem glutit, alitq;
Dira venenatis viscera visceribus.
Improba mens, animúsque malus sibi non satis; addat
Ni sceleri scelus, & crimina criminibus.

Parum fuisset S. Brunoni priores serpentes profligâsse, refrænasse carnis concupiscentias, despexisse mundum & sæculares pompas, solitudinem & silentium selegisse; nisi etiam sibi præcavisset *A sagitta volante per diem, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano.* Psal. 90. v. 6. Hinc eò collimandus erat conatus, ut dæmonis astutias eluderet, & palliatas ejus insidias ubique deprehenderet ac enervaret. Et quia spiritus superbiæ è diametro humilitatem, quæ est totius spiritualis perfectionis fundamentum, supplantat; hinc omni studio & solennitate pro humilitatis exercitio se consecravit; sciens, quòd Deus superbis resistat, & humilibus suam conferat gratiam. Et quæ major posset esse humilitas, quàm nihil nisi indignum de se præsumere, & ex merissimâ sui vilipensione à sacri Altaris oblationibus se elongare. Et quidem præiverant ex pari causâ sancti pleriq; prisci Ascetæ; qui indignitatem accedendi ad Altare sacrificandi gratiâ, vel inquinationis periculum ex eo munere, nequaquã metiebantur solâ malignitate lethalis culpæ: nam vel ipse frigens accessus ad Divinam Mensam, & minùs reverens tanti hospitis exceptio, labe non caret. Quia verò bonarum & humiliũ mentium est, nunquam se satis ad tanta mysteria comparatos arbitrari, & adhibitas à se aptationes depretiare; hinc pleriq; Sanctorum, & in specie PrimiCarthusiani cum suo S. Brunone, à quotidiano Divini Sacrificij usu refugerunt, satius esse rati, infrequentiùs, sed ferventiùs, digniúsq; accedere ad altare Dei, quàm quotidianâ frequentatione tepiditatis periculũ subire; unde Divini illius operis justo minor æstimatio & cælestis epuli nausea Deũ exacerbans; proclivissimè consequitur. Proinde sicut S. Bruno sæculi fastus, & quascunq; ex præstantissimis muneribus emicates vanitates, ex generosâ humilitate dejecit; ita etiam in portando sacerdotali onere; & vel ipsis Angelicis humeris formidando, ita sobriè & modestè se gessit, ut omnes superbiæ authori vias occluderet, quibus ad Sacrariũ Domini lethalis & indignus pararetur accessus. Insuper cùm sciret, pulvinar diaboli esse otium, & multam malitiam ab otiositate doceri; opposuit huic serpenti volanti non tantùm manuales labores, quibus & se occupavit opportunò tempore, & suos Asseclas occupari voluit, sed etiam libros pios admodùm & divinam ignem spirantes conscripsit: nullâmq; ideò suo corpori concessit requiem, sed quod orationi ac contemplationi superfuit tempus, religiosissimis occupationibus impendit. Itaque huic tam nocivæ, & omnem malitiam docenti otiositati, S. BRUNO *sanctum otium* opposuit, quo ignaviam desidiamque profligaret, à sanctitate prorsus alienas. Otium autem istud, inter animæ sabbata collocatum, divinæ gratiæ feracissimum est ac fœcundissimum. Sicut autem excæcatur, & à verâ luce; quæ Deus est, removetur, cùm dimissio uno per multa vagus animus dissipatur, usq; ad virtutum omnium succedaneam cladem; ita econtrário per abductionem à multis, & defixionem in uno, vacantes sanctè; & videntes quoniam suavis est Dominus, uberes omnino cælestium opum proventus colligimus, & veras illas animæ divitias mirum in modum cumulamus. Vndè *S. Bruno* hujus sancti oti, studiosissimus; tena-

tenacissimè in *uno*, quod verè VNVM est, cogitationes omnes atque affectus defixit; eâque de causâ, etiam corpore, quantùm licuit, à multitudine avulsus captavit latebras, ut infernalis serpentis evaderet insidias; atque ad hunc finem angusto loco se conclusit, ut maneret & viveret, velut Ægyptia *IBIS, IBIDEM SIBI*; vel ideò mundus & sanctus, quia speciali prorsus decore à mundo separatus.

405. S. Brunonis ab ejus ordinis constantia & flore, eximiæ laudes congestæ.

Hos serpentes virulentissimos, hos colubros & aspides generosè profligavit Sanctus BRVNO, & ita à sua Carthusia abegit, ut per tot sanè sæcula, quibuscunque artificijs afflare, quatere, vel evertere ejus sacrum Ordinem non potuerint; cùm tamen circa alios antiquos Ordines videatur ijs aliquoties res ex sententiâ cessisse. Et reverà ex sanctitate & constantia Instituti, non incongruè conjectatur sanctitas Institutoris: sicut econtra ex perfectione Legislatoris, utique etiam arguitivè potest inferri perfectio Legis. Habet enim hîc quoque locum à contrario, illa Apostoli argumentatio, *si radix sancta, & rami*; (Rom. 11. v. 16.) & si rami sunt sancti, multò magis radix sancta esse debet, è qua succus sanctimoniæ in ramos est derivatus. Nec facit Deus moralia hujusmodi corpora monstrosa; ita ut à membris aptè & congruè dispositis, ac compactis dissideat caput. Imò quia *primum in unoquoque genere mensura est reliquorum*, nemo dubitare debet, quin Auctorum sanctitas, tanquam fontalis, & rivis inde manantibus suppeditans latices, uberior sit quam posterorum. Jam verò talis est Carthusiani Ordinis cum suo Capite consensus, ut in illum à suâ primâ religiosâ perfectione atque observantia nunquam dejectum, possit sanctâ quadam æmulatione illud Dei immutabilis prædicatum explicari: *Tu autem idem ipse es, &* (quantùm sperare licet per Dei bonitatem, ac subjunctam Moderatorum vigilantiam) *anni tui non deficient*; illi, inquam, anni, qui per dies mensesque virtutum nunquam interruptos, sed perpetuò recurrentes, in terrestribus cælis efficiuntur. Rem autem ita se habere, contestantur gravissimi & pientissimi Viri. Petrus Cluniacensis Carthusianos appellat *collegium caleste, & numerum Apostolicum*; (Petrus Cluniacensis l. 4. Ep. 12.) eò quòd omnes Religiosi Carthusiam inhabitantes *tredecim* tantùm fuisse, adeóque numerum Collegij Apostolici, juncto Christo capite, sustinuisse describantur. Eodem loco eosdem *Beatissimos, & singulariter honorandos, ac nominandos Dominos & Patres* affando consolatur. Laurentius Laodicensis, ANNO 1390. inter vivos florescens, dum Historiam Episcoporum Virdunensium describit, hæc sequentia interserit *Carthusiensis Religio, Mundo hactenus inaudita, de sanctissima Schola Reverendissimi Brunonis processit, quæ in carne extra carnem insolito mortalibus more vivendo, Angelos in terra, Joannem Baptistam & Paulum Eremitam in deserto, nobis hodie repræsentat; ut meritò hanc Religionem FLOREM MUNDI nominet.* (Laurentius Laodicensis in hist. Virdunens.) Jacobus de Vitriaco, Cardinalis doctus & pius, sequentia profert. *Carthusia Religionis rigor districtionis, & districtio rigoris, tanquam fornax spiritûs Sancti aurum purgans, & scoriam ex argento separans, falsos fratres diu retinere non potest: unde cella comparatur mari, quod morticinum, quantociùs poterit, projicit.* (Iacobus de Vitriaco.) Navarrus eximium locum Francisci Petrarchæ dum adducit, vocat Carthusiam *Carcerem excludentem corporales voluptates, & paradisum omnium spiritualium deliciarum.* (Navarrus comment. 3. de Regular.) Flosculus ex Joannis Gersonis scriptis depromitur fragrantissimus. *Apud venerabiles Carthusienses reperitur, sicubi in Ecclesia quicquam vestigij reliquerit, prædicanda illa pristinorum Patrum devotio, admirabilis fervor, & continentia incredibilis penè.* (Ioannes Gerson tract. de abstin.) Arnoldus BostiusCarmelita, postquam plurima decora Carthusianæ Religionis liberaliter delibat, tandem venustissimè concludit. *Hinc solus præ cæteris Flos Monastici germinis, decus atque ornamentum vitæ* (Arnoldus Bostius in l. ad Hugonem de Vercendiâ.)

spi-

spiritualis, & Ordo non lapsus, peculiari quodam iure ac planè optimo compellatur. Venerabilis ac pijssimus Thomas à Kempis, occasione Prioris Carthusiensis apud Arnemium Geldriæ, qui pijs alloquijs Gerardum Magnum Deo lucratus fuerat, de Carthusianis præclara ista consignavit. *Eo præcipuè tempore Mundi Status in maligno videbatur undique positus, ita ut pauci essent, qui verbum vitæ moribus ac vocibus prædicarent; pauciores verò qui continentiam servarentur: & quod dolendum erat, nomen S. Religionis & Status devotionis præ inopia spiritus à Patrum præcedentium vestigijs nimium claudicabat. Apud Carthusienses verò lux vitæ cælestis remansit occultò; & carnalibus videbatur satis austera. Erat tamen Deo gratissima, & spiritu ferventibus optabilis atque jucunda.* Innumera sunt Summorum Pontificum testimonia, quibus & S. Brunonem, & ejus Institutum meritissimis extulerunt ornamentis ac prærogativis: quæ omnia intra hujus lucis angustias conferre non licet obdicendi facultatem intercisam, & materiæ amplitudinem inexhaustam. Sit sanctus BRUNO Guigoni, majoris Carthusiæ Priori undecunque eximio, *vir religione scientiâque famosus, honestatu ac gravitatis, & totius maturitatis quasi quoddam simulachrum.* Sit S. Bruno Arnoldo Bostio, paulò antè adducto, *sydus splendidissimum, singulari prærogativâ sanctitatis, superexcellenti puritate conversationis, doctrinâ eximiâ, & quàm multis salutari, miraculorum denique inæstimabili gloriâ ab Occidente usque in Oriente clarissimè refulgens.* Sit S. Bruno ex variarum Ecclesiarum testimonijs apud Suriū, *totius scientiæ & penè omnium Clericorum lumen, ac fundamentū.* Sit S. Bruno Fiscilensis Cœnobij Professis Fratribus, *reverendissimus, religiosissimus, eminentissimus.* Sit S. Bruno ab Ecclesia Carnotensi nuncupatus, *Murus Ecclesiæ, flos Patrum, semita justitiæ, lux & speculum Mundi, sublime cacumen.* Sit Sanctus Bruno Thomæ Bosio, *Vir de cælo lapsus, cui tam sancti Ordinis, tam à terrenis abstracti, structuram crediderit Deus:* qui insuper adeò perfectè mundum, dæmonem & carnem calcaverit, ut præ omnibus alijs religiosæ vitæ caput extulisse videatur, quantùm solent inter viburna eminere cupressi. Mihi certè *Sanctus BRUNO* erit velut Ægyptiaca IBIS, quæ *sustulit serpentes* illæsa; & hujus sæculi Ægyptum suâ austerrimâ vitâ & religiosissimo Instituto ab infernalis colubri venenis ita servavit immunem, ut saltem pars aliqua nobilior & præstantior Ecclesiæ supersit, in quam non potuerunt irrumpere virulentæ insidiæ latentis inimici. Dúmque sic soli Deo, soli Patriæ, & soli vivit sancta ac beata *IBIS IBIDEM SIBI;* pulcherrimè quadrat, quod Joannes de Villa nova Guilielmo Raynaldi Carthusiæ Priori in constantiæ Ordinis, optimis institutis firmissimè ac tenacissimè inhæsuri præconium, ex piâ avorum memoriâ sic cecinit.

Fertilis exuperat tantos Carthusia montes,
Et Juga, quæ summis sunt decantata Poëtis,
Submissas quantùm corylos præcelsa cupressus.
Nam Carthusiacus sacer hic non fluctuat Ordo:
Sed manet immotus, velut Marpesia Cautes,
Contra Scyllæas rabies, omnesq; procellas
Vndivagi Maris, & vafros Cacodæmonis astus.

Ex quibus omnibus tandem ad assumptæ probationis terminum divertò, & quod Ibidi reliquū est, peramanter pro Epilogo induco. Refert Gesnerus ex antiquissimis Scriptoribus & Hieroglyphicis, quòd Ægyptij volentes COR indicare Ibin pingant, eò quòd hæc Avis Mercurio, cordis ac rationis præsidi, sit consecrata. Nam & Ovidio teste, in pugna Gigantum contra Deos Mercurius sub alis Ibidis latuit; & ejus pennis orationis similitudo symbolizatur: nigris enim pennis tacita tantùm & internè excogitata notantur, albis verò prolati extrinseci sermonis specimen profertur. Ideo autem Ægyptij Ibidem pro

Thomas à Kempis in vita Gerardi Mag. c. 4.

Guigo in actis S. Hugonis c. 4.

Bostius suprà relatus.

Surius 6. Octob. ad calcem actorum S. Brunonis.

Thomas Bosius de signis Eccl. l. c. 11.

Joannes de Villanova in poemate ad Guilielmum.

Gesnerus in Ibide.

Ovid. 5. Metamorph.

Hieroglyphico cordis applicabant; quia IBIS, cùm in pennas sub pectore existentes collum & caput abdiderit, cordis figuram exprimit. Et tibi. ó sanctissime Carthusiani Ordinis Legislator, quid dignius ac honorificentius pro symbolo erigam, quàm *Ibidem*, caput & collum sub pectus abscondentem, ut efformetur tuo nomini & honori *COR perfectum*; qui purè & tersè contemptis hujus sæculi vanitatibus, & excussis ejus venenosis afflatibus, velut alatus Mercurius, non tantùm litigantes passionum tuarum serpentes virtutis caduceo composuisti, sed etiam lethali veneno insidiantes colubros tuâ sanctitate prostrâsti. Hinc animo tuo sæculi vanitatibus prorsùs evacuato, *COR* DEO Tuo servâsti mundum, sanctum, integrum & immaculatum; ut repleatur Divinitatis gaudijs, & ardeat amoribus sempiternis!

A M E N.

IN FESTO SANCTORUM APOSTOLORUM SIMONIS ET JUDÆ.

SELEUCIDES PEREGRINÆ.

Die frembde Schrecken-Kräh.

L E M M A.

Disperdunt, dum veniunt.

T H E M A.

Hæc omnia facient vobis propter nomen meum. Joan. 15. v. 21.

SYNOPSIS CONCIONIS CI.

Quod faciunt Seleucides in disperdendis Locustis, hoc operantur Zelotes in dissipandis Divini Nominis inimicis. Quos dum imitantur varij Zelatores, eò unicè colliment, ut Zelum Dei justum, sanctum, moderatum ac rationabilem, à voraci, depascente, iniquo & turbulento discernant.

406. Seleucidum symbolizatio ad zelum & Zelotes.



QVàm infesti sunt serpentibus in Ægypto Ibides, & in Europa Ciconiæ ranis, tam offensi dicuntur Locustis in Asia *Seleucides*, aves omnino peregrinæ, & nostris incognitæ terris; quarum generationes occultæ, unde veniant, vel quò abeant, ignorantur; nec earum præsentia videbatur, quousque à Jove precibus impetrabantur, & nisi quamdiu earum assistentia requirebatur. Refert enim Plinius, quòd Incolæ Montis Casij, contra Locustas, eorum depascendis frugibus perniciosas, has Aves Seleucides à Jove precibus superstitiosis impetrârint, quæ statim locustis consumptis disparebant. *Nec unde veniant, quòve abeant, compertum: nunquam conspectæ, nisi cùm præsidio earum indigetur.* Sic Deus & natu-

Plinius l. 10. c. 27.

natura huic populo de illis Avibus providebat; quarum tamen missionem a Jove provenire erroneè existimabant gentiles, pari ratione decepti, quam postea declarat de Avibus Diomedis S. Augustinus. Voracissima proinde Avis est Seleucis, & agricolis maximè exoptata, cùm fruges locustis infestantur: has enim partim devorant, partim vel umbrâ suâ enecant. Jam siquis mentis parùm compos Seleucidem interfecerit, reliquæ ad defendendas à locustarum injuria fruges in regionem non revertuntur. Iis denique rectè subscribitur, *DISPERDUNT, DUM VENIUNT.* Quod symbolum servire potest pro Prælato zeloso, cujus justissimus Zelus ad destruenda vitia & criminosos castigandos triumphat in corde Pavidis, de seipso, velut voracissimâ Seleucide pr testantis: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut DISPERDEREM de civitate Domini omnes OPERANTES INIQUITATEM.* Locus pulcherrimus, quem Cornelius Jansenius hac nobilissimâ paraphrasi declarat. *Ante omnia in hoc incubui, ut sine cunctatione interficerem omnes peccatores terræ. Maturè quoque admodùm, pr usquàm prævaleret iniquitas, subvertere studui, sine delectu personarum, omnes impios terræ mihi subjectæ: ut è civitate Domini, quam solis Sanctis patere convenit, exterminarem, quantùm fieri potest, omnes operarios iniquitatis.* Et hos quidem Prævaricatores zelantissimus Rex non secùs *disperdidit*, quàm Seleucis Avis devorat locustas. Misit Altissimus Deus in Mesopotamiam, Ægyptum & Persiam, hujusmodi duas peregrinas Seleucides, quæ barbaras illas & populosissimas Nationes *disperderent*, velut Locustas. Et quidni Locustas dicam, quando etiam Exploratores illi sese comparaverunt Locustis? *Terra, quam lustravimus*, inquiunt, *devorat habitatores suos: populus, quem aspeximus, proceræ staturæ est. Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo; quibus comparati QUASI LOCUSTÆ videbamur.* Proinde Persicas, Ægyptiacas, & Mesopotamicas Locustas duas hodiernæ Seleucides tam voraci, *dum venerunt, disperdiderunt* zelo, ut vastissimæ illæ Regiones brutalissimis moribus & infernalibus idololatrijs expurgatæ, adeoque tam miserabili devastatione liberatæ, serenissimam JESU CHRISTI lucem, tranquillitatem, fœcunditatem ac benedictionem susceperint. *Hac omnia facient vobis, propter nomen meum.* Quod dum de maximis perpessionibus prædiceret Christus, quas subire deberent in nationibus sui Discipuli, ita SIMON & JUDAS in suum redegerunt zelum, ut *propter Nomen Domini* à S. Hieronymo uterque appellitetur ZELOTES: tum quòd uterque originem suam trahat à Galilææ *Canâ*, quod *Zelus* interpretatur: tum quòd uterque *propter Nomen Domini* gravissima tormenta, velut locustas constantissimè devorârit: tum quòd ex ardentissimo Zelo tot inter dirissimas persecutiones Gentilium Animas totâ dilectione devorarint, Deoque suavissimè ructârint. Hi ambo *Zelotes* nobis hodie negotium facessent, quo *Zelum DEI* justum, sanctum ac rationabilem, à voraci, depascente, iniquo, & turbulento Zelo discernamus; ut Divini honoris & Boni publici Zelotes evadamus *in Nomine Domini*.

Gallius l. 8. c. 1. de locis affectis.

Psal. 100. v. 7.

Num. 13. v. 33.

S. Hieronymus in c. 4. ad Galatas, & alibi.

407.

Divini honoris præcipui Zelatores ex Utroque Testamento.

Zelum Dei multifariàm multisque modis accipi, ex diversis Sacræ Scripturæ locis illustratur. Est enim bonus, pariter & malus Zelus; quorum hic ad tartaream dejectionem præcipitat, ille ad cælestem felicitatem sublimat. Unus est Zelus *secundùm scientiam*, DEO beneplacens; alter respuitur Zelus *secundùm errorem & ignorantiam*, hominibus admodum familiaris; de quo Servator suis Discipulis præsagiebat dirissimas persecutiones & internecinas infestationes, urbium & Provinciarum interdictiones, cruentas plagas & acerbissima martyria, inferenda etiam ab ijs, qui præsumerent, se zelum Dei habere. *Hac omnia facient vobis, propter nomen meum.* Ex quo potissima cura currit de zelo discreto contra indiscretum, de prudenti contra imprudentem, de

maturo contra immaturum, de sincero & aperto contra larvatum, de charitativo & legitimo contra odiosum & insidiosum, de blando & benigno contra impetuosum & violentū, de mansueto contra iracundum, denique de zelo Zelotum Simonis & Judæ contra voracitatem Seleucidum. *Zelus Dei* quàm potens ad convertendas animas? quàm ardens ad subvertendos Dei inimicos? quàm industrius ad evertendas Prævaricatorum inventiones? quàm penetrans ad castigandos & vindicandos Divini Nominis, Numinis, Luminis & Fluminis Hostes? *Zelus*, inquit Zelantissimus Ambrosius, *est gratia Dei, qui exquirit, qui supervenit, qui se Iusti pectori infundit. Zelus Dei vita est. Zelum Dei qui habent, omnes sibi inimicos putant, qui sunt hostes Dei, quamvis Patrem, Fratrem, Sorores.* Hoc Dei Zelo stimulatus bicornutus Legislator de monte Sinai descendens à Divino consortio, duas lapideas tabulas, indignatione urgente, confregit, dum Populum Israeliticum choreis & tripudijs aureo Vitulo videret idololatricè applaudere. Hoc Dei Zelo armatus Phinees, non degener Eleazari proles, in flagranti scelere confodit Israëlitam, qui in conspectu Moysis & Sacerdotalis Collegij nefariè Madianiticâ meretrice abutebatur. Hoc Zelo Dei concitatus invictissimus Josue in sacrilegum Acham num direxit lapidum imbres, & omnē ejus supellectilem exussit; eò quòd de spoliis anathematizatæ Jerichuntinæ Vrbis clam sibi, contra expressum Dei præceptum, regulam auream, & siquid hujusmodi illicij esse potuit, proprium reservârit. Hoc Zelo Dei accensi Filij Israëlis, QUASI VIR UNUS, contulerunt arma ad delendam domum Benjaminicam, propter enormem violentiam Leviticæ Vxori à pessimis Benjamitis illatam. Hoc Dei Zelo impulsus Propheta Elias sacrificulos Baalis irruente internecione severissimè delevit. Hoc Dei Zelo instructus Nehemias nonnullos corripuit Israëlitas, quosdam percussit, alios capitis tonsurâ fœdavit, quòd contra Legem mulieres gentiles sibi matrimonio copulârint. Hoc Zelo Dei loricatus S. Joannes Baptista Pharisæos increpavit, tanquam *genimina viperarum*, & Herodi adulterium cordatissimè exprobravit. Hoc Zelo Dei animatus ipsemet Servator noster delinquentem Populum toties correxit; toties Pharisæos confudit, Scribas & Seniores increpavit, nummularios confudit, cathedras vendentium evertit, & impœnitentibus superventuras calamitates comminatus est. Hoc Dei Zelo suscitatus Petrus, Primus Ecclesiæ Pontifex, excommunicavit proprietarios conjuges Ananiam & Saphiram, & *quasi trium horarum spatio* utrumque è vita dejecit. Hoc Dei Zelo impavidus Stephanus Concilio malignantium restitit, eosque duro corde & incircumcisis cordibus, sempérque Spiritui sancto resistentes compellavit in faciem audacter. Hoc Zelo Dei invictus Paulus ubique sese opposuit Divini Nominis hostibus, eosque acerrimis Scriptis & invectivis convicit, Scilicet, *Zelum Dei qui habent, omnes sibi inimicos putant, qui sunt hostes DEI, quamvis Patrem, Fratrem, & Sorores.*

408. *Zelus animarum graviter exaggeratur.*

Hæc omnia facient vobis, propter nomen meum. Nemo sic luceat, nemo omnium sic ardeat Zelo Dei, quàm ij, quibus à Christo in faciem resplenduit parœmia: *Vos estis Lux mundi.* Vos estis Lucidæ, in nemorosis Moscoviæ saltibus per nocturnas tenebras præbentes lumen Viatoribus, ut declinatis præcipitijs, atque animæ periculis, ad salutis & veritatis viam dirigantur. Vos estis Seleucides, expurgantes Provincias erroribus, instar locustarum depascentibus pinguia prata Ecclesiæ Catholicæ. Vos estis mirabiles illi Hispaniolæ Insulæ illuminantes Cucuiones, quorum congenitus splendor noctu studentibus, legentibus & scribentibus, copiosum lumen præstat; iisque allucentibus Simplicius profitebatur Hollandis, se in obscurâ speluncâ sua omnia opera composuisse. Vos, inquam, vos ô Viri Apostolici, hac luce ardente, hoc Dei Zelo succensi, calorem debetis Populorum frigiditati, eorum

eorumque tenebris lumen affundere, ut Divino amôre incalescant, & Sancti Spiritûs illustratione clarescant. Vos, qui de Altaris cornu pinguedinem vitæ accipitis, præ cæteris omnino decet, in acie consistere contra Divini Nominis & honoris invasores. Si contingat, inimicos Dei sub ovinm pellibus larvatos subintrare Ovile Christi, Electorum gregem turbare, columnam veritatis, hoc est, Ecclesiam impugnare, & purissimis Siloë fontibus turbulentos ac luteos Babylonis torrentes immittere: tum vel maximè, qui sunt Pastores gregis in Ecclesiâ, Zelo Dei succensi, incipiant obducere cælum nubibus, fulgurare, tonitruare, fulminare, accendere, comburere, dissipare; nec desistere, quousque *fugiant à facie Dei, qui oderunt Eum.* Tali Zelo fulcitus Athanasius sese viriliter opposuit Arianis, suo tempore Ovile Christi infestantibus; Augustinus Pelagianis; Hieronymus triplici Cerbero, in Jovinianum, Vigilantium, & Rufinnm extenso; Basilius veritatis, & publicæ pacis eversoribus. Hoc Dei Zelo ductus, in aciem prodijt S. Dominicus adversùs Albigenses hæreticos; Benedictus contra idololatras montis Cassinatis; Bernardus contra vulpeculas vineam Dei Sabaoth demolientes; Franciscus contra Mundum universum, Deo rebellem: contra Lutheranos, & monstrosos eorum partus Ignatius prodijt, & *disperdidit, dum venit*, vicit, triumphavit. Hoc Dei Zelo illustratæ cælestes Filiorum Lucis constellationes adversùs Rectores tenebrarum harum, congregatæ sunt Nicææ, Ephesi, Chalcedone, Constantinopoli, alijs Mundi primis Sedibus, ac denique etiam Tridenti: ubi ad Oecumenica Concilia congregati legitimi Ecclesiæ Patres expugnarunt insolentes Gigantes, qui suis temporibus novas Babylonicas turres moliebantur adversùs Dominum, & adversùs Christum ejus. Ibi tot tantique Zelotes, & Divini Nominis Zelatores, *contribulârunt capita draconum in aquis*; & Locustas scandalosas, quæ viridissimas virtutum areas suâ perniciosissimâ voragine depavé rant, sacro & canonico excidio disperdiderunt. Quorum imitatione etiam nostri Animarum Curatores labores sustineant, calumnias & injurias sufferant, & intrepidi contra rapidissimos torrentes ac validissimos impetus connitantur; præsertim si maledicta quæpiam Jezabel extollat caput in Regno Dei, ac Prophetarum Filios suis insidijs affligat, vineamque Naboth iniquissimâ machinatione surripiat: tunc, tunc præsertim Magni Præsules, & summarum Ecclesiarum Pastores, ardentissimum Eliæ zelum induant, vindictas è nubibus provocent, feriant, disperdant, atque excommunicationis fulmine contra Ecclesiasticæ Libertatis ac Pontificiæ jurisdictionis eversores ardenter procedant. Avertat Deus, ne contra modernum Sacerdotium reviviscat illa luctuosa lamentatio, quam olim D. Hieronymus cum omnium audientium & legentium consternatione inter leoninos rugitus in suo specu lachrymando profudit: plurimos nèmpe regalis Sacerdotij Gestores, qui de Altari Domini vivunt, in durissimas columnas congelari, si res de tuendo Divino Nomine atque Animarum salute promovenda agitur; at verò cùm Ætnæis montanis in turbulentissimas flammas exardescere, dum vel ambiguo verbulo irritantur, aut minimo tanguntur digito ad offensam. Et quod his omnibus deterius, adjungit Sanctus Hieronymns: *Nunc super omnia nostros adversarios immortali odio prosequimur; blasphemantibus Deum, clementem porrigimus manum.* Mallem proinde, ut Animarum Curatores & Presbyteri in plebe Catholicâ, Sancti Leonis Papæ gravissimam hortationem susciperent sectando. *Proinde objurgando, suadendo, blandiendo, consolando prodesse, quibus possumus, festinemus. Simus in custodia vigilantes: aditus contra hostis insidias solliciti muniamus. Et si quando ovem error abduxerit, toto illam adnisu ad caulas revocare Dominicas contendamus; ut de Pastoris nomine, quod habemus*, NON SUP-

S. Hieronymus epist. 41.

S. Leo l. 7. Ep. 113.

SUPPLICIUM, SED PRÆMIUM *consequamur.* Heu me! quot ovium greges erronea hæresis à vero Christi ovili transtulit ad hædorum consortia, & volutabra porcorum! Heu me! quàm innumeram Christianorum multitudinem Mahometica perfidia insani Alcorani legibus imbuit, factos offensissimos inimicos Crucis & Nominis Christi! Heu me! quas tenebras subijt Orientalis Ecclesia, in lumine Christi olim tam gloriosa. Nunquid Asia illius Eclypticam retinet obscurationis lineam, quam Sol Justitiæ in meridie olim subijt, dum gentem excæcatam in Crucis trabe sibi inimicam deploravit? Nunquid Africa fermè universa majorem salutiferæ lucis in suis Animabus præfert caliginem, quàm in Æthiopum corporibus indelebilem denigrationem? Quot Populi & Nationes versùs Septentrionem, olim Christi & Ecclesiæ Romanæ amore feliciter ardebant, qui nunc discissâ Salvatoris nostri tunicâ, in execrabiles glacies Sectariorum fallacijs obriguerunt? Nos verò, nos viri Ecclesiastici & Religiosi, quantumvis exiguis nostris viribus, & virtutibus, cum Seleucidum turbâ non valeamus tot à verâ & salutiferâ Religione dejectas vastissimas Provincias ad verum Christi Ovile reducere; atque Apostolico zelo ad Catholicæ, Romanæ, atque solius salvificæ Ecclesiæ unionem vel professionem accendere; eò tamen in hisce nostris benedictis Pascuis vigilantissimè connitamur, *Ut si quando ovem nostræ curæ commissam error abduxerit, toto illam adnisu ad caulas revocare Dominicas contendamus: ut de pastoris nomine, quod habemus, non supplicium, sed præmium consequamur.*

409. Divini nominis honorem quàm debeamus zelare.

Propter nomen meum tuendum, non tantùm Sacerdotes & consecrati Servi Dei sint zelosi, sed etiam quicunque Christi Fideles, in sacerrimo Baptismi lavacro SS. Trinitati sunt inuncti; ut si res de Divini Nominis honore agatur, opportuno, cordato & discreto Zelo exardescant: similes effecti ferro candenti. quod concepto in se intrinsecus calore, super incudem dum percutitur, SCINTILLAT ET ARDET. Refert Theodoretus rem dictu memorabilem de Amphilochio Episcopo, Viro Divini Nominis zelantissimo, quòd is solus ab Imperatore Theodosio Arianorum ex Imperio ejectionem instantissimè sollicitârit, hominum vaferrimorum sectam, toti Ecclesiæ alioquin futuram fatalem. Renuit Amphilochio deferre Cæsar, catenata eidem pericula ac innumera mala exinde proventura obvertando. Contigit, ut opportuno tempore omnes toti Imperij episcopi ad Aulam Cæsaream convenirent; & Arcadio, Theodosij filio, tanquã noviter coronato Imperatori bene precarêtur gratulando, & submittendo sese Homagium præstarent. Cúmque omnes Episcopi, primò Theodosij, deinde Arcadij manus reverentiali affectu deoscularentur, Amphilochius Theodosio soli dum osculum daret, Arcadium imperterritus præterivit. Advertit præteritionem Theodosius, eamque distractioni aut inconsiderationi admetiens, monet Amphilochium, ut etiam Arcadio piâ gratulatione exhiberet affectum; at verò Amphilochio cordatè renuente, graviter indignatur Theodosius, eúmque cum publicâ disgratiâ jubet aulâ excedere. Quo nec quidquam opponente, se satis contulisse paterno honori, nec plus ad consulendum filiali honori desiderari, eùm per hoc indignationem Cæsaris non mitigaret, Zelo Dei animatus sic eum alloquitur: *Siccine Imperator graviter fers contemptum filij tui? Revoca tibi in mentem, quæso, odisse & Deum eos, qui per blasphemiam honoris aliquid adimunt Unigenito Filio suo.* Quã zelosissimâ Amphilochij resistentiâ in tantùm commotus est Imperator, ut publicis tabulis interdiceret Imperio Arianorum, Christo Deitatem abnegantium sectam. Faciebat tunc Amphilochius circa ejectionem Arianorum, quod postea Philippo III. Hispaniarum Regi propter expulsionem Maurorum in exequijs fuit pro symbolo affixum in gloriam. Pingebatur in planitie ad mare sitâ conglomeratus de nigris viperis globus, quem infestabatur Ciconia, cum adjecto lemmate: DO-

Theodoretus l. 5. c. 16.

NEC

Virg. *NEC CONFICIAM.* Ita certè, sicut
... - Cùm verè rubenti
Candida venit avis, longis invisa colubris,
nidum sibi construendo, & pro alimento colubros è pratis auferendo, *non deficit* volatu & adnisu, *donec conficiat*: ita Amphilochius urgente Zelo non desecit, quousque Arianos, igneam pestem, ex Imperio depelleret. Hoc de Divini Nominis Zelatore Episcopo, tradunt Ecclesiæ Annales, cum aliquo periculo vel dispendio Cæsareæ gratiæ contigisse. Admirabilius est, quod de Metello, gentili sacrificulo refert Plinius: cùm enim Templum Vestæ medijs flammis inardesceret, brevì in favillas corruiturum, per voracissimas flammas irrupit Metellus, & Palladij sui statuam aggressus, cum utriusque oculi dispendio, Numen suum ex incendio proripuit. Quod Zeli gentilis facinus tanti acceperunt Romani, ut Metellum honorifico currui impositum, solennissimo apparatu, & plausu nulli tertio antecedenter præstito, in Curiam deduxerint gratulantes. Tanto Zelo agebatur Metellus ad subtrahendam ligneam Palladij statuam è flammarum voragine! Quis ex vobis, dicite Auditores, quis Christianorum tanto periculo sese exponeret, pro servando Venerabili Sacramento? pro tuendo Divini Numinis cultu? pro Divorum statuis honorandis? pro avertendis blasphemijs? pro castigandis Sanctorum conviciatoribus? pro reverentiâ sacerdotibus debitâ? pro sacris legibus & juribus? pro Ecclesiæ Magistratibus? pro salute & pretio animarum? *Nunc super omnia nostros adversarios immortali odio prosequimur, blasphemantibus Deum clementes porrigimus manus!*

Plinius l. 7. c. 41.

410. Ecclesia Dei quanto Zelo manutenenda.

Propter nomen meum. Non minori Zelo agendum erit, quando res agitur de S. Romanæ, Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ integritate, constantia & defensione. Hæc enim licèt illustretur sanguine Martyrum, in catenis operetur fortior, in persecutionibus evadat vigorosior; quantò peius tractatur, tantò efflorescat pulchrior; quantò magis deprimitur; tanto sublevetur altior: suis tamen Zelatoribus fulciri, animari & conservari debet. Observant hoc Apes, ut in sua alvearia non admittant vespas; sed acutis suis stimulis eas exturbent: imò ut tota communitas earum salva perennet sub felici sui Ducis regimine, ne quis temerarius earum caput invadat, *PRO REGE EXACUUNT* stimulos, oppugnant invasores, & feliciter triumphant. Hinc Seneca, volens subditorum ergà Dominos fidelitatem objicere, *In primâ*, inquit, *fronte currens; & adversa vulneribus pectora ferens, ne Imperatoris sui signa vertantur.* Jam quid efficiunt Catholicæ Ecclesiæ Filij pro suo supremo Patre, summo Pontifice, qui velut Rex tot ac tantorum examinum, seu Populorum administrationem gerit? quid pro sanctâ Matre Ecclesiâ, quæ favos distillans labijs suis, intus & foris mel ac dulcedinem operatur? Erant olim supremâ laude decorandi Hebræi, qui ex purissimo suæ Synagogæ Zelo, malebant sanctam civitatem & totam Palæstinam dimittere, quàm videre abominationem subinducendam ab invictissimo Caio, erigente simulacrum Jovis in Templo Jerosolymitano ad probrum sempiternum Religionis Judæorum; qui conspirante omnium Zelo asseverabant audacter; *Id si non impetramus, necandos nos præbemus, ne videamus vivi, quod est morte gravius.* Quantò autem Ecclesia Catholica, tanquam nova Christi sponsa, præstat Synagogâ repudiatâ; tantò ardentior & constantior pro eâ Fidelium Zelus deberet consurgere adversùs malignantes hæreticos, & insultantes inimicos. Omninò jubeatur ex Defunctorum umbris resuscitatus prodire Propheta Elias; *qui*, Syracide testante, olim in Synagogâ *surrexit quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat*, præsertim in evertendis idololatris, extinguendis sacrificulis, ac Divinarum Legum violatoribus castigandis. Redeat magnus Mediolanensium Præsul Sanctus Ambrosius; qui pro Ecclesiâ Dei murum inexpugna.

Seneca l. 1. de Clement.

Philo l. de legatione ad Caium.

Eccli. 48. v. 1.

gnabilem sese opponens, maluit à Ducibus & Regibus mille sustinere mortes, quàm vel superstitiosam insolentiam Romani Magistratûs, volentis Victoriæ aram renovare; vel hæreticorum, ad profananda sacra vasa & exturbandas sacras imagines concurrentium, temeritatem tolerare. Reviviscant magni Præsules cum sancto Constantinopolitano Chrysostomo, qui extremas pro Dei Ecclesia, Verbo veritatis, & virtutum assertione persecutiones, exilia, despectus, miserias, gloriosissimè perpessus est. Respirent cum celebratissimo Thoma Moro magnorum Principum Consiliarij,& Cancellarij; ut pro publicâ tranquillitate,& avitæ Religionis defensione,strenuè usque ad odia, carceres, ejectiones, & mortes decertent. Resuscitentur ex varijs Religiosis Ordinibus invictissimi Martyres, qui tempore Anglici Schismatis sub Henrico VIII. & sub Geusiorum in Hollandiâ & Belgio rebellione, pro asserenda Christi in Sacramento Eucharistiæ præsentiâ, pro primatu Summi Pontificis tuendo, pro Romanæ Ecclesiæ manutenenda authoritate, inter dirissimos cruciatus martyrij palmam obtinuerunt. Vivam ego, & pientissimâ confidentiâ vivam securus; casu quo imposterum nonnemo malignantium in locis Deo sacratis erigeret impudicæ Veneris aras, aut in Magistratuum Dicasterijs disperdentis Cerberi statuas, aut in publico foro fulminantis Jovis diras, aut in privatis diversorijs temulenti Bacchi crateres, aut in accensis campis furibundæ Bellonæ acies, aut in omni loco perniciosas è Pandoræ pixide emissas species, aut quascunque in plebe malitias; vivam, inquam, securus, nunquam ampliùs defuturos Zelatores, qui protinus occurrerent malis, expugnarent vitia, scandala eliminarent, pro virtutum cultu subsisterent, pro Ecclesia Dei fortissimè pugnarent; & quascunque damnosissimas locustas devorarent, velut Aves Seleucides, quæ depascentium pestium greges *disperdunt; dum veniunt.* Omnino securus confido; in tam calamitosis emergentijs etiam ex vobis non defuturum; qui esset *in prima fronte currens, & adversa vulneribus pectora ferens, ne à* malignantibus *Imperatoris sui* Christi *signa vertantur.*

Baronius an. 386.

413. *Propter nomen meum.* Si quando res agitur de salute proximi, vel è peccatorum periculis subtrahendi, vel ad virtutum semitam dirigendi; omnino zelandum est ignitissimo Zelo, ut infernalis aucupis laquei dissolvantur, & proximi salus potenti sollicitudine fulciatur. In Seraphici nostri Legislatoris Sancti Francisci rebus gestis adducit Sanctus Bonaventura, quòd is *DEI Zelo ductus* sancito proposito secum statuerit, id solum fideliter aggredi & religiosè perficere, quod intellexerit DEO Optimo Maximo maximè placiturum. Interim gravi ponderatione movebatur sanctissimi Viri animus, quidnam secundùm DEUM magis expediret? an orationi vacare, vel proximorum saluti impendere Zelum? Et ne in tanti negotij momento proprij sensûs ageretur reus, primos suos zelosissimos Professores, & sanctam Virginem Claram ad familiarem conferentiam requisivit: in qua præliminaribus expositis,modestè ad quæstionis cardinem se demisit. [Ego quidem,ait humillimus,& Deo amicissimus Vir, ego omnino judico, longè consultissimum fore, ut orationis exercitio me prorsus adhibeam; quippe pro simplicitate & ignorantiâ meâ, longè promptiorem à DEO accepi gratiam ad precandum,quàm ad prædicandum. Ex precatione enim cælestium gratiarum & dulcedinum affluentiâ fruor; ex prædicatione autem nonnisi quorundam gratuitorum donorum largitione potior. In precatione affectus animæ cum suavissimo Deo dulcissimè conjunguntur; at verò ex prædicatione multa inducuntur, virium exhauritio, affectuum distractio, & religiosæ conversationis in-

Prædicatores quanti Zelo esse debeant.

In vita Sancti Francisci c. 12.

inquietudo. Sub pre[illegible] loquimur [illegible] Deo, & ex[illegible] Dei sermo[illegible] in [illegible], angelicam vitam [illegible], & conversatio nostra in cælis est: at verò sub prædica[illegible] cum hom[illegible] a[illegible] loquend[illegible] co[illegible], videndum, audiendum, tractandum & conversandum. [illegible] pro præ[illegible] digna[illegible], At verò sese pa[illegible] reflecte[illegible], pro Prædicat[illegible] sentieb[illegible]. [illegible] vel ma[illegible] considera[illegible], quod Vnigenitus Dei Filius pro nostram salutem de cælesti Patris [illegible] in te[illegible] descen[illegible], Mundum universum verbo & exemplo ad viam salutis & veritatis dirigeret; ut adeò rectè ab [illegible] præeminentia ad prædica[illegible], me etiam inclinari: quæ denique tanto magis [illegible] tioni [illegible] præf[illegible]da, quanto bonum p[illegible] ha quidem [illegible] S. Franc[illegible] u[illegible] pondet [illegible] Deum [illegible] mo[illegible] ne [illegible], atque eo dem[illegible] S[illegible] ed[illegible] præ[illegible] m[illegible] prædi[illegible] re [illegible] perc[illegible] El co[illegible] Apo st[illegible] Fra[illegible], ac p[illegible] ti [illegible] præ stu[illegible] p[illegible] ex p[illegible] ardentissime depravan[illegible] cul[illegible] & offensi[illegible] eo vita p[illegible] ; verbo *DI. SP[illegible] R[illegible] D[illegible] QUOCUNQUE P P[illegible]*

412. [illegible] quæ[illegible] [illegible] N[illegible] vid[illegible] v[illegible]s, hoc prol[illegible] [illegible] i[illegible] v[illegible] ad[illegible] [illegible] a[illegible] [illegible] um [illegible]rand[illegible]rum p[illegible] ad [illegible], a[illegible] M[illegible] [illegible] Mat[illegible], ad vicinos & [illegible] servos [illegible] Deu[illegible] commi[illegible]

d[illegible] proximo suo, & a[illegible] quoscunque a[illegible] li[illegible]s Sanctus Ber[illegible] [illegible] suas effi[illegible] hortationes. *Ferveat,* [illegible] *in nobis Zelus, ferveat amor justitiæ, odium iniquitatis nemo vitia palpet peccata dissimulet nemo: nemo dicat nunquid custos fratris mei sum ego?* Quando [illegible] Prælatus in suo Monasterio, aut De[illegible] Capitulo, advertit subintrare in re[illegible] moribus laxioribus ab[illegible], licentias prævalere & [illegible] [illegible] regulares ne[illegible]ligi, Cho[illegible] & A[illegible] functiones perfunctoriè exsolvi, dissolutiones [illegible] valescere; [illegible] *ferveat* [illegible] *lus!* Quando Mag[illegible] subd[illegible] suis observat scandala, in contra[illegible] [illegible], in mensurationibus dolos, in ponde[illegible]ibus d[illegible]minutiones, in vicinitatibus inimicitias, [illegible] officiis [illegible] in politijs confusiones, in rebus publicis neglectus, in legum observationibus despectus; [illegible] *ferveat Zelus!* Quando Paterfamilias aut Mater d[illegible] in ædibus [illegible] inter domesticos [illegible] Dei c[illegible] p[illegible] res turpes; turpi lo[illegible] fre[illegible] pe[illegible], pudicitiæ in[illegible] blasphemari Deum ac Divo[illegible] sacra quæ[illegible] unque diebus festivis & Dominicis liberos honestâ educatione destitui; fraud[illegible] us, lu[illegible] us, a[illegible] vitijs pleraque patêre tunc *ferveat Zelus:* Quando civ[illegible] quicunque spectat præsen[illegible] da[illegible] struantur [illegible] in rerum u[illegible] ensium contra[illegible] b[illegible] quam [illegible] tavescat communis, & impunis calumnia[illegible]di, ac conviciandi stylus; quàm liberè in matrimon[illegible] [illegible] sæviat concupiscentia; [illegible] turpi ex[illegible] passim profligatur modestia; quam in[illegible] offenso pede omnes [illegible] percurrat vitiositas; tunc [illegible] *eat Zelus* Quando famulus in ancilla subodorat levitatem ancilla in famulo perfidiam, filiusfamilias in sorore nocturnas evagationes, filia in fratre impuros amores; quando hi invicem notant in hero perjuria, in domina pr[illegible]acias, in fi[illegible]s malignitates, in fi[illegible] b[illegible] famulus super[illegible] a[illegible] ancillis turpia facta; tunc *ferveat Zelus* cum om[illegible] discre-

S. Bernard. [illegible] serm. [illegible] Nat. Joan. Bapt.

[illegible] prudentia & charitate! *Fervet amor justitiæ, odium iniquitatis [illegible] nemo vitia palpet, peccata dissimulet nemo; dicat nemo: numquid custos fratris mei sum ego.* Alioquin neglectis hisce Zeli stimulis [illegible] Doctor [illegible] bet [illegible] severiori oculo [illegible] aspicit. *Quomodo potest quis dicere, se Deum diligere, & ejus amorem appetere, qui ejus imaginem videt jacere in sterquilinio, & non curat. Quomodo credis te sponsi amicitiam habere, qui ejus sponsam ab adulterio non cu[illegible] aut eam festinanter ad sponsum non reduci[illegible]*

S. Bonaventura [illegible] de [illegible] amore, [illegible]

413. Interim tamen in moderamine Zeli magna omnibus adhibenda venit circumspectio, ne Zelus convertatur in iram, neque ira in furorem transeat. Omnino quicunque Zelus [illegible] dus est lenitate & rigore [illegible] sit ad re[illegible]ionem proximi ordinatus. Certe S. Benedictus informans Abbatem, [illegible] est [illegible] commendanda [illegible] mixtura hac lenitatis & rigoris. [illegible] præter cætera: [Abbas apostolicam debet illam semper formam servare, in qua dicitur: *Argue, obsecra, increpa.* Id est, miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta, [illegible] Magistri, [illegible] ostendat affectum. [illegible] [illegible]atos [illegible] debet durius arguere [illegible] autem & mites & patientes, ut in melius proficiant, obsecrare; negligentes autem & contemnentes, ut increpet & corripiat, admonemus.] S. Bonaventura, [illegible] vix [illegible] sertam Familiæ informatorem, aliquando [illegible] est [illegible] Ecclesia [illegible] aureo [illegible] de sex alis Seraphicis, quo [illegible] Regiminis [illegible] tur, [illegible] lenitatis & severitatis [illegible] Rectoribus [illegible] ad hoc, ut sint [illegible] tutionum veri Zelatores. [illegible] om[illegible] ex [illegible] Patribus [illegible] libro [illegible] pharetræ, [illegible] bonos & [illegible] Pastores. [illegible] vero [illegible] Pa[illegible] p[illegible] [illegible]

Zelus in corrigendo miscendus lenitate ac severitate; ubi de Zelatoribus ferocibus.

S. Benedictus c. 2. & 64. reg.

Guilielmus Parisiensis de morib. c. 8.

[illegible] nomine insigniri, quam sic declarari possit, justa reprehensio in [illegible] Perfectorum, qui [illegible], non [illegible] gant, [illegible] per prosopopœiam [illegible] lo, sic præter cætera loquitur. [illegible] Ministri mei sunt, qui [illegible] & [illegible] & volunt [illegible] ego Zelatores [illegible] nantur quidam, quorum totum studium & officium est [illegible] qui non deberent esse [illegible], ut essent [illegible] res ministris [illegible] rum, [illegible] talia exercerent, ubi [illegible] copia tormentorum; [illegible] nemo [illegible] de manu [illegible] quemq[illegible] piat, aut [illegible] resistat. Non [illegible] sagittarius ut Lamech [illegible] tenderet sagittare [illegible] in, & o[illegible] Hebræ[illegible] hoc fa[illegible] [illegible] Elias vi[illegible] del [illegible] homines [illegible] ceciderunt. Non sum [illegible] Medicus, [illegible] vel alias ægrotantibus [illegible] ægro [illegible] ostendere debeam, ipsos ægrotos [illegible] occidam; quod [illegible] exercere [illegible]. Sapientissimus [illegible] de[illegible] pe[illegible] sum, qui videns hominem [illegible] tortuositate serpentis & de[illegible] arreptum, [illegible] serpentem per[illegible] faucibus [illegible] apt[illegible] [illegible] è [illegible] [illegible], qui [illegible] ut [illegible] [illegible]

[illegible] [illegible] arborum nobili- um [illegible], hoc est, [illegible] sola- niæ [illegible] ab arboribus fru- [illegible], ut nec unam [illegible] relinque- rent, solas [illegible] spinas & tribulos dimit- tentes. [illegible] debilis modo [illegible]- di, sed [illegible] hortulanis.] [illegible] dit [illegible] Doctor omnino multa, quibus confirmat, nequaquam [illegible] esse [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], misericordiæ & prudentiæ re [illegible]sionis dulcore temperatam: sed aliud esse carnificinam, aliud [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] chirurgicam modestiam, & trucidan- tem insaniam; multum denique in- ter [illegible] [illegible] benignitate [illegible] [illegible] & [illegible] ex fine [illegible]- di ac [illegible] [illegible]tatem. Ex quo deprehenditur, frustra [illegible] ferocem præ[illegible] [illegible] [illegible] Zelo ab- blandiri. Re[illegible] [illegible] est Zelus, sed [illegible] [illegible] Gulielmum Pa- [illegible] [illegible] qui [illegible] hoc cam- po [illegible] [illegible]rit, & in has [illegible] appellat Zeli Simias invehitur po- tenter & copiose. Vere enim hujus- modi f[illegible]ces & [illegible]ces Zelatores, [illegible] [illegible] S[illegible] de Ave [illegible] unde veniunt & quo [illegible] recant, dum [illegible] rantur [illegible]m- ma[illegible] [illegible] [illegible]er[illegible]nt dum veniunt Ju[illegible] è in h[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]pe[illegible] [illegible] [illegible] s G[illegible]. [Vi[illegible], qui [illegible] [illegible] latore homines [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible]; [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] & d[illegible]- [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] & [illegible] d[illegible] [illegible] [illegible] f[illegible] [illegible] [illegible] c[illegible]e, [illegible] [illegible] de qua [illegible]4. De[illegible] [illegible] b[illegible] [illegible] [illegible] [illegible], & [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] spi[illegible]es [illegible]ga eis se [illegible]eant, sed h[illegible]es atro- ci[illegible]s, & perse[illegible] [illegible] [illegible]bili- [illegible]. Hujusmodi homines [illegible] exora- biles [illegible], & quantum in eis est, ju- d[illegible] [illegible] [illegible] eva[illegible] [illegible] dum [illegible] vindicare [illegible] v[illegible] [illegible]- tuntur. Si enim, ut ait Augustinus, omnia hic vindicarentur, locum di[illegible]- [illegible] [illegible] haberent. Non habe- ret ergo Deus aliquid facere in fu- turo [illegible], si potestas tanta daretur hic hujusmodi hominibus. Ipsa etiam of- ficia dæmonum, quæ sunt, torquere & cruciare, officiosissime implent hic hujusmodi homines. Unde & in ore eorum semper [illegible] vox diabolica: cruc[illegible]tatur, infundatur, deponatur, dec[illegible]tatur, eruatur. Potestas in mani- bus hominum hujusmodi gladius est proc[illegible] [illegible] [illegible] f[illegible]. Vi[illegible], aut nunquam de ore eorum audietur, emendetur, corrigatur.] Hæc de Se- [illegible], devorantibus Locustas; hæc de Zel[illegible], mach[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] culturas, [illegible] ter sint dicta. Vos is, Auditores, tales hodie ve[illegible] comparari animes, ut cum SS. Apostolis Simone & Juda [illegible] tam cor- datis exardescatis Z[illegible]s, quibus propter Nomen Domini glori[illegible]simum, & [illegible] Ecclesiam [illegible] ejus & propter [illegible] D[illegible] [illegible]r- veat [illegible] [illegible] penetret, accendat, exu- [illegible] [illegible] [illegible] c[illegible]es re[illegible]at blasphemantes Nomen Domini; [illegible]r- veat amor Justitiæ, ut nec Deo, nec proximo, nec Ecclesiæ quidquam sub- trahatur Boni; fervcat [illegible]m iniqui- tate[illegible] [illegible] [illegible]s: Exurgat DEUS, Psal. 67. v. 2. & [illegible] [illegible]entur inimici ejus: & fugiant, qui oderunt eum, a facie ejus. Sicut de- [illegible] [illegible]mus, deficiant: sicut [illegible] cera a facie ignis, [illegible] per[illegible]ant peccatores à facie Dei!

A M E N.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

LUCTUOSÆ DIOMEDIS AVES.

Die klägliche Trawr Schwannen deß Diomedis.

LEMMA.

Abluimur, non obruimur.

THEMA.

Miseremini mei, Miseremini mei, [illegible] Amici mei; quia manus Domini tetigit me. Job. 19. v. 21.

SYNOPSIS CONCIONIS CII.

Deplorabilis Animarum in Purgatorio [illegible] per luctuosas Diomedis Aves, ita penetra[illegible] & [illegible] ponitur, ut quivis [illegible] commiserationis suæ viscera aperiat, quo citius & [illegible], pientissimâ suffragiorum liberalitate ad felici[illegible] Omnium Sanctorum consortia subleventur.

414. Animarum ad cælestem libertatem adipiscendam [illegible] bullisaria.

Ab[illegible] [illegible]ularum caveis [illegible] genius [illegible] [illegible]dum in [illegible] natæ, [illegible] quin [illegible] ex[illegible] [illegible]; & [illegible] in cælum evolare con[illegible] [illegible] statim suppe[illegible], & viridibus [illegible] teg[illegible] sylvam [illegible]es. Aves [illegible]pe sunt ci[illegible]es & [illegible] ipsa aeris [illegible], ut ali[illegible] a Domino vocantur *v[illegible]lu re[illegible]*, non terræ [illegible] a[illegible]arum. R[illegible] [illegible] c[illegible] A[illegible] P[illegible] q[illegible] [illegible] MIT [illegible] [illegible]

Holcot in lib. Sap. lect. 144.

ad [illegible] *quomodo* [illegible] *mini in terra* [illegible] ex[illegible] corporis [illegible] [illegible] ex[illegible] [illegible]

ideo *cœli Suspex* cognominatus, quòd jugiter oculis ac mente fixus in cælo hæreret: adspirabat Doctor Gentium S. Paulus, illud tam instans desiderium exprimens suæ dissolutionis à corpore, & conjunctionis cum Christo obtinendæ: adspirabat virgineus Evangelista S. Joannes, qui senio jam confectus suam admirabilem Apocalypsin claudebat his verbis: *Veni Domine Jesu!* Et quis ignorat, etiam Animas in Purgatorio detentas, & piacularibus cruciatibus conclusas summè adspirare ad libertatem cælestem; easque ad Deum *gemere, donec dimittat?* Princeps Radsivilius in sua peregrinatione Jerosolymitana recenset; quòd, cùm discessisset Cæsareâ Philippi, & in quodam Turcico Monasterio, Tykiz dicto, divertisset, viderit Turcicum Monachum quinque virides aviculas è caveâ suâ in libertatem vindicare, ac ultrò in aërem dimittere, & sic agendo aliquid clam secum mussitare: percontanti autem Radsivilio Polono, quid rerum mussitando intenderet Monachus, reposuisse Turcam, *se id pro animabus suorum propinquorum facere, quòd crederet, merito hujus boni operis illas non nihil sublevari.* Ita certe vel ipsi Turcæ aliquam tribuunt Purgatorio fidem, ex quo suorum propinquorum animas sublevare conantur. Nec videtur alia subesse ratio, cur summus Pontifex inter cæremonias in Canonizatione alicujus Sancti adhiberi solitas, etiam cum alijs aureis & argenteis muneribus accipiat in altari oblatum pulcherrimum Ornithotrophium, diversis & rarissimis aviculis intus donatum; nisi ad significandam libertatem cælestem, in quam noviter canonizati Sancti anima fuerit per mortem vindicata, & inter beatissimos cæli Volucres à Deo assumpta atque annumerata. Quandoquidem *unus est omnium introitus ad vitam, & similis exitus;* ad vitam, inquam, æternam, in quam nihil coinquinatum intrabit; sed quorquot intrabunt, puri, mundi, loti, purgati, expiati, ab omni sorde immunes esse debebunt: hinc operæ pretium erit, in hodierna Omnium Sanctorum solemnitate hunc ad vitam æternam, ac beatissimæ libertatis emporium, simillimum Omnium Sanctorum introitum atque exitum ita exhibere, ut omnibus appareat, quanto desiderio ad Beatorum gaudia anhelent Animæ Purgatorij; & quibus hoc desiderium auxilijs sit à nobis fulciendum. Præstabunt autem præ cæteris Diomedis Aves promptam materiam, de pœnis & remedijs Purgatorij accuratiùs tractandi, & propositum objectum affectuosiùs prosequendi in nomine JESU, qui est Corona Sanctorum Omnium.

Radsivilius in pereg. Jerosol. Ep. 2.

Sap. 7. v. 6.

Diomedes Rex Ætoliæ, Tydei & Deiphilis filius, ab antiquis Poëtis & Historicis, præsertim Homero in Iliade commendatus, sui nominis ac famæ gloriam posteritati ubique inspersit. Inter generosissima ejus facta numeratur, quòd cum lectissima Græciæ pubertate contra regiam & munitissimam Trojam arma sumendo, bellum promoverit: in quo quidem tot heroicarum virtutum ac facinorum militarium laureas reportavit, ut cum Achille & Ajace inter fortissimos numeraretur. In illo pertinaci, ac plurimis annis ardente bello, aliquot reges propriâ ipse manu confecit; cum invictissimis heroibus Hectore & Ænea singulare certamen commisit; nonnullos Trojanos Principes in prælio extinxit; Rhæso Thraciæ regi, in auxilium Trojanorum properanti, vitam & exercitum abripuit: & quod laminis æneis inferendum, ipse unàcum Vlysse per subterraneos cuniculos obsessam Trojam intravit, atque è fano Minervæ statuam subtraxit; de qua tamen Trojani oraculo edocti erant, non debellandam ab hostibus Trojam, quàm diu Minerva Dea in civitatis umbilico esset permansura. Dimissis quibuscunque vel Poëtarum fabulis, vel historicorum narrationibus, illud duntaxat memorandum, quòd Diomedes in quadam Insulâ, haud procul ab Apulia distante, & sibi à Dauno rege donatâ, ubi & Adriam civitatem condidit, & alia plura memorabilia præstitit, fuerit mortuus ac mausoleo conditus; à cujus deposito funere

4153 *Diomedis historia summarim adducta.*

funere illa Insula sit Diomedis appellata. Quia verò in illa Insula insolitæ raritatis aves nascuntur, quæ nullo alio loco habitare nôrunt: Poëtæ finxerunt, milites Diomedis socios, post sui ducis obitum, ex luctu fuisse in hujusce nominis aves conversos. Quidquid vel Solinus in Polyhistoria, vel Plinius in suis libris, vel Aristoteles de mirabilium auscultatione, vel Albertus Magnus in libro animalium, de hisce Diomedis avibus opinati fuerint: placet S. Augustini sententiam accipere, asserentis, hanc militum Diomedis in Aves metamorphosin sic contigisse. Cùm enim ille exercitus Diomedem Regem pro DEO suo coleret, ejusque sepulchrum in Mari Adriatico conditum magnificentissimo Mausoleo cingeret; Deus Altissimus justissimè permisit, ut omnes illi milites à diabolis in tartarum abriperentur, eorum verò loco incognitæ speciei Aves ex remotissimis orbis plagis in eam Insulam advolarent. Et addit S. Augustinus, ex Divinâ permissione contigisse, quòd hujusmodi Aves, dæmonibus sic eas dirigentibus, quotidie semel in mare Adriaticum provolantes, extremitates alarum undis benè madidè tinxerint, & capacioribus suis rostris aquas Adriaticas hauserint; tum verò protinus ad Diomedis sepulchrum redierint, illúdque undis alarum extremitate, ac rostrorum cavitate haustis, circumvolando conspersérint. Quando ratibus suis appellebant in Insulâ Græci, mirum est, quantâ gratiositate & lætitiæ argumentis hæ Aves Græcos exceperint, circa eos volando, ac jucundiùs blandiendo: at verò quando quicunque Alienigenæ, non Græci, advenerint, totâ acie, *rostris & unguibus aquè*, illos in vadebant, ac dirissimè persequebantur, quousque eos vel occiderent, vel ex Insula ejicerent repellendo. Opportuno hoc rem dio a dæmonibus inducebātur Græci ad cultum Idololatreuticum Diomedi exhibendum; quem viderant, tanto Avium prodigio celebrari. Ita fermè Augustinus.

S. Augustinus l. 18 de civit. Dei. c. 16. & 18.

416. Purgatorij Jam videndum, quid nobis mysterij sub hujusmodi Diomedis Avibus lateat; quas Suidas à Ciconijs, Gaza Aristotelis interpres ab Ardeis, Plinius à Mergis aut Anseribus nivalibus, Ovidius & Albertus à Cygnis, nihil aiunt differre. Unde & ipsis adscribo, quod ingeniosè de Cygno nonnemo cecinit.

veritas & existencia probatur.

ABLUOR ex vitreis latus, NON OBRUOR undis;
Gaudet & à tanto remige lympha premi.

Et facilè ad Animas Purgatorij abluendas referri potest, quod Rupertus Abbas in communi de Divinâ ira ad mundandas animas ex Oseæ comminatione inducit. *Effundam* inquit, *sicut aquam iram meam: quia sicut aqua corporis sordes eluit; ita divina ira, varijs laboribus justos exercens, animarum maculas expiat.* Primò quidem dum hujusmodi Aves terrarum nusquam inveniantur, nisi in solâ Diomedis Insulâ, Mari Adriatico cinctâ; ubi duntaxat nidificant, nec foras exeunt, nec in terras alienigenarum transeunt: reflecto me unàcum S. Romanâ Ecclesiâ, præsertim in S. Augustini Enchiridio, ad illud medium terrestris globi concavum; ubi per communem Dei Providentiam excorporati illi Spiritus coërcentur, qui quasi *in medio* Beatorum cæli Incolarum, & damnatorum Inferni Animarum detenti, vel peccata venialia nullo pœnitentiæ actu expiata, vel etiam peccata mortalia, quoad reatum culpæ quidem per pœnitentiam deleta, quoad reatum verò pœnæ à Divina Justitia reservata, usque ad ultimum teruntium exsolvunt: siquidem nihil coinquinatum intret in regnum cælorum, & æterni DEI Filius eligat sibi Sponsam sine macula, & sine ruga. Porro hæc Diomedis Insula, hoc medium terræ concavum, locus est remotus ab omni consolatione, plenus tremoris & iræ DEI, incolis squallidus, tortoribus infestus; & ut cum Hussæo vate loquar, *terra tenebrosa, & operta mortis caligine; terra miseriæ & tenebrarum: ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Carcer ille subterraneus, communi sensu PURGATORIUM nun-

Rupertus sup. Osea. 3. v. 12.

S. Augustinus in Enchiridio c. 109.

Iob. 10. v. 21.

nuncupatus, & cribrum tenuissimum, quo selectissima à grossioribus separantur: ventilabrum, quod paleas à tritico secernit: fornax calidissima, in qua pretiosum aurum à scoriâ expurgatur: lapis lydius, quo metalla ingenua probantur, & distinguuntur ab adulteris. Apage cum Waldensibus, Albigensibus, Lutheranis, Anabaptistis, Calvinianis & hujusmodi vafertimis Sectarijs, locum Purgatorij ab hujus Vniversi centro & circumferentiâ exscindentibus, ut tantò liberiùs possint carnis desideria perficere, & excisso divinæ castigationis metu, in suis sordibus ad cælos evolare! Enimverò si rationes Theologicas, tam ineluctabilibus argumentis fundatas, ultrò dimittamus; si Sanctorum Patrum irrefragabiles authoritates taciturnâ reverentiâ prætereamus; si etiam tam manifestas, & iñumeras apparitionum ac conjurationum experientias improbè reijciamus: tam luculenti extant Sacræ Scripturæ textus, quibus hujus dogmatis de Purgatorij existentia veritas adstruitur, ut videatur cum obdurato & excæcato Pharaone in tenebris palpitare, quisquis Purgatorij flammas renuit profiteri. Vt enim firma subsistat illa Machabæorum religio, qua pro defunctorum Fidelium animabus hostias, sacrificia, & orationes offerebat fortissimus Judas; misit is duodecim millia drachmas argenti Jerosolymam, *offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene & religiosè de Resurrectione cogitans.* (2. Machab. 12. v. 43.) Argumenta autem, quibus hæc pro mortuis oblatio fulciatur, omnino adducit efficacia duo: *nisi enim*, inquit Canonica Historia, *eos qui ecciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum, orare pro mortuis.* Deinde addit: *& quia considerabat, quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam.* Tandem manifestam inducit ex hujusmodi principijs consequentiam: *Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* Ita quidem antiqua illa veteris Testamenti credebat Ecclesia: ita pro defunctis exorabat; non pro damnatis, quos noverat Divinæ Misericordiæ incapaces; nec pro repositis in sinu Abrahæ, hoc est, in Limbo, qui per promissi Messiæ adventum essent educendi ad æternæ vitæ jubar: adeóque pro illis, qui piacularibus flammis purgandi, per orationes & sacrificia erant ex purgatorio ad Limbum Patrum extrahendi. Jam moderna Novi Testamenti Ecclesia quid aliud profiteatur, quàm Purgatorium; quod à Christo tot oraculis fuit demonstratum apud Evangelistas? Manifesta extat Christi contestatio apud Matthæum: *Qui autem dixerit verbum injurium & blasphemum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* (Matth. 12. v. 32.) Vbi SS. PP. Augustinus, Gregorius, Isidorus, Bernardus, & alij apud Bellarminum, evincunt dari purgatorium post hanc vitam: (Bellarminus l. 1. de purgat. c. 4.) vanum enim & otiosum esset dicere, *non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro*, si in futuro nullum peccatum remittitur: expiantur autem ordinariè peccata mortalia in purgatorio quoad pœnam duntaxat, venialia verò quoad culpam & pœnam simul. Et licet hîc Marcus absolutè dicat, *non habebit remissionem in æternum*; (Marci 3. v. 29.) Matthæus tamen disertè & expressè explicat, dividitque æternum in duas partes, scilicet in præsens sæculum & futurum. Asseverat alio loco Christus, ut quisque citò cum suo adversario conveniat; ne alioquin adversarius eum tradat Judici, Judex ministro, minister carceri. Et quid inde? *Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* (Matth. 5. v. 26.) Vbi per quadrantem, minimi pretij nummum, indicatur omne iræ culpæque debitum etiam minimum, rigidè usque ad ultimum obolum cuique luendum & persolvendum esse post hanc vitam, sive in purgatorio, sive in inferno: utrobique enim est locus justitiæ, non misericordiæ; ideóque in hac vitâ, ubi misericordiæ condonationi & compositioni datur locus, transigendum esse cum adversario, illo scilicet, quem verbo aut opere

Cornelius à [illegible] relatum. læsimus. Hinc historiæ ferunt, quendam famulum vitâ functum suo hero apparuisse, & cùm ab eo de suo statu ac loco rogaretur, respondisse: *Eo loci sum, ubi omne debitum exactè rigidéque computatur, & ne vel hilum condonatur.* De quodam Religioso

Jacobus de Paradiso l. de peccatis mental. criminal. narrar Jacobus de Paradiso, Doctor Carthusianus, quòd vitâ functus, veste vili, mœstoque vultu, apparuerit amicissimo socio, & dixerit: *Nemo credit, nemo credit, nemo credit, quàm districtè judicat DEUS, & quàm severè punit.* Quid? quòd toties inculcavit Christus, nihil inquinatum intrare in regnum cælorum? hominem non indutum veste nuptiali, excludi à cælestibus nuptijs? triticum colligi fasciculis in horreum, zizania verò deputari ad comburendum? Quid aliud hujusmodi parabolis significatur, quàm puritas animæ ad cælestem beatitudinem capessendam requisita? Absit hinc Origenes, antiquissimus Pater, in plerisque sanus, in paucis rejectus, lapsis omnibus pœnitentiam, veniam, & salutem post hanc vitam concedens; quando nempe post magnum Platonis annum omnia restituenda sunt in integrum, ut & Judas salvetur, & Lucifer cum diabolis & damnatis cælo restituatur: hujusmodi enim revolutos Platonicos annos pro figmento explodit Ecclesia, dum Animas piaculares suis suffragijs è Purgatorij pœnis exsolvit. Minùs toleranda venit execranda Calvini

Calvinus l. 3. Instit. c. 5. temeritas, profitentis quidem jam mille trecentenis annis ab Ecclesiâ Catholicâ pro Defunctorum Animabus in Purgatorio preces fundi, ipsum tamen Purgatorium convitiantis esse *exitiale commentum Sathanæ.* Quasi nempe à tot centenis annis Ecclesia, quæ est columna & firmamentum veritatis, atque unanimis Sanctorum Patrum acceptatio in Purgatorij fide fuissent hallucinatæ, & solus Calvinus eandem acuto prendidisset naso.

417. Pœna sensûs & damni apud animas Purgatorij. Ad Diomedis Aves mea redit affectio; quæ quidem toto candescunt corpore, sed verò ex oculis scintillas & flammas spirant: quisquis in eas figit obtutum, animo corripitur, & ex earum oculis latentem arguit ardorem. Ita profectò: Animæ piaculares candido Divinæ gratiæ atque amicitiæ indumento condecorantur, non sunt ab irâ furoris Domini æternùm rejectæ, conteguntur pallio renovatæ innocentiæ, candore sanctitatis clarescunt: at verò ex scintillantibus oculis latens adverto vivicomburium, quod PARTURIENTE ROGO illos sustinet ardores, quos Sanctus Hieronymus expressit, explicando primum Ezechielis caput.

S. Hieronymus. *Habes carbones ignis (& aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, dicebat Propheta) sedebis super eos: hi erunt tibi in adjutorium*: pœnæ, inquam, illæ, quibus in purgatorio usque ad ultimi debiti exsolutionem Animæ discruciantur, eâ intensione, quâ Sanctus Anselmus ait:

S. Anselmus in Elucidario. *Minimum purgatorij majus est, quàm quodcunque maximum, quod in hâc vitâ excogitari potest.* Et quidem duplici pœnâ hi spiritus miserrimi affliguntur, *sensûs* scilicet ac *damni*. Quantùm ad *pœnam sensûs* attinet, eùm ea in physica actione ignis ad animam divinâ dispensatione consistat; statuite vobis singulos dolores, tormenta, tyrannides, crudelitates & mortes, acutissimos insuper gladios, catastas, rotas, scorpiones, forcipes, nervos, ignes & acies, & sexcenta hujusmodi dolorosæ sensationis instrumenta, quibus mortales à mundo condito usque ad extremum diem dirissimè subjacendo squallebunt: horum tamen cruciatuum comparatione longè acerbior sentitur *pœna sensûs* in purgatorio. Nam *minimum purgatorij majus est, quàm quodcunque maximum, quod in hac vitâ excogitari potest.* Neque hoc mirabile cuipiam videatur, aut dictu incredibile: nam, sic argumentante Sancto Augustino, si quodlibet minimum peccatum mortale in genere suo intensivè longè majus

S. Augustinus. sit malum, quàm malum cujuscunque sensibilis doloris in omni genere possit comparari; consequenter

pro-

proportionata cuilibet peccato, etiam minimo mortali, pœna major atque intensivè acerbior erit, quàm pœna qualiscunque temporalis hujus vitæ: cùm ob proportionem peccati infinitè mali, Deóq; oppositi, ad pœnam convenientem tam directa ducat consequentia, ut à pœna infernali (à qua piacularis quoad substantiam non differt) ad omnium temporalium pœnarum congeriem quasi summa differentia, velut guttulæ ad maris abyssum aut econtra, debeat inferri. Ac proinde, sicut Psalmista celebrat superabundantiam Divinæ Præmiationis, *melior est dies una in atrijs tuis*, præsertim cæiestib⁹ coram Throno supremæ tuæ Majestatis, *super millia*; ita S. Cyrillus Alexandrinus arguitivè sibi persuadet ex dictis motivis, quòd *mallet quilibet viventium usque in finem mundi omnibus simul excruciari pœnis, quas homines ab Adam hucusque tulerunt, quàm uno solo momento in purgatorio commorari.* Nec minor agitur ratio *Pœnæ damni*, quæ in Summi & Infiniti, atque ab immortalis animæ capacitate perfruibilis Boni, hoc est, DEI privatione consistit. Prout enim Doctores Scholastici cum Angelico Sancto Thoma argumentantur, mensura tristitiæ atque internæ calamitatis, depromi debet à magnitudine illius Boni, quod vel perdidimus, vel non possidemus, sed quærendo desideramus. Quantùm ex jacturâ thesauri, ex amici morte, ex filiorum abreptione, ex honorum & voluptatum damnificatione non affligimur? quantùm non dolemus? At verò illa beatifica Divini Numinis fruitio, quâ Animæ in Purgatorio usque ad plenissimam satisfactionem privantur, tantæ est satietatis & eminentissimæ perfectionis, ut, si vel unico momento persentiretur, omnem prorsus temporalium voluptatum & bonorum congeriem plenissimè superaret; cùm ab infinito Bono objectivè ejusq; momentaneâ possessione, ad bonum caducum ac temporale objectivè ejúsque possessionem temporalem, nulla possit proportio subinferri; & consequenter *pœna damni*, seu privatio summi Boni etiam uni-co momento illata, objectivè & appretiativè longè major, longe est immortali animæ acerbior, quàm privatio, jactura, & damnificatio cujuscunque boni temporalis usque ad finem Mundi objectivè. Et quia Anima corpore soluta, ex primâ sui conditione in hac Infiniti Boni fruitione vult quiescere, ac satiari; hinc tantò graviùs affligitur, quantò diutiùs ab ejusce Boni beatifica comprehensione elongatur. *Nemo* enim, ut scitè loquitur Gilbertus super Cantica, *quod ardenter quærit, non anxiè caret, tantòque cumulatiore angustiâ, si vicinâ spe jámque apprehensurâ fraudatur.* Pernicior certè ab arcu emittitur sagitta, quàm in aëre transvolat columba; lapis de sublimi cadens ad centrum velocissimè properat; & globus è bellico tormento emissus, juxta Tympij Alcedonij observantiam, unico quasi momento tria penetrat milliaria: si tamen his vel à naturâ, vel ab impetu acceleratis mobilibus ponatur obex, quàm violenter frangitur sagitta, dissilit lapis, rejicitur globus? Non tam festinè flamma ascendit sursum, nec grave deorsum premitur, quàm naturaliter anima immortalis, post dimissas corporis exuvias, si in statu gratiæ sanctificantis ex hac corruptibili decedit vitâ, desiderat in cælestes Divini sui Sponsi amplexus ruere, in hæreditatem Domini introire, & satiari bonis beatificis suæ capacitati correspondentibus. Et verò quantâ cũ afflictione & pœnâ hæc elongata Christi Sponsa, hic piacularis spiritus, hæc anima miserrima, privabitur illa cælesti fælicitate, ac Deiformi satietate? quousque in tenebroso carcere inter flammarum volvines coërcebitur? quousque flagrabit desiderio, ac flammis acerrimis purgabitur? *Nemo quod ardenter quærit, non anxiè caret, tantòque cumulatiore angustiâ, si vicinâ spe jámque apprehensurâ fraudatur.*

Psal. 83. v. 11.

S. Cyrillus Alexandrinus.

S. Thomas in 4. dist. 21. q. 1. art. 1.

Gilbertus in 4. Cant.

438. Loetusbcea-pcivitas purgatorij quanti supplicij.

Præterea, quòd ab alijs etiam maximis volucribus noscitur alienum, Diomedis Aves dum nidum suum fabricant, rostris terram effodiunt, fos-

fossas excavant, & strue lignorum orificium ad instar cratis muniunt; tum superinjectis terræ glebis, duas portas efficiunt; quarum unâ ad ortum Solis dispositâ pro egressu, alterâ ad occasum pro reditu & invehendis pabulis utuntur. Et quid hoc mortale nostrum corpus penitius inspectum præsefert aliud, quam scrobem terream, ossibus, nervis & carnibus, hoc est, terræ glebis coopertam; in qua velut in nido suo anima nostra immortalis fœtificat, quousque dissipetur nidus, & naturali vel violentâ morte ex hoc domicilio exturbetur: ubi *unus est omnium introitus ad vitam, & similis exitus*: introitus ab ortu Solis, omnia suo accessu vivificantis; exitus ab occasu Solis, omnia suo recessu obscurantis. Ab hinc expulsa *Anima* nisi immediatè inter beatas cæli volucres, hoc est, felicissima cælestium spirituum *agmina* suscipiatur; certò certiùs vel damnatorum carceribus æternaliter mancipatur, ut malè usurpata *LIBERTAS* ipsi redundet *IN* perennem & miserabilem *SERVITUTEM*; vel Purgatorij caveâ includitur, ut ipsi bene tolerata *CAPTIVITAS* cedat *IN* delectabilem & gloriosam *LIBERTATEM*. In hoc Purgatorij cruciamento tam diu concluduntur Animæ miserandæ, quousque orientis Solis momentum subintroëat, & Divinæ acceptationis *aurea hora* annuntiet libertatem: quâ donatæ è profundo in cælum evolent ad quærendum Angelorum pabulum, & ad cæleste Beatorum consortium eleventur. Hic squallent in abysso, hîc cruciantur Animæ in Purgatorio, quousque vel pœnatum perpessione immunes evadant, vel Fidelium suffragijs adjutæ liberentur. Jam pensate, Auditores, quanta sit pœna, hoc squallidissimo carcere detineri? Enim verò illustri aut ingenuæ Personæ intolerabile accidit, subitò à selectissimis amicis sequestrari, & manibus ad tergum ligatis in tenebras exteriores projici. Illustri animo tam pretiosa servatur libertas, ut malit præmaturâ morte mulctari, quàm ignavâ servitute constringi. Maluit Cato, à motum ingenuitate passim commendatus, caput parieti impingere, & pugione sibi vitam perfodere, ut violentâ manu contra invasorem viam libertati panderet. Parum fuerat Hegesistrato, compedes de cruribus solvere, nisi etiam abscisso pede heroicum saltum tentâsset, & de sublimiori carcere præceps, sese in libertatem vindicâsset. Dandalus, Venetorum Dux, devictâ suâ classe cùm proprium suum & patriæ exitium conspiceret, maluit caput puppi graviter conquassandum impingere, & probrosâ morte dejecti animi sibi notam inferre, quàm captivus Genuæ victoriosæ in triumpho exhiberi. Cleopatra illa Amazonum princeps maluit serpentino morsu attrahere venenum, eóque petire quàm hostium vinculis & carceribus detineri. Arduæ & ingenuæ mentes, dum Barbarorum servituti, etiam tolerabili, mancipantur, potiùs mori seligunt, quàm vivere in captivitate: & quibusdam gentibus tam probrosum est, vel semel fuisse carcere castigatum, ut ad capessendam Regni coronam exinde evaserint irregulares. *Videmus*, inquit S. Ambrosius, *in hoc sæculo, insertos nexibus catenarum reos, quibus tolerabiliùs sit mori, quàm talia subire supplicia*. Vos, ô vos immortales nobilissimæ Animæ, ad cæli libertatem creatæ, ad imaginem Dei formatæ, ex illo Divinæ Essentiæ Abysso promanantes, Spiritibus Angelicis paulò minùs perfectæ! quanta vobis sit calamitas, mortes quaslibet & tormenta superans, ab Ecclesiâ militante esse abscissas, & à triumphante impeditas, profundo hoc ac tenebricoso, squallido & terribili Purgatorij carcere custodiri? eo quidem quantocyus momento, quo corruptibilibus corporis exuvijs, velut Aviculæ caveis exsolutæ, vobis videbamini in libertatem evolâsse, ut pro labore requiem, pro operâ mercedem, pro negotio lucrum, pro certamine coronam, & pro agone palmam reportaretis? O quantum supplicium ingenuis Spiritibus, hoc Purgatorij carcere mulctari, ubi post exantlatos labores rependuntur inquietudines! ubi post emen-

Plutarchus in Catone.

S. Ambrosius in psal. 118.

emensa hujus vitæ naufragæ pericula, ejiciuntur navigantes in portum miseriarum! ubi post devictos tortuosissimos hostes non canitur triumphus, sed fletus & stridor dentium! ubi post viriliter absolutum vitæ cursum rependuntur supplicia & tormenta! O quanto agitabuntur desiderio, quo æstuabunt affectu, ut tandem hoc ardentissimum *AGITATIONE PURGETUR* mare; & ipsæ vel cum devorato Jona ejiciantur ad ripas Paradisi, vel cum innocentissimo Josepho educantur ex hoc Ægyptiaco carcere, & restituantur in gradum, suæ nobilitati ac virtuti commensuratum! Memorabile est, simul & terribile, quod S. Birgitta refert, in Purgatorio tertium & superiorem esse locum; ubi nulla alia est pœna, nisi desiderium perveniendi ad Deum, ejusque beatificam visionem: Ibi autem hoc desiderio torqueri eos, qui, dum viverent, perfectè non desiderabant ad Dei pervenire præsentiam, ejusque visione frui. Est enim quædam indignitas, & quasi tantæ visionis & gloriæ Dei vilipensio, quòd à Fidelibus ardenter non desideretur; ac signum, quòd ejus opes & gaudia non satis considerent, ponderent & penetrent, uti par erat. Similem locum in Purgatorio adducunt S. Gregorius, Beda, Dionysius Carthusianus, & Bellarminus. Hæc quidem de speciali supplicio ijs imposito, qui in vitâ sua non desiderabant dissolvi, & esse cum Christo; prout revera incomparabilis ijs est afflictio, hoc desiderio ardentissimo inter piacularia supplicia teneri, & à desideratissimo Christo elongari. At verò commune omnibus Animabus in Purgatorio desiderium augetur ad afflictionem, quo summè ardent liberari, & ex hoc squallidissimo carcere educi ad vitæ jubar. O quoties nunc gemendo ac lachrymando exprimunt affectus, quos S. Bernardus ingeminabat jubilando!

S. Birgitta in l. 4. Revel. c. 7.

S. Gregorius l. 4. dial. c. 16. Beda. l. 5. hist. c. 12. Bellarminus. l. 2. de purg. c. 6.

Desidero te millies,
Mi Jesu, quando venies?
Me lætum quando facies?
Me de te quando saties?

Ne ad hunc barathri locum demergaris, vive, O Anima fidelis, tuo Christo, non mundo; vive spiritui, non carni; vive cælo, non gehennæ; vive non tempori, sed æternitati.

419. Insuper Avibus Diomedis familiare esse diximus, ut patriotas Græcos humaniter salutarent, & varijs amicitiæ ostensionibus prosequerentur; *vocem edentes similem pueris vagientibus*, ut ait Plinius, & lamentabili quodam clamore eos circumvolantes. Nunquid sciris, afflictas Animas in Purgatorio amantissimos suos Patriotas agnoscere? Nunquid tui venerabiles Parentes, tui dulcissimi germani Fratres, tui fidelissimi Amici, tui cordialissimi propinqui & noti, spei suæ anchoram in te figunt ut filium, germanum, contoralem, consanguineũ, propinquum & adjutorem, lamentabili illâ voce inclamantes: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos Amici mei; quia manus Domini tetigit me*, rigorosâ censurâ, & justissimâ suâ castigatione. Clamat ad vos, ô Parentes, sanguis filiorum; clamat, ô filij, pietas Parentum; clamat, ô socij, vicissitudo contubernalium; clamat, ô conjuges, conthoralium fides; clamat, ô Fideles, miseria purgandorum: *Educ de custodia animam meam.* Educ, eleemosynis pro me liberaliter in pauperes dispensatis; educ, orationibus ferventer pro me fusis; educ, psalmodijs lugubriter pro me decantatis; educ, pœnitentijs & mortificationibus patienter pro me supportatis; educ, ornamentis in Ecclesiæ vestitum comparatis; educ, anniversarijs religiosè pro me fundatis; educ, sacrificijs efficaciter pro me celebratis; educ, panum oblationibus vinique libationibus largiter pro me præsentatis; educ, luminaribus ardenter pro me succensis: & si Avium Diomedis naturam imitaris, intinge alarum extremitates undis Adriaticis, affunde rostro aquas piaculares ad sepulchrum, benedicto fonte consperge funus, tumulum, & ossa mea; atque sic benè precando *educ de custodia animam meam*, de tenebris in lucem, de captivitate in libertatem, de

Remedium juvandi animas in Purgatorio.

Iob. 19. v. 21.

Psal. 141. v. 8.

carcere in palatium, de infimo terræ ad supremum cæli, de statu miseriæ in portum felicitatis æternæ. Referunt Serenissimorum ac Potentissimorum nostrorum Ducum, ac Regum Bavariæ Annales; quòd anno reparatæ salutis 874. cùm Ludovicus Rex Bavariæ Quadragesimale tempus in Gallijs impenderet Deo, & sepositis paulisper regni negotijs inter spiritualia exercitia suum spiritum sciperet, eidem aliquando nocturnas vigilias in pijs meditationibus protrahenti, anima defuncti sui Progenitoris Ludovici Imperatoris, cognomento *Pij*, præsentem sese exhibuerit; & quidem lamentabili aspectu videndam, flammis immersam, atque perenni vivicomburio squallentem: quæ insuper artubus ad dolores, voce ad gemitus, oculis ad lachrymas, obtutu ad terrorem, ore ad lamenta & ejulatus compositis, filium Ludovicum sic alloquebatur. *Adjuro te per Dominum nostrum Jesum Christum, & per Triunam Maiestatem Dei, ut me educas de his pœnis, quibus discrucior, ut tandem æterna vita particeps evadam.* Erat hæc vox longè tristior, quàm Avium Diomedis vagitus; erat vox conterens petras, & confringens cedros: erat vox concutientis desertum, & revelantis condensa; desertum adjutorij, condensa tenebrarum: erat vox filij Regis medullas exsiccans, vox proriens à pientissimo Ludovico, Imperatore religiosissimo, justitiæ & misericordiæ maximo zelatore, virtutum omnium tersissimo speculo, Viro integerrimo; quem divinorum judiciorum Abyssus jam à triginta quatuor annis, in loco horroris & vastæ solitudinis detinuit ad expiandas culpas, & pœnarum residuos reatus. Apparatio tam lachrymosa, & ex adjunctis tam tremenda, Ludovicum filium, cognomento *Boium*, ad tantam támque piam commiserationem permovit, ut per universum regnum ad singula Monasteria, Ecclesias, Canonicatus & Clericorum Collegia expediret literas supplices, munera magnifica, largitiones liberales, quibus omnium preces & sacrificia in defuncti Parentis suffragium, è Purgatorij flammis liberandi ferendum colligeret. Erat nempe hæc apparitio fixura quædam profundissima cordis, & medullarum, quâ Potentissimus ille Ludovicus, paternorum regnorum multâ parte hæres, sese reflecteret, quàm facilè Pauperes à Deo misericordiam impetrarent; *Potentes* verò propter quoscunque suos facillimos næ vos *potenter* à Justissimo vindice *tormenta patiantur*. Hinc miseranda omnium, quorum Animæ in Purgatorij pœnis exscoriantur, DONEC PURUM ac nitidissimum fulgorem projiciant, cum profusissimo gemitu vox eò collimat, quod S. Augustinus in suis Soliloquijs affectuosissimè expressit. *O dies praclara, in qua audiam; intra in gaudium Domini tui! Quid est, quod me detinet? Heu me! quàm diu dicetur mihi, expecta, reexpecta. Et nunc qua est expectatio mea, nónne Dominus? Veni Domine, & educ vinctos è carcere, ut latemur coram te;* sicut qui lætantur in messe, dum meritorum suorum tritica congregant in horreum perennandæ beatitudinis, atque felicitatis; & sicut, qui de tenebris atque laboribus educti, requiem & lucem auspicantur sempiternam.

Hermannus, Sigebertus, Baronius, Brunnerus, Raderus in Bavaria Pia.

S. Augustinus Soliloq. c. 35.

Pro perennando cordialissimo commiserationis affectu erga Purgatorij compeditas animas, exhibeo factum, lachrymabili enarratione dignum, & ex Orientali Historia depromptum. Leo princeps juvenis & optimus, cujus virtutes nullo vitiorum confinio læderentur; magnâ vi animi & corporis, ingenioque bono præditus; corpore firmo ac procero; oculis nitidis micantibúsque; voce clarâ atque virili; vultu, vel in sermone placidus, adeóque tranquillus, ut intuentis in eum tristitiam discuteret; formâ eximiâ, venustissimâ, & ut Græci aiunt, imperio dignâ: qui patientissimus laboris, dolorum tolerantissimus; qui inertiam, odium, libidinem, luxuriam, superbiam, arrogantiam velut pestem vitavit; fortis ac durus in adversis, felix armis, inventionibus fortunatus; civiles, sacrásque res & disciplinas juxtà 420. Affectus ad liberandas animas è Purgatorio instigans.

Baronius anno Christi 879. & 886.

ra calluit, atque innocentiam veterum Principum virtutibus adjunxit. Is Leo, Leoninâ virtute *OBLITUS NOCENDI*, tantis & adhuc majoribus præconijs dignissimus; patri suo Basilio, Orientis Imperatori, per dolosas ac perfidas Santabarenæ machinationes in suspicionem trahebatur, quâ Parentis vitæ & sceptrò causabatur insidiari. Hinc suspicione temerariâ, nullis artibus aut argumentis superatâ, Basilius judicio suo summè offensus, Leonem filium teterrimo carcere conclusit; non priùs publicæ luci restituendum, quàm utroque oculò orbatus è carcere prodiret. Servabatur tunc in Cæsaris aula Papagallus, suo cagio insidens; coram quo Ephebi & Palatini, ad tam truculentæ castigationis commiserationem commoti, frequenter inter sese ingeminabant, ac lamentabili voce, oreque & totò corporis habitu ad suspiria & gemitus, ad fletus & planctus composito dicebant: *Heu, heu! Domine Leo!* Accuratiùs has voces ingeniosa, & ad rememorandum industria avis ad verterat: cumque Imperator suis Satrapis & Equitibus in regali convivio magnificentissimè ad jucunditatem assideret, præsens Papagallus, subitò inter festivos plausus atque discursus, etiam ipse loqui incœpit, magnâ expressione pronuntians: *Heu, heu! Domine Leo!* Obstupescunt non pauci ad hanc Psittaci vocem; alij recolentes imminens Leoni periculum & conclusam Imperatoris iram; lachrymas stillantibus oculis, internam produnt animi compassionem. Cumque Imperator illos hortaretur, non jam tristitiæ locum dari, nec lachrymis, sed hilaritati indulgendum esse; unà omnes, qua par est submissione, animi sui sensa aperiunt, admodum exaggerando, se inhumanæ crudelitatis à Psittaco coargui: omnino siquidem Humanitatis artes ac terminos eliminari, dum confidentibus ad convivium, & collætantibus servis, Dominus Leo, Princeps selectissimus, à Superis in Orientalis Imperij fulcimen datus, squallentissimo carcere affligitur, atque innocens condemnatur: omnium proinde Regni Procerum supplicationem instantissimam ad suæ Cæsareæ Majestatis thronum humiliari, ut proprij sanguinis misertus Genitor, iniquam suspicionem deijceret, Santabarenam crudelitatis ream mulctaret, Principi Filio parentalem animum aperiret, & Leonem è carcere dimissum publicæ spei redderet, ac paterno osculo dignum in pristinam gratiam reciperet. Tantùm potuit hæc communis omnium oratio, ut juvenis Princeps, eductus de carcere, ad osculum Patris & Regni thronum, postliminiò fuerit sublimatus. O Auditores, visceralì commiseratione spectatissimi, possetis adhuc cohibere lachrymas, si res ageretur circa illum Leonem de Tribu David, invictissimum Triumphatorem mortis, præ filijs hominum speciosissimum, & in spem totius Humani generis procreatum: quem Pater cælestis, sanguine Filij Vnigeniti placatus, tertiâ die de squallidissimo mortis carcere & Patrum Limbo produxit redivivum, gloriosum Victorem: in hac enim actione vita ab inferis resuscitata, prodivit in diem lætitiæ & exultationis. At verò, non cujusdam Papagalli ineptè humanas voces imitantis, sed miserrimorum spirituum è Purgatorio profundè suspitantium gemitus vos commoveant, vos commoneant. *Heu, heu! Domine Parens!* clamat Filius. *Heu, heu! Domine collega!* gemit Consistorialis. *Heu, heu! Domine Prælate!* suspirat Conventualis. *Heu, heu! Domine Amice!* lamentatur condodalis. Implorat quævis Anima, *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos, ô Amici* & Proximi mei; & dum cælesti convivio dignissimi hospites assistitis, sub Generali communione, sub sacrâ Synaxi, ad cælestis Imperatoris Thronum instanter sollicitate *pro redemptione Captivorum*, in Purgatorij vinculis discruciatorum: qui dum ampliùs libertatem cælestem ac vitam æternam promereri non possunt, ad utramque tamen vestris suffragijs redimi, & pietatis operibus præveniri, adjuvari, exsolvi, & sublevari possunt. Non est Eleemosyna ulla vel adeò proficua danti Patrono, vel tam necessaria accipienti Clienti, vel tam accepta-

ptabilis Deo remuneranti; quàm Venerabile Altaris Sacramentum, quod vel à sacrificante Presbytero pro defunctis & in Purgatorio explandis spiritibus consecratur Altissimo, vel à Christi Fidelibus dignè sumitur, atque applicatur pro plenariæ Indulgentiæ suffragio.

Quapropter ad Te misericordissime Deus, ô Justissime Pater, ô Clementissime Judex, ô benignissime Arbiter, ô meritorum Remunerator liberalissime: ad Te communia omnium feruntur vota, ut Animas *Diomedeas*, hoc est, *Deo debitas*, non Orco, & *Deo medio* redemptas, ex Insula Adriaticâ & atratâ jubeas ad Te liberas evolare, & excussis piacularibus flammis recreatas nidificare in interminabilis felicitatis sinu; quem tua ad tempus dum rigorosa clausit Justitia, jugiter aperiat inexhausta Misericordia!

A M E N.

IN FESTO S. MARTINI EPISCOPI.

In locis, ubi hoc Festum sub ritu solenniori celebratur, si concio habenda sit, plura themata & materias circa Anserum anathomias & distributiones, pro Germaniæ consuetudine suppeditant R. P. Matthiæ Fabri S. J. Opera; ad quæ, Lector Benevole, hoc die quàm amicissimè Te dirigo ac remitto.

IN FESTO PRÆSENTATIONIS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ.

NIDUS ALCYONIS TUTISSIMUS.

Deß Wasserhünleins sicheristes Ruhe-Nestlein.

L E M M A.

Nulla Quies extrà.

T H E M A.

In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies meos. Job. 29. v. 18.

SYNOPSIS CONCIONIS CIII.

Dum Beatissima Virgo MARIA, puella trimula, Divinis obsequijs præsentatur in Templum, Templorum origo, cultus, nitor & religio, ita ordinatè inducuntur, ut simul etiam mentes Auditorum affectuosè invitatæ excitentur ad Templa Catholico ritu devotè colenda, & ritè frequentanda.

42). Halcyonidarum serenitas ad Deiparam relata. Dixisse aliquando videbar de Alcedine & Alcyone, & ad moralem sensum plurima traxisse: de *nido* autem *Alcyonis* nec dignior hactenus occurrebat mentio, nec opportunior, quàm dum tenerrima Virguncula MARIA à pientissimis Parentibus præsentatur in Tem-

Templum; ubi in Divino servitio & virtutum sublimissimarum exercitio tranquillè quiescat, velut Alcyon in suo solidissimo Nido. Nidificare solet Alcyon invalescente hyeme in Maris zabulo, eo quidem tempore, quo alioquin turbulentæ Maris procellæ, atque impetuosi turbines terræ marique gravissimas eversiones minantur. Huic Alcyonis nidificationi & excubationi observandis, Nautæ invigilant; utpote quòd integros quatuordecim *Halcyonida*, hoc est, fœtificationis Alcyoniæ, dies Maris tranquillitas & tempestatum serenitas comitetur. Vbi exactior Physiologorum observatio notavit, Alcyonis nidum aut de acutissimis spinis, aut de piscium ossibus, ad navis symetriam artificiosè septum & inflexum reddi; proinde hanc suam sportulam affabrè elaboratam auræ ac mari committunt, ut varijs jactata impulsibus de subsistentiæ soliditate probetur: probatum verò nidum limo tam tenaciter oblinunt, ut hæc Alcyonia Navicula *nec saxo percussa rumpatur, nec ferro discindatur*, inquit Ælianus. Introitus ejus spongiosâ quadam uligine ita solet obfirmari, ut nec guttula maris penetret ad interiora hujus palatij latibula; ita tamen, ut præter domûs possessorem nemo alius volatilium possit intrare, vel egredi. Marinas quidem aquas eligit Alcyon, fontanas tamen & dulces non despicit. Sed & fœmellarum tanta est ad suos masculos dilectio, ut ab ijs omnino separari non velint, imò decrepitos & senio confectos masculos laborioso suo alant, atque tergori impositos alis suis transferant. Id quod Alcyon præstat in nidulo suo, hoc ipsum Æternus Dei Filius in Beatissima Virgine MARIA, & virginea Mater in Templo Jerosolymitano præsentat. Rectè Plinius de Manucodiatis ait: *His quies nisi in nido nulla.* Ego de Alcyonibus addo, quòd ijs occurrat inter tot tempestatum infestationes *NULLA QUIES EXTRA* nidulum suum. Sit Nidus Alcyonius assimilatus navi, ab æstu marino jactatæ; tum ecce! Ecclesia Militantium velut Navis à persecutionum fluctibus licèt pertinacissimè agitetur, *porta* tamen *inferi non prævalebunt adversus eam.* Eo modo, quo aërem fulcat expansis in crucem alis Ales, etiam Navis remigio suo in crucem figurato occursantes fluctus pertransit; pro cujus figurationis imitatione Ecclesia Catholica plerumque solet Templa sua navis proportione distinguere, & ab utroque latere alis expansis amplificare; ut significaret Petri Naviculam, remigio suo in crucis modum velut alis instructam, ita feliciter fluctuantem, ut non possit à persecutionum impetu concuti vel everti. Sit Templum Dei Nidus Alcyonis, in quo triennalis Puellula MARIA hodie fit arctissimè conclusa, præsentata, Deoque Altissimo consecrata; ubi purissima, Deoque dignissima Creatura, usque ad decimum quartum ætatis annum in tranquillitate spiritûs, in Divinis servitijs, in religiosissimis exercitationibus, in sublimissimis Theologicarum virtutum actibus, in honestissimis Templi laboritijs, in sanctissimis Scripturæ ac Prophetarum interpretationibus, sese capacem & qualificatam reddidit; ut Divini Verbi, æterni Patris Filij, secundùm carnem Mater eligeretur, salutaretur & esset; atque adeò Pullum illũ fœtificaret, ac olim excluderet divinissimum, qui pacem hominibus redderet, peccati tempestatem averteret, serenitatem cælo reduceret, mortem æternam & periculum perennis naufragij eliminaret. In hoc Templo præsentata Virguncula MARIA, ut sese ad illam admirabilem Dei immortalis cum mortali Homine desponsationem angelicis virtutibus ac præeminentijs dignam effeceret, poterat dicere unà cum tranquillissimo Iobo: *In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies meos.* Dicit, *In nidulo meo*; hoc est, in Templo; hoc est, in Spiritûs sancti habitaculo; ibi *moriar* mundo, ut vivam cælo; moriar peccato, ut vivam Deo: *& sicut palma* fructifera, formosa, fœcunda, viridis, juxta nitidissimos aquarum rivos plantata, *multiplicabo dies meos*, horas, momenta; quibus accrescam & augear meritis, palmis & coronis. Jam si vestræ charitati placet, Auditores, hujus niduli conditionem explorare;

Ælianus l. 9. de hist. animal. c. 17. Aristot. l. 5. hist. c. 8. Plinius l. 10. c. 32. & l. 18. c. 26. Plutarchus. Dioscorides. S. Basilius orat. 8. in hex. Ambrosius, Isidorus & alij.

Plinius l. 10. c. 19.

Matth. 16. v. 18.

si delectar, decorem Domûs Dei, nidum securitatis, tempus tranquillitatis, & Templorum nitorem, in cælestis integritatis Pignore, in MARIA triennali præsentatâ considerare: velim resideatis in nidulo profundæ attentionis. Interim ego Divinarum inspirationum vela expando, remos sanctæ intentionis emitto, & navigationem meam auspicor in illis clarissimis, dulcissimis, gratiosissimis, omnisque periculi vel naufragij expertibus Aquarum congregationibus, quas Spiritus sanctus olim in Scripturis sacris appellavit MARIA.

422. Deipara Virgo Nido Alcyonio comparata. Illustre mysterium ex solidissimo Alcyonis nido vestræ attentioni aperitur. Enimverò cùm hujus Mundi Mare magnum & spatiosum manibus, infernalibus Diaboli tempestatibus ita in spumas, furias & procellas agitatum excandesceret, ut durante frigidâ Veteris Testamenti hyeme, nullum filiorum Adam navigium, immortalis, inquam, animæ cymba, ad salutis portum, ad Paradisi emporium, sine miserabili appelleret salutis naufragio: tum ecce! in hoc turbulentissimo intempesti maris dispendio, subitò serenatis immitis cæli influentijs, prodierunt *Halcyonidæ*: quando *semitam ignoravit Avis* illa Divina, Proles æterna, Omnipotentis Patris Filius; qui pernicissimo volatu de cælorum sublimitate descendens, *postea in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* (Baruch. 3. v. 38.) Et cùm haud ullus alius Astrorum influxus posset spumantibus procellis reddere serenitatem, Alcyon ille cælestis, suâ Incarnatione nidulum in Navigij formam sibi composuit; hoc est, Virgineum Vterum sibi elegit præsentatæ, & suis servitijs consecratæ triennalis Virgunculæ; quæ præsagiente Proverbiaste, *Facta est quasi Navis Institoris.* (Proverb. 31. v. 14.) Ex tunc Pacis fœdera Inter cælites ac terrigenas, inter æterna ac temporalia, inter erectos & dejectos sancita promulgabantur: ex tunc gratiarum, ac virtutum serenitas orbi rediit; ex tunc DEUS cum hominibus reconciliatus, salutem & gloriam obtulit. Viden! nidulum illum solidissimâ arte compositum, MARIAM; in quo Sanctissima Trinitas desideratum gentibus Fœtum, tranquillitatis principium, olim excluderet atque educaret. Proinde ut hic gratiarum Nidulus omnibus numeris absolutus prodiret, & omnē dissipationis occasionē evaderet; usque ad tempus suscipiendi Divini Partûs repositus est in Templum, nitoris & magnificentiæ locum, religionis ac sanctitatis triclinium. Ibi supremus Architectus gratiarum suarum plenitudine, velut spongiosâ obserratione, hunc Nidum ita munivit, ut nec falsa peccati cujuspiam amarities, nec obscura diabolicæ pravitatis fraudulentia posset subintrare. Altissimus namque hoc reclinatorium suo Filio præparavit; & ne quidquam Sacrarium istud intus exploraret, per suum Prophetam vetuit: *Porta hac clausa erit; non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam: eritque clausa Principi, Princeps ipse sedebit in ea.* (Ezech. 44. v. 2.) Clarissimus Aresius per hunc Alcyonis Nidum expressè symbolizat intemeratæ Virginis Vterum, adjecto lemmate: *NON ERIT, QUI APERIAT.* Et hunc conceptum feliciter Sanctorum Patrū authoritatibus fulcit: è quibus principaliter adducendi sunt S. Athanasius & Chrysostomus. (S. Athanas. de Maria & Ioseph.) Prioris quidem calculo, *Virginale illud claustrum, in quo divinus thesaurus repositus fuit, omni ex parte purum, atque impollutum permansit.* Alterius verò affectu, *In tuo conceptu, in tuo partu crevit pudor, aucta est castitas, & integritas roborata.* (S. Chrysost.) Vbi paulò pòst subjungit. *Qui ingreditur & egreditur, & introitûs sui & exitûs nulla vestigia relinquit, Divinus habitator est, non humanus.*

423. Mariana Templa quocunque munditie pore erecta & honorata. Hæc de Maria Virgine, hæc de Alcyonis nido, hæc de tempestatis tranquillatione, hæc de triennalis Puellulæ Præsentatione, paucis complector; ut tanto utilius in Templo orationis meæ nidulum ponam, ubi oriar & moriar. Cùm enim Alcyonis nidus ex dictis repræsentet Vterum Virginis, quæ per susceptæ Maternitatis dignitatem effecta est Totius Sanctissimæ Trinitatis Templum; omnino in Templo subsistendum est, ut de origine & ornamentis Templorum loquamur. Marius Victor de altarium & templorū origine dis-

differens in suo poëmate de re genefeos, refert periodum, quomodo ab Abele & Caino res divinæ fuerint auspicatæ. *Prima sacerdotum species, mox hostia fratris impia.* Reducens postea successum Altarium usque ad tempora Noëtica, ait.

Marius Victor. l. 3. & 1.

Mox nivee sacra exurgunt Altaria saxo:
Agnovitque hac prima recens altaria Mundus:
Antè totus enim convexo tramite cæli
Templum Mundus erat.

Ibid. l. 3. de Mos.

Hem! quàm spatiosum tunc fuerit Templum, Divinæ quidem impar immensitati, & veræ religioni prorsus improportionatum! Post multa dein sæcula Altissimo, & Magnæ Dei Matri, Ecclesias atque Altaria erexerunt homines, cultiore religione informati. Lustrando antiquissimos annales adverto, aliqua templa ad honorem gloriosissimæ & Maximæ Dei Matris, etiam antequam mundo nasceretur, fuisse condita: alia verò, dum jam nata suis sublimissimis virtutibus mundum illustraret: alia, & quidem innumera, postquam in cælos assumpta, patrocinium totius Romanæ Catholicæ Ecclesiæ obtinuit. Sicut enim Deus hanc Virgunculam eximiæ suæ Prædestinationis legibus à maledicto cujuscunque legis exemit; ita eam potentissimè præsignavit in desiderijs Patriarcharum, & in signis Prophetarum venturam prænuntiavit; ut adeò incredibile nemini videri debeat, si etiam gentiles Sybillæ, gratiâ propheticæ donatæ, admirandos de venturâ Virgine Deipara splendores præmiserint; & sub densissimis cæcæ gentilitatis tenebris, antè progenitam Puellam Superis electissimam, ad Ejusce olim generandæ cultum altaria ac templa fuerint initiata. Mille octingentis & quadraginta annis ante Christi Salvatoris nostri adventum, Druydæ gentiles sacrificuli, qui tunc apud Celtas totius regiminis clavum tenebant, in vetustissimâ civitate Carnutensi, altè defosso sub terra templo consecrârunt Altare, factâ inscriptione: *VIRGINI PARITURÆ.* Qui locus subterraneus elapsis sæculis, à magnificâ Fidelium religione in Ecclesiam Cathedralem conversus, à S. Fulberto Episcopo Magnæ Dei Matri addictus, & à S. Canuto Rege copiosissimis redditibus auctus & dotatus fuit. Horum Druydarum exanimis devotio aliundè etiam immortalem promeruit memoriam; quòd cuidam Prisco, Carnutensium Dynastæ, suaserint, ut obeliscum ingentem erigeret, eique imaginem Virginis, infantulum gremio tenentis, spectabili apparatu superimponeret; sicque adeò futuræ Dominatricis gratiam sibi præliminari homagio conciliaret. Argonautæ, celebrati illi Jasonis sodales, mille ducentis ante Virgineum Partum annis, Zizizi in Helespontо splendidissimum templum secto lapide adornârunt: cumque Piticum consulerent Oraculum, cujus nomini hoc templum consecrandum videretur; non subobscurè, sed clarè respondit, *MARIÆ Verbi æterni Genitrici esse dicandum.* Et licèt non assequerentur Jasonij Divinum mysterium à dæmone manifestatum, sed Fanum illud fictitiæ omnium Deorum Matri, nuncupatæ Rheæ, solennissimo applausu adsciscerent; Divinâ tamen Providentiâ contigit, ut sub durante Zenonis Imperio in honorem verissimæ Maximi Numinis Matris converteretur. Sed & de Jasone ipso Historici memoriæ tradunt, quòd hic Argonautarum antesignanus Athenis in Regio Palatio illustre templum ad cultum venturæ Dei Matris condiderit; illud verò à postera gentilitate Minervæ transfignatum fuerit. Sed & Ægyptij ante Salvatoris adventum publicè venerabantur Virginem in puerperio jacentem, & Infantem in præsepio positũ: porrò hujus adorationis causam fuisse aiunt, quòd cùm S. Jeremias Propheta, post captam Jerosolymam, in Pharaonis Ægyptiorum Regis aulâ moraretur, & admirandis operationibus ac prophetiæ spiritu illustris coruscaret; ejusce gentis sacrificulis palàm sit vaticinatus, tunc eorum simulacra in terram præ confusione collapsu-

Justinus Michovicensis in Litaniis Lauretanis. Marinus Navarrus lib. 1.

Nic. Mauclerus in Parochiis.

Cedrenus in compendio.

Mmm 2

Canisius, l. 2. c. 7.

lapsura, quando intemerata quædam Virgo paritura esset, & cum Filio suo primogenito in Ægyptum diversura: eo modo, quo juxta Sancti Epiphanij & Dorothei observationem idipsum

Isaia, 19. v. 1.

Isaias prædixerat. *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur simulacra Ægypti à facie ejus, & cor Ægypti tabescet in medio ejus.* Tantus honor in Templorum erectionibus multis sæculis præcurrebat Virgineæ Matris editionem. Jam verò ipsâ vivente illa Lauretana Domus, in qua admirabili commercio Spiritûs sancti cum Virgine Verbum Patris æterni in nostra mortali carne conceptum erat, non solùm sanctificata fuit ex sanctissimorum inhabitantium incolatu; sed eti-

Tursellinus l. 1. c. 3.

am à S. Lucâ, pictoriæ artis expertissimo, exornata Virgineæ Matris verissimâ effigie, atque à Sancto Jacobo Apostolo, post altaris & crucis positæ consecrationem, in Capellam dedicata. Post hanc Lauretanam Domum Crangavæ in India Orientali, à quodam trium Sanctorum Magorum magnifica Ecclesia Virgineæ Matris honori condita surrexit. Imò, quod me-

Osorius l. 1. de rebus Emmanuel. Lus. Reg.

morabilius refert Osorius, occurrit, tertio post partum salutiferum anno Calechuti in India fuisse Virgineæ Matris celebratissimo Nomini positum Templum: ubi Gentilium sacrificuli toties in terram se demittebant ad adorationem prostrati, quoties benedictum MARIÆ nomen veniebat pronuntiandum. Quam perennatam observationem retulit Vascus Gama, Emmanuelis Lusitaniæ Regis Archialassus, ex legatione, quâ apud Calechutiorum Regem fungebatur. Juxta Car-

Jacobus à Vitriaco, c. 44.

dinalis Jacobi de Vitriaco relationem, Petrus primus & Summus Pontifex, inter mortales adhuc agente DEIPARA, Tortossæ in Syria Templum fundavit Mariano honori, & celebratoibidem Sacrificio locum Saracenis æquè ac Christianis Religione inclytum reliquit. Hujus imitatione à pluribus religiosissimis Fidelibus viventi Virgini initiatum est Templum in monte Carmelo, à Sancta Martha Massiliæ in Gallijs, à Candace regina in Æthiopia, ab alijs alibi; sed & Tungris in Eburnia Sanctus Mater-

Annales Colon. & Trevir.

nus Coloniensium, Trevirensium, aliarumque Germanicarum Nationum Episcopus à Sancto Petro ordinatus, ac ex mortuis ad vitam revocatus, celebratissimum sacellum Parthenio cultui adscripsit. Post gloriosam Deiparæ in cælos Assumptionem religiosa Christi Fidelium devotio, quæ Constantini Imperatoris & Sanctæ Helenæ Imperatricis pietati semper æmulabatur comparari, in construenda Mariana Templa æs suum, artem & martem, liberaliter profudit; ut jam in Catholicorum terris, oppidis & civitatibus, nihil ita occurrat certum ad suspiciendum, apertum ad intrandum, sanctum ad comprecandum, copiosum ad numerandum, quam templa, capellæ, aræ & imagines Mariano Nomini auspicatæ. Solus Jacobus I.

Scribanius in Politico Christiano.

Aragoniæ rex, bis mille Mariana Templa regio splendore & magnificentiâ procreavit, ut in perpetua subsisterent munimenta suæ erga Magnam cælorum Dominam observantiæ ac pietatis. Potentissimus Ordo Crucigerorum Teutonicorum vastissimas regiones, quibus imperabat, Prussiam & Lithuaniam exornavit præstantissimis ædificijs Marianis: quæ tamen hactenus (prô dolor!) Lutheranorum, Calvinistarum, & hujusmodi sectariorum spurcitijs profanata collabuntur. Denique omnium specialissimum venit, quòd in omni Christianitatis loco sacro, vel ad speciem religioso, non solùm imagines Virgineæ Matris venerationi exponantur, sed etiam post expressam Sanctissimæ Trinitatis Invocationem suavissimum & ambrosium MARIÆ nomen quàm pientissimè triplici saltem encomio invocetur, & ad vota trahatur.

424.

Antiqua religio novis templis comparata, & vicissim.

Ita certè Mundo Christiano, Templis, aris, statuis, columnis, imaginibus, anathematibus variâ inventione instructo, non incongruè illud Marij Victoris accomodabitur: *Unum Virgineum convexo tramite cæli Templum mundus habet.* Illud verò unicè de-

desiderandum, ne id, quod templis & aris frequenter contingit, etiam credentibus evenire arguatur. Siquidem primæva Christianitatis templa, quàm erant obscura fenestris, opaca lucibus, indecora ornamentis, obstructa aranearum telis, partitionibus inæqualia, peripheriis compendiosa; tam erant frequentata à cordibus Fidelium spiritu claris, devotione collectis, virtute ornatis, sanctitate splendidis. Tunc in templis excitabantur ardentia desideria, prolongabantur efficaces orationes, fundebantur pœnitentes lachrymæ, offerebantur immaculata sacrificia, suscipiebatur insitum verbum, urgebantur pernoctantes vigiliæ, fovebantur tranquilla silentia, mortificabantur jejuna corpora, humiliabantur contrita præcordia, ac heroicarum virtutum actus in excellentissimo gradu exercebantur. Prodibant tunc ex tam religiosis delubris constantissimi Christi Confessores, qui Evangelium Gratiæ annuntiarent tam zelanter ad ædificationem, eliminarent idololatriam tam magnanimiter ad dejectionem, improperarent Tyrannis tam heroicè ad confusionem, starent in acie contra vitia tam invictè ad convictionem. Obstupescebat tunc Mundi capacitas, prosultâsse ex templorum obscurissimis specubus homines in fide tam constantes, Sacrarum Scripturarum tam gnaros, Divinis servitijs tam mancipatos; ut propter Deum dirissima crudelitatis instrumenta & tyrannidis lanienas invictissimi superarent, facti denique miris & exquisitis modis pro Christi amore *Oves occisionis.* Vt adeò communi Germanorum adagio, dum antiquorum templa obscuritate squallerent, Fidelium corda cælesti lumine illustrarentur: **Finstere Kirchen / erleichte Hertzen.** At verò dum recentia Templa clarescunt architectonicis ornamentis, nitent marmore & metallis, promicant altissimis & pulcherrimis turribus, sinuantur concameratis fornicibus, auro & argento rutilant, exultant figuratissimis Musicorũ concentibus; plerumque corda squallida & extincta suis alis suscipit: **Liechte Kirchen / finstere Hertzen.** Collectis in flagellum funiculis Christus sacrilegos ementes, & vendentes, eijciebat è templo Jerosolymitano: *Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.* *Ioan. 2. v. 16.* O scandalosa ac perniciosa plurimarum simiarum, hoc est, pseudofidelium impietas! quorum aliqui sacris intersunt, ut vestium luxu superbiant; alij, ut lenocinijs venentur oculos & animos; multi, ut de rerum politicarum novitatibus conferentias disquirant; non pauci, ut vagis obtutibus neminem non configant: dormiunt alij, rident & garriunt multi; plurimi circa res suas domesticas disponendas sollicitantur. Queîs omnibus Sancti Chrysostomi censura congruit: *Vnde cætera omnia faciliùs in Ecclesia deprehendes, quàm ipsam Ecclesiam.* *S. Chrysostom. hom. 18. in Ep. ad Corinth.* Dum olim cujusvis religioni pro templo serviret totus orbis, nunc constructis nitidissimis templis eam subijt religio catastrophen, ut Fideles in templis nihil minùs quàm templa invenirent; iisque domus orationis converteretur in speluncam facinorum, thronus Dei in forum nundinarum, aula puritatis in prostibulum turpitudinis, lachrymarũ confluentia in profluvium voluptatum, suspiriorum officina in rancorum arenam, psallentium chorus in despectum Divinitatis, præsentia Dei in ludibrium vanitatis: ita *ut cætera omnia faciliùs in Ecclesia deprehendes, quàm ipsam Ecclesiam.* Et ecce! quàm miserè in domo Dei temetipsum excludas à communi suffragiorum, quàm errabundè distraharis in negotio salutis, quàm perniciosè te excommunicationis telo configas? *Summum futuri judicij præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut à communione orationis, & conventûs, & omnis sancti mercij relegetur*, inquit Tertullianus. *Tertull. in Apolog.*

Videor mihi cum S. Chrysostomo Virgines potissimùm & viduas in Ecclesijs observare; quarum quælibet *ornata ut similitudo templi*, suas cistulas ornatissimas exhibeat ab extrinseco, intus verò prorsus vacuas & suis cymelijs orbatas. Enimverò etiam in Basilicis

425. Templorum ornatus sine virtutibus Fidelium inofficiosus.

licis Cathedralibus exhibentur pulcherrimæ imagines Sanctorum, sine tamen reliquijs, sine particulis Sanctorum, quos repræsentant: has enim injuriæ temporum subtraxerunt, aut perdiderunt possessoribus Ecclesiarum: plerisque, si SS. Reliquiæ desiderantur, saltem cymelia & pretiosa vasa arrident ad religionem. Et si expectetis etiam in hoc puncto antiquorum Templorum cum modernis comparationem; ecce S. Chrysostomus aureâ suâ intervenit suadâ. *Virgines habet Ecclesia, Viduas habet; sed illis virtutibus vacuas, quæ ad hujus statûs ornamenta requiruntur.* Matronæ quidem procedunt ornatæ vestibus, erectæ collo, oneratæ cymelijs, motibus ineptientes, armillis mancipatæ, cerussis depictæ, vanitatibus speciosæ; ita ut rectè eas feriat Clementis Alexandrini sententia: *Caput tegere, & vultum adumbrare, justum est: neque enim honestum est CORPORIS PULCHRITUDINEM esse HOMINUM AUCUPIUM.* Sed verò neutiquam sunt similes primitivæ Ecclesiæ matronis, quibus nec virtutes, nec Sanctorum Reliquiæ, hoc est, meritorum exercitia atque augmenta deerant. Ornabantur antiquæ matronæ operibus misericordiæ, & liberalitatis in pauperes profusæ; modernæ gravantur sudore pauperibus extracto: illæ porrigebant manus apertas eleemosynis, hæ retrahunt clausas petentibus: illæ incedebant modesto habitu, & ad virtutem composito gradu; hæ lasciviunt concupiscentiæ prostitutis irritamentis: illæ frequentabant templa, ut corda devota coram Deo effunderent; hæ properant, ut impuros oculos cum amasijs alternent: illæ muliebria cymelia altaribus exornandis dedicârunt; hæ aras cupidinis & si quid est hujus generis carnalitatis, in seipsis venerantur. Matronas habet Ecclesia, virgines & viduas habet; *sed illis virtutibus vacuas, quæ ad hujus statûs ornamenta requiruntur.* Primis temporibus tota Ecclesia unanimi voce psallebant laudantes Dominum; erat cor unum omnium, & anima una; collectis sensibus attentè orabant; erectis manibus cælum fatigabant: jam verò Fidelium mentes in mille dissectæ partes, distractæ cogitationibus, convulsæ passionibus, agitatæ curis, divisæ amoribus, vanitatibus præoccupatæ, convertunt Templa Dei in speluncas, in viperarum nidos, in scorpionum acervos, in prædonum & latronum latibula, in lenonum & scortorum diverticula. *Tunc etiam domus Ecclesia erant; nunc verò Ecclesia domus; imo domo qualibet profana magis, quando in Ecclesia ea facitis, quæ in domibus vestris nequaquam permitteretis*, perennat S. Chrysostomus. Et quia religio sic convertitur in blasphemiam, puritas in fœtorem, ornatus in spurcitias, vita in mortem, pietas in opprobrium, sanctitas in scelus; hinc intervenit suo zelo Clemens Alexandrinus, & dum Chrysostomus ait, *nunc verò Ecclesia domus*, hoc ille convertit, sepulchrum abominatione plenum. *Atque adeò*, inquit ipse, *convincam Templa, speciose quidem nomine nominari templa, fuisse autem sepulchra; hoc est, sepulchra vocata fuisse templa.* In primitivâ Ecclesiâ regale Sacerdotium & infulata Capita servierunt Altissimo in contritione spiritûs, diésque numerârunt in amaritudine animi super dispersione commissi populi: *circuierunt in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti; quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cavernis terræ*, à facio tyrannidis & persecutionum sibi à Gentilibus paratarum; sacrificârunt super mensas, & lignea altaria: adhibuerunt calices de cupro & stanno: paramenta confecerunt de lino & lano: pedum adhibuerunt de ligno: cuncta disposuerunt sanctâ simplicitate. Et in hac quidem tenuissimâ paupertate omnia abundabant divinis gratijs: in hoc afflictissimo calamitatis statu exultabant corda cælestibus delicijs: in hoc frigidissimo stridore ardebant angelico amore; in hisce periculorum præcipitijs firmabantur Apostolicâ authoritate; in hisce acervatis miserijs fulciebantur officiosâ misericordiâ: serviebant

S. Chrysostom. hom. 9. in acta Apost.

Clemens Alex. 3. pædagog. c. 10.

Idem S. Chrysostom.

Clemens Alex. cohort. ad gentes.

Hebr. 11. v. 37.

bant infirmis charitativè; ministrabant indigentibus liberaliter; nudos vestiebant frugaliter; misericordiæ operibus vacabant officiosè; sustinuerunt calamitates hilariter; orationes prolongaverunt vigilanter; custodiam super greges susceperunt infatigabiliter; imitati sunt Christũ in vitâ & morte exemplariter; & merita sua coæquaverunt Angelis comparabiliter. Nempe observârunt S. Nili parænesin: *Exerce puritatem in corde, & castitatem in corpore. Ea enim utraque TEMPLUM DEI te efficiunt.* Ego, quid hodie fiat, dum nec percontari licet, nec palam effari, in vota trahsi idipsum, quod Isidorus Pelusiota, Ecclesiasticæ hierarchiæ gnarissimus, dum materialem Basilicarum ornatum suspicit, & interim animarum perditionem ex Ecclesiasticorum neglectu promanantem deplorat, cordatâ expressione adducit. *Ego*, inquit, *si mihi optio daretur, temporibus illis fuisse mallem, in quibus templa quidem non perinde ornata erant, Ecclesia autem Divinis ac cælestibus undique cincta & redimita erat; quàm his nostris, in quibus templa quidem omnis generis marmoribus sunt cohonestata, Ecclesia autem spiritualibus illis gratiis nuda & vacua est.*

[*S. Nilus in parænes. n. 16.*]

[*Isidorus Pelusiota l. 2. Ep. 274.*]

426\. Hos inter Templorum exactissimos obtutus, congestâ animi consolatione, venerabundus circumspicio magnificentissimam hujus Cathedralis Basilicæ fabricam; quam Magnus Frisingensium & Bavarorum Apostolus, primus Fundator, sanctus Episcopus, gratiosus Patronus, & Religionis Zelator invictissimus CORBINIANUS, anno post salutiferum Virginis partum septingentesimo & trigesimo, Noricorum (hoc est, Bavarorum) Gentem dirigente, & hic in Frixingensi (sic enim illi sæculo nuncupandi usus erat) Arce, residente Serenissimo Bavarorum Duce Grimoaldo, in totius Diœcesis noviter erectæ Primariam ac Cathedralem Basilicam Deo initiavit, fundavit, & consecravit. Refert autem ex Arenbechio R. P. Brunerus in Boicorum Principum Annalibus, hoc ipso loco, quo nunc eminus à longè visitur Cathedralis Basilica, jam antecedenter substitisse Beatissimæ Virginis MARIÆ Templum, quod ab invictissimo Martyre & Laureacensi Episcopo S. Maximiliano fuerat consecratum. Cùm ergo S. Maximilianus Episcopus à Sixto II. Summo Pontifice ordinatus, circa ducentesimum octogesimum octavum Salvatoris nostri annum, sub illâ dirissimâ Deciani persecutione gloriosissimus Martyr pro Christo occubuerit; hinc illud primum Marianum Templum, in Monte Frixingensi olim positum, suæ conditionis originem usque ad Diocletiani & Maximiani immanium tyrannorum tempora, quæ crudelissimam Christianorum stragem sub persecutorum ferro & igne planxeraot, annum scilicet ducentesimum & octogesimum quartum, poterit ac debebit referre: ut meritò huic tam antiquæ, tàmque celebratæ Ecclesiæ, vel ab ipsa prima sui ætate novus religionis ac sanctimoniæ splendor debeat promicare. Itaque dum venerabundæ considerationis oculos in hujus magnificentissimi MARIANI Templi angulos, exactâ symetriâ compositos, aras auro, penicillo & scalpro artificiosas, alas spatiosis curritoriis extensas, navem venustissimâ majestate spectabilem, apparatum illustrissimo symmate extensum, totum denique Ecclesiasticæ hujus Hierarchiæ systema converto; & inclytum hoc Auditorium, quo gradu & statu, quêis affectibus & judiciis, quâ pietate & religione, quâ vel maximè serennitate clarissimum, animosâ inductione ad cultum Templorum adhortor: illo præsertim utor proloquio, quo olim Claudius Mamertinus præfatos Tyrannos, Maximianum & Diocletianum Idololatras, ad pondus & mensuram hortabatur. *Primum omnium quanta vestra est erga Deos pietas? quos aris, simulacris, templis, donariis, vestris denique nominibus adscriptis, adjunctis imaginibus ornastis, sanctiorésque fecistis exemplo vestræ venerationis.* Quasi nempe primorum capitum exempla, & oblata Maguatum munera sint religionis cul.

[Ecclesiæ Cathedralis Frisingensis fundatio, & frequentatio.]

[*Andreas Brunerus Annal. Boic. p. 1. l. 5. Arenbechius l. 3. c. 17. & 18.*]

[*Claud. Mamertinus Geneth. 3. ad Maximianum Augustum*]

cultioris irritamenta, & perennata Ecclesiarum sustentacula. Quòd si autem adducti Gentiles Imperatores dæmonum statuas & aras suis tam industriosis cultibus, & pretiosis muneribus, tàmque memorabilibus ornamentis illustrâtunt ad imitationem: quid splendoris & ardoris, in hac Matiana Basilica, suborietur in mentibus Fidelium Subditorum, quando Majorum exempla neminem non possunt suis splendoribus ad pietatem & devotionem inflammare? quando inexhaustâ liberalitate pauperum & inopum indigentiæ sublevantur? quando sobriâ magnificentiâ ad honorem Dei, Deiparæ & Deicolarum, vel è fundamentis nova eriguntur sacraria, vel templa ruinosa restaurantur, vel vetustate deformia venustiora redduntur, vel depauperata novis fundationibus & opportunis redditibus dotantur? quando denique jugi pientissimarum venerationum exemplo, quotidianis Divinorum Officiorum frequentationibus, accuratis Divini verbi audientijs, exactis Ecclesiasticorum munerum cæremonijs, instructis denique ad nutum Religionis quibuscunque actionibus, honorantur Ecclesiæ, frequentantur altaria, ædificantur subditi, animantur Ecclesiastici, solvuntur pensus quotidiani, laudantur Superi, placatur Deus, & Religio immaculata conservatur. Vt liceat accomodè verba Mamertini reproducere: ***Primum omnium quanta vestra est erga Deum, Deiparam & Deicolas pietas? quos aris, templis, donarijs, vestris denique nominibus adscriptis, adjunctis imaginibus ornastis, sanctiores que fecistis EXEMPLO vestra VENERATIONIS.***

427. Præsentatio Virginis in Templo adaperta.

Jam *in nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies meos.* Fæliciter nata sæculorum omniũ Lætitia fæliciter in paternis ædibus Nazarethi incrementum cœpit, & more cæterorum infantium exegit infantiam. Eandem jam trimulam (ut probabiliùs sentiunt Patres) ex voto anteriùs concepto, parentes obtulerunt Deo, ministraturam illi in Habitatione sancta. Deductam porro Puellam in Templum comitante puellarum agmine, accensas faces præferentium, tradit Jacobus frater Domini de infantia Salvatoris; imò Isidorus Thessalonicensis, primarios quoque Hierosolymitas, viros & mulieres, interfuisse huic deductioni cum cereis, & læta concinuisse testatur, succinentibus universis Angelis, & deductionem comitantibus. Regressis domum parentibus, sanctissima Puella, inter Religioni addictas Viduas atque innuptas Virgines, sacris exercitationibus, intra Templi septa, communi secundùm externam speciem ratione vivendi, sed non comuni modo, annos complures exegit, ad desponsationem usque; sicq; in domo Domini plantata Palma, & impinguata velut Oliva fructifera, virtutum omnium domicilium efficitur; ut quæ videlicet ab omni hujusce vitæ & carnis concupiscentiâ mentem abstraxisset, atque ita virginem unàcum corpore animam conservâsset, prout eam decebat, quæ Deum in sinu suo exceptura erat. Sanctus enim ipse cùm sit, in Sanctis requiescit. Ad hunc igitur modum sanctitatem consectatur, sanctúmque & admirabile, ac summo Deo dignum Templum exstitit. Inter religiosas verò actiones, quas tunc piè frequentavit sanctissima Virgo, præcellit votum purissimæ Virginitatis, quod prima omnium vel tunc concepit, vel jam conceptum firmavit. Vovisse namque Deiparam Virginitatem suam Deo, unanimiter omnes Catholici profitentur. Quin etiam extulisse Deiparam Virginitatis Deo consecratæ vexillum, non modò novo Testamento, sed absolutè & simpliciter, concors veterum sententia conspirat. Denique vel tunc primùm vovisse, vel votum priùs editum firmâsse, non est, quod quisquam ambigat. Præsentatur in Templo Trimula Virgo, ut ibi spiritu sublimata, ad instar Aquilæ super pluviosas nubes evolantis, diceret affectu & effectu: *IMBRES EFFUGIO*; hoc est, eminentior puris creaturis evehenda, miseriarum & vitiositatum *imbres despicio*. Rectè S. Ambro-

S. Jacobus de inf. Sal.

Isidorus Thess. orat. de Præsent. B. V.

S. Ambrosius l. 2. de Virg. & S. Birgitta l. 6. c. 59. Ludolphus vita Christi p. 1. c. 2. Gerso. 4. p. serm. de ann. nunc.

S. Ambrosius l. 4 de Sacram. c. 2.

brosius; *Bona aquila esse cæpisti, quæ cælum petis, si terrena fastidis.* Præsentatur in Templo electissima à Deo Puella, ut poneretur in dignissimo loco, & scintillarent velut Adamas *IN AURO NITIDIOR*: nam ut Cassiodorus ait, *Gemmarum divites vena auri fulgore pretiantur, & gratiam pulchritudinis capiunt: sic bona merita splendidis dignitatibus sociata, alternis præconijs adjuvantur; & unius rei facies de addita sibi venustate pulchrescit.* Proinde sicut annulus & gemma sibi sunt *INVICEM HONORI*; ita Templum Jerosolymitanum & nobilissima Virgo sibi *invicem* cesserunt *decori.*

Cassiodorus l. 5. var. Ep. 40.

428. Patrocinium Deiparæ securissima quies.

Cedo locum, & ad Alcyonis nidum dum mea se convertit declamatio, ita sibi videtur bene conquiescere, ut ei *nulla* amplius possit contingere *quies extra.* Dum in nidulo suo, hoc est, in Templo Jerosolymitano, præsentata quiescit Beatissima Virgo; ego in gloriosissima Virgine, velut securissimo portu, confidentiæ meæ ac securitatis nidum construo. Nec miremini, Auditores, dum ita operor: nam quidam recentior Poëta ita me amorosè instruit, in festo Assumptionis ejus.

Ludovicus Cerelarus in Assumptione Virginis.

Seu Boreas tumidis in littora sæviat undis,
Seu Notus elatis littora pulset aquis:
Alcedo in scopulo nidum si collocet, omnis
Ponit inexpletas æquoris unda minas.
Fluctuet immani bellorum turbine mundus,
Sanguinis & calidas æstuet inter aquas:
Exprimit Halcyonem Virgo rediviva; salutem
Nuntiat illæsalo, nuntiat ista solo.

Si enim in hoc nidulo quievero, si in tenerrimâ Gloriosissimæ Cælorum Reginæ devotione dies meos, *velut Palma fructifera*, annosque vitæ multiplicavero, evenient tunc mihi *OMNIA TUTA*: nec erit, qui exterreat quiescentem, & suaviter securum suâ tutelâ exturbet. Rectè enim id, quod S. Prosper ad Deum refert, juxta D. Augustini suspirium, *Creasti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec quiescat in te*, idipsum ad pientissimam Dei Matrem præstat accomodare. Sic autem ornatè S. Prosper.

Instant terrenis infesta pericula rebus; S. Prosper.
Fervent pro damnis prælia, proque lucris:
Et nihil est inter carnalia vota quietum,
Nec pax sollicitis, nec modus est cupidis.
IN SOLO est MENS TUTA DEO.

Addam pie: In Deiparæ patrocinio, velut in Alcyonis nido, velut in fortissimo clypeo, velut in potenti brachio *subsistunt OMNIA TUTA.* Nihil possunt maligni spiritus contra clientes tantæ Matris efficere: cessabunt internæ suggestiones ad consensum peccati pellicientes; pericula & insidiæ casso tentamine evanescent; morbi & vitæ infestationes momento decident; calamitates atq; exsuccæ spiritûs afflictiones passim dispellentur; nempe dum

Hinc atque hinc vastæ rupes, geminique minantur Æneid. 1.
In cælum scopuli, quorum sub vertice latè
Æquora TUTA SILENT;

tum vel maximè in cymbâ Partheniâ, in nido Alcyonis, sub velis Marianis, juvabit feliciter turbulenta hujus vitæ *maria* enavigare, & ad desideratum portum cælestis beatitudinis securè pertingere.

O MARIA, sanctissima Dei Genitrix! ô nobilissimum Divini amoris Pignus! ô præstantissimum immaculatæ oblationis Munus! In hâc tua Basilicâ Cathedrali quotidianis cultibus & affectibus te religiosissimè prosequimur: in hâc augustâ tui Templi navi, velut Alcyon in suo nido, securè navigamus ad Portum, qui Christus est! Tu, quæ ab æterno ad supremam Divinæ Maternitatis dignitatem es *præservata*, & hodie in Templum ad Dei servitium *præsentata*: ita nos maternâ pietate prosequere, ut efficiamur Templum Dei viventis, & & Deus in nobis velut in condignissimo sibi Templo habitet semper! Amen.

IN FESTO SANCTÆ CATHARINÆ Virginis & Martyris.

CICONIA SUPER ROTAM.

Der Storck auff dem Rad.

LEMMA.

In Rota venustas.

THEMA.

Et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias. Matth. 25. v. 10.

SYNOPSIS CONCIONIS. CIV.

Exemplo invictissimæ Herois, S. CATHARINÆ Virginis & Martyris, omnes invitantur Virgines, & præsertim hoc nomine insignitæ, ut cum Ciconijs in Rotâ nidificent, seséque per Rotas ad Nuptias Agni præparent, futuræ dignissimæ Sponsæ.

429. Cur S. Catharinæ Virgini Rota pro symbolo competat.



Virginibus familiare noscitur inesse desiderium, *ut honorentur*: hinc dum passim obsequijs præveniuntur Virgines, etiam Pictorum industria artificioso pariter & affectuoso penicillo ijsdem abblanditur; novit enim Virgines pulcherrimo colore insignire, atque venustatis lineamentis tenerrimos earum aspectus donare. Et quidem si de sacris Virginibus, Viduis ac Matronis inducenda sit ratio; nulla earum publicis tabulis exprimitur, quæ non appropriato quodam symbolo internoscatur. *S. Maria Magdalena* è sua pixide, quidquid de vanitatibus rejectis aut assumptis sanctitatibus velis, parata est producere: *S. Veronica* expanso Christi sudario subsistit: *S. Ursula* undecim millium Virginum sytma post se trahit: *S. Margaretha* conculcato draconis capite procedit: *S. Barbara* occlusâ turre, & positâ super calicem hostiâ internoscitur: *S. Agatha* accenso rogo illustratur: *S. Cæcilia* cantantibus organis bene audit: *S. Scholastica* columbam deargentatam præfert: *S. Helena* Salvatoris Crucem exaltat: *S. Clara* Venerabili Sacramento gloriatur: *S. Agnes* Agnum Dei suo consortio nutrit: *S. Theresia* sagittâ cor configente armatur: *S. Dorothea* vernantibus florum fasciculis redolet: *S. Apollonia* forcipe, & evulso dente indolet: Sancta Dei Genitrix Virgo MARIA innumeris symbolis internoscitur ad affectum. Verùm enimverò invictissima & sapientissima Virgo ac Martyr *CATHARINA*, regia Princeps, & gloriosa Imperatoris Maximiani victrix, Philosophorum inclyta Patrona, cælestis Regis castissima Sponsa, & Virginei Colle-

gij ornatissima heros, non Elysijs floribus, non gemmis aut cupedijs intermicat; sed tali insignitur instrumento, quod tenero corpusculo acerrimè dilaniando paraverat crudelitas. Rota, inquam, terribilis, & acutis ensibus formidanda, ad inferendas dirissimas neces expedita, & ad frangenda corporea membra versatilis *Catharinæ* à Pictorum inventione dicatur; ut tantæ Christi Amazoni longè jucundiùs elucescat omnis *IN ROTA VENUSTAS*, quàm Pavoni expanso syrmate oculata cauda discriminatur. Ita certè ROTA VENUSTA venustæ Virgini pro internotionis symbolo cedit. Nonnunquam expendebam, cujus motivi gratiâ in summis ædium, aut turrium culminibus ponantur Rotæ? Num fortè id facerent ij duntaxat, qui cultui & devotioni S. Catharinæ specialiter sese consecrârunt? aut certè ut hoc instrumento sublimè exposito publici prædones, ac Reipublicæ turbatores, à nefandis sceleribus deterrerentur? Neutrum horum. Rotæ ponuntur Ciconijs, ut in illis eminenter nidificent, fœtificent, habitent & nutriantur; sicque ijs faveat *IN ROTA STABILITAS*. Ex quo, dum Ciconiam in rota video nidificantem, rem mihi speciosam hodie concipio, ut Heroinæ Virginis & Alexandrinensis Principis exponam societatem. Hæc enim cùm sit subarrhata annulo æterni ac cælestis Sponsi, & simul rotæ annulum, quo erat propter Sponsum excarnificanda, contritum sub pedibus despiciat: omnes omnino Virgines, & illas præsertim, quæ S. Catharinæ nomine sunt decoratæ, paratas esse jubet, ut secum in rotâ confidentes quærant virtutis venustatem, & cum cælesti Sponso ad nuptias introire satagant, signatæ rotâ, quâ suam exprimant virtutem, placentes Deo in puritate corporis & spiritûs. Nec desunt, quæ totis perficiantur: multæ enim occurrunt cælestis Sponsi nuptias spirantes; ad quas tamen non introibunt, nisi *quæ parata erunt*; parantur autem in hac *Rota versatili*, de qua ago in nomine JESU.

450. Chorus Dum Evangelica parabola loquitur de prudentibus illis quinque Virginibus, quòd, *quæ parata erant, intraverunt cum eo ad nuptias*; manifestè mihi hodie persuasum velim, etiam ex hisce quinque Virginibus nullam ita exhiberi paratam ad intrandum, quàm quæ cum æstivali ac familiari Volucre nidum sibi super Rotam construxisset. Miraculi pænè obtinet locum id, quod quotidiana experientia, & Philosophorum de Ciconijs observant industria. Enimverò priusquàm ingruente autumno Ciconiæ nidos suos deserant, & ad calidas orbis plagas migrent, petras & glebas imponunt cubilibus, ne tempestatum turbulentijs ex suo cardine diripiantur: proinde ad vernales delicias reversæ, incorruptos repetunt nidos, eósque pro novâ fœtificatione expurgant. Quid non tentant castæ, Deoque plenæ animæ? Nidum conscientiæ suæ aggravant pondere cordis contriti & humiliati, ut in omni tempestatum emergentiâ, seu sibilus auræ tenuis, seu impetus grandis turbinis instet, inconcussæ persistant super rotam; quæ ob sui constantiam *IN MEDIO NON COMMOVEBITUR*, juxta illud psalmi. *Paratum cor eius sperare in Domino, confirmatum est cor eius: non commovebitur, donec despiciat inimicos suos.* Ciconiarum ventriculis calida inest concoctio, nam bufones & viperas vincunt; & quidquid insectatum aut paludarium est animantium, calidè devorant, digerunt, excernunt. Animæ castæ & Deo plenæ, dum Divino amore intus calescunt, mundi pericula, inimicorum probra, infirmitatum dolores, calamitatum assultus, & laborum fatigationes, dulci & consolato affectu exuperant; quia *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Instar enim Rotæ circa axem gyratæ, tribulationes mundi *CONVERTUNT, NON EVERTUNT*. Et ut dicebat Clotharius I. Rex Franciæ, *Exercitium, non exitum præbent*, Castimoniæ conjugalis tenaces sunt Ciconiæ: nam masculus ubi advertit fæmellam ab alieno marito corruptam (nisi hæc protinus sese in fluento laverit) clàm discedit, vicinas convocat ciconias, &

Super rotam, virtibo um castæ animæ.

Plinius l. 10. nat. c. 23. Albertus Mag. l. 23. de animal. Gaudentius Merula, Bellovac.

Psalm. 111. v. 7.

Rom. 8. v. 28.

probro conjugis ad censuram exposito, arbitrorum rostris mœcham in nido confodit: imò advertit Ælianus, Ciconias insidiari adulteris hominibus, & aliquando uxoris corruptori, absente marito, oculos effodisse. Animæ castæ & Deo plenæ, dum per quodcunque peccatum mortale à Deo aversæ cum creaturis adulterantur, *morte* gratiæ *morientur*, & internis conscientiæ stimulis concisæ peribunt; nisi ante districti Judicis adventum in vivaci pœnitentiæ lachrymarum lavacro probra & culpas abluerint, atque in gratiam redierint, ad instar Rotæ, quæ *NI CURRAT, LABITUR*: nam ut S. Bernardus hortatur, *Ubi non currere, ibi & deficere incipis; hinc planè colligitur, quia nolle proficere, non nisi deficere est.* Ciconiæ herum suum, supra cujus ædes nidificant, juxta Proverbiastis consilium, *de suâ substantiâ honorant*: nam vel pennam ex alis proreptam, vel pullum ex nido dejectum, in exsolutionis pignus offerunt. Faciunt id ipsum Animæ Deo plenæ & castæ, dum perenni gratitudine prosequuntur Altissimum, & præstantissimis Amoris, cæterarúmque virtutum actibus venerantur promptissimè, velut Rota *AD MOTUM FACILIS*: nam ut Sanctus Hieronymus citatus à Sancto Thoma de Villanova loquitur, *Animæ Sanctorum rotæ sunt mobiles, & agiles ad omne bonum; quæ quoniam nihil gravedinis malorum habent, modico flatu spiritûs celeriter volvuntur. Unctæ enim sunt oleo devotionis sancto, & ideo ad omnem virtutis motum faciles & mobiles sunt.* Ciconijs in Scripturis Sacris tribuitur cognitio temporis; *Turtur, hirundo, & ciconia custodierunt tempus adventûs sui*; quod quidem nemo alius novit. Illud siquidem observatur, quòd ciconiæ migrent & remigrent, nemo tamen eas redijsse vidit; nam nocturno tempore abire & redire dicuntur. Addit Plinius, Ciconias eodem tempore in quadam calidissimâ Asiæ planitie convenire; ubi, quæ ultima est, à reliquis præproperis discerpitur. Hoc & castis Deoque plenis animabus familiare est, ut maturè ad desideratas nuptias conveniant, juxta monitum Salvatoris: *Vigilate, quia nescitis diem neque horam, quâ Filius hominis venturus sit.* Paratum nempe sit tempus, ut Rota, quæ *ROTANDO CONTERIT*, & disponit ad revolutionem: veniet namque hora, qua dicetur ijs, *migrate*; & quæ paratæ erunt, intrabunt cum Christo ad nuptias. Quid ni Ciconia in Rotâ sit symbolum casti amoris, etiam inter conjuges spirantis? Contigit, ut Heracleidæ Tarentinensi maritus, quem tenerrimo & constantissimo amore fuerat prosecuta, è vivis discederet. Illa, quæ rectè cum Didone primos amores suo conjugi consecrârat, ita ploraverat mariti fatum, ut non solùm ad quascunque nuptias animum desponderit, sed etiam super defuncti tumulum pro perenni habitatione sibi ædiculam construxerit; ubi cum columbis viduis, quibus *gemitus pro cantu* est, in luctu & mœrore mariti manes consolaretur. Subinde quædam juvenis Ciconia, ad volatus nondum disposita, cùm de paterni nidi rotâ decideret, propè ædiculam Heracleidæ corruens crus pedis fregit; quod commiserata vidua ita sollicitè & solerter emplastris ligavit, ut patiens Ciconia convalesceret, ac tandem cum cæteris migrantibus ad calidas orbis plagas avolaret. Redeunte subsequentis anni vere, redivit Ciconia, & accepti beneficij amor Pyropi gemmam pretiosissimam rostro suo tulit; cùmque Heracleida super sepulchrum expanso gremio sederet, hospes Ægyptia circumvolans, & quasi de priori officiositate congratulans, Pyropum in ejus gremium dejecit. Ejus pretium exinde conjecit ditata Heracleida, quòd noctu luceret, & dispulsis tenebris domesticam diem cubili subinduceret. Et quid claritatis in sese continent animæ castæ ac Deo plenæ? *Pulchra est casta generatio cum claritate: immortalis enim est memoria illius, quoniam apud Deum nota est, & apud homines.*

Jam ubi despondi virgines castas, 431.
præsertim Catharinas, uni Viro exhibere Christo; omnino mihi circa illam

re-

Ælianus l. 2. animal. c. 20.

S. Bernardus Ep. 213.

Proverb. 3.

S. Thomas de Villanov. con. 2. de S. Doroth.

Ierem. 8. v. 7.

Matth. 25. v. 13.

Ælianus citatus Ludicra Historia Balthas. Bonifacij l. 2. c. 38.

Sap. 4. v. 1.

S. Catharina Virgo

quàm gloriosa fit in Rota.

rotam vertenda est oratio, quæ jam ab Ezechiele Propheta inter varias Divinæ apparentiæ notas fuit demonstrata. *Et vidi, & ecce rota una juxta Cherub unum.* S. Virgo CATHARINA Cherubici Angeli partes omnimodè explevit, quando & angelicæ conversationis puritate, & inviolatæ pudicitiæ honestate, & eminentis sapientiæ claritate, Cherubicam sublimitatem in carne mortali stupendo prodigio adæquavit. *Et ecce rota una*, instrumentum crudelitatis, tyrannidis machæra, idololatriæ carnificina, superstitionis cruciamentum, quo Alexandrina Princeps, regia Virgo, virtutum deliciæ, sanctitatis compendium dirissimè conficeretur! *Et juxta Cherub unum*: ita enim Catharina juxta rotam, & rota juxta Catharinam. Nec Rota crudelis tantâ heroe censeatur indigna, quando juxta S. Leonem Papam, *instrumenta supplicij, in honorem transierunt triumphi.* Nec tenerrima Virgo videatur impar cruentæ rotæ, quando etiam in imbelli corpusculo vigebat Spiritus fortitudinis ad dissipandos Ecclesiæ hostes. Observate, quæso, ampliùs Rotæ congruitatem ad Virginis integritatem. Si Rota etiam in gyrum circumvoluta, maneat tamen in axis lineâ constans; videte, quàm vertantur in gyro majestas regia, flos juventutis, incomparabilis venustas, opum affluentia, ingenuitatis libertas: & tamen *S. Catharinæ* animus contra turbulentissimos persecutoris insultus, constat virtute suâ, *in puncto* Religionis, *in lineâ* sanctitatis, ac movetur *MOTU SEMPER ÆQUALI.* Vt rectè in hanc Philosophorum Principem cedere possit illud Socratis & Catonis encomium, quod Seneca olim tulit. *Illam mirabilem laudem & singularem, usque ad extremum servavit; non hilariorem quisquam, non tristiorem Socratem vidit: æqualis fuit in tanta inæqualitate fortunæ.* Et post pauca. *Nemo mutatum Catonem, toties mutatâ Republicâ vidit; eundem se in omni statu præstitit.* Quidquid Tyrannus moliatur mali, quidquid infernalis potestas machinetur nefandi; *motu semper æquali* agitur, & agit Sancta Catharina: *Deus in medio eius, non commovebitur.* Quàmdiu Anima creaturas diligit, ambulat cum impijs in circuitu, nec invenit requiem aut stabilitatem ullam, usque dum tandem in puncto Divinitatis conquiescat. *Creasti nos Domine ad te*, dicebat olim amore divino ardentissimus Augustinus, *& inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Prudentissima Virgo Catharina, cùm esset annulo amoris desponsata Cælestis Regis Filio, terrena despexit; & soli suo Amatori constantissimè adhæsit, ut nec terribilissimis persecutoribus potuerit à cælesti lineâ, & puncto salutis amoveri. Rectè siquidem loquitur S. Ambrosius: *Semel in petrâ Christi locatus, lubricum non debet habere vestigium, sed tenere status proprij firmitatem.* Dum rotam rotando reliquæ partes per terrenos pulveres currunt, ac fæces arripiunt, certum tamen est, circulum perfectum & quamlibet Rotam non nisi in puncto planum tangere; ut merito ei adscribatur lemma: *PARTE MINIMA TANGIT.* Faciunt hoc mentes Deo plenæ, & ad cælestia adspirantes, *quæ* S. Gregorio teste, *terrena transeunt, & vix summis vestigijs terram contingunt.* Quàm præcisè puncto terram & terrena inquinamenta pro corruptibilis vitæ necessitate contigerit Alexandrinensis Heros, vel inde maximè patet, quòd vanitatem sæculi, & omnem ejus ornatum, contempserit propter amorem Domini sui Jesu Christi, ejusque humilitatem & paupertatem imitata, se prorsus suo Sponso coæquaverit; atque ideò mortali & corruptibili proco, ejus nuptias flagitanti, generosè responderit: *Hæc quam tu admiraris, pulchritudo, terra est & cinis, quam & tempus efflorescere facit, & morbo tabescit; utpote quæ nihil stabile, nihil firmum habet.* Rota versatilis nostræ fugacis umbræ & vitæ præfert imaginē: nam currit *INCERTUM* vita nostra, nunquam in eodem statu permanens: currit *incertum*, an odio vel amore dignus sit homo; currit *incertum*, & ignorat momentum æternitatis ejus. Inte-

Ezech. 10. v. 9.

S. Leo. serm. de S. Laurentio.

Seneca Ep. 104. de Socrate.

Psal. 45. v. 6.

S. Ambrosius in Psal. 61. n. 9.

S. Gregorius hom. 5. in Ezech.

Eccles. 12, v. 6. terim *incertum* aguntur omnia; *antequam rumpatur funiculus argenteus, & confringatur* ROTA SUPER CISTERNAM, *& revertatur pulvis in terram suam, unde erat.* Agebat omnia *certò* S. Catharina; libertatis & juventutis tripudia æternali postponebat vitæ: quare cordatâ resolutione mortẽ non expavit, sed dirissimo Maximiano suam dirissimam in Christicolas tyrannidem improperavit. Sponsum suum cælestem, qui teterrimum carcerem lucidissimâ suâ præsentiâ illustravit, & dignissimam Virginem fidelitatis annulo subarrhavit, tanto prosequebatur támque ardenti amoris affectu, ut nervis & unguibus dilacerari, catastis frangi, rotis conteri, gladijs cædi, vivicomburijs discruciari, pro ejus amore, non formidârit: cæteroquin CERTA, *quia neque mors, neque vita, neque instantia, neque futura, eam possent separare à Charitate, quæ est in Christo Domino nostro.* Et hac charitate Virgo regia semper magis, velut Rota, INARDESCIT EUNDO: nam ut Laurentius Justinianus advertit, *Amor ignitus vires restaurat, cùm decertat, & eò fit robustior, quò plùs exercetur.* Rota in suo cursu alternat vices, & *SURSUM* atque *DEORSUM* singula convertit. Fortunæ hoc proprium esse dignoscitur; quæ Cedreno teste, etiam captivi cujusdam principis Saraceni judicio, in rotâ currente argutè dispiciebatur. Et verissimè S. Ambrosius ajebat: *Bona hujus sæculi instabilia sunt, & Rotarum in morem cum ipso sæculo volvuntur.* D. Catharina invictissima Virgo, quam tribulatio & persecutio *ROTANDO PERFECERUNT*, rectè instabilitatem volubilis fortunæ expendit, quando tota regna & sceptra, tot honores & sublimitates, tot nuptiales thoros, tot deliciarum illecebras, intimam etiam Imperatoris Maximiani conjugationem, fortissimo animo excussit: dumque *deorsum* contrivit mundanum pulverem, quæ *sursum* sunt, sollicitè inquisivit; ac rectè repetijt illud virgineæ virtutis oraculum, *Regnum mundi & omnem ornatum sæculi contempsi propter amorem Domini mei IESU CHRISTI; quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi.* Hanc humanæ fortunæ inconstantiam tam perfectè exhibuit Imperatrici Alexandræ, supremo belli duci Porphyrio, quinquaginta perspicacissimis Philosophis, cæterisque militibus & aulæ inclytis ministris dignoscendam, ut pari religione Christum colerent, & supernorum Bonorum perennitatẽ totis conatibus quærendo amplecterentur. Catharina quamcunque versatilem hujus sæculi rotam vel adæquavit, vel superavit: fugavit errorum tenebras; sacrâ Synaxi sibi ab Angelo, aut veriùs ipso Christo, in carcere porrectâ undeñem inediam explevit; plagas sanguine manantes cælestis Medici curâ sanavit; exanime ejus corpus Angeli in montem Sinai venerabundè deposuerunt. Hâc in Martyrij rotâ, IN ALTUM LEVATUR sanctissima Virgo; & gloriatur invictissima S. Catharina cum SS. Martyribus apud Tertulianum. *Hic est habitus victoria nostra; hæc palmata vestis; tali curru triumphamus.*

Laurentius Iustinianus de disc. monast.

S. Ambrosius l. de Abraham.

Tertull. in Apolog. c. 50.

Proinde vos, ô vos omnes, quotquot adestis virtuosæ, & ad omnem honestatem compositæ Virgines Catharinæ, si concupiscitis ad cælestis Agni nuptias introire, ad Rotam properate, & collegium Virginitatis constituite Romano more nuncupatum *DE ROTA.* Hîc oportet S. Catharinæ Alexandrinensis Virginis & gloriosissimæ Martyris virtutes sublimes imitari, & varijs modis in rotâ versari. Per Humilitatem, velut Rota, *INCLINATA PROGREDITUR* Virginea excellentia: nam ut S. Bernardus assentit, *Hæc*, scilicet Humilitas, *est via, & non est alia præter ipsam. Qui aliter vadit, cadit potiùs, quàm ascendit: quia sola est humilitas, quæ exaltat; sola, quæ ducit ad vitam.* Per obedientiam quid non promeretur Deo consecrata, ac devota Virginitas? Sicut enim Rotæ *Ibant & revertebantur*, apud Ezechielem, *in similitudinem fulguris coruscantis*, ita subitò prompta sacratæ Virginis obedientia cum Plauto asserit. 432.

432. Exemplo S. Catharinæ omnes Virgines Deo nubiles evadant per rotas.

S. Bernardus serm. 2. de Ascens. Domini.

Ezech. c. 1. v. 14. & seq.

Plautus in captivis.

---- *Pro rota uti me licet.*

Vel ego huc, vel illuc versor, quò imperabitis.

Per

Per conformitatem quàm rectè assimilatur Sponsa virginea Virginitatis illibatæ Amatori Sponso? Habet se voluntas creata cum voluntate Dei conformata, velut Rota *NON EXCEDENS EX ORBITA*; & Virgines illæ illimes ac cælestes sequuntur Agnum, quocunque ierit; eodem fermè modo, quo sese apud relatum Ezechielem exhibebant ignitæ rotæ. Nam de his testatur Propheta: *Quocumque ibat spiritus, illuc euntе spiritu & rota pariter elevabantur, sequentes eum: spiritus enim vitæ erat in rotis.* Hujusmodi eximijs virtutibus præcellebat Alexandrinensis Princeps Catharina; cujus imitatione tot aliæ selectissimæ DEI Sponsæ secutæ sunt Redemptorem, & illæ præsertim, quæ tali sancto nomine Catharinæ sunt insignitæ. Celebratur in Persia regia filia *Catharina*, quæ annoMillesimo sexcentesimo decimo septimo sacri Baptismatis fonte, invito Patre, initiata, dum abscissis mammis vivicomburio propterChristi fidem discruciaretur, cælesti consolatione animata, in tormentis exclamabat: *Iesu bone, quàm levi pretio æternæ vitæ gazas divendis!* In Anglia has inter Christi Amazones prædicatur *Catharina*, Ferdinandi & Isabellæ Hispaniæ Regum filia, & Henrico VIII. Anglorum Regi nupta; à quo repudiata, miserabiliter afflicta, occulto veneno confecta, firmissimâ fide ac religione in Christum & Ecclesiam persistebat. Nec solas Martyres appello Catharinas: etiam de illis sollicitor, quæ corporis mortificatione sibi ipsis voluntarium martyrium intulerant; *horrore quidem initium, sed diuturnitate molestum*, ut loquitur S. Bernardus. Profectò ex solo Franciscano Martyrologio triginta B. Catharinæ seliguntur, quibus *in* simili Virginitatis *Rota venustas* omnis conciliabatur: earum Antesignana *Catharina de Bononia*; ultra duo & medium sæcula à corruptione immunis, usque in hodiernum diem, Christi Fideles venerabundâ admiratione & suavi odore recreare solet. Quid de alijs cujuscunque conditionis sanctissimis & laudatissimis Catharinis inseram? *S. Catharina de Senis* ita confregit rotam super cisternam suam; hoc est, ita se continuis mortificationibus discruciavit, ut Christo Sponso suo prorsus fuerit in corde & membris assimilata. *B. Catharina Riccia*, admirabilis Christi Sponsa, dum ab Augustissima cæli Reginâ ejus optioni tres coronæ, aurea, argentea & spinea, præsentarentur, & illa argenteam seligeret, auream pro vitâ æterna sibi reservatura; cumque obinde corriperetur de spineâ neglectâ: ita eam postea sibi impressit per severissimas corporis mortificationes, ut AmicaChristi præsnosceret, se non per martyrium carnis, sed per incendium mentis totam in Sponsi similitudinẽ transformandam. Quid de *B. Catharina Raconisia* addam, quæ circulum capiti profundè impressum, & crucem humeris à duobus Angelis impositam gerens, dolores spineæ coronæ & gravitatem crucis Christi jugiter in suo corpore persensit? Innumerus essem, si longâ inductione vellem exhibere Christo omnes Catharinas virgines castas, quæ varijs martyrijs & incruentis passionibus qualificatæ, per ignes & rotas, in sanctissimos Christi Sponsi amplexus sunt receptæ.

Ezech. cit. v. 20.

Lyraus in Chronica V. Patrum, pag. 172.

S. Bernardus serm. 1. de Omnibus Sanctis.

Raymundus in eius vita.

Philippus Guidi de vita eius vita.

Picus Mirandula in eius vita.

Vos autem, ô vos præsentes Virgines pudicæ, viduæ castæ, & matronæ honestæ, quæ S. Catharinæ, invictissimæ Herois nomine nuncupari & inclamari gaudetis: si ex animo cælestes nuptias concupiscitis, & ad Angelicæ puritatis gaudia eniti contenditis; sine morâ estote paratæ, in rotâ Ciconiæ nidificate, & cum S. Catharina virtutis ac sanctitatis venustatem quærite: ut in ejus contubernio morigerè & castè viventes, vocem illam felicissimam Redemptoris nostri IESU in ultimo mortis agone, ad vitam præordinatæ audiatis. *Vos estis, quæ permansistis mecum in tentationibus: & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.*

Lucæ 22. v. 28. & seq.

AMEN.

Desi-

Desiderabatur

hactenus huic meæ Ornithologiæ Morali, & cæli Volucribus in ea concinentibus quædam Arbor, in altum consurgens, ramos extendens, & fructus pro escis progerminans. Est enim cæli Volucribus admodum familiare, considere, concinere, nidificare & jucundare in Arborum ramis. Ubi diu de tali sollicitus inquirerem, appositè venit ad manus & affectum meum

PALMA SERAPHICA,

SEU

PANEGYRICUS SERMO

In laudem Victoriosorum

BB. MARTYRUM GORCOMIENSIUM

ex Seraphica Familia Ord. Minor. S. Francisci, Regularis Observantiæ nuncupatorum,

Postquam

A Sede Apostolica solenni Ritu Beatorum Fastis sunt adscripti.

Primò

VII. Idus Iulij. M. DC. LXXVI.

Inter festivos applausus, in ejusdem Ordinis Minorum S. Francisci Reformatorum Ecclesiâ Ingolstadij,

Dum Reverendissimus Dominus, Dominus Gregorius Abbas Schyrensis, celeberrimi Ordinis S. Benedicti, J. U. Doctor, & pro nunc Statuum Provincialium Bavariæ Deputatus, atque Archi-Episcopalis Universitatis Salisburgensis Præses, pro suâ in nostros Religiosos Fratres Pietate, sub Pontificali Apparatu, solenni Altaris officio litaret:

Ad Concionem,

Vernaculâ ab Adm. Rev. Relig. & Clarissimo Domino ac Patre Dominico Renner, præfati inclyti Monasterij Schyrensis Priore dignissimo,

Dictus.

Et ab eodem deinde in obsequiosam venerationem, debitúmque BB. Martyrum Cultum, Amicorum rogatu Latinitati & publicæ Luci redditus.

Cui Palma deserviat

LEMMA,

Si generositatem BB. Martyrum spectes: Adversùs pondera surgo. *Si terrenorum contemptum*; Neque flectitur auro. *Si religiosam paupertatem*: sic apta triumphis. *Si virtutis splendorem*: sese ipsa coronat; *&*, tantùm in aprico virescit. *Si toleratas ærumnas ac tribulationes*: Fructus dulcis & asper. *Si causæ æquitatem & justitiam*: in culmine pulchra. *Si imitationis exemplum*: factura nepotibus umbram. *Si Religionis emolumentum*; Ex Religione victoria. *Si denique certaminis gloriam*: Vincenti dabitur.

THEMA.

Ascendam Palmam, & apprehendam fructus ejus. Cant. 7. v. 8.

433. Acesse hinc delira Fabularum Institrix, superstitiosa Antiquitas! Quid enim hoc veritatis in Nundino protrudis Arbores ludicris commentis Deorum simulachris inscriptas? ut, tuo equidem consecraneo cultu, sit

Virg. Buc. Eclog. 7.

Populus Alcidæ gratissima vitis Iaccho,
Formosa Veneri Myrtus, sua Laurea Phœbo;
Phyllis amet Corylos?

Nihil hic agis, ubi jam olim Atheniensium Lege cautum, ut in foro omnis abesset vanitas, ceu mendacij præludium. Nec invideo; tuam, gloriose Libane, super astra feras Cedri proceritatem: scilicet *Cedrus exaltata in Libano.*

Eccli. 24. v. 17.

Vos quoque conspicua flosculis rura meâ pace, ostentate ambitiosâ contentione formosam oleam; quia *oliva speciosa in campis.*

ibid. v. 19.

Nec minùs vestras molliter labentes Rivuli Geniales Platanos, hospites compotantium umbras, strepero & ad musicum numerum ludente susurro, ut ut libet, occinite; est, non inficior, *Platanus exaltata juxta aquas.*

ibid.

Eccur me longè dissitæ montium convalliùmque arbores in ambages divertitis? Nunquid hac munitissima in Vrbe Palma Victrix animos oculosque sola rapiat? Novem ante lustris regiâ illa fata manu est, & vix non regio irrigata sanguine. Augustus est visus Gustaphus Adolphus, Suecorum Rex, dum Augustam cœpit; imò dum illa ipsum. Augustior Anglipolis, quando Augusti Majestatem excussit, & humi elisit; vel inde immortali nomine beata, quòd adscitam immortalitatem Thrasoni Sueco infregerit. *Cùm nulla in Imperio Vrbium restitisset, prima restitit,* ut suas hostis erubesceret exanimatas vires & viros;

Vvassenberg. Flor. Germ.

atque hanc in omne ævum Ingolstadio gloriam reliquerit, quòd Imperium prima docuerit, Gustapho Adolpho posse resisti. Hinc equo excussus in terram, Herbam porrexit primùm; turpi deinde receptu *Palmam* dedit, vallis, aggeribus, propugnaculis circum circa implantandam, Bellonâ plausum ferente & feriente per Martia tonitrua cœlum. Hanc suo arbitratu hodiedum Anglipolis efferat non tam Victricem, quam Virgineam Palmam; quin in suæ insuper litteratissimæ Vniversitatis, antiquitate & famâ inclyta, Lauro, velut Gloriæ comite ampulletur: quâ per ducentos sexaginta, & quod usque, annos ita floruit, ut ex diversis Europæ Provincijs certatim advolent, qui baccas mordeant, Laureasque studioso impendio ambiant. Nil moror hodie, miror nihil decantatas Palladis Frondes. Quid enim dissimulo? Alia animis sese nostris insinuat GLORIOSA PALMA. O ut novis eam non Dryades fictæ, sed Charites Divæ coronant tripudijs! Superi! ut insigni gratiarum ornamento me invitat, & dedititium tenet oblequijs! Quid ago? *Ascendam.* Sed cautè & catè: nam casum amant, qui cum Icaro sublimia. *Ut lapsu graviore ruant, tolluntur in altum.* Vbi solo relicto in solium Numinis arrogante volatu sese extulit Christi Simius, impostor Simon Magus, in præceps actus, fractis cruribus pœnas dedit.

S. Max. Hom. de SS. Apost. Pet. & Paul.

Vix Nanus Zachæus Sycomorum ascendit, & actutum audijt: *Zachæe festinans descende.*

Luc. 19. v. 5.

Ar verò multos arborum ascensus in fortunæ gremium locavit. Caius Marius ubi in arborem sese libravit, aquilam in nido cum septem pullis reperit; inde augurium Consulatûs Romani septies delati.

Plutarch. in C. Mario.

Lechus olim albam aquilam expassis alis coronatam Poloniæ regno dedit, bonis avibus Rex pri-

Mart. Kromer l. 2. de reb. Pol.

primus, dum conscensâ arbore in candidam nidulantem aquilam incidit.

Itaque cùm audaces fortuna juvet, animosè *ascendam Palmam, & apprehendam fructus ejus.* Nec tamen viribus nitor meis. Minor sum, quàm ut tantæ arboris in verticem eluctari possim; pridē ad truncos, & caudices me natura rejecit. Quid ergo? Verba Romanæ Ecclesiæ sunt. *Ascendam,* inquit, *Palmam,* ubi hodie floridissima hæc Palma, largifluo Divinæ Gratiæ rore irrigata, gloriosè sese undique diffundit; & novas frondes, amore Dei, Fideique Catholicæ genuinâ Confessione viridantes, mediósque inter tyrannidis Aquilones & crudelitatis Grandines invicto flore in cælum erectas explicat. Hodie, ait, *ascendam*; postquam Purpurati Gorcomienses undeni Athletæ ex inclyta & Seraphica Familia S. Francisci de Observantia centenis & quatuor antè annis æterna in Gloria Martyrij Laureolâ donati, atque inter cælitum sydera corusci, tandem in Vrbe & Orbe beatitudinis radijs insigniter effulgent: ita Pontifice Maximo Clemente X. añuente, cujus Indulgentiâ solennissimo ritu VIII. Cal. Decembris M. DC. LXXV. Beatorum Albo sunt inserti humano calculo, nam Divino jam olim fuêre; ut non dignitas illis accesserit, sed publicæ solùm venerationis authoritas, Româ festivos inter plausus tripudiante. Avetis Beatorum nomina? in promptu suo se ordine sequuntur.

Venerabilis B. P. Nicolaus Pichius, Guardianus.
B. P. Hieronymus Werdensis, Vicarius.
B. P. Theodoricus Emdanus.
B. P. Nicasius Joannes Hesius.
B. P. Willadus Danus.
B. P. Godefridus Mervelius.
B. P. Antonius Werdanus.
B. P. Antonius Hornaviensis.
B. P. Franciscus Rodius Bruxellensis. Omnes Sacerdotes.
B. F. Petrus Ascanius. B. F. Cornelius Wicanus. Laici.

Hodie *Ascendam* VII. Idus Julij.

Virg. 4. Georg. *Dum rapidus torrens sitientes Sirius Indos*
Ardebat cælo, & medius Sol igneus orbem
Hauserat.

Quo die ferali in impietatis theatro cruentas inter suppliciorum acerbitates tyrannum Lummæum infracto animi robore triumphârunt, fremente Tartaro, & Genijs cælestibus pæana accinentibus. Hodie *ascendam*, quando per singulas orbis Provincias Seraphicis illustres facibus, modestâ Pompâ, & Ecclesiæ apparatu humiliter fastuoso & fastuosè humili, adoreas, arcus triumphales, trophæa & symbola tacitis verbosa coloribus Religio staruit, Divos & Templa coronat. Hodie, inquit Mater Ecclesia, *Ascendam Palmam, & apprehendam fructus eius*: quis enim comprehendere posset? Me verò Pararium, indignum licèt, substituit; eo forsan arbitratu, ut Schyrensi ex Horreo, salutiferâ Christi Cruce jam D. XVIII. annis & ampliùs inclyto, foret, qui vicariâ operâ Horreum Brilæ, urbi Batavæ, contiguum, velut proscenium proponeret, ubi animosos Fidei Proceres sanguinaria impietas suspendio porrexit, ut cælo æquaret.

Quod dum pro viribus præsto, non nisi æmula verborum Echo, & umbratile simulachrum Romanæ Ecclesiæ vobis, AA. videar. Sic mitiùs feretis asperam dictionem, & cespitantis linguæ errores; non nescij, quòd hanc sibi indolem Echo vocis imago vendicet, per allisas rupes & scrupeos anfractus reverberare sonum.

Si refracta hæc vocis tenuitas solam in Seraphicæ Victoriæ Palmam sese extenderit, date veniam cæteri Gorcomienses Laureati Pugiles silentio, quo vestras involvo generosæ virtutis Stationes. Plus comparatis gloriæ à fortitudine vestra, quidquid minus laudis à linguæ meæ imbecillitate. Si aliena tamen delectent præconia, vestrum sanguinem, Palmæ Crucis Prosapiâ apprimè nobilitatum, & calamo & linguâ disertiores Encomiastæ in Auditorum affectus alibi locorum Articâ eloquentiâ derivabunt. Ignobilem me sui Triumphi voluit Præconem nobilissima S. Francisci Religio, cui sem-

semper pro hedera ex hæredio humilitas fuit, ut Palmæ instar depressa surgeret altiùs.

Hanc ego Palmam recentésque fructus vestris, AA. animis explicabo, ubi priùs vos mihi patientes aures. Vos Beata Seraphim advolate, igneo¦calculo, animate labia, quia Seraphica causa est.

§. 1.

Paraphrasis Palmæ.

434. A*scendam Palmam, & apprehendam fructus ejus.* Agedum! Vbi Gentium hæc Palma?

Forsan Idumæas opus est perrepere terras? Non herclè; nam ineoram spectatur. Celeberrimam Stigmatici, Sanctissimi, inquã, *FRANCISCI*, Jesu Christi Stigmatis medullitus compuncti, Familiam devotis usurpa oculis; mentiar, nisi in Ecclesiæ Romanæ horto *PALMAM* conspexeris religiosis virtutibus, innocuâ conversatione, meritorum ubertate, suavissimo odore, scientiarum flumine, innumeris animarum fructibus, Superûm charitate, hominumque zeloso vigore undequaque floridissimam: Palmam, aio, annis antè quadringentis septuaginta stipiti SS. Crucis, humilis instar Surculi, insitam, ut vel hinc *dulci ex ligno* dulcissimos hujus Religionis fructus non mireris ampliùs. Quæcunque hodie adhuc copioso numero nova repullulant germina, Crucis sunt propagines, Crucem ferunt & referunt velut gentilitium Religiosi Symbolum. Radicem hujus Palmæ subit humilitas; fundum paupertas; humorem sapidissimus S. Spiritûs succus; corticem vitæ, habitûsque hirsuti asperitas; viriditatem constantia præbet & probat; medullam Gratia Dei: tot Frondes, quot Franciscani in multas myriades diffusi; folia sunt merita; fructus innumeræ virtutes, atque utilitates in Rempubl. Christianam exuberantes; apex denique altissima contemplatio, & summa animorum perfectio. Si Palma Romanis olim prodigiosum victoriæ signum fuit (siquidem, Plinio teste, omen victoriæ Palma tulit juxta simulachrum Julij Cæsaris enata, bello eum inter & Romanum Populum atrociter sæviente) dicam ego Seraphicum Ordinem Palmam, cujus auspicijs contra tricorporem Geryonem, Mundum, Carnem, & Dæmonem, gloriosæ victoriæ sine numeris obtinentur. L. 16. de Natur. hist. c. 14.

Si referat Isidorus Palmæ Frondes *elatas* dici, quòd pari conformitate rectâ sese in altum erigant; ausim ego asserere, Sacram Franciscanam Familiam Palmam esse, cujus rami conformi disciplinâ viridantes rectâ unanimitate per meditaminum affectus in cælum, ad Regulam compositi, jugiter enituntur; ita Jobi doctrinâ animati: *Circumda tibi decorem, & in sublime erigere.* Vel D. Pauli consilio: *Quæ sursum sunt, quærite; quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terram*, vitiorum & vanitatum cœno ficta atque infecta. c. 40. v. 5. Coloss. 3. v. 1.

Si Plinius asserat, Palmæ fertilitatem desiderare sabulosam, fervidam fimique expertem terram; cæterà in pingui & fimoso solo sterilescere: quis inficias iverit, nominatissimam Sancti Francisci Religionem fœcundissimam esse Palmam? Nam longè à putido mundi fimo, ab abdominis pingui voluptate & putredine remota, non in solo opimo, divitiisque & delicijs saginato, sed macro, arenoso, paupere, nudóque in fundo fortiter radices egit. L. 13. c. 4.

Si denique Ruellij opinione Palma transferri, & ad mentem Plinij apricari amet, ut eò dulciores ferat dactylos, quò radijs solis fit vicinior, eaque de causa solis amantissimam nuncupet antiquitas: Quidni firmâ ego sententiâ statuam, Palmam esse famosissimum Franciscanorum Cœtum, non duntaxat, quòd Plantariorum more omnes in orbis partes transferatur, sed ita per assiduam conversionem & imitamenta Soli Justitiæ CHRISTO, adhæreat, ut dulcissimos ubique terrarum fructus plenis calathis offerat. L. 1. c. 108.

Tibul l. 4. *Quáque patent ortus, & quà fluitantibus undis*
Solis anhelantes abluit amnis equos.

An numerare placet? Credite, hîc numerum sine numero esse.

Virg. *Non mihi si lingua centum sint, oráque centum*, tam vastum Cornucopiæ unius horulæ spatio includere liceret. Quisquis curiosior eos legere avet, sidera in numerum liget, aut legat,

Ovid l. 4. de Pont. *Africa quot segetes, quot Tmolia terra racemos,*
Quot Sicyon baccas, quot struat Hybla favos.

Proh quantos & quales fructus, qui Pontificijs spectantur in Tiaris; Conchyliatis de Galeris Cardinalium purpurascunt; in Archiepiscoporum & Episcoporum mitris nitent; Martyrum pretioso sanguine emanant; Doctorum ex sapientiâ eminent: cæterorumque qua virtute, quà sanctimonia in templis, aris, cathedris, sacris tribunalibus, aliisque animarum curis uberrimè inclarescunt

Auroram inter & hesperum,
Sen. in Herc. fur. *Et quà sol medium tenens*
Umbras corporibus negat!

Sed cedo hæc alijs Rostris, ut fructus hos suo numero, pondere, & mensurâ appendant & apprehendant; vos, si *unaquaeque arbor de fructu suo cognoscitur*, Luc. 6. v. 44. mecum obstupescite, quanta præsens hæc Palma appareat? Scilicet adumbrata per arborem, Danielis vaticinio super astra porrectam. *Magna arbor* Dan. 4. v. 8. *& fortis; & proceritas ejus contingens cælum: aspectus illius erat usque ad terminos universa terræ. Folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius*; non nimietate in vitium vergente, sed plurimâ copiâ humanam propè fidem superante. Ita Vatabli calculo, qui in textu hoc, *transvexit illos* Sap. 10. & 18. *per aquam nimiam*, plurimas aquas intelligit.

O ut jure merito hanc Palmam magnam, fortémque compellem! Concinnè verba consonant doctissimi Nicolai Lyrani (nobilis ex nostra Palma plantæ) *hæc arbor* (ait) *alta est per justitiam; fortis per constantiam; frondosa per eloquentiam; magna per prudentiam, qua dirigit omnes virtutes; diffusa per misericordiam; fructifera per devotionis exuberantiam. Omnes pascuntur ex ea per fraternam ædificationem.* Deberem singulis his elogijs singula encomia, nisi Vndenæ me tam gloriosæ Palmæ Frondes diverterent, & proprio sanguine irrigatæ novo virore in honores suos raperent, dum hodie in cælesti beatitudine Palmæ Coronatæ triumphant, inscriptione olim Magno Gregorio usitatâ. In lib. mor. *Ascendam itaq; Palmam, & apprehendam fructus*, illos scilicet, quos Posteritati & Gloriæ Gorcomienses purpurei Termites tulerunt; non omnes, sed solùm patientiâ & fortitudine tam inter cruentos Martyrij imbres inconcussos, quàm sævissimo in pœnarum æstu approbè decoctos.

§. 2.

Martyrij origo.

INter Beatos & Seraphicos Martyres Antesignanus est NICOLAUS PICHIUS. Gorcomium Anno 1534. vitam ipsi & genus dedit; illam virtutum, hoc natalium claritudine illustrissimum: nam ex Ducum Arckelensium prosapia ceras numeravit; imò ipse cera fuit, in qua genuina pietas suam effigiem apprimè sigillavit. Dum crepundia nucesque valere jussit, una cum virtute unio cura fuit. Hæc ubi penitiùs sese in adolescentis innocentem animum penetravit, mores rexit & amores, ancillante corpore & subacto Mundi turgentis fastu. Hinc non nisi Deum spirare, in Deo humilia, qui *semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Philipp. 2. v. 7. Vbi literis eruditus primò in juventutis flore stetit, fugite, ait, urentes sæculi pruinæ! opacæ mundi nebulæ! nam tenero obestis flori, si non abestis. O ut pessimè animo affunditis caliginem, floridos depascitis annos! Quid mirum, si gelido hoc roreadusta juventa amaras in senio lachrymas stillet, quando Divino Justitiæ Sole, sed serò nimis, solvitur & dissolvitur à Cælo atque Deo?

Di-

Dixit, & ardenti Seraphim pia Pectora telo Transfixit.

Totus proinde Divi Francisci ealet amore & imitatione. Igitur Sacro Ordini, veluti Surculus Palmæ, implantatur. Tum affectus ad amussim observantiæ Religiosæ componere; animũ virtutibus novis à conscientiæ nævis præmunire; ingenium Theologicis disciplinis excolere; perdius pernóxque pluteos cædere; pro animarum salute Seraphico spiritu ardere, vitâ ad Regulam sacram jugiter exactâ ita florere, ut præesse officio, prodesse exemplo, atque (ut vocant) Guardianum præferre sit jussus; in quo ceu speculo alij vitæ religiosæ legerent periodos, morúmque sanctimoniam. Vicariam ipsi gessit operam Gorcomij B. HIERONYMUS Werdensis, vir regulari disciplinâ, animarum zelo, fidei Apostolicæ & virtutum heroicarum amore planè eximius, *ut ardenti spiritu dæmonibus terribilis fuerit*; & vulgò, quod mireris, Hierosolymus eques audiret, licet pedes solùm Palæstinam perteptârit. Aderant tum in Conventu Gorcomiensi, qui ab eorum nutu & imperio pendebant BB. NICASIUS HESIUS, WILLADUS DANUS, cæterique septeni Martyres; omnes quà pietate, quà religionis ardore & cultu supremi Numinis insignitè eximij: quorum virtutes, gesta, sacrásque animi dotes huc non fero, sed differo. Quod Romanus Sapiens olim suo Lucilio, hoc illis interim inscripsisse satis esto: *Quid egerint, tunc apparebit, cùm animam agent.*

P. Flor. Leyd.

Epist. 26.

Video enim jam acui ferrum, stringi sicas & enses, ut tam floridæ Palmæ Germina decutiantur; aut certè exitiales ferocis Apri figi dentes, qui injuriosè subruant. Sed non video sine cordolio & gemitu Regij Psaltis, Vineæ Palæstinæ illachrymantis: *Extendit palmites suos usque ad Mare, & usque ad flumen propagines eius.* Et heu! *Exterminavit eam aper de sylva, & singularis ferus depastus est eam.* Quis ille fœdus aper, quis ferus singularis? Hipponensem Antistitem audite. *A Gentibus eversa est Iudæa; sed Rex ille, qui evertit, non tam porcus immundus, sed etiam aper fuit. Quid enim aper, nisi Porcus sævus, porcus superbus? Quid est, singularis ferus? Ipse aper, qui devastavit eam, singularis ferus. Singularis, quâ superbus.* Scilicet threnodiam hanc rectè de Seraphica Palma itero. Extendit palmites suos usque ad Mare (Oceanum namque) & usque ad flumen (Scaldiam) propagines ejus. Verùm truculenti, superbi, indomiti, ambitiosi, contumaces apri, feri Geusij (quæ Monstra?) exterminarunt eam. Truculenti, quia in Templa, aras, sacras Imagines, Asceteria & ipsa Astra impio œstro debacchantes.

Psal. 79. v. 12.

v. 14.

In Psal. 79.

Superbi, quia Philippo II. suo legitimo Hispaniæ Regi rebelles. Indomiti, quia suavissimæ habenæ Religionis Catholicæ impatientes. Ambitiosi, quia Potentissimæ altitudinis arrogantia turriti & turgidi; aut, si mavelitis, fœdo superbæ libertatis abortu prægnantes. Contumaces, quia sine Superûm & propriæ conscientiæ cura in refractaria impietate immobiles. Feri denique, quia ab omni humanitate alieni, fidei Deo & Regi datæ immemores, velut lupi prædones aut cruenti Apri inhorruêre. Verè singulares feri, cùm ab humanâ ratione in sylvestres brutorum mores, & miram nominis barbariem *Geuseos* desciverunt. Vnde verò nomenclaturæ hujus Origo?

Non à Geusa Pannoniæ Duce; nam postquam hic primus Christianus Vngarorum Princeps sibi suisque infidelitatis glaucoma lustrico Fonte abstersit, totus fuit in Paganismi & Hæreseos Hydra detruncanda, ritibus sacrilegis abolendis, Orthodoxâ fide plantanda. Hinc Ecclesias arásque struxit, perdius pernóxque divini cultûs impendio affectus, quo omnes suæ ditiones subditos Ecclesiæ Romanæ authoraret. *Et ecce* (verba Baronij sunt) *mira quadam pravisione nocte eum Dominus consolatus est. Mittit enim ad eum Iuvenem speciosissimum, qui diceret ei, pax tibi Christe electe: facessat cura hac, & solicitudo. Non fiet per te id, quod*

Tom. 10. Ann. 989.

meditaris; habes enim manus sanguine humano pollutas; nascetur autem tibi filius, qui Divina providentia consilio id efficiet, quod tu animo concepisti. STEPHANUS is fuit. Vah! quàm illustris virtutum & sanctitatis floribus Corona! quàm suavi plùs quàm roseâ fragrantiâ Ecclesiam Catholicam perfudit? Procul hinc graveolentes Scarabæi. Mirum! ut ille in vitia detonuerit, impietati gulam fregerit, sanctitate tandem insigniter claruerit? postquam sacro fonte SCHYRÆ in Gentilitia Principum Bavariæ Domo (hodie Ord. S. Benedicti Monasterio) à S. Adalberto, Benedictino Antistite, & Boëmorum atque Vngarorum Apostolo expiatus, ibique, ut Schyrensia indigitant monumenta, Augustis Hymenæis à S. HENRICO Imperatore & Sorori suæ GISELÆ consociatus est, non tam amorum quàm morum similitudine Nam & GISELA, post fata conjugis Sancti velo sacro obnupta, Patavij Niderburgensi Parthenoni sub Regula S. Benedicti Antistita præfuit, pari sanctitate insignita. Non ergo ex sacra hac *Gensæ* Prosapia *Gensiorum* Acheruntica spuma, fæx & vappa Calvini, tot malorum colluvies emanavit, qua Fides Orthodoxa, Pietas, Jura Divina & humana, Sacra omnia sunt miserè absorpta. An igitur Pandoræ ex pyxide, aut fætido Augiæ stabulo *Geusij* prorupêre? Certè ex abstruso perduellionis Antro, ut ferino more efferi magis forent. Ecce totam Etymologiæ seriem in compendio, ut in nuce Iliadem!

Designavit 1559. Philippus II. Sororem suam Margaritam Austriacam, Octavij Farnesij Parmæ Ducis olim conjugem, Belgij & Burgundiæ Gubernatricem; Quare accersitæ ex Italia, ipsi curas & jura his in Provincijs commisit. Feliciter equidem tenuisset, si Procerum ambitio & libertatis malesana libido abfuissent, animis Hæreseos illicio captis. Jam eò specie tuendæ libertatis ventum erat, ut genius perversæ Religionis seditiosam conjurationem perluaserit. Quare centuriati conspirant nobiles, in conventicula abeunt, exulceratam in Hispaniæ leges mentem exonerant, virus conceptæ rebellionis viritim effundunt, vomicas aculeatis in Regem convitijs aperiunt, edicta regia, ad Religionis & Concilij Tridentini Authoritatem vulgata, concitâ bile Diris omnibus devovent. Tandem per Henricum Bredenrodium supplicem libellum Gubernatrici offerunt, salutis Patriæ & Amplitudinis Regiæ pallio festivè tectum.

Lamentantur, Decreta Regis esse gravissimorum motuum causam; petunt eorum exauctorationem, aut saltem moderamen; Belgicam Nobilitatem gravissimo jugo succumbere; conscientias torqueri intolerabili carnificinâ; Rempub. imminente ruinâ collabi: quamobrem sereno & maturo consilio præsentes jamjam seditionis nimbos anteverteret. Tam dubiâ rerum tempestate anceps & animo consternata Gubernatrix, cùm metum premere non posset, fugâ elabi & periculo sese eximere statuit. Eam tamen Carolus Comes Barlamontius his dictis Gallico idiomate erigit. *Non non Madame, ne craigne pas ces Geux*; id est latio sermone, Et quid agit Serenissima Domina? Nequaquam hos Lixas Calonesque metuat. *Geusij* sunt, Mendicabula, fungino ex genere. Sed amabò Carole cautè & catè! *Nil tutò in hoste despicitur: cùm spreveris, valentiorem feceris.* Curt. l. 6. Veriverbium est; *Hostis contemptus nocet.* Sæpiùs despecta, & despecta virtus galeam generosè involat, nova arma procudit, animo in audaciæ incude indurato. Non rarò vires elusæ fuêre victrices. Risit Goliath, Philisthæus Enceladus, Davidis Pueritiam, baculo & fundâ armatam: *cùmque vidisset David, despexit eum.* 1. Reg. 17. v. 42. Sed enim Giganti gulam gladio præcidit. Abjectus tenuisque lapillus, Dan. 2. v. 35. auro & ære atque ingenti mole circumfusam Statuam funditus stravit. Remora, exiguus admodum pisciculus, suas habet spinas & crustas; quibus Aquilonum marisque procellosi furias eludat, & Classes velut immobili anchorâ sistat. Rectè Naso:

Parva

Parva necat morsu spatiosum vipera taurum;
A Cane non magno sæpè tenetur Aper.

Etiam mus lacessitus mordet; apicula aculeum figit; & formicis, si irritentur, sua bilis inest.

Nescio, quibus rimis Bredenrodio ampullacea Caroli dicacitas patuit. Narrat Confœderatis, totam nobilium Coronam sermone Gallico *Geux, Geusios*, mendicabula (ita linguæ illius Phonasci interpretantur) Barlemontij dicterijs esse perstrictos. Stomachantur quidam; alij in jocos sarcasmos vertunt, se Regis Patriæque gratiâ libenter *Geusios*, mendicos & egestatis mancipia fore asserunt. Compotatur dein convivantium more coronatis cyathis; saluti Regis, & *Geusiorum* acclamatur: *Vivat Rex! vivant Geusij!* Interim Bredenrodius, combibonum coryphæus, ex angulo rapit mendicantium symbola, manticam, pasceolum, & nasiternam; atque dum hæc
Psal. 81. v. ult. dadatim in circuitu (ut impij solent) inter gelasinos ambulant,

Vertitur Ænophoris fundus, sententia Geusis.

Crescit bacchantium furor ingeminato clamore: *vivant Geusij!* Egenorum supellex, mantica, sacculus & ligneum poculum è trabe suspenduntur. Ne asymbolus quisquam esset, crispatis naribus deridiculè omnes sese in ludibrica provocant; imò in fœdus, per panem, salem, & manticam tenaciter ictum, atque repetitâ vocum inconditâ contentione (*vivant Geusij!*) stabilitum. Alias animorum intemperias larvasque supervacaneum est recensere, quibus *Geusiorum* nomine factioni suæ præludia fecerunt & protasin Tragicæ Scenæ, Tyranidi inquam.
Xenoph. l. 1. Animati quippe Cyri judicio, *quòd res sit pulcherrima pro libertate bellum gerere, quam nemo bonus nisi cum anima simul amittit*, in bellum, unicum
Salust. Cat. suæ salutis Palladium confugiunt. *Bonos* aiunt, *decet viros, si afficiantur injuriâ, pacem bello mutare.* Animati etiam Atheniensium exemplo, quòd relictâ urbe conscensisque navibus, pro
Thucyd. l. 1.
Plut. in The.
publica libertate ad Salaminem contra Xerxem decertarint. Post Bacchi itaque Thyrsos agminatim Martio impetu percelluntur: terrâ marique Belgium ingenti Bellonæ furore concutitur, exercitu *Geusiorum* quadrifariàm circumfuso undequaque lacessitum. Provinciam Gallis finitimam Ludovicus Nassovius; Germanis conterminam Bergensis; mediam Guilielmus Orangius; Maritimam Lumæus, quà ferro, quà igne scelestâ crudelitate infestarunt. Tum in Vrbes & Armatos militari licentiâ ædibus, ærariisque expilatis desævire, immani barbarie in sacra & Deo dicata debacchari; Templa & Cœnobia depopulari; Simulachra Divorum, Cælitum Imagines pedibus substratas comminuere; ætati nulli, teneræque verecundiæ parcere; sepulchra, & requiem Manium violare; Sacerdotibus & Religiosis extrema quæque minari, ad flagra & virgidemias rapere, in antra & loca subterranea compellere, & cruciatibus, plusquàm barbaris, excarnificatos suspendijs devovere; in ipsos etiam Superos bellum movere, Sacrosanctam Eucharistiam (obturate vestras Creaturæ aures, ne tantum nefas audiant!) humi affligere, & impijs plantis conculcare: denique cùm non homines, sed hominum specie Diras Inferorum Larvas referrent, nihil eorum omittere, quæ erumpentes ex Orco Erynnes aut Megæræ machinarentur.

§. 3.

Fructus Palmæ Tropologicæ in Martyrio, Gorcomij cœpto.

AGedum venerabilis P. NICOLAI PICHII dum faces belli Batavas Provincias corripiunt, proximus ardet Vcalegon Gorcomij. Cernis ut Coprei *Geusii* caperent frontes, vibrent acinaces, agitent cultros, funes in jugulum, manicas in brachia, sclopos in pectora intendant; furor arma ministret Sanguinarijs? Jam Gorcomium avidi prædæ appetunt, insidijs undi- 436.

undique cingunt. Nisi cum tuis Consecraneis victima tyrannidis esse velis, actutum elabere; fugâ solum verte; in hac sola tua, tuorúmque salus.

Quid, ait, quid fuga, quid arma, quid tyrannis pectori fidei authoramento roborato? Nil moveor; nec latum unguem cedere animus est. *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.* Ruat in me licèt totus *Geusiorum* exercitus, in statione maneo. Sed vide sis animate Nicolae? terreant cruenta vestigia. Jam Alcmariæ, Brilæ, Enchusæ, Dordraci fanatici in Catholicos imaniter sæviebant, Religionem pessundederunt: Cœnobiras crudeliter ad carnificinam rapiunt. Nil terror, inquit. *Non timebit cor meum* Deo Duce. In hoc ego sperabo. *Qui timet Dominum, nihil trepidabit, & non pavebit, quia ipse est spes ejus.* At vero beate Pater? cælestis tibi non aderit Genius, qui tanquam Apostolorum Principi, Petro, pedicas solvat, manibus Barbarorum eximat? vel cum D. Paulo per fenestram in sporta dimittat per murum? Quidquid fit, aut fiat, *non timebit cor meum*; nec hilo nec pilo recedo. Numina nôrint, miseris succurrere rebus. Sed enim, magnanime Hector Christiane? an non animum penetrant tot hominum proborum, & Ecclesiasticorum trepidantia pectora, ejulatus & lachrymæ? O ut vereor! nam odium *Geusiorum* in Franciscanos vatinianum est: saxo quàm homini propior est, qui cæsijs oculis ferróque armatum hostem non fugit. Nihil agis, nihil moliris, ait, *non timebit cor meum.* Non nutat, qui in Oceano Divinitatis aut sanguine suo pro Fide natat, securus de salutis tabula.

Quid si venerande Pater & Avunculè nescias (refert illius ex sorore nepos) quæ malorum ilias illicò ab his Harpyis, *Anabaticis Geusiis*, impendat?

Tristius haud illis monstrum, nec sævior ulla
Pestis & ira Deûm, Stygijs sese extulit undis.

Quid si nescias, ruricolam, Religioni nostræ consecraneum, Arnoldum Cnappardum, fustibus improbè delumbatum, dedolatis artubus, auribus detruncatis, malo prædatoriæ navis suspendisse? sclopis, tessellato lardo animatis, in præmij propositi certamen petijsse, donec spiritum exhalaret? & hæc non pridem? si talia eum Laicis, quæ acerbitatum minæ, pœnæque Minores Fratres manebunt? Sic ita; nimis juveniliter trepidas, charissime nepos, rependit Pićtius; *non timebit cor meum*, in quo amor Dei & Fidei imis fibris adolevit. O ut feliciter ille, rurinatus, Elysijs est campis implantatus. In antennis pendens cælo proximior fuit! Quid si tamen animo occurrant R. P. Danielis, Alcmariensis Guardiani supplicia? è Cœtu tuo Vir erat planè Seraphicus, quia sanctis desiderijs ardentissimus; Seminarij & Monasterij Lovaniensis olim Moderator? Horrendum dictu! ut captâ Alcmariâ Geusij rabie pleni in Religiosissimum hoc Caput, & sibi Subditos asperati sint. Nodosis funibus ligatos, multis convicijs ludificatos, & plagis sanguinem rorantibus concisos, proprio cruore in sitis levamen propinato, Enchusam rapiebant. Ibi tandem Christum in SS. Eucharistia Divinitate & Humanitate præsentem constantissime testati, in furcam sunt acti?

Memorem mones. *Non timebit cor meum.* Nulla fuga persuadetur, cui mori pro fide mordicus est persuasum. Prævisa minùs ferient jacula. Jam B. P. Daniel cum suis Martyrij adoreâ gloriosè in astris triumphat. Ita non obscurè faces indicinam faciunt, quæ concubijs aliquot noctibus palæstricam Martyrum aream illustrârunt. Non itaque, *non timebit cor meum.* An *Geusiorum* quæcunque imanitas spem Deo nixam mihi eripiat? Eripiat ea, quæ Numine dante accepi? *Sicut non vincitur, qui dat; sic non auferetur, quod dat.* Fortior est ille Providentiæ Divinæ oculus, quo Deus nos respicit. Hunc timeo. *Quidquid aliud fremuerit, quidquid aliud superbierit adversùs nos, non timeat cor nostrum.* Nam *signatum est super nos lumen vultûs tui Domine; dedisti*

Psal. 26. v. 3.

Eccli. 34. v. 16.

Act. 12. v. 7.

2. Cor. 11. v. 33.

Virg. lib. 3. Æneid.

S. August. in Psal. 26.

S. Aug. ibid.

disti lætitiam in corde meo. Igitur *non timebit cor meum.* Eia charissimi Fratres; Minores hodie, paulò pòst Maximi fidei constantiâ, quia ad Cruels superlativum nati. Non inficior, crudeles sunt Syderatorum *Geusiorum* Pœnæ, quas humana mens horreat; nullis tamen viribus in fugam, vestrique discidium convertar. Macti animi Filij Religiosi! *Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere.* Spicula, funes, rhomphex, secures, unci, candentes laminæ, æquulei solum corpus affligunt & affigunt, animam nec minimùm penetrant, vitæ securissimam; nisi quis mortiferi peccati telo eam adoriatur. Agite! perpendite vos imitationi Christi ex affe esse dicatos; *Communicantes Christi Passionibus gaudete.* Perpendite vos Genuinam Palmæ Seraphicæ Sobolem! Premitur, non deprimitur; semper Victrix Palma est, Quocunque ponderum malo aut mole inclines, *inclinata resurgit.* Mille licèt injuriarum & cruciatuum gravamina in vos ruant, non obruant; nam Sureuli Gloriosæ Palmæ estis: Inclinata resurgit alacriùs. *Inspicite & facite secundùm exemplar, quod vobis in monte monstratum*, in vertice Alverni Seraphico nostro Francisco impressum est. Heu! quamis JESVS in Palma Crucis supplicijs oneratus? *Inclinato capite tradidit spiritum.* Sed inclinatus resurrexit. Superi non siverint, ut à Fidei Romanæ Luce per Tortorum minas manùsque ad Averni tenebras deflectatis.

Matth. 10. v. 28.

1. Pet. c. 4. v. 13.

Exod. 25. v. 40.

Ioan. 19. v. 30.

Verùm ut paterna cura fuit, hac Paræenesi ad fortitudinem vos excitare, ita neutiquam imperium est, Gorcomio vos affigere. Quisquis suis diffisus viribus non satis ad luctam & lethum se apparatum veretur, oeyùs meo & Christi arbitratu hinc emigret. *Cùm persequentur vos in ista civitate, fugite in aliam.* Ego quidem, & pati & mori pro Fide Romana promptissimus, nullâ vi, nullo studio, ex hoc stadio divellar.

Matth. 10. v. 23.

Dixit; & infractâ manet hac sententia mente.

Vincere, stare, mori, primus conclamat Achates;

Vincere, stare, mori reliqui clamore sequuntur.

Sic unanimi fortitudine utrinque parati, arcem velut arenam certaminis ingrediuntur, Duce Beato NICOLAO. Hic in id accuratè intentus, quomodo oculatissimus possit esse Argus, ne feroces lupi suis de ovicu-lis aliquam fallerent; ne Palmæ Surculi in Fide languidi pallerent. Suadet ergò, ut pulvere conscientiæ per exomologesin absterso, Sanctissimâ JESV Christi Carne firmati, & pretioso ejusdem Sanguine rigati, novo flore virescerent.

Interea *hostis habet muros; Geusii* urbe & arce Gorcomiensi potiuntur; sæviunt, prædantur, sternunt sacrilego furore omnia sacra. Superbo se vertice jactant victores terrâ mariqùe. Sed heus! efferatum *Geusiorum* scelus! Propagines Seraphicæ Palmæ te glorioso fructu triumphabunt! *Ascendam, & apprehendam fructus eius.* Novi nimirum fructus prominent. In primis *Mansuetudinis.* O ut ludibria, deridicula, sarcasmos, hostiles insultus, probrorum aculeos, fustuaria, acerbitates pœnarum, maledicta, etiam à sordidissimis scurris intentata, sereno vultu, amabili animi tranquillitate, sine amaritudinis nota, pro melle, dulciarijs, & macteis habuêre: non aliter, quàm Sanctus Stephanus saxorum imbres in rorem; Vincentius & Tiburtius prunas in plumas; Laurentius crates in rosas verterunt. Novi fructus *Tolerantiæ*: cùm Palmatiæ Plantæ in fœtidum carcerem compactæ, pugnis pugilicè contusæ, humi insano fremitu applausæ, pedibus immaniter attritæ, ad insultantium Mastigiarum flagitiosos verberum imbres, amore Christi *in corde bono & optimo fructum in Patientia* attulerint. Luc. 8. v. 15.

Novi fructus *Constantiæ*: Cùm in Fidei Orthodoxæ confessione immobiles, nec Phalaridis comminationibus, nec Procustis terriculamentis,

nec lividis funium monumentis, nec sanguinolentâ tergorum inscriptione (ut alia prætereamtormenta) à sententia enervari potuerint, quâ corpoream in Sacramento Eucharistico præsentiam, & visibile Romanæ Ecclesiæ verumque Caput, Pontificem Maximum, contra Septicollis Anti-Christi Sedis ludibrium, atque injuriosè impactam Idololatriæ dicam, strenuo invictóque animo asserverunt. Præsertim nobile Palmæ Brachium Beatus NICOLAUS PICHIUS uberes Constantiæ Fructus produxit. Cui illud Threnodi
Jerem. c. 17. v. 8. Prophetæ convenit. *Et erit folium ejus viride; & in tempore siccitatis non desinet facere fructum.* Aderant equidem quatuor elementa, vires intenderunt omnes, ut virorem animi depascerent. Sed diversas inter eorum injurias sibi similis, & fronte eâdem, hæc frons Palmaris stetit.

Terra actum egit. Tenuit equidem fune in collum injecto humi stratum, ceu novas, quibus pavimentum vereretur, scopas, corpus; non mentem, quia generosè semper erectam & sublimem. Alterum in PICHIO Antæum vidit, qui fortior semperè Matris gremio exilijt.

Aëris inclementia minùs suam NICOLAO fortitudinem, quam Herculi Clavam, extorsit. Humi itaque volutus in altum suspendio rapitur; jam tintinnabuli instar (campanam ætas nostra vocat) utramque in partem pendulus excutitur; jam sursum deorsúmque motu reciproco trahitur, donec, vicissitudine crudelitatis defervente, funem clavo querno vel ferreo innodatum, libertæ autæ mortisque præsenti periculo permiserint. Hederam modò pro Fide suspensam Beatum Martyrem NICOLAUM compellarem, nisi Palmæ Ramum esse scirem. Tandem nescio longo an ex attritu, an commiseratione intensus rumpitur laqueus; NICOLAUS nativo pondere solo allisus feminece corpore plausum dedit aëri, non victoriam. Poterat hic cum
Ps. 17. v. 6. Psalte exclamare: *Præoccupaverunt me laquei mortis.* Nec minùs: *Posuerunt* Ps. 118. v. 110.
peccatores laqueum mihi, & de mandatis tuis non erravi. At nunquid etiam cum eodem accinere: *laqueus* Ps. 123. v. 7.
contritus est, & nos liberati sumus? Nequaquam, *unus adhuc superest labor.*

Ignis namque sibi victoriam persuadet. Sed invenit in Beato NICOLAO Scævolam Romanum. Aderant postliminiò Flagriones, & de vita dubij, certitudinem flammis explorant. Accensas applicant faces. Non satis iratis Vulcani Emissarijs frontem, tempora, aures, genas & labia truculentâ insaniâ amburere; ipsis etiam tædis spiracula narium, & cerâ liquatâ, in buccas defluente, linguam palatúmque examinant: Denique sine vitæ reliquæ vestigio plantis ignominiosè obtritum deserunt. Vbi estis consortes animosi Palæstritæ? Ergò jacet Dux vester penè mortis victima? Accurrite: *Non* Isa. 53. v. 2.
est species ei, neque decor. Cernite *despectum & novissimum virorum; virum dolorum, & scientem infirmitatem.* Imò vix scientem, quia deliquio à sensibus abreptum. Spes vitæ humanitùs decollat. Quis enim tantæ ferociæ suppar ferendæ esset? Sed *Folium eius viride, & in tempore siccitatis non desinet facere fructum;* viget adhuc B. Pichius.

Vivit, & est vitæ nescius ipse suæ. Ovid. in Trist.

Scilicet *timenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione DEUS* Eccli. 34. v. 19.
illum conservabit, & liberabit à malis. Hic protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris & umbraculum meridiani; adiutorium casûs, dans sanitatem & vitam & benedictionem. Surgit itaque, & Palmâ igni ereptâ pro Catholicæ Fidei gloria in novam descendit arenam, spectante Neptuno.

Maris nempe unda submerget fortia in adversis pectora. Quare *veteres migrate Coloni,* Ita jurata stygi capita male feriati *Geusii* imperitè vobis imperitant.

Om-

Omnia volvuntur, nihil immutabile terris;
Huc illuc homines, aſtráque, caſus agit.

Brilam in Hollandiæ Portum navigetis oportet: ut verè liceat dicere Pſal. 65. v. 12. cum regio & coronato Propheta, *tranſivimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.* Ibi cum vita ſolvetis naulum. Ibi feralis vos expectat Cataſtrophe.

Aiunt, hoc dirarum in Theatro LXXXIV. viros Eccleſiæ Romanæ & Religioni Sacros eſſe necatos. Sed a- Fam. Strad. l. 7. ann. 1570. mabo Brila define jam ludos Albano facere, Brillas (ita conſpicilia Belgæ nominant) illius imagini grandi cavillà à tergo affingere. Tuis naribus oculares hos frænos injice; videbis ocalatiſſima, Seraphicam Palmam tanquam *lignum, quod plantatum eſt ſecùs* Pſ. 1. v. 3. *decurſus aquarum, quod fructum dabit in tempore ſuo.*

§. 4.

Fructus Perſeverantiæ in Vrbe Brilenſi.

437. BOnâ tuâ veniâ Bilbilitane Vates liceat mihi verſus, quibus Loricam Domitiani animas, Mart. l. 9. Epig. 1.

I, precor, & magnos illæſa merere triumphos,
Palmatáq; Ducem, ſed citò, redde Toga,

in invictum Christi athletam, Nicolaum Pichium ex fonte & vena tua derivare:

I Nicolae;

I, precor, & magnos illæſa merere triumphos,
Palmatáq; Ducem te citò redde Togæ.

Age generoſe Heros. Nunc paulò majora canemus. Conſcende ratem, naviga feliciter ad Triumphi Portum, Palmatæque Ducem te citò redde Togæ, qua victorioſi olim Romani incedere Purpurati. Sic opus & uſus eſt: nam (Superi! ut innocentia Militum veſtrorum petulanter laceſſitur!) veſte ſacrâ ſpoliatus totus cum tuis ad interulam uſque appares nudus, ludus, detectus, jocus Pantomimicis Cinædis. Palmatæ ergò Ducem te citò junge Togæ: Præbe tuis te Anteſignanum ad Purpuram, non murice, ſed ſanguine imbutam.

Sed fruſtra admonitum volo: adverto enim, meâ quidem mente, B. Martyrum Ducem nudum pro nuda veritate Fidei ſtare. Audio ijs verbis pathetice perorantem, quibus olim Dux Gelon Syracuſanos ſuæ vitæ inſidiatores, rejectis longè armis, chlamyde, thorace & ſyntheſi, eſt affectus. *En* Ælian. l. 13. hiſt. *ego amictus tunicâ nudus adſto, & dedo me vobis, ut pro voluntate lubitúque mecum agatis.* Quaſi diceret. Videtis me Hæreſeos Aſſeclæ? Me, inquam, Ducem & Interpretem meorum? ut quidquid dicam, una ſit mens omnium, voluntas una Fratrum Minorum. Exuiſtis nos Tunicis, & veſtram inſaniam detexiſtis. Veſtes rapuiſtis; Loricam Fidei, & Galeam ſalutis, nunquam Christi militibus eripere poteſtis. Cernitis nos *telis quidem ſæcularibus nudos, ſed armis fidei armatos.* Vah Cypr. l. 2. Ep. 6. probrum! quo Vates Huſſæus vos perſtringit: *Nudos ſpoliaſtis veſtibus.* Quid, Iob. 22. v. 6. inquitis, nudos? ſi nudi: quomodo veſtibus ſpoliandi? Scilicet juxta Philoſophi axioma. *quod modicum eſt, quaſi nihilum reputatur.* Nos malè con- Ariſt. l. 2. Phyſ. ſarcinato & centonario opere paupere habitu modicè tectos ſpoliaſtis, quaſi nudos, quia Cæli aëriſque inclementiæ quaquà pervios. Ecce jam nudos; ſed apertos veræ Fidei teſtes? Ecce nudos; ſed innocentiâ ſuâ probè opertos. *En ego cum meis amictus tunicâ nudus adſto, & dedo me vobis, ut pro voluntate lubitúque mecum agatis.* Vſq; ad improbas iras, ad aras, ad oras extremas Eumenidum, ad ultimam ſanguinis ſtillam dedo me vobis.

Quid refert uri, virgis, ferróque necari? Horat.
Quid laqueo? auctoratus ſum.

Conſcribite tergora flagris, arate ſulcis lacertos; lacerate, deartuate, exanimate hoc corpus pro amore Christi, & Eccleſiæ Romanæ honore. Corpus eſt, ad vulnera natum, ad acerba fata paratum. Nil moror: *Auctoratus*

 ſum

sum votis, Religione, Fide, Sacramento: & his lubens libens. Serviet tum corpori meo illa inscriptio, quæ vestimento, olim concinnitatis impendio minutatim inciso: *Ex vulnere pulchrius.* Serviet tum animæ meæ lemma, quod Palmæ frondi, Coronæ & & Lauro decussatim sociatæ: *Cæsa triumphat.* Referent corpus & anima simul in Fide sonoras Fides: Quò magis in his chordæ torquentur, cordatiores fiunt. Quò magis in illis Martyrij nervi tendentur, animosiores erunt; ut utrique hoc scitum præfigi possit: *Vis ipsa torturæ Fidem facit animosam.* Denique, ut verbo omnia stringam, Totus quantus & qualis sum, Incus ero. Vos à Plutonijs Ciclopibus excitati Mali pessimi mallei, ex Tænario furno emersi, vos aërem verberabitis. Tundite me; tendite fabri brachiorum fibras; ad numerum ictus geminate, & actus Tyrannidis: Durabo Incus. Ita me Jupiter amet. Nam nomen & omen habeo. Si lubet nominis hujus elementa FRATER NICOLAUS PICHIUS alium in ordinem & syllabas redigamus, mox Anagramma occurret: O LUPA: CHRISTIFERA INCVS. Vel non multùm diverso sensu: O LUPA FERA! CHRISTI INCVS. O Hollandia! (diceret Momus Hollandia, ubi Calvino Charonte tot animæ per Cocytum navigant ad Æacum) O Hollandia Lupa! Quid enim, nisi perfida, quæstuosa, perjura, adultera, impudens Mœcha audis? Quæ priscam Deo sanctè datam Fidem sacrilegâ perfidiâ profanasti? Ecclesiæ Romanæ arrham novitatis libidine prostituisti? cum adultero Rivali, Calvino, inquam, te (proh scelus!) propudiosè polluisti? O LUPA! CHRISTIFERA INCVS. Frater Nicolaus Pichius durat ut Incus, in qua virtutes Christi, patientia & fortitudo suo Exemplari conformes excuduntur & acuuntur, Incus Christifera, dum refert Christi incudem; dorsum nempe illius, *supra quod fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam*: hoc est, ut disserit bellè Pientissimus Bellarminus Card. *utentes dorso meo pro* *Incude, quam Fabri ferrarij assiduè percutiunt.* O Batavia! O LUPA FERA! CHRISTI INCUS. Lupa fera, quia bellua ferox & truculenta. Suxerunt olim ex Lupa sylvestri Vrbium Reginæ Conditores, Romulus & Remus Juris æquitatem,

Ps. 128. v. 3.

Sup. Ps. 128.

- - - - Remo cum fratre Quirinus Jura dabant. Virg. 1. Æneid.

ex te verò accolæ tui omne nefas, & impietatis venenum. O Lupa fera! Quæ sub ovinis exuvijs publicæ Libertatis, Conscientiæ & Religionis, crudeliter in Catholicas oviculas ferocis, & inhumanâ rapacitate eas dilaceras. Sed nec superas nos, nec separas. CHRISTI INCUS sum! Non petulcæ Veneris Incus; in qua lethalia amoris tela cuspidat. Non tonantis Jovis; in qua Vulcanus trisulca fulmina procudit. Non indomiti Martis; in qua funesta arma asperat. Non Junonis; in qua superba Sceptra & Coronæ turbinantur: sed CHRISTI INCUS, in qua & patientis & morientis Crucifixi Redemptoris imago examussim imitationis studio efformatur.

Hæc inter converterunt Geusij pollices; jubentur expositæ ictibus incudes stare, flagra repetitò dorsis incumbunt. Atque ubi Beati Martyres multis injurijs, fame sitiq; & fœtore in navigio sunt macerati, propinatâ omnium malorum nauteâ, tandem carina allabitur Brilæ, ceu Viridario (sic vocant Incolæ.) Rectè, NICOLAUS (per anagramma) ALCINOUS spectabat ad hortum. Huic Palmæ Rami dehinc implantantur, ut proprio rigati sanguine æternâ viriditate floreant. Fama est, Dominicâ Palmarum eam Vrbem à *Geusijs* occupatam esse; quasi prævio augurio Triumphi, in Seraphica Palma futuri.

Quantas Brilæ exantlarint ærumnas Purpurati Christi Heroes, præsertim B. NICOLAUS PICHIUS cum FF. suis, *non mihi millenis si lingua mille figuris* essent, dignè profari & proferre possem. Quis satis enarret, quibus sannis & auriculis à Tyranno Guilielmo Lymmæo fint excepti? Quo ignominioso plebis insultu, Crucem mastigiâ

giâ quodam præferente, Patibulum sæpiculè circumire fint jussi, sacris Catholicorum ceremonijs in ridicula versis? Puerorum petulantia cœno & luto eos conspurcârit, ut se Catamitos ostenderent? Lixarum effrænis licentia, saxis in illos jactatis, aërem velut nimbo condiderint? Cives maledicta congesserint? alternis eos virgis & flagellis verberones proscinderint? Quomodo fustitudinea hac in insula, lumbifragio sæviente, solo affixi? jam à furcarum ludibrio, manibus post terga revinctis, in squalidum carcerem compacti; jam ab hoc denuò ad catastas, velut ferum cavillantis turbæ forum, raptati? Vt linguæ suæ non ampliùs temperaret B. HIERONYMUS Werdensis, quin heroico equidem spiritu, comite tamen modestâ æquanimitate exclamaret: O immites *Geusios*! Quæ gens unquam tantâ barbarie in captivos exarsit? Navigavi Provinciatim Adriaticum, Jonium, Libycum, Syriacum Pelagus. Tenuêre me Cretæ & Cypri Insulæ, sævitiâ Barbarorum horridæ. Incidi in Saracenos, Judæos, Græcos, Sarmatas, Getásque. Manicis & pedicis injectis acriter vapulavi: sed errasti Naso, dum præcinis,

Nulla Getis toto Gens est truculentior Orbe.

Tantam tyrannidem vidi nusquam Gentium, quâ in Catholicos armantur cæriti & cerebrosi *Geusij*.

Ah frustra hæc B. Hieronyme! in auram verba effundis. Auritus non est hic populus, nisi *Batava aure*; Cerebrum eum Cerbero mutârunt. Quis è contra stylo satis assequi possit, quâ animi malaciâ tantam malitiam commotæ Plebis tulerint. Quomodo iverint *gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine JESU contumeliam pati?* Quàm devotâ vocum alacritate & harmoniâ sacros Hymnos, usitata Ecclesiæ Carmina, Supplicationes Deo, sibi Lessum concinuerint? ut sanctissimam Deiparam MARIAM, Reginam Martyrum festivo modulamine, *Salve Regina*, demulserint? exporrigente interim

Act. 5. v. 41.

lumbos Lummæo; vigilique ad numerum & mensuram virgâ, quâ scelerati Scurræ lacertis discussissimis cantum ditexêre, & diriguêre Beati Martyres. Quin & ego ad tam tragicum spectaculum, vel Medusæum Tyranni caput, totus obrigesco. *Clauduntur rivi; vox faucibus hæret.* Vos, A A. non jam auribus, sed oculis usurpate tam duri dirique Martyrij hypomnemata, quæ eruditâ hypotyposi FLORIDUM IN FASCICULUM CRUCIS vobis Anglipoli vernaculâ collegit & colligavit, Seraphicæ Religionis Reformatorum, Vir Clarissimus, quia certant in eo virtus & scientia de Palma; unanimes tamen, dum utramque modestâ animi demissione pulcherrimè componit. Habetis ingenioso hoc in Florilegio suavissimum BB. Martyrum Gorcomiensium Fidei constantis odorem. Habetis in prælo gloriosum eorum prælium. Ego ad Triumphum & Lauream pergo cum Palmaribus his pugilibus. *Quid enim prodest certamen, nisi sequatur victoria?*

Adm. R. P. Barn. Kirkh, Ss. Theol. Lector.

S. Aug. c. 6. de gratia & lib. arbit.

§. 5.

Fructus Victoriæ.

APprehendam *fructus ejus.* Tandem Fructus Victoriæ maturescere cœpit, postquam invicti Palmæ Rami sub immiti hac tempestate & cruento imbre insigniter erecti steterunt. *Nam Cedrus & Palma nec in tempestatibus curvantur.* Sistuntur igitur in Curiâ coram Tyranno Lummæo. Jubentur, censorio supercilio, Orthodoxam Fidem, vivam in SS. Eucharistia Christi Præsentiam, & visibile Romanæ Ecclesiæ Caput ejurare. Hic unà omnes animo non discolore abominari scelus; detestari; antè ultima Carnificinæ exempla subituros. Corrugantur nares; tollitur à milite confusus & inconditus clamor. Tormenta intentantur obstinatis. Illi è contra, se adorare JESUM Christum in Sacramento vitali præsentiâ latitantem; pro eo vitam, per quævis supplicia, ponere paratos; eundem omnibus sensum,

438.

S. Aug. in ps. 91.

vocem esse omnibus unam. Ad hæc multò altiùs ululant Lupi, majorique rabie acti longos stringunt dentes. Verbo, ad restim pervenit; funestum Theta inscribitur; ad Crucem, ad Furcam iniquissimâ sententiâ Sisamnio velut judicio deflectitur.

Quid hoc immanissime Tyrannorum Lummæ? Deum immortalem! Quid hoc furciferi *Genssij*? Itáne dementatis, insaniâ abrepti? Patibulum Gal. 3. v. 13. maledictum est lignum; quia *maledictus omnis, qui pendet in ligno*. Æterni dedecoris est character; ferale Theatrum, in quo Malefici, Tenebriones, Perfidi, Laverniones, Sicarij, Prædones sua luunt scelera.

Asyrij Pharnum in Furcam egerunt; quia Nino Regi, ejúsque imperio insidias molitus est.

Dux Carthaginensium Hanno virgis antè cæsus, deinde prævio crurifragio in Cruce est suspensus, quòd Primores Civitatis in Filiæ suæ nuptijs veneno interimere constituisset.

Apud Hebræos jussit Deus Principes Populi suspendio tolli, quòd in scortatores & idololatras non animadvertissent. Num. 25. v. 4. *Tolle*, inquit, *cunctos Principes Populi, & suspende eos contra Solem in patibulis*. Apud Persas Aman sui fastûs & superbiæ; apud Poenos Bomilchar conspirationis; apud Græcos Arctaystes, templorum funerúmque depeculator, sacrilegij sui in stipites suffixi pœnas dederunt: Val: Bestius ob homicidium; Achæus Rex Lydiæ propter avaritiam patibulati audiunt. At verò, cur ipsa innocentia suspendium subeat? cur Patibuli ignominiosæ sint appendices BB. Christi Milites, in quibus nec mica, nec scintilla criminis apparet, ut ut vestra Tyrannis ipsam integritatem silice excutiat? Tu me Hercle Lummæ omnium dignissimus, in quem cruciatus confluant, qui interstrictâ gulâ pendens

Ovid. in Ibin. *Morte vel intereas capti suspensus Achæi.*

Jam rumor ex Cûria in vulgus emanavit, Patibularios esse Gorcomienses Religionis Catholicæ asseclas. Mox incaluit multitudo, forum tumultuariâ concione implevit.

Omnem tamen priùs movent lapidem germani Fratres B. NICOLAI PICHII, ut à generis sui splendore tantam infamiam amoveant, & à fratre suo funestam mortem. Offerunt *Genssiis* esseris pecunias, ut exarmarent furorem. Quid enim non valet vis aurea? Sunt, qui rigidi in ferrum, pretio facilè expugnantur, & placidis pecuniarũ nimbis aheneas Acrisij turres JOVI AUREO reserant. Nec ære solùm, sed & ore catapultam liberationis instruunt. Conversi enim ad Germanum, & quæ te, inquiunt, genuine Frater, larvæ tenent? quæ vecordia mentem? Túne hanc dedecoris notam Prosapiæ nostræ inures? infami pendulum trabe carnificum litari manibus? sanguinem nostrum ita vilipendere? vitam non admodùm provectam turpi præcipitare morte? Nunc si velis, vales esse liber: uno verbo ex ærumnis in felicitatem, ex compede in libertatem transibis. Ergò efflictim rogamus, verte in meliora & molliora sententiam. Si non lubet religionem tuam sincero detestari animo, umbratili larvâ & sub fictionis pallio tege.

Dissimula, simula quoties occasio poscit.

Quid faciliùs, quàm mentem ad tanti momenti pœnas fingere & refingere? Christum non lædere, sed ludere Simium Christi (prô Argivam Heterodoxorum calumniam!) Papam? Cæterùm si pertinaci genio nostra spreveris consilia, cave sis, ne magis etiam nostrâ industriâ inconciliati Judicis succenseat immanitas, Licynij quasi fulmine, nullâque inhumanitatis parte omissâ.

Quid ad ista B. Palæstrita NICOLAUS? Ingenuus Palmæ Ramus inter blandimentorum Zephyros æquè ac furentes minarum Africos nil à se mutatus angitur, nec frangitur. Incus maxima non metuit strepitus: ictus invicta sustinet. Frustra, ait, chari

ti Germani mihi Familiam oggeritis, quam ab ephebis obtrivi. *Probati viri genus, virtutis prosapia est. Familia hominum splendore generis nobilitantur; animarum autem clarificatur gratia splendore virtutis.* Qui cælo nasci cupir, non capitur suis natalibus, quibus lubens moritur. Et an arduum creditis, aut contumeliosum, pro Christo vitam prodigere? Ille pro nobis Crucem suo sanguine nobilitavit; & ego tanti amoris sim asymbolus? Ille in arbore priùs mortem subijt, ut animosè sequeremur. Summa est felicitas, vitam ei impendere, à quo accepimus. Vitam, quam mihi protollere tam festivè adornatis, morti posthabeo, libertatem vinculis; pati, non evadere cupio. Et tamen

Div. Paulinus. *Carcere sic cæco claudar, nectárque catenis,*
Liber in excessu mentis adibo Deum.

Sed dissimulatâ Religione annos & canos redimam? O helleberosos Germanos! Quid illud S. Paginæ? *Qui* Luc. 9. v. 26. *me erubuerit, hunc Filius hominis erubescet.* Quid illud alterum? *Omnis qui-* Luc. 12. v. 8. *cunque confessus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur eum coram Angelis Dei.* Bona Numina non siverint, ut sinuoso Fidei pectore fumos perperàm in ore vendam! *Corde* Rom. 10. v. 10. *enim creditur ad Justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Qua in re eleganter differens aureæ eloquentiæ Antistes: *Radix*, inquit, *Confessionis Fides est cordis; Confessio autem fructus est Fidei. Ergò nec valet Confessio oris sine Fide cordis, nec Fides cordis sine Confessione.* Vtramque debeo Christo, & legitimo ejus in Ecclesia Successori Summo Romano Pontifici; utramque libens impendo, etsi vitæ cum jactura. Ita animo firmiter sedet meo. Neque pertinaciam credite, sed constantiam, à Christo nec transversum digitum discedere. Si vestigia illius heroico pressero pede, paulò pòst absterso dolore æterno me gaudio perfundet. *Mihi vi-* Philip. 1. v. 21. *vere Christus est, & mori lucrum.* Vobis brevis voluptas mortem inferet; mihi mors interminam voluptatem. Vos post mortem Tartari pabulum eritis, ego in Cæli Charistijs conviva. Vos à temporaneis rosis in æterni supplicij ruetis barathrum; ego ab his pœnarum spinis ad Elysios volabo campos. Vos à mundano deliciarum rore ad Tænarias noctis umbras; ego ab hac nominis obscuritate ad perpetuum Solem. Verbo: Vobis vita, erit Hesperus mortis; mihi mors, aurora vitæ.

Quam ob rem elegit suspendium ani- Iob. 7. v. 15. *ma mea, & mortem ossa mea.* In quæ verba Sanctus Odo Cluniacensis. *Quid* L. 8. mor. in Iob. *per animam, nisi mentis intentio, & quid per ossa, nisi carnis fortitudo designatur.* Scilicet unicus scopus & obtutus meus Crux est. Sine metu metam mortis curro; Exemplum Christi calcar addit. Ita adamantino sum animatus pectore. Facessite hinc Germani Fratres; surdo canitis Calvini fabulam; in marmore seminatis hæresin.

Ergò revocant celeri pede gradus; nescio, an suffusis rubore genis, an naribus bile turgentibus incitati. Dum suam illi luserunt operam, Geusiorum intemperies sub id temporis strenuè insistit operi, & sententiæ executioni. Nox 9. Julij 1572. appetijt, cùm novo personat æther debacchantium clamore. Strepitant catenæ, nodantur funes, animantur faces, cursitant Laternarij, effracti Carceres patent, petuntur: compelluntur Beati Crucis Candidati, qui in sanguine Agni stolas suas dealbent, bini & bini consibulantur. Circumspicitur supplicij Theatrum, Horreum squalore & tenebris horridum. Nihil agitis hic Tenebriones *Geusii*; imò bono omine rem agitis. Nam in hoc Horreum Martyres *ve-* Ps. 125. v. 6. *nientes, venient cum exultatione portantes manipulos suos* patientiæ & fortitudinis: Hoc obscuro in antro Sidera ista clariùs lucebunt.

Horâ deinde primâ noctis ad patibulum rapiuntur, *Spectaculum* futuri 1. Cor. 4. v. 9. *Mundo Angelis & hominibus.* Et quid *rapi* dico? Suâ sponte *ibant gaudentes* Act. 5. v. 41. *à conspectu Concilij*; seu ut verbis Sancti Basilij utar, *submissâ cervice mentis Ca-* In Constit. Mon. c. 1. *licem Domini biberunt, alacrique animo*

in

in pericula, in contumelias, in Cruces
varias, in neces processêre. Non ce-
dunt malis, sed fortiter contraeundo
esse ad ardua, novam in pugnam, ad
mortem generosam alternâ concita-
tione intendunt.

439. Mirum! quantâ hîc magnanimi-
tate Gloriosus Christi Heros *Beatus Ni-*
colaus eminuerit! Quem dum rursùs
vobis sisto, non credite cæterorum
Contubernalium me præterire virtu-
tes. In Capite singula membra; in fon-
te Canales, in Duce gregarios milites;
in Aquila non degeneres spectabitis
pullos. O quàm ille desiderio flagra-
vit pro aris & focis Catholicæ Reipub.
pro Dei Gloria moriendi! O ut evi-
bratis in cælum oculis pati gestijt pro
Christo, ut hæc in verba cor Seraphi-
co telo saucium eruperit. *Omnem in*
me vesaniam libidinemq́; inclementia
pro suo arbitratu, punctim casimque,
Geusii acuant; terreant, torreant, exco-
riatum vel assatum velint; Paratus sum
pro Nomine Christi JESU extrema quæ-
que pati. Scilicet, purpurate Achilles,
Beate NICOLAE, Imobilis es Chri-
sti INCUS; Victoriosa Palma! Conver-
sus postea ad suos charissimos Filios su-
premum dicturus vale, singulos, non
tam Paterno oculo quàm osculo liba-
tos, protrepticis his verbis compellâs-
2, Mach. c.7. v. 28. se videtur: Eia! *Peto nate, ut aspicias*
ad cælum & terram, & ad omnia quæ in
eis sunt. Hoc unum votum meum est,
hæc una suprema voluntas. *Aspicite ad*
Cælum, ad Triumphi Choragium, ad
Coronidis & Coronæ Capitolium;
S. Odo Clun. l. 1. c. 29. coll. *aspicite ad terram*, mortalitatis & æ-
rumnarum Diversoriorum, ubi tot ho-
mines miserè fascinantur, *quia morta-*
lia non mortaliter cogitant! Aspicite
cælum; quomodo ad Pati, ad Pati-
bulum pateat, ad Gloriam invitet!
Luc. 14. v. 26. *Nónne hæc quoque oportuit pati Chri-*
stum, & ita intrare in Gloriam suam?
Aspicite terram, *ut spinas & tribulos*
Gen. 3. v. 18. *germinet!* Aspicite cælum, & in eo tot
Martyrum Laureas, perpetuâ viridi-
tate & sydereo nitore coruscantes. A-
spicite terram, & *omnia quæ in eis sunt,*
quia ex nihilo fecit illa Deus. Ex nihilo
nihil fit, vel si fit aliquid, cœnum, lutū

latum est, quo suos præmiat amasios. O
ut miseri homunciones in hoc luto
turpiter *lætantur, & exultant in rebus* Prov. 2. v. 14.
pessimis. Violant Deum *propter pugil-* Ezech. 13. v. 19.
lum hordei, & fragmen panis. Cùm di-
liguntur à Deo, *ipsi respiciunt ad Deos* Osee 3. v. 1.
alienos, & diligunt vinacia Uvarum. O
ut in orbe extra orbitam beatitatis ro-
tantur! Volvuntur & involvuntur,
dum ipse *in orbem volvitur orbis; Quid* Owen.
mirum, constans quòd sit in orbe nihil?
Vos estote Constantes. *Estote filij for-* 2. Reg. 2. v. 7.
titudinis, quos obstetricante infractâ
Fide Religio genuit, ut pareret Deo.
Succumbere tormentis, est vincere;
mori pro Christo, mera victoria. Re-
ctam si in lineam porrigetur Corpus in
patibulo, rectâ in cælum, quò colli-
neat, anima ibit. Nimis parcè in
Deum tendit, qui extendi non cupit
membris omnibus. Certior nulla via
nec ad astra tutior, nisi Crucis, quia
trita & regia. Cælo propior est, pen-
dens Dei amore sublimè. *Estote filij*
fortitudinis. Pugnate animosè, & ani-
mate pugnam, hæc pugna præsagium
est Triumphi. Ab assuetis fit passio, à
qua divellimur ægrè. Pridem Car-
nem & Mundum ex professo trium-
phastis; superest, ut dæmonis ministri
receptui canant. Nec mors terreat.
Bona mors mortem contemnens; bona S. Bern. c. 1. vit. myst.
mors vitam conferens sempiternā. A pri-
mis unguiculis didicistis in Pœnitentiæ
sacco naturæ mori. *Non est res magna*
vivere. Omnes servi vivunt; omnia ani- Sen. Ep. 77.
malia vivunt. Magnum est honestè mori,
prudenter & fortiter. Honestè pro hono-
re Ecclesiæ Catholicæ, prudenter pro
Fidei incremento, fortiter pro Christo.
Estote filij fortitudiis. Si priùs Mater
Paupertatis, Religio vestra, strenuos
vos Pœnitentiæ & arduæ disciplinæ fi-
lios educavit; jam estote filij Constan-
tiæ & Herculeæ virtutis. Macti ergò
animis, jam video cælestis aulæ Pa-
ranymphos, qui Palmæ Ramos cum
nobili victoria festivo Hymenæo con-
socient. Procul hinc ignava formido,
panicus terror. Non machæras, non
cultrorum aciem, non funes, non
horrete trabes in Horreo isto. Libate
& librate Melliflui Doctoris favos. *Ter-*
ren-

De vis. myst. n. 3. *Ventur licèt Martyres, rident: feriuntur, & gaudent: occiduntur, & ecce triumphant. Quare? quia morte Charitatis intus in corde jam dudum mortui peccatis, mortui mundo, tanquam insensibiles facti, nec minas, nec tormenta, nec mortem sentire potuerunt.* Auscultate Tertulliani suadam: Lib. 2. ad Mart. *Nil crus sentit in nervo, dum animus est in cælo.* Corpus in aëre pendulum elementum, I, figurabit; laquei circulus, collo insertus, litteram, O, junget. Si vox faucibus interclusa erit, hieroglyphicum hoc IO animi sensus exprimet. IO triumphe! IO triumphe!

Ovid. 2. de art. *Dicite IO Paan: & IO bis dicite Paan!*

Sed ehodum Beate NICOLAE! pathericas has Periodos *Incisa* sequuntur. Heu! quàm barbaro stylo! *Incisim, membratim.* Lictores incedunt, Commata faciunt, donec ad *Connexionem* veniant non semicoli, sed colli; tandem ad extremum vitæ *Punctum.* Ergò Generoso Duci aures priùs incidunt, amputant, detruncant nares, & (prôh grande nefas!) virilitatem deartuant. Sed adhuc crudeles, impudentissimi *Geusij*, spectabitis verum in arena Virum. Quem jamjam ad scalas quasi Gemonias raptatis, habetis animi firmitate integrum. Hab. 3. v. 1. Pancraticè enim, *formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis sua*, gradibus insistit; exemplo Thomæ Mori monitus, ut opinor, exclamat: *Agite pedes, pauci supersunt vobis gradus ad cælum.* Sim denasatus; nasutissimus tamen ero cæli affectator, quia parvæ scalæ compendio. Sim absque auriculis; bene tamen audiam de Palma & Victoria. Seraphicus meus Pater Divus FRANCISCUS in quinque vulneribus sine Cruce Christum expressit; ego eum in Patibulo sine quinque his plagis.

Dixit; & intorto stringuntur guttura nodo. Pendet Beatus NICOLAUS PICHIUS transversâ in trabe victima mortis. Vivit tamen DEO. Vitam, quam Tyrannus ademit, reddidit amplissimo fœnore cælum; eum vita Laureolam Palmæ amœniter intextæ.

Spectabant hanc in Beato Patre constantiam Filij, & impavidi lætique expectabant carnifices manus. S. Ambr. serm. 25. *Qui enim socij sunt contumelia, debent esse participes lætitia.* Amiserunt quidem CAPUT, non cerebrum aut animum. Ergò ad Beatum Hieronymum Vicarium modò furor præcipitatur. Sed in cauterio cautem invenit. Nam dum Crucis stygma, quod præcordijs & brachio ceu Hierosolymarius eques infixum gessit, acerbissimo cum dolore *Geusij* effoderent, velut non genarius Eleazarus 2. Mach. 6. 24. annosissimâ ætate, prompto animo, inconcussus stetit; mox in sublime raptus illaqueato jugulo vitam, quam sanctè egit, sanctè exegit, ad Superos abijt, ut *quem tormenta non dabant finem doloribus, Corona darent.* S. Cypr. l. 3. Ep. 6. *Et iste quidem hoc modo vitâ discessit, non solùm invenibus, sed & universa genti memoriam mortis sua ad exemplum virtutis & fortitudinis derelinquens.* 2. Mach. 6. v. 31. Insistunt deinde Cæteri intrepido animo vestigijs ab Athletica virtute impressis. Adeò verum est illud Cosmi Medices Hetruriæ Ducis Symbolum in decussis Palmæ ramis erectum: *Uno avulso non deficit alter.* Sed nec tyranni in laniena, Præcisis naribus, auribus, & quæ verecundia tegit (fœdum dictu!) verendis, etiam superstites adoriuntur Contubernales. Quorum heroicas virtutes mentisque alacritatem, in funem & vitæ finem apparatam, sigillatim pertexerem, nisi tempus filum dictionis abrumperet.

Si ex patre filios, ex sole radios, ex Pastore Gregem, ex radice surculos ominari licet, Quidni ex infrascta Beati NICOLAI virtute generosam Filiorum indolem auguremur? Primus ille Hectoreo ausu Patibularius fuit, nec degeneres reliquit Hæredes, quibus tabulas suo scripsit sanguine, nodo velut Gordio firmatas, hæredij te-

testes, Laquei nempe, Furcæ, & Martyrij. Pari itaque supplicio pendent omnes, & pendunt pro fide pœnam vitamque innocentes. Quanto lucro & fructu Christianæ Victoriæ! Nam ex Horreo & Caula in Cælestem Aulam immigrârunt, quæ latè diffusa Purpuratos Palæstritas excepit. Ita scribit Michaël ab Isselt Amorfortius in sui temporis Historia Anno 1572. *Aderat Seraphicæ Familiæ Sacerdos innocens & simplex. Is cùm videret Fratres suos tam lætis ac serenis vultibus ad mortem properare! Et ego, inquit, cum Fratribus mori volo. Video enim cælum apertum, & animas eorum in illud recipi. Geusij his verbis irâ magis incitati, eum cum alijs iugulârunt.* Sic verè ad Plures abijt! Addit luculenti miraculi fidem in Matthia Thorano, Cive Gorcomiensi. Qui cùm viginti annos ramicem miserè provolveret, perceptâ horum Martyrum constantiâ: *Orate*, vociferatur, *pro me Patres & Fratres; quos invictam Romanæ FideiConfessionem iam Martyres gloriosos effecisse non dubito. Adhuc in ore illius erat verbum hoc, & se planè integréque curatum sensit.*

§. 6.

Conclusio.

440. ADeste AA. Tollamus quoque unanimem hodie vocem! exclamemus ad tam præclaros Victores, & Triumphales Heroes! *Orate pro nobis Patres & Fratres*, Beati Martyres. -- *O Terque quaterque beati* (cecinit olim Poëta)

Queis ante ora Patrum Troiæ sub mœnibus altis
Contigit oppetere

Vos --- O Terque quaterque beati queis fidei ante aras Prilæ sub mœnibus altis contigit oppetere.

Beati! quia tanquam Surculi Seraphicæ Palmæ insiti estis. Beati! quia multiplici virtutum flore germinâstis Beati! quia tam insignes Patientiæ, mansuetudinis, fideique assertæ fructus tulistis. Beati! quia persecutionem propter justitiam sustinuistis. Beati! quia omnes eadem in Incude iterum iterumque sudastis, donec juxta Christi Idæam vera virtutum effigies excuderetur. Beati! quia heroicâ Victoriâ potiti gloriosam mortem obijstis. Beati! quia Tyrannum Lummæum, & Cæsios Geusios triumphâstis. *Beati! quia Funes ceciderunt vobis in præclaris: etenim jam hæreditas Domini præclara est vobis.* Psal. 15. v. 6. Beati! quia ex Horto Militantis in Paradisum Triumphantis Ecclesiæ estis translati! *Plantati in Domo Domini, in atrijs domûs Dei nostri.* Psal. 91. v. 14. Beati! quia & miraculis, & cælicis apparitionibus Orbem jam beâstis. Beati! quia vos hodie Ecclesia Universa tanquam Laureatos Martyres devotissimè veneratur Beatos, donec in Sanctorum Fastos & Festa referat.

Et ecce vota quoque nostra Beati Cælites! Beati Christi Martyres! *Orate pro nobis Patres & Fratres*, ut vestris meritis debellatâ Stygis hostilitate Palmarem Victoriam canamus, & Triumphum.

O Beati Palmæ Rami, *Plantati in Domo Domini, ut annuntient!* Annuntiate nobis tandem etiam beata Gloriæ cælestis Plantaria. Imò jam annuntiant Sancto Augustino Præcone. *O miseri homines Amatores Mundi! Annuntiant vobis, qui plantati sunt in Domo Domini, & dicunt vobis: Nolite seduci felicitate iniquorum; nolite attendere florem fæni; nolite attendere ad tempus beatos, in æternum miseros! Nec ista beatitudo, quæ foris modò videtur, vera est.* In Psal. 91. Scilicet Virga Jonathæ est; 1. Reg. 14. v. 43. melle quidem illita, sed illatæ mortis præfica. Rosa est, quæ dum carpitur, spinas post se relinquit. Myrtus est; arbuscula quidem venusta, & suavissimi odoris; sed Corona illius non tam Veneris, quam Funeris Symbolum. Hedera est; sed quæ amplectendo prosternit. Sol est; sed non sine occasu. Fax; sed quæ extincta fœtet. Favus; sed qui favendo aculeum condit. O miseram beatitudinem! quia ad tempus; cum quo alas

fu-

sumit & brevì consumitur, aut velut
Iacob.4. v.15. *vapor ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.*

Sen. Ep.49. O miserè Beatos! *si ad tempus*; quod *ad præsentia intentos fallit.* Nam si hanc infelicem exhauserunt felicitatem, ad fæcem se opinione citiùs pervenisse ingemiscent; pauxillos in annos beati, in annulo æternitatis extremè sine extremis, quia perenniter, cruciandi, pœnasque hujus pennatæ beatitudinis daturi. Heu quantùm volatilis hæc beatitas ab æterna distat! scilicet toto cælo. Florem illa promittit, sed fœni; florem ista, sed Palmæ nunquam marcescentis, quâ Beati nunc Gorcomienses Martyres deliciantur; *nam Iustus ut Palma florebit:* Psal.91. v.13. *Plantati in Domo Domini, in atrijs Domûs Dei nostri florebunt.* Agite, Auditos, ad Hos Beatos Palmæ Ramos corda & vota suspendite vestra, more Flav. Ios. L.10.c.3. Hebræorum gentico. Illi Eucharistico in Sacrificio Palmæ termitibus mala Persicæ arboris illigaverant, quæ quadam naturæ imitatione Cordis formam referunt, Poëta Teste; Cartar. de Imag. Deorum.

Fert folium linguæ, fert poma simillima Cordi.

Vos hodie Corda vestra appendite his Palmæ Seraphicæ Ramis. Nam primum Eucharisticum est Sacrificium, quo pro Solenni Martyrum beatitudine devotissimas grates offerrimus. Innectite illis animos, ut cum ijsdem in veræ Fidei Confessione, virtutum constanti virore, sub Charitatis Divinæ Sole semper floreatis. Intexite illis pectora ardenti veneratione, piaque fiduciâ, sacrisque desiderijs dicata, ut meritis eorum atque Patrocinio inter ærumnas & pressuras, inter turbines & temporis injurias semper in cælum erecti, neque in hac vita à Gratia, neque in altera à Gloria possitis divelli; sed cum gloriosis his Seraphicæ Palmæ Ramis æternùm beati in cælesti Paradiso frondeatis, individuâ illorum adhæsione & Intercessione etiam

Plantati in Domo Domini in atrijs Domûs Dei nostri.

A M E N.

Omnia ad maiorem Sanctissimæ Trinitatis, & omnium Sanctorum Gloriam, & Honorem.



INDEX
LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ.
Numerus Marginalem indicat.

Genesis.

Exodus.

Leviticus.

Numeri.

Deuteronomium.

Liber Judicum.

Regum I.

Regum II.

Regum III.

Regum IV.

Paralipomenon I.

Esdræ IV.

Job.

Cap.

Liber Psalmorum.

Iſaias.

Jeremias.

Threni.

Baruch.

Ezechiel.

Daniel.

Oſee.

Cap.

Joel.

Matthæus.

Marcus.

Lucas.

Joannes

Actus Apostolorum.

Epistola ad Romanos.

Ad Corinthios I.

Ad Corinthios II.

Ad Galatas.

Ad Ephesios.

Ad Philippenses.

Ad Colossenses.

Ad Thessalonicenses.

Ad Timotheum I.

Ad Timotheum II.

Ad Hebræos.

Jacobi.

Petri I.

Petri II.

S. Joannis I.

Apocalypsis.



IN-

INDEX
RERUM NATURALIUM, HISTORIALIUM ET MORALIUM,
Contentarum in Secunda Parte Ornithologiæ Moralis.

Numeri denotant numeros marginales; a. *verò primam partem citati numeri;* b. *secundam,* & c. *tertiam:* t. *autem totum numerum, in quo præallegata materia reperienda est.*

A.

Rrr 2

Apia-

B.

Tre-

D.

De-

E.

Ele-

F.

In-

K.

L.

Ma-

T.

Tri-

V.

Pa

Q.

R.

S.

T.

Tri-

V.

FINIS



ELENCHUS
LEMMATUM NOTABILIORUM.

Ca-

Reli-

F I N I S.

Menda sic emenda.

Fol. 73. *col.* 2. *lin.* 19. prennandi. *lege* perennandi. *fol.* 46. *c.* 1. *l.* 22. anni. *l.* animi *f.* 194. *c.* 1. *l.* 19. mihi tecum, *l.* tibi mecum. *f.* 196. *c.* 2. *l.* 24 cæcum. *l.* claudum *f.* 216. *c.* 1 *l.* 12 partum *l.* portum. *f.* 323. *c.* 2 *l.* 41 provocatione *l.* vocatione. *f.* 372. *c.* 1 *l.* 14 apposuit *l.* opposuit. *f.* 392. *c.* 2. *l.* 32 les & Plinius. *l.* lem & Plinium. *f.* 462. *c.* 2 *l.* 36. amor. *l.* memor. *f.* 483. *c.* 2 49. *l.* affectus *l.* affatus.

Cætera (pauca sanè) benevolus Lector corriget.

Reli-

F I N I S.

Menda sic emenda.

Fol. 71. *col.* 2. *lin.* 19. prennandâ. *lege* perennandâ. *fol.* 65. *c.* 1. *l.* 22. anni. *l.* animi. *f.* 194. *c.* 1. *l.* 15. mihi tecum, *l.* tibi mecum. *f.* 196. *c.* 2. *l.* 14 cæcum. *l.* claudum *f.* 216. *c.* 1 *l.* 12 partum *l.* portum. *f.* 311. *c.* 2 *l.* 41 provocatione *l.* vocatione. *f.* 372. *c.* 1 *l.* 14 apposuit *l.* opposuit. *f.* 392. *c.* 2. *l.* 32. les & Plinius. *l.* lem & Plinium. *f.* 468. *c.* 2 *l.* 18. amor, *l.* memor. *f.* 433. *c.* 2. *l.* 29. *l.* affectus *l.* affatus.

Cætera (pauca sanè) benevolus Lector corriget.





G 8.